THEOLOGIA MORALIS.

AUCTORE

AUGUSTINO LEHMKUHL S. J.

VOL. II.

LIBRARY

THEOLOGIA MORALIS.

AUCTORE

AUGUSTINO LEHMKUHL,
SOCIETATIS JESU SACERDOTE.

VOLUMEN II.

CONTINENS

THEOLOGIAE MORALIS SPECIALIS
PARTEM SECUNDAM
SEU TRACTATUS
DE SUBSIDIIS VITAE CHRISTIANAE.

CUM DUABUS APPENDICIBUS.

EDITIO DECIMA
AB AUCTORE RECOGNITA ET EMENDATA.

CUM APPROBATIONE REV. ARCHIEP. FRIBURG. ET SUPER. ORDINIS.

ALMA COLLEGE
239.02
LIBRARY
L528
Alma, California

ST. IGNATIUS COLLEGE
LIBRARY
SAN FRANCISCO, CAL.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MCMII.
VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.

5035

Cum opus, cui titulus est „**Theologia Moralis**“, a P. *Augustino Lehmkuhl,* nostrae Societatis sacerdote, compositum, aliqui ejusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint: facultatem concedimus, ut decimum typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

Feldkirch, die 24. Martii 1902.

(L. S.) **P. Carl Schäffer, S. J.**
Praepositus Provinciae Germaniae S. J.

Imprimatur.

Friburgi Brisgoviae, die 26. Martii 1902.

✝ **Thomas,** Archiepps.

Omnia jura reservantur.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

ADMODUM REVERENDO

IN CHRISTO SUMME VENERANDO DILECTISSIMO PATRI,

P. LUDOVICO MARTIN,

PRAEPOSITO GENERALI

SOCIETATIS JESU,

IN SIGNUM VENERATIONIS ET FILIALIS OBSEQUII

NOVAM HUJUS OPERIS EDITIONEM
DEVOTUS OFFERT AC DEDICAT

AUCTOR.

Index synopticus vol. II. theologiae moralis.

Theologia moralis specialis.

Pars II.

De subsidiis vitae christianae agendae.

Liber I.

De subsidiis adjuvantibus seu de Sacramentis.

Tractatus I.

De Sacramentis generatim.

		Pag.
Caput I.	De natura et divisione sacramentorum.	
	§ 1. Quid sit sacramentum	5
	§ 2. De numero sacramentorum	5
	§ 3. De divisione sacramentorum	6
Caput II.	De materia et forma sacramentorum	10
Caput III.	De sacramentis iterandis	13
Caput IV.	De ministro sacramentorum.	
	§ 1 De attentione in sacramentis administrandis necessaria	18
	§ 2. De intentione in sacramentis administrandis necessaria	18
	§ 3. De modo et ritu conferendi sacramenta	22
	§ 4. De probitate ministri seu de statu gratiae sacramentorum ministro necessario	23
	§ 5. De obligatione sacramenta ministrandi	27
	§ 6. De sacramentis denegandis	29
	Appendix praecipuorum peccatorum, quae in sacramentis conferendis occurrere possunt	34
Caput V.	De subjecto sacramentorum seu de sacramentorum susceptione.	
	§ 1. De valida sacramentorum susceptione	35
	§ 2. De licitae et fructuosae susceptionis debita dispositione interna	37
	§ 3. De licitae susceptionis conditione externa seu de ministro digno adeundo	39
	Appendix praecipuorum peccatorum, quae in suscipiendis sacramentis possunt occurrere	40

Pag.

Tractatus II.

De Baptismo.

Caput I. De essentia et natura baptismi.
§ 1. De gratia et effectu sacramenti baptismi 41
§ 2. De materia baptismi.
A. Materia remota 44
B. Materia proxima 45
§ 3. De forma baptismi 47
Caput II. De ministro et modo conferendi baptismi.
§ 1. Munus ministri 50
§ 2. Munus patrinorum 54
Caput III. De subjecto baptismi 56
Appendix peccatorum in baptismo occurrentium 65

Tractatus III.

De Confirmatione.

Caput I. De essentia et natura confirmationis.
§ 1. De gratia, quam confirmatio confert 66
§ 2. De materia et forma, quae confirmationem ut gratiae efficax signum constituunt 68
Caput II. De ministro confirmationis 70
Caput III. De subjecto confirmationis ejusque suscipiendae obligatione . 74
Appendix praecipuorum peccatorum, quae circa confirmationem possunt occurrere 76

Tractatus IV.

De SS. Eucharistiae Sacramento.

Sectio I.

De SS. Eucharistia, ut est Sacramentum.

Caput I. De re, quam continet SS. Eucharistia.
§ 1. De reali Christi in Eucharistia praesentia . . . 78
§ 2. De effectibus SS. Eucharistiae 81
Caput II. De confectione SS. Eucharistiae.
§ 1. Materiam SS. Eucharistiae qualem esse oporteat . . 85
§ 2. Materia SS. Eucharistiae quomodo debeat esse praesens . 88
§ 3. De forma SS. Eucharistiae 91
Appendix praecipuorum peccatorum circa SS. Eucharistiae consecrationem 93
Caput III. De usu SS. Eucharistiae.
Art. I. De SS. Eucharistiae asservatione 94
Art. II. De distributione SS. Eucharistiae.
§ 1. Quibus competat jus distribuendi 97
§ 2. De obligatione administrandae S. Eucharistiae . . . 99
§ 3. De modo S. Eucharistiam administrandi 100
Art. III. De susceptione SS. Eucharistiae.
§ 1. De obligatione sumendi S. Eucharistiam 105
§ 2. De dispositione animae ad sumendam S. Eucharistiam . 108
§ 3. De dispositione corporis ad sumendam Eucharistiam requisita 114
Appendix praecipuorum peccatorum in sumptione SS. Eucharistiae occurrentium 119

Pag.

Sectio II.

De SS. Eucharistia, ut est Sacrificium.

Caput I. De natura et efficacia Ss. Missae sacrificii.
Art. I. De natura hujus sacrificii 120
Art. II. De fructibus Missae.
§ 1. Qui sint in Ss. Missae sacrificio offerentes atque ad fructus et effectus conferentes 123
§ 2. *Quos* fructus seu effectus Ss. Missae sacrificium habeat pro hominibus 124
§ 3. Quot et quibus modis in diversis diversi fructus Missae producantur 128
Art. III. De applicatione Missae.
§ 1. Pro quibus Missa offerri possit 130
§ 2. De valore Missae applicationis sive finito sive infinito . 135
§ 3. Quomodo applicatio Missae sacerdoti facienda sit . . 139
Appendix peccatorum circa Missae applicationem 140
Caput II. De obligatione Ss. Missae sacrificium celebrandi
§ 1. Obligatio celebrandi ratione sacerdotii 141
§ 2. Obligatio celebrandi ratione officii curam animarum annexam habentis 142
§ 3. Obligatio celebrandi ratione contractûs seu stipendii accepti 145
§ 4. Obligatio celebrandi ex obedientia imposita . . . 153
Appendix seu recapitulatio praecipuorum hujus capitis peccatorum . 154
Caput III. De praeceptis liturgicis in celebranda Missa servandis.
Art. I. De tempore et loco celebrationis.
§ 1. Quibus diebus liceat sive non liceat celebrare . . . 156
§ 2. De facultate binandi 157
§ 3. De hora, qua celebrari liceat 162
§ 4. De loco celebrationis 164
§ 5. De altari ejusque consecratione et exsecratione . . 167
Art. II. Sacra utensilia ad Missae celebrationem necessaria.
§ 1. De vasis sacris 170
§ 2. De ornatu sacerdotis 172
§ 3. De ornatu altaris 173
§ 4. De interdictione et exsecratione sacrorum utensilium . 175
Art. III. Praescripta ipsum ritum sacrum celebrandi spectantia.
§ 1. De rubricis generatim 177
§ 2. De qualitate Missae particularia quaedam . . . 178
§ 3. De singulis Missae partibus atque orationibus . . 179
§ 4. Actiones rituales speciatim consideratae 182
Appendix praecipuorum peccatorum contra praecepta liturgica . . 184

Tractatus V.

De Sacramento Poenitentiae.

Sectio I.

De natura Poenitentiae qua virtus et qua Sacramentum est.

Caput I. Notio virtutis poenitentiae 187
Caput II. Institutio sacramenti poenitentiae a Christo facta . . . 189

Pag.

Caput III. De partibus constitutivis sacramenti poenitentiae.
§ 1. Quo sensu materia hujus sacramenti sumatur . . . 192
§ 2. Quam late pateat materia sacramenti poenitentiae . . 193
§ 3. De forma sacramenti poenitentiae 199

Sectio II.

De subjecto Sacramenti Poenitentiae seu de poenitentis actibus singillatim consideratis, qui quasi-materiam proximam constituunt.

Caput I. De contritione.
§ 1. De natura et efficacia contritionis 204
§ 2. De dotibus contritionis 211
§ 3. De elemento dolorem consequente seu de proposito . 218
Caput II. De confessione.
Art. I. De confessionis integrae necessitate et ambitu.
§ 1. De necessitate et integritate generatim 226
§ 2. De specifica peccatorum declaratione in confessione necessaria 229
§ 3. De peccatis dubiis 233
§ 4. De peccatis oblivione etc. omissis 238
Art. II. De causis ab integritate confessionis excusantibus . . 240
Art. III. De mediis ad integritatem confessionis procurandam necessariis.
§ 1. De examine conscientiae confessioni praemittendo . . 249
§ 2. De confessionum repetitione et de confessione generali . 251
Interrogatorium confessionis generalis 255
Caput III. De satisfactione 257

Sectio III.

De Ministro Sacramenti Poenitentiae.

Caput I. De potestate ministri.
Art. I. Notio de potestate ordinis, jurisdictionis, de approbatione . 267
Art. II. De jurisdictione ordinaria 269
Art. III. De jurisdictione delegata et approbatione illi conjuncta.
§ 1. De delegatione et approbatione ordinario modo facta . 273
§ 2. De delegatione, quae fit extraordinarie et per accidens . 280
§ 3. De illa jurisdictione delegata, quae lege speciali regitur.
Punctum I. De jurisdictione in regulares eorumque familiares 285
Punctum II. De jurisdictione et approbatione pro confessione monialium 288
Art. IV. De jurisdictionis limitatione seu casuum reservatione.
§ 1. Quid requiratur, ut casus sint reservati 291
§ 2. De casuum reservatorum absolutione 296
Caput II. De confessarii potestatis atque muneris essentialis exercitio.
§ 1. De causa recognoscenda 303
§ 2. De dispositione poenitentis inquirenda 306
§ 3. De sententia ferenda sive absolutionis sive retentionis peccatorum 309
Caput III. De confessarii obligationibus, quae essentialis muneris exercitium comitantur.
Art. I. De confessarii obligationibus praeviis, seu quibus se rebus ad munus obeundum comparare debeat.
§ 1. De caritate et patientia 314
§ 2. De scientia et prudentia 318
Art. II. De obligationibus in ipsa confessione occurrentibus.
§ 1. De obligatione instruendi et monendi poenitentes . . 320

Pag.

§ 2. De obligatione remedium afferendi contra relapsum . 324
Art. III. De obligationibus confessionem subsequentibus.
§ 1. De secreto sacramentali seu sigillo confessionis.
Punctum I. De ipsius sigilli obligatione 328
Punctum II. De objecto sacramentalis sigilli . . . 330
Punctum III. De sigilli subjecto 332
Punctum IV. Quo modo sigillum sacramentale violetur . 334
§ 2. De obligatione corrigendi defectus in confessionibus exceptis commissos 337
Caput IV. Confessarii obligationum ad diversa genera poenitentium applicatio.
Art. I. De agendi ratione cum iis, in quibus necessaria instructio facilius desideratur.
§ 1. De confessione puerorum 342
§ 2. De confessione rudium 343
§ 3. De confessione semifatuorum 345
§ 4. De confessione surdorum et mutorum 346
Art. II. De agendi ratione cum iis, in quibus difficultas est judicandi de sufficienti dispositione morali.
§ 1. De occasione peccandi 347
§ 2. De consuetudine et relapsu 349
§ 3. De quibusdam regulis circa absolutionem recidivorum et occasionariorum 351
Art. III. De agendi ratione cum iis, in quibus laborandum est, ut dispositio conservetur atque augeatur.
§ 1. De tentatis et afflictis 353
§ 2. De poenitentibus piis 356
§ 3. De directione monialium 359
Art. IV. De agendi ratione cum moribundis
§ 1. Qui moribundi absolvi possint 362
§ 2. De modo securius et copiosius juvandi moribundos . 366

Sectio IV. — Appendix.

De remissione poenarum temporalium Sacramentum Poenitentiae complente, seu de Indulgentiis.

Caput I. De indulgentiis generatim.
Art. I. Summa capita doctrinae de indulgentiis 371
Art. II. Explicatio singulorum, quae ad notionem et participationem indulgentiarum spectant.
§ 1. De conceptu indulgentiarum 372
§ 2. Probatur Ecclesiae potestas 373
§ 3. De applicatione indulgentiarum erga defunctos . . 374
§ 4. Modus concedendi indulgentias 374
§ 5. De indulgentiarum causa justa 377
§ 6. De conditione ad lucrandas indulgentias prima seu de statu gratiae 378
§ 7. De conditione lucrand. indulgentiarum altera, i. e. de voluntate eas lucrandi 378
§ 8. De conditione lucrand. indulgentiarum tertia, i. e. de praescriptis operibus implendis 379
Caput II. De jubilaeo speciatim.
Art. I. Summa doctrinae capita 383
Art. II. De operibus, quae in jubilaeo praescribi consueverunt, singillatim consideratis 384

Pag.

Art. III. De favoribus indulgentiae jubilaei annexis.
§ 1. Expenduntur singulae facultates 387
§ 2. De usu facultatum iterato sive non iterato . . . 389
Caput III. Appendix de quibusdam indulgentiis atque indulgentiarum regulis obviis in particulari 391

Tractatus VI.

Sacramentum Extremae Unctionis.

Caput I. De extremae unctionis rationibus internis.
§ 1. De gratiis per extremam unctionem conferendis seu de extr. unctionis effectu 399
§ 2. De materia et forma 402
Caput II. De extremae unctionis causis externis, ministro et subjecto . 405
Appendix de praecipuis peccatis circa extremam unctionem . . . 408

Tractatus VII.

Sacramentum Ordinis.

Caput I. De ordinis rationibus internis.
§ 1. De natura ordinis, eaque sacramentali 409
§ 2. De diversorum ordinum effectibus 410
§ 3. De materia et forma singulorum ordinum 412
Caput II. De ordinis rationibus externis.
§ 1. De ministro ordinis quoad ordinationis valorem . . 417
§ 2. De ministro quoad licitam ordinum collationem . . 418
§ 3. De subjecto ordinationis 420
Appendix praecipuorum peccatorum, quae in ordinatione occurrere possunt 427
Caput III. De oneribus et favoribus ordinibus, praecipue sacris, annexis.
Art. I. De obligationibus clericorum communibus.
§ 1. De veste clericali et tonsura 427
§ 2. De prohibitis artibus et officiis.
Punctum I. De negotiatione 428
Punctum II. De non exercenda arte medica . . . 430
Punctum III. De aliis artibus vel officiis 431
§ 3. De prohibitis ludis animique relaxationibus.
Punctum I. De venatione 431
Punctum II. De frequentatione theatri et tabernae . . 432
Punctum III. De ludis aleatoriis 432
§ 4. De coelibatu ejusque custodia 433
§ 5. De divini officii seu breviarii recitatione.
Punctum I. De obligatione ejusque gravitate . . . 435
Punctum II. De modo et circumstantiis recitandi officium divinum 441
Punctum III. De causis a recitatione officii excusantibus 448
Punctum IV. De restitutione fructuum beneficii propter neglectum divinum officium 450
Art. II. De obligationibus clericorum in particulari.
§ 1. De speciali obligatione Episcoporum 451
§ 2. De speciali obligatione parochorum 453
§ 3. De speciali obligatione canonicorum 457
Art. III. De privilegiis clericorum.
§ 1. De privilegiis clericorum communibus 459
§ 2. De privilegiis Episcoporum 461
§ 3. De praecipuis privilegiis regularium 463

Pag.

Tractatus VIII.
De Matrimonio.

Sectio I.

De iis, quae Matrimonium praecedunt.

Caput I. De sponsalibus.
§ 1. De sponsalium natura 466
§ 2. De sponsalium effectu 470
§ 3. De sponsalium dissolutione 472
Appendix praecipuorum peccatorum circa sponsalia occurrentium . 477
Caput II. De bannis.
§ 1. De obligatione bannorum 477
§ 2. De dispensatione bannorum 479
§ 3. De obligatione impedimenta revelandi 480
Appendix praecipuorum peccatorum in hac re occurrentium . . 481

Sectio II.

De matrimonialis contractûs natura et qualitate.

Caput I. De matrimonialis contractûs charactere sacramentali.
§ 1. De hujus sacramenti essentia 482
§ 2. De sacris caerimoniis observandis 491
Appendix seu recapitulatio praecipuorum hujus capitis peccatorum . 495
Caput II. De matrimonii essentialibus qualitatibus.
Art. I. De unitate matrimonii 496
Art. II. De matrimonii solutione et indissolubilitate.
§ 1. De matrimonii firmitate, ac de divortio quoad vinculum . 498
§ 2. De divortio quoad torum et cohabitationem . . . 506
Appendix praecipuorum peccatorum 509

Sectio III.

De personis contrahentibus, seu de iis, quae requiruntur, ut licite et valide contrahere possint.

Caput I. De impedimentis impedientibus.
§ 1. Ecclesiae vetitum, atque de matrimoniis mixtis . . 510
§ 2. Tempus clausum 513
§ 3. Sponsalia cum alio 514
§ 4. Votum, seu certa quaedam vota vitae perfectioris . . 514
§ 5. Appendix de dissensu parentum atque lege civili matrimonium vetante 517
Caput II. De impedimentis dirimentibus.
§ 1. Praevie notanda 518
A. Impedimenta juris privati.
§ 2. Impedimenta erroris et servilis conditionis . . . 522
§ 3. Impedimentum vis et metûs 524
§ 4. „ ligaminis 527
§ 5. „ impotentiae 529
B. Impedimenta juris publici.
§ 6. Impedimentum aetatis 533
§ 7. „ voti et ordinis 534
§ 8. „ disparitatis cultûs 535
§ 9. Impedimenta cognationis.
Punctum I. Cognatio naturalis seu consanguinitas . . 537

Pag.

Punctum II. Cognatio spiritualis 540
Punctum III. Cognatio legalis 542
§ 10. Impedimentum affinitatis 543
§ 11. „ publicae honestatis 547
§ 12. „ criminis 548
§ 13. „ raptûs 552
§ 14. „ clandestinitatis, seu: de forma substantiali, qua matrimonium contrahi debet.
Punctum I. De re, quam lex clandestinitatis praescribat.
A. De legitimo parocho ejusque delegato . . . 553
B. Quonam modo parochus et testes assistere debeant . 556
Punctum II. De extensione et limitatione legis clandestinitatis, seu ubinam vigeat 557
Caput III. De impedimentis matrimonii tollendis.
§ 1. De potestate dispensandi et de diversis tribunalibus . 565
§ 2. De causis dispensandi 573
§ 3. De petitione dispensationis 576
§ 4. De concessione dispensationis 585
§ 5. De matrimonio revalidando.
Punctum I. De modo ordinario matrimonii revalidandi . 589
Punctum II. De sanatione matrimonii in radice . . 593
Appendix peccatorum, quae in dispensatione matrimoniali facilius occurrere possint 596

Sectio IV.

De jure, quod ex Matrimonio conjugibus oritur.

Caput I. Quae licita sunt conjugibus, quaeque illicita.
Art. I. De licitis et illicitis ex parte rei seu ex parte ipsius actionis.
§ 1. De actibus inter conjuges mutuis 597
§ 2. De actibus conjugum, qui sine mutua ad invicem relatione fiunt 600
Art. II. De licitis et illicitis inter conjuges ratione circumstantiarum.
§ 1. Ratione ipsius matrimonii non certo validi . . . 601
§ 2. Circumstantiae personarum 603
§ 3. Circumstantiae temporis 605
§ 4. De circumstantia loci et sitûs 606
§ 5. De circumstantia finis et intentionis 607
Caput II. De obligatione circa actus conjugales.
§ 1. Obligatio conjugale debitum reddendi 608
§ 2. De obligatione denegandi 611

Liber II.

De subsidiis coërcentibus seu de Poenis ecclesiasticis.

Tractatus I.

De Censuris et Poenis similibus.

Sectio I.

Generalis diversarum Censurarum explanatio.

Caput I. De censuris in communi.
§ 1. Notio et divisio 617
§ 2. De conditionibus necessariis, ut censura incurratur . . 619

Pag.

§ 3. Quis in quos censuras ferre possit, seu de auctore censurarum earumque subjecto 623
§ 4. De cessatione censurarum earumque absolutione . . 627
Caput II. De prima censurarum specie, seu de excommunicatione.
§ 1. Generalis notio 632
§ 2. Effectus formales excommunicationis singillatim expenduntur 634
§ 3. Effectus excommunicationis mediati 643
Caput III. De secunda censurarum specie, seu de suspensione.
§ 1. Notio et divisio 643
§ 2. Effectus suspensionis 646
§ 3. Suspensionis cessatio 646
Caput IV. De tertia censurarum specie seu de interdicto.
§ 1. Generalis notio et divisio 647
§ 2. Uberior explicatio effectuum interdicti, seu: quaenam res sacrae prohibeantur.
Punctum I. De sacramentis prohibitis 648
Punctum II. De divinorum officiorum prohibitione . . 649
Punctum III. De privatione ecclesiasticae sepulturae . . 650
§ 3. De interdicto „ab ingressu ecclesiae“ speciatim . . 651
§ 4. Violatio interdicti, ejusque culpae gravitas . . . 651
Caput V. *Appendix.* De poenis ecclesiasticis vindicativis, quoad effectus censuris similibus.
§ 1. Depositio 652
§ 2. Degradatio 653
§ 3. Cessatio a divinis 653
§ 4. Sepulturae ecclesiasticae denegatio 654

Sectio II.

De Censuris latae sententiae singillatim consideratis.

Caput I. Excommunicationes speciali modo R. Pontifici reservatae.
§§ 1—12. Explicantur censurae I. seriei Constitutionis Pii IX. *„Apostolicae Sedis“* . . . . . 655—673
§ 13. Explicatur poena lata per Constit. *„Romanus Pontifex“* 28. Aug. 1873 673
Caput II. Excommunicationes ordinario modo R. Pontifici reservatae.
§§ 1—18. Explicantur censurae II. seriei Const. *„Apostolicae Sedis“* . . . . . 674—687
§ 19. Additur excommunicatio Trid. Concilii contra usurpatores bonorum ecclesiasticorum vel piarum causarum . . 688
Caput III. Excommunicationes latae sententiae Ordinariis reservatae
§ 1—3. Explicatur III. series censurarum Const. *„Apostolicae Sedis“* . . . . . 689—691
Caput IV. Excommunicationes non reservatae.
§ 1—4. Explicatur IV. series censurarum Const. *„Apostolicae Sedis“* . . . . . 691—696
§ 5. Additur excommunicatio a Pio IX. renovata in missionarios mercaturam exercentes 696
§§ 6—11. Excommunicationes vi Tridentini Concilii vigentes 697—700
§ 12. Adduntur praecipuae excommunicationes generales in religiosos 700
Caput V. Suspensiones latae sententiae seu series V. censurarum Constit. *„Apostolicae Sedis“* cum suspensionibus a Trid. latis . . 701
Caput VI. Interdicta latae sententiae seu series VI. censur. *„Apost. Sedis“* . 705
Catalogus brevis censurarum latae sententiae 706

Pag.

Tractatus II.

De Irregularitatibus.

Caput I. De irregularitate generatim 710
Caput II. Irregularitates ex delicto singillatim consideratae.
§ 1. Sacrilega baptismi iteratio vel susceptio . . . 712
§ 2. Ordinum illicita susceptio et usurpatio 712
§ 3. Violatio censurarum per exercitium ordinis sacri . . 713
§ 4. Crimina alia, quae ipso jure irregularitatem inducunt . 714
§ 5. Homicidium et mutilatio ut causa irregularitatis . . 715
Caput III. Irregularitates ex defectu singillatim consideratae.
§ 1. Defectus natalium seu ortus illegitimus 720
§ 2. Defectus animi 721
§ 3. Defectus libertatis 721
§ 4. Defectus corporis 722
§ 5. Defectus aetatis 723
§ 6. Defectus sacramenti, seu bigamia 723
§ 7. Defectus lenitatis 724
§ 8. Defectus famae, seu infamia 725

Appendix I.

Series chronol. propositionum damnatarum et quaedam S. Sedis decreta.

1. Articuli 45 Joannis Wicleff 728
2. Articuli 30 Joannis Huss 730
3. Propositiones 9 Petri Oxomensis 732
4. Errores 41 Martini Luther 732
5. Propositiones 79 Michaelis Baji 735
6. Propositio de aequalitate SS. Petri et Pauli Ap. 739
7. Propositiones 5 Cornelii Jansenii 739
8. Propositiones 45 ab Alexandro VII. damnatae 740
9. Propositiones ab Innocentio XI. damnatae (65 etc.) 743
10. Propositiones 68 Mich. de Molinos ab eodem Innocentio XI. damnatae 747
11. Propositiones 2 (de peccato philosophico) ab Alexandro VIII. damnatae 752
12. Propositiones 31 ab eodem Alexandro VIII. damnatae 753
13. Propositiones 23 de amore puro ab Innocentio XII. damnatae . . 754
14. Propositiones 101 Paschasii Quesnelli 756
15. Propositiones 5 de duello a Benedicto XIV. damnatae 762
16. Propositiones 85 synodi Pistoriensis a Pio VI. damnatae . . . 762
17. Syllabus Pii IX. et theses in Encycl. *Quanta cura* damnatae . . 782
18. Propositiones 40 Rosmini Serbati a Leone XIII. damnatae . . . 791
19. Decreta S^{i} Officii circa corporum crematione (cum notis) . . . 795
20. Decretum S. C. Epp. et Reg. de aperitione conscientiae etc. . . . 797
21. Instruct. S^{i} Officii de communicatione in ritu schismatico . . . 799
22. Decreta quaedam circa administrationem sacramentorum . . . 800
23. Decretum circa societates vetitas 803
24. Decretum S. C. Epp. et Reg. circa religiosorum dimissionem . . 803
Addenda 806
De prohibitione et censura librorum 807

Appendix II.

Catalogus scriptorum de theologia morali et practica 821
Index alphabeticus rerum, quae in utroque volumine hujus Theologiae moralis continentur 847

Theologia moralis specialis.

PARS II.

De subsidiis vitae christianae agendae.

Postquam officia illa pertractavimus, quibus *per se* mores hominis tum secundum rationalem naturam spectati, tum christiano charactere elevati, continentur, ad media sive adjumenta oculos convertere debemus, quae exstant ad mores illos exprimendos et promovendos tum utilia, tum necessaria.

Ordo quidem universalis quum postulet, ut bonos praemium, poena malos maneat, eo ipso adjumenta quaedam officiorum et legum servandorum constituta esse intelligimus: quapropter ethica etiam in parte generali de legis sanctione, de praemiis et poenis, agit. Verum de praemiis et poenis in supernaturali ordine a Deo statutis agere omittimus, quum hujus tractationis locus proprius in theologia dogmatica sit. De aliquibus tantum poenis humanitus constitutis pauca disserere instituimus, de ecclesiasticis illis poenis videlicet, quarum confessarius in suo munere rationem diligenter habere debet. Quarum praecipuas ecclesiasticas *censuras* esse, infra patebit, eaque recte inter media recenseri, quibus Ecclesia homines christianos intra officiorum limites continere conetur gravioresque excessus pro potestate sua a Christo accepta severius castiget.

At imprimis de longe alio adjumentorum genere nobis sermo esse debet. Nimirum officia christianae vitae quaedam sunt ex sese altioris omnino ordinis naturam ejusque vires excedentis, quae ut impleri possint, necesse est, humanae facultates eleventur atque supernaturali vi et energia instruantur; alia sunt, quae utcunque quidem per naturales vires impleri queunt, sed ut oportet ad salutem atque aeternam vitam, non possunt impleri, nisi Deus supernaturali auxilio juvet, transmutet hominem eumque supernaturalis meriti excellentiae conformem efficiat. Transformatio illa ejusque augmentum, si de adultis quidem loquimur, ipsius hominis, divinae gratiae auxilio adjuti, actibus praeparatur, promovetur, completur. Instrumenta autem hujus transformationis seu justificationis sunt *Sacramenta N. Legis,* „per quae omnis vera justificatio vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur“. Trid. sess. 7 *prooem. de Sacramentis.*

Hinc totam hanc theologiae moralis *secundam partem* in duos libros dividimus, quorum unus de mediis positive adjuvantibus et divinae gratiae auxilium conferentibus, seu de *Sacramentis* agit, alter de mediis coërcentibus, seu de *poenis.*

Liber I.

De Sacramentis.

2 Divinae gratiae auxilium, quo ad implenda christiana officia indigemus, non solis quidem sacramentis, sed etiam aliis mediis nobis conciliare possumus. Nihilominus illa alia media neque sejuncta prorsus ac separata sunt a sacramentis, neque per se tam uberes gratiae fontes constituunt. Quare eo magis hîc illa praetermittere possumus, quod ad orationem fere revocantur, de oratione autem ejusque necessitate et efficacia jam superius in I. parte actum est.

Sacramenta vero, quae Christus Ecclesiae suae concredidit, instrumenta sunt, quibus inhaerentem nobis sanctitatem acquirimus et augemus, et per quae jure quodam nostro illa auxilia actualia tenemus, quibus suo tempore Deus nos protegit atque corroborat ad tentationum pericula superanda et mandata divina sancte servanda. Quae ex se jam gravissima ratio est, cur de sacramentis accurate nobis agendum sit. Accedit alia quoque ratio. Ex donis illis divinitus institutis sua sponte multae ac novae obligationes hominis christiani oriuntur, quae tum administros sacramentorum tum susceptores respiciunt. Quare iterum consequitur, ut vix quidquam melius et accuratius a sacerdote perspici debeat tum sua ipsius causa, tum propter eos, quos erudiendos suscipit, quam quod doctrina catholica de sacramentis tenet.

„Quum omnis christianae doctrinae pars pastoris scientiam diligentiamque desiderat, tum sacramentorum disciplina, quae et Dei jussu necessaria et utilitate uberrima est, parochi facultatem et industriam postulat singularem, ut ejus accurata et frequenti perceptione fideles tales evadant, quibus praestantissimae et sanctissimae res digne et salutariter impertiri possint, et sacerdos ab illa divini interdicti regula non discedat: Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos“ (Cat. Rom. de *sacramentis* c. 1 n. 1). Fusiorem quidem explanationem eorum, quae ad solam doctrinam spectant, dogmati relinquere debemus, ea praecipue tractaturi, quae praxi conveniunt.

Tractatus I.

De sacramentis generatim.

De hoc toto tractatu v. S. Thom. III. q. 60—65 inclus., S. Alph. l. 6 n. 1—94, Lugo *disputationes novem de sacr. in genere*, aliosque scriptores infra laudatos; ex recentibus: A. Gassner *Pastoral* cap. XII., Benger *Pastoralth.* § 104 et § 118—120, E. Müller *theol. moral.* l. 3 § 43—63.

Caput I.

De natura et divisione Sacramentorum.

§ 1.

Quid sit Sacramentum.

I. Sacramentum N. L. breviter definiri potest „Signum efficax 3
gratiae“, vel paulo fusius: „Signum externum a Christo *lege* quadam institutum ad significandam et efficiendam internam gratiam.“

II. Signum illud externum ex duplici elemento componitur, ex materia et forma, quae a legitimo ministro adhiberi debent. Quare Concil. Florentin., vel Eug. IV. in *Instruct. ad Armenos* dicit: „Sacramenta tribus perficiuntur, vid. rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum.“

III. Gratia, quae efficitur, est tum habitualis, quae non ponentibus obicem statim confertur, tum actualis, quam tempore suo recipiendi jus quoddam per sacramenta datur: datur vero gratia diversa gradu et fine pro diversitate sacramentorum, et diversa pro diversa suscipientium dispositione.

IV. Gratia, etsi ex Trid. sess. 6 cap. 7 datur „secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem“, tamen in sacramentis producitur *ex opere operato* (Trid. sess. 7 can. 8), i. e. non propter merita ejus, qui suscipit, nec ejus, qui administrat, sed *vi ipsius ritûs sacri* a Christo instituti et ejus nomine positi intuitu infinitorum ejus meritorum. Hoc operandi *modo* sacramenta N. Legis tum a sacramentis L. Vet., tum a sacramentalibus distinguuntur.

Sacramenta V. L. transmitto. De *sacramentalibus* haec pauca: Sacramentalia sunt ritus et caerimoniae sacrae ab Ecclesia instituta, aut res ab ipsa sacratae et benedictae, ad pium et salutarem usum fidelium destinatae. Porro haec non fiunt immediate nomine Christi, neque effectum certum gratiae eo ipso producunt, quod instituta sunt et peraguntur; sed effectum suum sortiuntur *ex impetratione*, qua Ecclesia per suos ministros a Deo auxilia utentibus implorat. Quare sacramentalia 1) non efficiunt idem ac sacramenta, 2) neque effectus ad eandem causam refertur, 3) neque tam infallibiliter producitur. Cf. Suarez *de sacram.* disp. 15 sect. 4 „dicendum tertio.“

§ 2.

De numero Sacramentorum.

De sacramentorum numero solemnem Ecclesiae definitionem habe- 4
mus in Concil. Trid. sess. 7 can. 1: „Si quis dixerit, sacramenta N. Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino N. instituta; aut esse plura vel pauciora quam septem, vid. baptismum, confirmationem,

eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium, aut aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum: A. S.“

At definitum non est, septenarium illum numerum sumi de infima omnium sacramentorum divisione, imo id re ipsa non obtinere, saltem in uno ordinis sacramento, postea de eo tractantes videbimus, quum negari nequeat, unum ordinis sacramentum plures quasi species infimas vel partes sub se continere.

§ 3.

De divisione Sacramentorum.

Sacramenta illa septem diverso modo in quosdam ordines distinguuntur.

I. Secundum effectum, ad quem producendum principaliter instituta sunt, distinguuntur sacramenta *mortuorum et vivorum.*

Sacramenta mortuorum ea sunt, quae non supponunt hominem spiritualiter vivum, sed quae ex sua institutione suoque fine id habent, ut hominem spiritualiter mortuum, i. e. letali peccato obnoxium, ad vitam seu gratiam sanctificantem restituant.

Sacramenta vivorum sunt, quae supponunt hominem spirituali et supernaturali vita donatum, seu in statu gratiae sanctificantis exsistentem, quaeque id ex sua institutione habent, ut vitam supernaturalem *augeant* atque conservent.

Aliis verbis discrimen inter sacramenta mortuorum et vivorum ita exprimitur, ut priora dicantur ex sua institutione *dare gratiam primam,* posteriora *dare gratiam secundam:* quod utique de gratia sanctificante intelligitur. *Prima* vocatur ea, qua *incipit* sanctificatio seu justificatio, sive lapsus in peccatum personale grave et reparatio pluries praecessit, sive non; nam in *qualibet* reconciliatione peccatoris gratia sanctificans, quae incipit, vel restaurat statum justificationis, *gratia prima* vocatur: quodlibet augmentum gratiae sanctificantis, sive secundo, sive tertio etc. augetur, vocatur *gratia secunda.*

II. Pro diversa necessitate, qua sacramenta suscipi debent, dividuntur:

1) Sacramenta *necessaria,* aut tantummodo *convenientia;*

2) Sacramenta necessaria pro *singulis,* aut necessaria *pro communitate;*

3) Sacramenta, quae singulis necessaria sunt, aut *medii,* aut *praecepti tantum* necessitatem habent.

Necessitas autem medii in eo consistit, quod sacramentum aliquod, idque per se solum, ex institutione hoc habeat, ut conferat positivum aliquod donum divinum ita necessarium, ut sine eo salus aeterna attingi nequeat: quodsi, deficiente sacramento, suppetat alia via, qua ille defectus suppleri possit, necessitas medii quoad sacramentum vocatur *hypothetica:* si non suppetat, necessitas est *absoluta.*

III. Pro diverso usu in christiana vita sacramenta distinguuntur *iterabilia et non iterabilia.*

Iterari nullatenus possunt ea, quae characterem imprimunt: baptismus, confirmatio, ordo. — Extrema unctio et matrimonium mutato statu possunt iterari, non possunt eodem statu vel conditione manente.

IV. Pro diversa habitudine ad subjectum, quod sacramentum suscipit, eadem sacramenta sunt aut *formata,* aut *informia,* prout effectum gratiae vere produxerunt, aut valide quidem, sed sine effectu gratiae collata sunt, gratiae effectu nimirum suspenso aut plane frustrato.

Plenior explicatio. Ad I. 1. Sacramenta mortuorum per se 6
sunt solum baptismus et poenitentia. Reliqua sunt sacramenta vivorum. Attamen, ut infra dicetur, extrema unctio id etiam ex sua institutione habet, ut gratiam primam conferre possit, quamquam suscipi per se debet post statum gratiae recuperatum.

2. Alia sacramenta, Eucharistia, confirmatio, ordo, matrimonium id ex sua institutione nullatenus habent, ut gratiam primam conferant. Quare sacrilegii reus est ille, qui sciens haec sacramenta in statu peccati suscipit; imo ante Eucharistiam confessio requiritur. At gravior quaestio movetur, num ille, qui, bona fide putans, se esse in statu gratiae, etsi non est, cum attritione sive dolore imperfecto sacramentum vivorum suscipit, justificetur: aliis verbis, num sacramenta vivorum aliquando per accidens ‚gratiam primam' conferant.

Probabiliter id affirmatur, uti a S. Thom. III. q. 79 a. 3, S. Alph. l. 6 n. 6; aliis id negantibus, ut Tournely *de Euch.* quaest. 6 art. 3 conclus. 2, Vasquez, Simmonet.

Ipsa res vere dubia manet. Nam id tandem pendet a divina institutione; conjecturam igitur habere possumus, certam probationem ex fontibus revelationis non habemus, ut scite animadvertit Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 7 c. 11 n. 1; „controversia est", ait, et res, „quae unice a divina institutione pendet, nobis hactenus per Ecclesiam non manifestata." Ratio, ex qua probabilis omnino conjectura ducitur, est haec: non ponentibus obicem sacramenta conferunt gratiam ex opere operato (ex Trid.); atqui ille non ponit obicem, qui cum bona fide et cum attritione ad sacramenta accedit, aliter ne sacramentum mortuorum quidem cum fructu recipere posset; ergo ille dicendus est gratiam sacramenti accipere. Verum probabilis quidem, sed non certa est ratio; nam hoc est, quod quaeritur, utrum pro sacramentis vivorum ipse defectus status gratiae obex sit necne. Quare merito Suarez *(de extr. unct.)* disp. 41 sect. 1 n. 19 dicit: „In ceteris — praeter extremam unctionem — id solum habetur ex pia et probabili conjectura."

Attamen praeter hanc operationem sacramentis ut talibus propositam, qua sc. non ponentibus obicem ex opere operato gratiam conferunt, pro sacramento SS. Eucharistiae specialis ratio probabilis habetur, cur pie in Domino confidere possimus, fore, ut Christus Dominus, si minus ex opere operato, tamen exoratus ab eo, apud quem personaliter sub speciebus eucharisticis divertit, gratiam perfectae caritatis et contritionis concedat, atque ita hominem e statu peccati in statum justificationis transferat.

3. E contrario sacramenta mortuorum, si ab homine jam justificato suscipiuntur, augere gratiam sanctificantem, certum est, neque salva fide potest negari. Certissime enim ille non ponit obicem, qui est *melius* dispositus; atqui non ponentibus obicem gratiam ex opere operato conferri, doctrina fidei catholicae est.

7 Ad II. 1. Qua necessitate singula sacramenta necessaria sint, explicandum erit in singulis sacramentis infra.

2. Ex explicatione necessitatis medii supra data sequitur, sola sacramenta mortuorum, si severe loquimur, esse necessaria necessitate medii. Attamen aliqualis necessitas medii etiam pro S. Eucharistia statuitur, quatenus secundum divinam voluntatem est medium moraliter necessarium ad gratiam sanctificantem *conservandam*. — Dein extrema unctio in certo quodam casu fieri potest necessaria necessitate medii.

3. Diversa diversorum sacramentorum necessitas quo melius intelligatur, necesse est, ut breviter indicetur, quisnam sit singulorum sacramentorum singularis effectus, seu quae sit ratio peculiaris, cur hoc et illud sacramentum sit institutum.

Diversus ille diversorum sacramentorum finis, imprimis sacramentorum, quae vivorum vocantur, maxime ex diversis auxiliis gratiae actualis repetitur, ad quae jus quoddam speciale sacramenta homini conciliant. Quod peculiare auxilium vocatur *gratia sacramentalis* qua talis sacramenti: quamquam gratia sacramentalis vocatur etiam — idque vi vocis rectius — totus sacramenti effectus, i. e. gratia sanctificans, at non sola in se spectata, sed quatenus radix est et causa, cur pro diversis necessitatibus diversa auxilia gratiae actualis dentur.

Porro 1) effectus baptismi est regeneratio, ut videlicet homo, qui per naturam est filius Adae atque per eum membrum naturae peccatricis, damnationis reus, fiat per adoptionem filius Dei, membrum Christi Domini atque haeres vitae aeternae, et simul accipiat gratiam, qua ut membrum Christi vivere possit.

2) Effectus confirmationis est robur mentis, quo homo aptus fiat ad conservandam gratiam regenerationis contra pericula et persecutiones.

3) Effectus SS. Eucharistiae est, ut alatur vita supernaturalis, augeatur et crescat.

4) Effectus poenitentiae est reconciliatio hominis post baptismum lapsi, ut denuo recipiat remissionem et gratiam.

5) Effectus extr. unctionis est abstergere reliquias peccatorum, mentis infirmitatem, diffidentiam, quo securior aegrotus in mortis periculo contra inimicum consistat.

6) Effectus ordinis est idoneos ministros Christi et Ecclesiae creare.

7) Effectus sacramenti matrimonii est conjunctionem matrimonialem sanctificare et ad ejus onera ferenda auxilium conferre.

8 Ad III. Trident. Concil. de charactere loquens sess. 7 can. 9 *(de sacr. in gen.)* definit, eum indelebiliter imprimi; naturam ejus accuratius non explicat. „Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo sc., confirmatione, et ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt: A. S.“ Communius theologi eum reponunt in quadam confor-

matione cum Christo homine, quum in quolibet horum sacramentorum ille, qui suscipit, Christo consecretur et immutabiliter ad ejus famulatum in diverso gradu deputatur.

Ad IV. 1. Sacramenta, saltem plurima, posse valida, at simul informia esse, extra dubium est. Valide enim aliquis baptizatur, confirmatur, ordinatur, ungitur, matrimonium contrahit, etiam quando haec sacramenta sacrilege ac sine ullo fructu gratiae, i. e. informiter, suscipit.

Nec vero sacrilegam esse susceptionem necesse est, ut sit informis. Si ipsa modo dispositio a Christo requisita et absolute necessaria deest, quamquam fortasse sine nova culpa ejus qui suscipit sacramentum, gratiae effectus non producitur.

2. Verum gravissimi momenti quaestio est illa, quae cum modo dictis intime cohaeret, quam vocant *de reviviscentia sacramentorum,* scilicet sacramentum, quod informe erat, seu quodammodo exanime, possitne postea vivum fieri eo sensu, ut tunc effectu suo potiri incipiat. Quod a Vasquez aliisque negatur, communius vero a theologis defenditur. Cf. Suarez *in III. p. S. Thom.* d. 28 sect. 5, Lugo *de sacram. in gen.* d. 9. n. 22 sqq., S. Alph. l. 6 n. 87.

Et re quidem vera, hanc quasi excitationem sacramenti quoad baptismum contingere, et traditio et gravissima ratio theologica suadet, imo plane videtur demonstrare. Notum est effatum illud S. Aug. (*de bapt. contra Donatistas* lib. 1 c. 12): „Tunc valere incipiet (baptismus), quum illa fictio veraci confessione recesserit.“ — Imo quoad *aliquem* baptismi effectum plane videmur cogi, ut reviviscentiam statuamus. Extra controversiam enim esse debet, eum, qui statim post baptismum sine ullo peccato actuali postea commisso moritur, sine ullo poenae temporalis reatu statim in coelum admitti, neque pro peccatis ante baptismum commissis temporalem poenam in altera vita luendam amplius habere: quapropter in Florent. *decr. ad Armenos* etiam adjungitur: „Baptismi effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur . . . *morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt.*“ Jam vero ex una parte certum est, nullam culpam remitti sine aliqua ejus retractatione vel dolore; ex altera vero parte incredibile est, omnes catechumenos cum tanta animi praeparatione et perfectione accedere ad baptismum, ut de omni etiam levissimo peccato dolentes, *omnium* culparum et consequenter poenae temporalis *omnis* remissionem in ipso baptismo jam consequantur. Ergo, si minus in ipso baptismo, necesse est, ut *propter baptismum postea,* saltem in illo momento, quo ex hac vita in statu gratiae decedunt, illum effectum re ipsa in se recipiant. Quod nihil est nisi aliis verbis dicere, quoad hunc effectum saltem in innumeris casibus reviviscentiam baptismi admitti debere.

Porro si unum effectum reviviscere posse statuimus, non est ratio, cur non etiam quoad alios effectus et quoad alia sacramenta idem admittatur

ad minimum in iis sacramentis, in quibus par ratio est, eo quod aut nunquam aut saltem non pro certo tempore iterari possunt, in confirmatione dico, extrema unctione, ordine, matrimonio. — In Eucharistia autem reviviscentia a nemine admittitur: in poenitentiae sacramento possitne accidere, acriter disputatur: de quo suo loco dicemus.

3. Sed ut sacramentum aliquod revera reviviscat, certa quaedam dispositio requiritur in eo, qui primo illud sine effectu gratiae recepit. Quaenam vero sit illa dispositio necessaria, vide infra n. 50 et 52, videlicet saltem attritio, saepe contritio aut confessio.

Caput II.

De materia et forma Sacramentorum.

10 Sacramenta, ut dictum est, „tribus perficiuntur, materia et forma et persona ministri cum intentione etc.“ Quare de horum singulis agendum.

Materia et forma nominantur secundum analogiam ejus distinctionis, quae a schola in corporibus eorumque compositione fieri consuevit; siquidem quodlibet corpus materiâ et formâ constare docet. Sicut igitur in corporibus materia pars determinabilis est, ac per formam corpus substantialiter *tale* constituitur, forma vero illud elementum est, quod dat hoc determinatum Esse: ita etiam in sacramentis forma vocatur, quae reliquum ritum magis determinat in suam significationem, materia est, quae significationem satis determinatam nondum habet.

11 Materia est plerumque res aliqua sensibilis, quae in ipso sacro ritu adhibetur, forma vero illa ritûs pars, quae ad rem sensibilem ejusque usum accedit et communiter per verba reliquum ritum comitatur.

Doctrinam necessariam circa materiam et formam hisce complecti possumus:

I. Materia distinguitur remota et proxima. Prior dicitur ipsa res, quae adhibetur, e. g. aqua in baptismo, chrisma in confirmatione etc.; posterior est ipse actualis usus seu applicatio materiae remotae ejusque directio ad formam, quacum jungatur, scilicet aquae infusio in baptismo, unctio in confirmatione etc., in Eucharistia panis et vinum ut subjiciuntur verbis consecrationis.

II. Materia et forma, quum ad essentiam pertineant, in quam se habere facultatem Ecclesia negat, debent omnino adhiberi secundum divinam institutionem; aliter de valore sacramenti actum est. Ea autem, quae in materiae et formae applicatione a Christo ipso non plene ad infima determinata sunt, secundum Ecclesiae praescriptum fiant oportet. Omne igitur vitium in sacramentis sedulo cavendum est, et probe sciri debet, quaenam in singulis sacramentis sive certo, sive etiam dubie tantum sint essentialia. Et quia non semper usque ad ultimos apices scimus, quaenam a Christo ut necessaria elementa constituta sint: Ecclesiae praescripta, ut infallibilis ducis, ad amussim sunt servanda.

III. Materia cum forma uniri debet, idque pro diversitate sacramentorum plus minusve arcte, scilicet semper ita, ut unum elementum ab altero vere determinetur.

IV. Porro in vitiis seu defectibus, quos minister declinando a norma per Ecclesiam praescripta committere potest, distinguitur defectus *essentialis* et *accidentalis*, dubius seu probabilis, et certus. *Accidentalis* ille vocatur, qui recedit quidem a praescripta norma circa materiam et formam, non ita tamen, ut eam in alteram mutet valoremve sacramenti attingat: si autem accidit, ut talis mutatio fiat valorque sacramenti attingatur, defectus est *essentialis*. Quando vero haec re ipsa fiant, in singulis sacramentis tractandum est.

V. Defectum accidentalem committere, etsi valor sacramenti in tuto positus sit, tamen pro majore minoreve rei gravitate peccatum est aut mortale, aut veniale. Defectum vero essentialem, etiam dubie essentialem, committere, naturâ suâ semper grave est peccatum.

Majoris explicationis causa nota circa essentiales defectus: 12

1. Si materia sive remota, sive proxima non manet secundum humanam aestimationem eadem illa, quam Christus instituit, defectus essentialis est. Dixi: „eadem secundum humanam aestimationem"; recte enim sumitur, Christum, quum certam materiam pro sacramento constitueret, communem aestimationem respexisse potius, quam artem physicam et chimicam: nihilominus etiam eas in dubio attendamus oportet.

Si forma seu verba secundum communem loquendi usum inter homines vigentem sensum non amplius faciunt, aut alium sensum quam forma praescripta, defectus est essentialis. Corruptio autem vel mutatio, quae in communi loquendi et intelligendi usu sensui non obstat, neque in sacramentali forma pro essentiali haberi potest.

2. Quare communiter statuuntur hae fere regulae:

1) Facilius forma corrumpitur, si litera mutatur aut omittitur in initio, quam in fine verbi, v. g. si dicis ‚matris' loco ‚patris'.

2) Facilius essentialis defectus inducitur, si mutatio fit ex industria, vel in iis circumstantiis, quae pravam mentem manifestant, quam si fit ex inadvertentia aut linguae inscitia. Celebre exemplum habemus in responso Zachariae Papae, qui formulam baptismi „Ego te baptizo in nomine Patria et Filia et Spiritus sancta" validam judicavit, si facta esset ex inscitia; invalidam, si ex consulto corruptio haec obtinuisset.

3) De essentiali defectu committendo timeri debet, si forma pronuntiatur modo non satis audibili, eo quod non habeas satis certo veram elocutionem: de qua re cf. infra n. 243.

4) Essentialis defectus est, si materia et forma non ponuntur ab eodem ministro. Nam quum uterque ritus *unam* actionem sacram nomine Christi ponendam constituat, vere nihil fit, si talis divisio inducitur. Adde, quod verba plerumque ne *verum* quidem sensum exhibebunt.

Sunt nihilominus aliqui theologi, qui in extrema necessitate talem administrationem, si aliter fieri nequeat, permittant, ut scilicet extreme periclitanti aliqua, etsi valde tenui, probabilitate succurratur. Putant enim non esse evidens, talem divisionem valori sacramenti obesse, eo quod uterque, et qui materiam applicet et qui formam pronuntiet, non suo, sed Christi nomine agat; ac proin verba formae ut in persona Christi prolata videri posse verum sensum retinere. Ita Cajetan., atque etiam Suarez, loquens de baptismo, disp. 23 sect. 3 n. 14 ait: „non nego posse tali modo, (i. e. a muto, qui infundat aquam, et altero vincto, qui formam pronuntiet) conferri in casu necessitatis, quia melius est accipere baptismum dubium, et aliquo modo probabilem, quam omnino nullum.“ Sacramentum sic collatum quam primum conditionate repeti debere, certissimum est.

13 5) Unio seu simultaneitas inter materiam et formam ea requiritur, qua verba vere ad actionem referri eamque determinare possint. Non igitur una eademque unio temporis relate ad omnia sacramenta requiritur, sed modo strictior, modo minus stricta.

Ut singula percurram, de Sanctissima Eucharistia nihil dicendum est. In poenitentia et matrimonio major potest esse distinctio inter diversas partes seu diversa elementa, quae haec sacramenta adaequate constituunt, quum in judicio et in contractu — qui sunt horum sacramentorum essentiales modi — tanta simultaneitas non requiratur.

In reliquis sacramentis optimum est, omnino eodem tempore, quo verba pronuntiantur, actionem sacramentalem seu applicationem materiae fieri. Attamen a) dubitari nequit de sacramenti valore, si, antequam applicatio materiae finiatur, prolatio verborum incipiat, aut vice versa, imo b) videtur satis certa esse sacramenti collatio, quamquam illicita, si *immediate post* seu cum finita applicatione materiae, nullo temporis spatiolo interjecto, prolatio formae incipiat, aut vice versa; aut c) etiam tum, quando aliquod, sed *brevissimum spatium* intercedit, siquidem unio materiae et formae moraliter sumenda est: verum in ultimo casu facile dubium prudens oriri potest.

De hac doctrina, unionem essentialem etiam consistere, si materia et forma se invicem ita excipiant, ut una immediate post alteram ponatur, vide Suarez in III. partem S. Thom. d. 2 sect. 2, Lugo *respons. moral.* l. 1 dub. 33, Reginald. *for. poenit.* l. 27 n. 31 et l. 26 cap. 3, Greg. de Valent. disp. 4 q. 1 punct. 3, Salmantic. *de baptismo* cap. 3 n. 44, Scavini t. 3 n. 13 (ed. 10), S. Alph. l. 6 n. 9. (NB. S. Doctor quidem in *H. A. exam. ordinand.* app. 3 n. 6 vocat hanc opinionem practice non probabilem, quamquam eam in maj. theol. moral. hisce verbis proponit, de prolatione verborum immediate ante vel post actionem tractans, „de hoc [i. e. de valore] videtur non posse dubitari“.) Cf. etiam infra n. 590 not. 1.

6) Sicut separatio formae et materiae essentialem defectum facile inducit, ita etiam — idque in *omnibus* sacramentis observari debet — a fortiori divisio ipsius formae, morâ aliquâ vel etiam extraneis verbis interjectis, facile invalidam, aut saltem dubiam reddit sacramenti administrationem, non tamen minima interjecta mora.

14 3. Ex dictis colliges praeter casus speciales jam allatos:

1) Valere baptismum, si parochus dicat: Ego te baptizo (convertens se ad garrientes pueros interponit: silete pueri) in nomine Patris,

et Filii et Spiritûs Sancti. V. Busenb. l. 6 tr. 1 cap. 1 dub. 2, Gury *casus* t. II. n. 154. 2, Gobat tr. 1 n. 39 et 46, Tambur. *de sacr.* l. 2 cap. 1 § 1 n. 10;

2) dubium vero evadere baptismum, si parochus ita procedat: „Ego te ba— (interjicit: silete pueri nequam) —ptizo in nomine Patris etc.“ Tamb. ib. n. 15;

3) non evadere dubium baptismum, si loco verborum in n. 2) interpositorum *brevissima* tussis aut sternutatio syllabas diviserit: at quia facile brevissimam illam moram minister excedere potest, securius est in talibus casibus saltem verbum inceptum integrum resumere, imo si mora paulo longior fuit, etiam forma ab initio redintegranda est. V. Tamb. ib. n. 15;

4) non evadere dubiam extremam unctionem, si loco „deliquisti“ sacerdos pronuntiaverit corrumpendo vocem „delquisti“; dubiam fieri, si errando dicat: „quidquid per visum etc. d e r e liquisti“; certo invalidam esse, si ex industria illa corruptio in vocem „d e r e liquisti“ fieret. Vide Gobat tr. 8. n. 811.

4. Materiâ aut formâ dubiâ extra casum necessitatis, quo certa haberi nequit, uti non licet, quando dubium manet. Quando autem dubium consequenter ad usum aufertur (ut explicabitur infra praecipue in tractatu *de poenitentia*), materia et forma jam est moraliter certa.

Hinc pro diversitate sacramentorum aliquando *moralis* certitudo etiam paulo latius sumpta sufficere debet, praesertim si nimia sollicitudo scrupulis viam aperiret, et sacramentorum administrationem odiosam nimisque difficilem redderet.

In casu necessitatis vero materia dubia, etiam tenuiter probabilis, adhibenda est, ea tamen conditione, ut 1) quae haberi possit certior, saltem minus certae semper praeferatur; 2) postea, si tempus et facultas suppetat, sacramentum sub conditione ad securitatem repetatur. Imo sic accidere potest, ut in sacramentis summe necessariis pluries conditionatam repetitionem facere necesse sit atque minus dubia collatio magis dubiae pluries succedere debeat. De qua repetitione jam fusius est dicendum.

S c h o l i o n. Generatim sacramenta singulis hominibus singulatim per suam materiam et formam administranda sunt, nisi necessitas urgeat. At *una actione, vel forma* pluribus simul sacramenta conferre sine necessitate (plures baptizare, absolvere simul) peccatum quidem est, sed veniale ex S. Alph. l. 6 n. 29 et L a c r o i x l. 6 p. 1 n. 44, modo ne periculum nullitatis propter incuriam inducatur.

Caput III.

De Sacramentis iterandis.

Quoniam, ut modo dictum est, sacramentum cum dubia materia, sive cum dubia forma — quod rarius quidem occurrit — collatum conditionate repeti debet, operae pretium est, sub uno conspectu regulas de iterandis sacramentis exhibere:

Regula I. *Non licet* sacramentum iterare, si dubium, quod de valore sacramenti movetur, omni rationabili fundamento caret.

Regula II. *Licet* sub conditione sacramentum iterare, quando rationabile dubium de sacramento valide collato adest.

Pro rationabili autem, ita ut sub conditione sacramentum repeti possit, dubium aliquod habetur facilius quidem in sacramentis aut necessariis, aut in se non iterabilibus; generatim autem in illis tunc censetur rationabile: 1) quando *in dubio juris* opinio negans valorem aut dubitans de eo *non est aperte falsa;* 2) *in dubio facti,* quando, spectatis circumstantiis, *non pro mero et inani scrupulo* haberi debet. Gobat de baptismo iterando loquens tr. 2 n. 381 sic explicat: „dubium utcunque rationabile *seu non aperte vanum.*“

Regula III. *Debet* repeti sacramentum sub conditione, si occurrit dubium, ex quo repetitio licita evadit, et insuper secundum regulas justitiae aut caritatis adest obligatio curandi, ut homini, de quo agitur, certius sacramentum administretur, ne scil. aut notabili bono privatus exsistat, aut gravis damni periculo exponatur.

17 **Plenior explicatio.** Nota ad reg. I. 1. Repetere sacramenta sine ulla rationabili causa, per se mortale peccatum est. Attamen ex scrupulo, quamquam inani, perturbante tamen et molesto, formam sacramenti sub conditione repetere, censent non grave peccatum esse Reuter *theol. mor.* parte 4 n. 60, 4, Tamb. *de sacr.* l. 1 cap. 1 § 3, Gobat tract. 7 n. 171. Dicunt nimirum: „Imo videntur scrupulosi excusari ab omni peccato ratione statûs perplexi, quum putent, se peccare gravius, si omittant repetere, et saepe non sit locus prudenti considerationi“: Reuter l. c.; vel: „Quid si sit leve dubium atque adeo sit merus scrupulus animi pusillanimis, peccabiturne mortaliter ab eo, qui, ut amoveat a se scrupulum illum, repetit formam sub conditione? Respondeo: non audeo hunc condemnare de mortali, sed solum de veniali, quia non irrogat gravem injuriam Deo vel sacramento, dum se movet tam bono fine non offendendi ipsum eundem Deum, licet non effugiat culpam certe levem imprudentiae“: Tamb. l. c.

2. Potest tamen ejusmodi repetitio inanis aliquando grave peccatum evadere, nimirum si quis *advertens* consuetudinem contrahit frequenter irrationabilem illam repetitionem committendi, aut si non adlaborat, consuetudinem illam objective graviter peccaminosam auferre: quod re ipsa raro locum habebit. Cf. Sporer *de sacr. in gen.* n. 99. — Quare etiamtum, qualibet vice, qua fiat irrationabilis illa repetitio, graviter peccari, dici nondum potest.

3. Etiam unum tantum verbum in sacramentorum forma inaniter repetere, peccatum est, attamen per se veniale peccatum non excedit. Reuter l. c. n. 60, 3, Sporer l. c. n. 98, Gobat tract. 1 n. 42.

18 Ad reg. II. et III. 1. Si sacramentum, de cujus valore dubitatur, omnino necessarium est sive absolute, sive respective, aut si ab ejus valore multa alia pendent, prorsus fieri debet repetitio, quamdiu valor sacramenti non est *vero* (non lato) sensu *moraliter certus.* Ita, si agitur

de baptismo, ordine, de moribundi absolutione, de unctione moribundi sensibus destituti. Quare fere si *licet* repetere, repeti etiam *debet.*

2. Nihilominus accidere potest aliquando etiam in sacramentis valde necessariis, ut baptismo et ordine, ut licita quidem sit conditionata sacramenti repetitio, praescripta non sit. Nam 1) quoad dubium facti, scrupulus molestus et diuturnus aliquando licitam reddere potest repetitionem etiam non necessariam. 2) Quoad dubium juris aliquando exsistunt opiniones scriptorum paucorum negantium sacramenti valorem vel valorem certum, quae tamen, re melius discussa, postea evadant ratione adeo destitutae, ut vix levissimam probabilitatis umbram ex externa potius, quam ex interna probabilitate retineant. Hinc fieri potest, ut certus aliquis modus conferendi aliquod sacramentum habeatur communi sententia non theoretice, sed practice etiam moraliter certus, aliquibus tamen scriptoribus eum valorem etiam theoretice in dubium vocantibus, praesertim ex priore aetate. Quod si obtinet, obligatio repetendi sacramentum sic collatum statui nequit; verum etiam repetendi licentia non facile debet negari, nisi authentica declaratio hac in re facta fuerit. Cf. Lacroix l. 6 p. 1 n. 310 sqq.

Exempla rem declarabunt: 19

Si ordo ita collatus esset, ut non in ipso tactu instrumentorum, sed immediate post eum verba „Accipe potestatem etc.“ prolata sint: Lugo *resp. moral.* l. 1 dub. 33 fuse defendit, ordinationem *non debere* quidem conditionate repeti, repeti tamen posse ad sedandam inquietudinem.

Accedit, quod non quodlibet aliquot theologorum placitum seu dubium sufficit ad imponendam obligationem repetendi sacramentum, imo, meo judicio, ne ad licitam quidem reddendam repetitionem. Scriptores non pauci in dubium vocant ordinationem presbyteri, qui in ordinatione sua praeter patenam et calicem non etiam hostiam tetigerit: v. S. Alph. l. 6 n. 752, imo numerus scriptorum ibi citatorum facile augeri potest. Nihilominus, nedum repeti debeat talis ordinatio, mihi persuasum est, ne licere quidem eam repetere, quum plus quam moraliter certum sit, eum tactum ad essentiam non pertinere.

Aliud exemplum esse potest baptismus ab acatholicis collatus. En fieri potest, ut propter consuetudinem rectam in certa quadam secta observatam neque de recta intentione neque de necessaria materia et forma ita dubitari possit, ut baptismus repeti *debeat*, e contrario neque tanta evidentia valoris exsistat, ut repeti baptismum *illicitum sit* [1].

---

[1] Ceterum patet, in hoc necessario sacramento potius inclinandum esse in conditionatam repetitionem. Hanc esse etiam mentem Apostolicae Sedis, utut prohibuit, quominus repeteretur baptismus ex hac sola causa quod collatus esset a ministro haeretico, declarabunt haec documenta recentiorum Conciliorum Romae approbata.

A. De baptismo a catechistis rudibus collato habes in Collect. Lac. t. VI. col. 670 pro appendice ad Synodum Pudicherianam Instructionem S. Congr. de Propag. F. ad omnes Vicarios Apostolicos Indiarum Orient. in eaque sequens praeceptum: § XLIV „Extenderunt quoque iidem EE. PP. ad omnes vicariatus praescriptiones Pudicherianae memoratae synodi habitae anno 1849 circa reiterationem baptismi sub conditione. 1. Unusquisque missionarius catechistas suos et ‚Covilpelleas‘, id est, inferiores catechistas aut (officiales), semel saltem singulis annis diligenter examinare tenebitur, ut certior fiat, quinam inter illos sint fiducia digni. 2. Ut non teneatur missionarius baptizatos a catechista fiducia digno sub conditione baptizare, requiritur ut adsint duo testes qui testificari possint, baptismum

3. Si vero sacramentum, de cujus conditionata repetitione quaeritur, non ita necessarium est, perpendi debet: 1) quam probabile sive

---

fuisse legitime collatum; quibusdam tamen casibus exceptis, in quibus singulis perpensis circumstantiis, attenta peritia et probitate catechistae, cui tamen fiducia non est nimis facile concedenda, fieri potest, ut nullum prorsus probabile dubium circa validitatem baptismi oriatur, etiamsi non adfuerint duo testes. 3. Catechista infantem aliquem baptizaturus testes, quotiescunque poterit, advocare tenebitur dabitque operam, ut testes apprime noscant, quaenam sint conditiones ad hujus sacramenti validitatem requisitae. 4. Pueros a catechista fide digno baptizatos non licebit missionario sub conditione rebaptizare, si praedicta exhibeantur testimonia, nec ulli pateat suspicioni testium sinceritas.“ 8. Sept. 1869.

B. De baptismo eorum, qui ab heterodoxis baptizati sunt, daturus sum praescripta Concilii plen. Baltim. II. art. 240 et 241 ex Coll. Lac. t. III. col. 461.: „240. Haeretici autem plerique quum de baptismo parum recte sentiant, eumque meae caerimoniae loco habeant, quae nihil ad animae salutem consequendam juvet, ritus quosdam, qui maximi momenti sunt, et sine quibus haud consistit sacramenti ratio, negligere saepissime solent. Ideoque eos, quos singularis Dei gratia ex illorum castris evocat atque educit, quum Ecclesiae nomen dant, iterum baptizari fere semper oportet. Neque tamen omnes ab haereticis olim baptizati, statim temere a sacerdote, ad quem accedant, iterum baptizari debent. Hoc enim fieri vetatur, *dummodo non adsit probabile dubium invaliditatis baptismi.* Neque de omnibus, nullo discrimine, per principia quaedam, ut ajunt, generalia judicandum est: sed in singulos, qui oblati fuerint, casus, non levi quidem aut perfunctorio, sed diligenti examine, inquirendum est explorandumque, num in singulis servata fuerit debita materia ac forma. Quod postulat tum Sacramenti dignitas, tum verba ipsa legis ecclesiasticae, quae Roma paucos ante annos ad nos transmissa fuit. Si post accuratum examen, aliquid necessarium defuisse constet, baptismus absolute iteretur; si dubium aliquod adhuc supersit, iteretur adjecta conditione; si denique, perpensis omnibus, nihil omnino Sacramenti substantiae defuisse appareat, baptismum iterare ne quis audeat, aut per alium iterare sinat. Secus enim contrahitur illa labes et macula, quam *irregularitatis* nomine Theologi appellant.

241. Quod idem dicendum est, si forte dubium de valore baptismi ab obstetrice, aut alia persona laica administrati excitatum fuerit. Non illico, ob exortum dubium, iterandus est baptismus; sed tota res caute et diligenter investiganda, et testimonio eorum, qui interfuerunt, definienda. Qua in re monet Benedictus XIV, unum testem fide dignum sufficere ad validitatem baptismi probandam.“

Paucas notas adjicio: 1. Verissime dicitur, in singulis casibus diligenti examine inquirendum esse, num servata fuerit debita materia et forma. Id enim etiam postea anno 1878 generali edicto S. Officium denuo inculcavit. Verum non meâ tantum sententiâ, sed ipsius Sae Congr. de Propag. F. judicio (cf. S. C. epistola ad Vicar. Ap. Mayssuriensem in Collect. Lac. t. VI col. 698), illud „diligens examen“ intelligitur plane: *prout adjuncta ferant;* atque suprema lex semper esse debet, ut aeterna salus hominis in tuto collocetur. Quapropter etiam tum PP. Americani, tum S. Officium addiderunt: si *aliquod* dubium supersit, baptismum esse sub conditione iterandum. 2. Ut autem diversorum adjunctorum discrimen explicem, propono exemplum. Sume matrem vel cognatum aliquem infantis patris acatholici offerre tibi illum infantem baptizatum suo modo ab heterodoxo ministro: nisi nunc eum catholico ritu sub conditione rebaptizes, summum periculum esse, ne maneat infans in illo statu, imo quoniam testimonium catholici baptismi postea, si adoleverit, habere non possit, spem catholicae educationis vix adfore, alioquin esse futuram. Ex ritu consueto heterodoxorum non potes omne dubium validi baptismi excludere; testes peracti baptismi vel non habes praesentes, vel habebis solum heterodoxos qui contra suae sectae ministellum sane difficulter dicturi sint testimonium. Num putaverimus, ecclesiasticam legem seu potius legem divinam — siquidem Ecclesia solum

improbabile sit dubium de valore; 2) quanto bono suscipiens, si forte sacramentum invalidum sit, privetur; 3) quanto incommodo sit sacramenti repetitio ministro: ex quibus omnibus perpensis judicari debet, utrum repetendi obligatio adsit necne; utrum obligatio, si adest, levis sit, an gravis.

Omitti igitur facilius potest repetitio confirmationis, subdiaconatûs, diaconatûs, etiam extremae unctionis, quae aegroto *rationis compoti* simul cum aliis sacramentis *indubie* collatis administrata est, saltem si ex una parte dubia unctionis collatio tamen valde probabiliter valida fuit, et ex altera parte ministro incommodum non leve ex repetitione oriturum est.

Caput IV.

De ministro sacramentorum.

Minister sacramentorum ille est, qui ritum sacrum a Christo in- 20
stitutum ejus nomine peragit. Non omnium sacramentorum idem est minister. De quo confer, quae in singulis sacramentis notantur.

Minister, ut *valide* sacramentum conferat, non modo pro diversis sacramentis ut debita potestate instructus sit et ut materiam et formam a Christo determinatam adhibeat necesse est; sed debet etiam omnino 1) humano modo illam sacram actionem peragere, quia Apostoli et proin omnes ministri sacramentorum deputati atque mandatarii Christi sunt; mandatarius autem nihil agit, nisi agat modo humano; debet 2) in persona Christi eam actionem perficere: quod etiam ex notione mandatarii sequitur. Nam ritus ille non habet vim sanctificandi, quatenus est illa externa actio, sed quatenus est actio a Christo instituta et exercetur Christi nomine. Christi enim actionem, etiam per mandatarii ministerium exhibitam, Pater coelestis adeo aestimat, et secundum Filii sui voluntatem ita accipit, ut propter illam gratiae dona ab eodem Christo determinata hominibus conferat.

Ut vero *licite* minister procedat, praeter debitam subjectionem erga Ecclesiam atque ecclesiasticos Superiores debet in statu gratiae exsistere.

Quae ut accuratius pro fine nostro tractentur, agendum est sin-

---

explicat hac in re, quid sit divini juris — prohibere, quominus hîc et nunc infantuli illius baptismus in tuto collocetur, an potius, eam vehementer urgere ut, omissa ulteriore inquisitione, statim conditionata repetitione baptismus certus evadat? 3. Pro America igitur plane puto, nunquam haberi sufficientem certitudinem baptismi rite collati, nisi forte in singulari casu habeas testes catholicos fide omnino dignos, qui tamquam testes de visu certo affirment, hoc et illo modo se vidisse baptismum hunc particularem conferri. Nam alioqui ne ipsi quidem earum sectarum Episcopi, qui secundum rituales suas leges omnia in baptizando necessaria servare debeant, re ipsa essentialia servant, ut ex aliorum relatione compertum habeo: quod si ita est, quomodo apud alios ad certitudinem validi baptismi unquam pervenies?

Imo ita in dies magis crescit sive infidelitas, sive etiam apud bonae fidei acatholicos incuria, ut nunc idem dici debeat vix non ubique. Quare censeo, baptismum ab acatholico collatum practice repetendum esse, nisi proferatur testis omni fide dignus, qui de baptismo rite peracto singillatim testari possit. Idem statuit S. Offic. 4. Febr. 1885 ad Visit. Coptorum, *si dubium supersit vel investigatio fieri non possit.*

gillatim de attentione, intentione, probitate ministri; dein de obligatione ministrandi aut denegandi sacramenta.

§ 1.

De attentione in Sacramentis administrandis necessaria.

21 Attentio est mentis applicatio ad ea, quae aguntur: de qua pauca.

I. Ad valorem sacramenti non alia requiritur attentio, nisi quae sufficit, ut cum debita intentione materia et forma rite ponantur.

Id autem etiam cum plena distractione fieri posse, non est dubium: S. Alph. l. 6 n. 14, Suarez in *III. p. S. Thom.* d. 13 sect. 3. S. Alph. l. c. dicit, opinionem, quae attentionem actualem ad valorem requireret, esse prorsus singularem, eamque a nemine defendi.

II. Attamen voluntaria distractio peccatum est, atque voluntaria distractione inter orandum multo gravius, sed veniale peccatum *per se* non excedit, nisi accedat grave periculum errorem essentialem vel utcunque notabilem committendi. Imo in ipso S. Eucharistiae confectione, si ultra solam consecrationem distractio non producitur, non graviter peccare sacerdotem distractum, complures scriptores, aliis quidem contradicentibus, docent, ut Quarti p. l. tit. 16 dub. 5, Lacroix l. 6 p. 2 n. 443, Mazzotta *de Euch.* omnino in fine, alii: nisi forte cum contemptu actionis sacrae distractio foveatur.

§ 2.

De intentione in administrandis Sacramentis necessaria.

22 Intentio quid sit et quotuplex distinguatur, in vol. I. n. 4 de actibus humanis tractantes de *voluntario* exposuimus. Verum quum, quae ibi dicta sunt, non minimam applicationem in sacramentis habeant, ea, quae ibi dixi, nonnihil illustrari debent.

1. Distingui intentionem ratione sui ipsius, seu secundum diversum modum, quo se ad actus humanos habet, in actualem, virtualem, habitualem, interpretativam, l. c. vol. I. n. 4 habes expositum. Inter alia fac attendas, non actionem humanam propriam, at actionem alienam ejusque effectum *circa me* productum mihi voluntarium esse posse intentione etiam interpretativa. Verum ut ita re ipsa sit, interpretativam intentionem debes sumere pro *habituali implicita*, i. e. debet exsistere meus actus antea habitus nec retractatus, quo *non expresse* quidem illud opus voluerim, quod circa me exercetur, attamen *implicite* tamquam in alio objecto a me volito contentum. Haec attendas velim, quando postea agetur de subjecto sacramentorum.

Intentionem igitur *actualem* habet, qui v. g. alterum baptizat sive absolvit attendens quid faciat; eamque habet reflexam, si baptizando simul novo mentis actu cogitat, se baptizare, directam, si sine tali distincta cogitatione sciens et volens baptizat.

Intentionem virtualem ille habet, qui distractus e. g. absolvit, at virtute illius voluntatis, qua ad confessiones excipiendas ecclesiam adiit ibique manet; similiter ille, qui mane exit ad laborandum pro alenda familia, postea semper hanc virtualem alendae familiae intentionem in suo labore habet, etsi non jam de ea cogitet.

Intentionem habitualem habet is, qui alteri aliquid mandavit, sed eo tempore, quo mandatarius mandatum exsequitur, nihil amplius de eo cogitat, vel etiam sibi conscius non est; aut qui optavit, ut ante mortem suam baptizaretur, neque hoc desiderium retractavit, habitualem intentionem baptismi habet, quando nunc sensibus destitutus in mortis periculo jacet.

Si vero nunquam hoc desiderium expresse habuit, attamen habiturus esset, si de eo cogitatio incideret vel incidisset, interpretativam dicitur habere baptismi intentionem. Quae ut *vera* intentio dicatur, debuit baptismus recipiendus in alio objecto expresse aliquando intento seu desiderato satis esse contentus. Quod num et quando obtineat, non est hujus loci inquirere.

2. Distinguitur intentio *ratione objecti,* seu diversi modi, quo objectum 23
menti obversatur: 1) intentio *clara et confusa,* prout objectum, in quod voluntas fertur, clare menti obversatur, aut non ita; 2) intentio *determinata* et *indeterminata,* prout res volita certa et definita est, aut sub notione vaga, indeterminata concipitur: v. g. qui hunc hominem, aut totam hanc multitudinem absolvere vult, determinatam intentionem habet; qui vero ex septem hominibus aliquem, tres etc. absolvere vellet, non determinans, quos: indeterminatam haberet intentionem; 3) intentio *explicita* et *implicita,* ut jam supra dictum est.

3. Distinguitur intentio ratione modi, quo voluntatis actus in objectum fertur: 1) in *absolutam* et *conditionatam,* prout independenter ab aliquo eventu vel circumstantia apposita voluntas objectum amplectitur, aut dependenter; 2) in *directam* et *indirectam* (vel etiam intentionem „in causa"): de quo vide, quae vol. I. n. 11 sqq. dicta sunt.

His praenotatis, jam videndum est, quaenam intentio in adminis- 24
strandis sacramentis requiratur, utpote ponendis nomine Christi atque humano modo.

I. Ut valeat sacramentum, non requiritur intentio actualis, sed sufficit virtualis; non sufficit habitualis, minus etiam interpretativa. Suarez *in III. p. S. Thom.* disp. 13 sect. 3 ait: „quod virtualis intentio sufficiat, probatur primo ex usu atque adeo *ex consensu totius Ecclesiae",* Lugo *de sacram.* disp. 8 n. 74 dicit: „certum est apud omnes"; idem S. Alph. l. 6. n. 18 aliique. — Quod habitualis intentio non sufficiat, supra jam explicatum est vol. I. n. 4.

II. Ratione objecti, quod intendi debet, et ratione modi, quo ritus *ut sacer* poni debet, requiritur et sufficit ad valorem sacramenti, ut *in confuso* et, ut dicitur, *reductive* minister in persona Christi agere velit, seu ut ritum et *aliquo modo qua sacrum* exercere intendat, neque contraria aliqua voluntate positive nolit eum *qua a Christo institutum* peragere.

III. Ratione modi, quo voluntas ferri debeat in suam actionem, 25
dicendum est, licere ex gravi causa conditionatam intentionem habere, non vero sine causa, — id quod in singulis sacramentis fusius exponetur, — non tantum in sacramentis repetendis, sed etiam nunc primo ponendis; *determinatam* vero intentionem circa materiam et circa subjectum prorsus requiri, ita ut, si aliter fiat, nihil a ministro efficiatur.

Plenior explicatio. Ad I. 1. Intentio actualis optima quidem est, et ob reverentiam sacrae actionis pro viribus curanda: nihilominus ad valorem non requiritur, quia quae ex virtuali intentione fiunt, vere a voluntate tamquam causa emanant. Et revera, nisi haec sufficeret in humanis actionibus, de innumerabilium actionum libertate et valore actum esset; pleraque enim negotia virtuali tantum intentione, si minus suscipiuntur, tamen continuantur et finiuntur.

2. Si quando dicitur, habitualem intentionem sufficere, ut actio sit humana, sciendum est, ab aliquibus eam vocari intentionem habitualem, quam supra virtualem diximus, videlicet intentionem habitam et etiamnunc in aliquo effectu et vi, quam exerceat, perdurantem. Cf. S. Thom. III. q. 64 art. 8 ad 3; hac vero aetate communius voces sumuntur, ut superius explicatum est.

26 Ad II. 1. Etsi *aliquo* modo minister ut Christi mandatarius agere atque agere velle debet, tamen 1) non requiritur, ut minister reflexe et expresse intendat agere nomine Christi: S. Alph. n. 21 et 22; 2) non requiritur, ut minister expresse intendat agere nomine Ecclesiae catholicae, seu ut Ecclesia catholica agi vult. S. Alph. ib.

Sine dubio illae intentiones optimae sunt et sufficientissimae. Qui vero illas intentiones non tantum non expresse haberet, sed e contrario eas positiva et praevalente voluntate excluderet, is utique sacramentum nullum conficeret: nam sic volendo, seu potius nolendo, *omnem* voluntatem se gerendi ut Christi mandatarium et instrumentum *excluderet* ita, ut ne reductive quidem eam haberet. Quo fieret, ut actio illa maneret mere inermis et materialis ritus, qui a Deo ut actio a Christo per suum ministrum posita non assumeretur.

2. Atque adeo ne illa quidem intentio omnino requiritur, qua velit minister exercere ritum, quem ipse pro sacro et gratiae efficaci habet, modo velit eum ritum, quem scit ab aliis haberi pro sacro, ita peragere, uti ab aliis pro sacro habeatur.

Id ex certa et constanti praxi et doctrina Ecclesiae eruitur. Nunquam enim propter eam solam rationem v. g. baptismum iteravit, aut iterari permisit, quod ab haereticis aut infidelibus collatus esset, qui vim et sanctitatem baptismi non agnoscerent. Hac de re optime Suarez *de sacr.* disp. 13 sect. 2: „Dicendum est, requiri intentionem faciendi sacramentum vel sub hoc conceptu, vel sub aliqua ratione confusa et communi seu aequivalenti, sc. intendendo facere, quod Christus instituit, vel *quod Christiani faciunt, vel aliquid simile:* quilibet enim ex his modis intentionis absque controversia sufficit, et reperiri potest in haeretico vel alio infideli."

Quare sola haeresis vel infidelitas *per se* nunquam est sufficiens ratio de intentione requisita dubitandi; at si alia indicia accedunt, ut odium christiani nominis, quod e. g. in homine Judaeo alterove similis conditionis saepe merito suspicari possumus, intentio debita num adfuerit ac sacramentum verum reddiderit, rationabiliter in dubium vocatur.

3. Certe non conficitur sacramentum ab eo, qui ritum externum quidem totum peragit, sed mere ex alio fine, v. g. mere joci, irrisionis causa, exercitii gratia.

4. Quaestio olim acriter disputata ea est, num sufficiat ritum ex- 27
ternum serio quidem ponere atque in iis adjunctis, ex quibus externe tamquam sacer ritus appareat, at simul, quamquam sola mente, voluntatem gerere ‚nolo sacramentum conficere', aut simile quid. Quam quaestionem breviter, nomine non adeo perspicuo, ita proponebant: ‚utrum sufficeret intentio mere externa, an interna requireretur'.

Sufficere illam externam, propugnabant Ambros. Catharinus aliique post eum; negabant alii plerique, idque hodie fit longe communius. Vide S. Alph. l. c. n. 23; Lugo disp. 8 n. 15, Vasquez disp. 138 n. 35, Suarez d. 13 sect. 2 vocant hanc „communem", opinionem Catharini falsam, et haereticorum errori proximam; Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 7 cap. 4 n. 8 mitius quidem loquitur, nihilominus isti opinioni „grave vulnus inflictum esse thesi 28 ab Alex. VIII. damnata" dicit. Ratio brevis, cur externa illa intentio sufficere non possit, ea est, quia in voluntate hominis (ministri) positum est, utrum suo tantum nomine agere, an personam alterius, Christi sc., in externo ritu exercendo induere *velit.* Posterius si excluditur, non conficitur sacramentum; excluditur autem ab eo, qui intentionem illam mere externam habet. Cf. hac de re Morgott *Minister sacramentorum,* germanice conscriptum Friburgi 1886.

Ad III. 1. Licitam, imo necessariam aliquando esse *conditionatam* 28
sacramentorum collationem ex ipso Rituali Romano probatur, quod suis locis conditionem apponendam exprimit.

Quando igitur sacramentum conditionate confertur, verbis conditionem exprimere, plerumque convenit; imo ubi ex Rituali sic praescribitur, id agi debet, alias tamen per se sufficit, sola mente conditionem concipere.

2. Conditio vero, quae apponitur, debet esse *de praeterito aut de praesenti,* non de futuro. Quo fit, ut ritus sacramentalis aut statim evadat verum et validum sacramentum, aut vi et valore destituatur, prout nimirum conditio verificatur, aut non verificatur. — Conditio *de futuro,* etsi postea verificetur, communiter ritum sacramentalem relinquit nullum et inanem; nam ministri est, ritum externum *qua efficacem* ponere, non alterius, a quo pendeat, utrum conditio apposita verificetur necne. Videlicet minister nequit alteri illum influxum in ritum sacramentalem concedere, ut pro illius arbitrio evadat gratiae efficax aut inefficax, sed minister ipse id secundum Christi institutionem peragere debet.

Excipitur ab hac regula de conditione rei futurae sacramentum *matrimonii;* quod validum evadere potest impleta conditione de futuro. Quamquam enim generatim *non licet* sic matrimonium contrahere, valori tamen ex se non obstat, quoniam hoc sacramentum omnino naturam contractûs humani sequitur.

3. In plerisque circumstantiis, in quibus fit conditionata sacramentorum administratio, quoad effectum nihil interest, utrum conditio apponatur necne. Conditio enim apposita seu apponenda plerumque versatur circa rem, cujus defectus si accidit, ex sese essentialem defectum contra sacramenti valorem inducit. E. g. sive in moribundo absolvendo vel ungendo addis conditionem: „si vivis", in baptizando: „si nondum baptizatus es", sive non addis: deficiente vita, aut in altero exemplo exsistente priore baptismo valido, tamen nihil efficis.

Ratio igitur, cur conditio sive verbis, sive saltem mente exprimatur, potius est reverentia sacro ritui a Christo instituto debita, ita ut minister protestetur, sibi, deficiente necessaria conditione, in animo non esse ipsum tentamen nomine Christi agendi facere: quo magis absit ab omni rei sacrae profanatione.

29 4. Ex quibus facile etiam communis regula pro conditionata sacramentorum collatione eruitur:

Regula 1: *Conditionate*, non absolute, conferri debet sacramentum, si confertur, quoties rationabile dubium adest, an aliquid desit, quod ad sacramenti valorem necessario requiritur aut praerequiritur.

Regula 2: *Debet autem conferri* sacramentum, quamquam conditionate, si sacramentum absolute negatum hominem periculo gravis damni exponat, aut magni boni privationis, maxime si apud ipsum non est, periculum illud avertere dubiumque circa sacramenti valorem auferre. Ceterum accuratiora vide in singulis sacramentis.

5. Quod ad determinationem materiae et subjecti attinet, saepe difficile vel impossibile est, eam ab ipsa actione excludere; aliquando tamen haec determinatio non ex ipsa actione, sed aliunde peti et praevie fieri debet.

Error autem in persona plerumque valori sacramenti non obstat, neque necessariam determinationem atque intentionem destruit. Nam si quem absolvo, sive baptizo, quem, quum sit puer, putavi puellam esse, intentio praevalens et primaria determinata erat ad *praesentem* hominem; error igitur, quem commisi, mere concomitans et extraneus erat, nisi forte — id quod generatim minime fieri debet — intentionem meam ad certam aliquam personam aliam restrinxissem.

30 Scholion. Ut quae ad intentionem pertinent, compleantur, aliquid addendum est de eo, qui plures intentiones sibi invicem contrarias habet. Nimirum indagandum est de *principali* et *praevalenti* voluntate. Quae si recta et sufficiens fuit, sacramentum pro valido habendum est; si sacramento ejusve essentiae opposita certo erat, sacramentum omnino pro invalido haberi debet; si dubium manet, quaenam voluntatis intentio praevaluerit, sacramentum utpote dubie validum pro circumstantiis conditionate repeti debet.

Unde judicandum est v. g., num valeat matrimonium ejus, qui illud solubile esse putans, ut solubile inire voluit; num valeat baptismus ejus, qui baptizare quidem voluit, sed noluit se Ecclesiae Romano-catholicae conformare, aut positive noluit infantem baptizandum subjicere auctoritati Romani Pontificis. Cf. supra n. 26, Mazzotta *de sacr. in gen.* q. 2 cap. 2 fere circa finem, S. Alph. l. 6 n. 24, Lugo d. 8 n. 120 sqq.

§ 3.

De modo et ritu conferendi Sacramenta.

31 Minister, ut irreprehensibilem se exhibeat in sacramentis administrandis, non solum ad eorum valorem attendere debet, sed etiam ad reverentiam et decentiam sanctissimis illis actionibus debitam.

Quare 1) omnia peragere debet secundum praecepta Ecclesiae, cujus est in dignam et convenientem sacramentorum tractationem invigilare; 2) debet ipse dignus esse, qui personam Christi exhibeat; 3) debet discernere, quibus conferat, quibus neget sacramenta, ne margaritas projiciat ante porcos.

Quare deinceps agendum nobis est: de modo et ritu administrandi sacramenta, de fide et probitate ministri, de officio conferendi et negandi sacramenta. De priore puncto hîc pauca dicturi sumus, de aliis in sequentibus §§ plura.

I. De modo igitur conferendi sacramenta vix aliud dicendum est in genere, nisi omnia peragi debere secundum praescriptum Ritualis[1]. Rituale autem Romanum, aut quod Romano conforme est, in latina Ecclesia pro norma legitima haberi debet.

S. R. C. saepius dixit „illos solos libros adhibendos et in illis tantum benedictionibus, quae Rituali Romano sunt conformes, nec alios adhibendos esse, dummodo non constet ab hac S. Congreg. fuisse approbatos“: ita 7. Apr. 1832 23. Maj. 1835 Gard. ed. 3. Rom. n. 4681 ad 5, n. 4748 ad 9.

Amplam autem collectionem diversarum benedictionum invenies in Ritualis Romani nova editione *cum appendice.*

II. Vestes sacrae, nisi necessitas urgeat, pro sacramentis conferendis sunt generatim superpelliceum et stola.

In sacramento poenitentiae sola stola per se sufficit, ut ex Rituali colligitur; imo quando consuetudo id fert, ne absolutum quidem praeceptum stolae adhibendae est; potest nihilominus Episcopus — ut S. R. C. monuit — etiam pro poenitentiae sacramento usum stolae et superpellicei *praescribere.*

§ 4.

De probitate ministri seu de statu gratiae Sacramentorum ministro necessario.

I. Ut minister in sacris functionibus, maxime in ipsis sacramentis 32
administrandis, licite procedat, ipse in statu gratiae esse debet.

In statu igitur peccati sacras functiones exercere, nisi necessitas et angustiae temporis excusent, propter quas ministro impossibile videatur reconciliationem cum Deo prius peragere, peccatum est. Irreverentiam enim committit, qui nomine Christi Ecclesiaeque cum Deo pro salute hominum agit, dum ipse Dei inimicus est.

II. Si quis ergo sacramentum administraturus (aliamve sacram functionem exerciturus) peccati mortalis sibi conscius est, saltem per contritionem praemissam se cum Deo reconciliare tenetur, idque ut

[1] Quae vero in Rituali Romano continentur, partim esse praecepta gravia, partim levia, partim regulas tantum directivas, idque sive ex verbis, sive ex ipsa re intelligi debere: vix est, quod dicam.

per solam contritionem fiat, etiam sufficit — excepta S. Eucharistiae confectione — ut certum est ex Rituali R. (cf. *rubricas de sacr. in gen.*). Sic etiam S. Alph., Suarez aliique contra paucos aliter sentientes; imo secundum S. Alph. l. 6 n. 34 cum Suarez *de sacr.* disp. 16 sect. 3, Sporer, Elbel, Lacroix multisque aliis „sufficit contritio prudenter existimata".

Ad SS. Eucharistiam vero sive conficiendam sive sumendam sacramentali confessione et absolutione opus est. Trid. sess. 13 cap. 7.

III. De gravitate autem peccati, ut certa et indubitata ab opinionibus controversis et incertis distinguamus, haec regula esse potest:

„Grave peccatum committit ille, qui ut minister consecratus sacramentum conficit cum conscientia mortalis peccati, neque tamen, ut in n. I. notatum est, angustiis temporis et necessitate excusatur."

Reliqua, quae in hac regula non continentur, non possunt practice mortale peccatum dici, siquidem a pluribus iisque gravibus theologis id negatur. Attamen veniale peccatum idque pro circumstantiis plus minusve grave etiam alias committi, dubitari non debet.

33 **Uberior explicatio,** praesertim n. III. 1. Controversia est, utrum *quilibet,* qui sacramentum administrat, quando hoc in statu peccati faciat, graviter peccet, an solum *minister consecratus* sacramentum conficiens. Practice id reducitur ad solas hasce quaestiones: 1) utrum distributio S. Eucharistiae etiam comprehendatur, 2) utrum baptismus necessitatis, an contra: alia sacramenta omnia — de matrimonio singularis subest ratio [1] — a solo ministro consecrato administrari possunt idque confectione. Propter theoreticum dubium igitur:

1) Laicus in statu peccati baptismum necessitatis conferens non tantum propter temporis angustias a peccato gravi excusatur, si contritionem non praemittit, sed etiam propter rem ipsam objective dubiam: mea tamen opinione, id objective graviter illicitum est. Cf. S. Alph. l. c. n. 32.

2) Imo, si id tandem admittitur, non peccari graviter a laico, etiam probabiliter idem dici debet de diacono, vel sacerdote, qui in talibus adjunctis baptismum privatum more laicorum conferant, siquidem tunc non agunt *ut* ministri consecrati. Ita S. Thom. III. q. 64 a. 6 ad 3, S. Alph. l. c.

3) S. Communionem distribuere in statu peccati, S° Alph. quidem l. c. n. 35 cum aliis visum est mortale peccatum esse; negant ita esse Lugo d. 8 n. 155, Vasquez aliique bene multi (S. Alph. l. c. ipse saltem 15 theologos affert, qui hanc negantem sententiam aut unice docent, aut probabilem dicunt). Neque spernenda est ratio, quae Cardinalem de Lugo movit, sc. quod in illa actione minister neque

[1] Quoad matrimonium nimirum nemo administrat sacramentum, nisi qui etiam suscipiat: quare qui cum conscientia peccati mortalis matrimonium init, graviter peccat certe; dubium autem est, utrum committat peccatum grave duplicis malitiae mortalis, an unius tantum.

stricto sensu nomine Christi agat, neque instrumentaliter gratiam sanctificantem causet — quae rationes sunt, ex quibus grave peccatum committi a ministro peccatore deducitur — sed vix aliud praestet, nisi quod inanime etiam instrumentum praestare potest.

4) Minus etiam constat, graviter peccare eum, qui in statu peccati exsistens S. Eucharistiam tangit.

Practice igitur videri debet post factum, fueritne ministro persuasum, se graviter peccare: at dedocendus est.

5) Neque diaconus et subdiaconus, qui solemniter in Missa ministrant, si in statu peccati sunt, per hoc suum ministerium graviter peccant: S. Alph. l c. n. 38.

6) Idem dici potest de exercitio aliarum sacrarum functionum, ut sunt consecratio vasorum, templi, sacri olei confectio: (at certe graviter peccatur ratione Missae sacrilege celebratae). S. Alph. n. 39 et 40.

7) Idem valet probabiliter de sacerdote, qui tantum *excipit* confessionem in statu peccati exsistens, ita tamen, ut firmiter statuat ante absolutionem dandam contritionem elicere. Affirmant quidem graviter peccari Suarez, Escobar etc., negant Lugo, Sporer, Elbel, Lacroix, S. Alph. n. 36.

Nimirum affirmant praecipue ii theologi, qui gravitatem peccati, quod minister peccator administrando sacramentum committit, ex eo repetunt, quod minister personam Christi indigne gerat; negant ii, qui potissimam rationem gravis peccati inde repetunt, quod divinum illud donum gratiae sanctificantis, quam minister instrumentaliter producit, vilipendat et quasi commaculet.

2. Ut igitur natura illius malitiae nonnihil intelligatur, quae ab in- 34
digno ministro sacramenti contrahitur, juvat utramque explicationem dare, quam et Lugo l. c. d. 8 n. 149 sqq., et Suarez l. c. disp. 16 sect. 2, S. Thomam commentans, proponit.

Lugo haec habet: „Minister operatur in persona Christi, et operatur sanctitatem et gratiam habitualem, quae sanctificat eos, quibus sacramenta conferuntur. Quum (vero) in ordine supernaturali gratia habitualis, qua homo redditur consors divinae naturae, filius Dei adoptivus, ac princeps, haeres beatitudinis coelestis, supremum locum teneat, si unionem hypostaticam excipias: negari non potest, quod gravissimam contineat indecentiam, ad ejusmodi actionem accedere, qua minister, Dei vices gerens, alios sanctificat, gratos reddit et filios Dei, in sordidissimo illo statu peccati et inimicitiae Dei. Sicut si femina aliqua, ex divino beneficio conceptura in utero suo Deum-hominem, auderet in statu peccati et inimicitiae Dei illum concipere, quis auderet temeritatem illam a culpa gravi excusare? Et tamen actio illius non . . . ita terminaretur ad unionem hypostaticam, sicut minister sacramenti actione sua tendit ad producendam ipsam filiationem Dei (adoptivam), et ad conjungendas animas strictissimo illo gratiae et adoptionis vinculo cum Deo.“ [1]

[1] Inde patet, Cardinalem de Lugo censere, quamlibet sacramenti confectionem in statu peccati peractam culpam esse mortalem, sive a ministro consecrato, sive ab altero fiat. Verum quum alii in explicanda illa malitia rationem a Lugo alla-

Suarez nixus explicatione S. Thomae ita loquitur: „Eo ipso, quod talia sacramenta et tam sancta vereque sanctificantia instituta sunt, et ad illa digne ministranda consecrantur sacerdotes, et specialem gratiam recipiunt, statim oritur obligatio ministrandi ea in statu gratiae. Hanc vero consecutionem dupliciter probat S. Thomas. Primo quia hujusmodi minister se exhibet in illo ministerio tamquam divinum et animatum instrumentum ex officio ad hujusmodi munus deputatum; ergo tenetur se principali agenti conformare, ut sit sanctus, sicut ille sanctus est; alioqui gravem irreverentiam in eam committit. Secundo, quia quantum ex se est, contaminat sacramentum, tractando illud tamquam rem profanam, non dijudicans neque discernens pretiosum a vili, neque ministerium sacrum a communi et vulgari . . . Tertio . . . addi potest, sacerdotes sunt specialiter consecrati ad hoc munus, et ad illud digne exercendum specialem gratiam recipiunt; ergo ex vi talis muneris et consecrationis oritur eis obligatio digne ac sancte tractandi sacramenta, saltem quando illa ministrant ex officio."

3. Occasione hujus quaestionis tractatae etiam id quaeri solet, *quot* peccata committantur a sacerdote sacrilege celebrante, seu potius, quot malitiae sive specie infima sive saltem numero distinctae in una illa sacrilega actione *contineantur*.

Alii tres (Gury II. *cas.* n. 164), alii quatuor, alii duas malitias mortales distinctas inesse docent:

Prima mortalis malitia — in statu peccati sacramentum conficere;

Secunda mortalis malitia — in statu peccati sacramentum suscipere;

Tertia mortalis malitia — in statu peccati sacramentum administrare (sibi ipsi);

Quarta mortalis malitia — indigno (sc. iterum sibi ipsi) illud ministrare.

Verum satis probabile videtur, illam quartam malitiam a secunda non distingui ut novam, siquidem malitia, quae in conferenda indigno Eucharistia sita est, ex cooperatione cum illius peccaminosa susceptione maxime petitur: quae hîc omnino coincidit cum *secunda* malitia. Dein tertia malitia ex sententia supra relata probabiliter non est mortalis. Quare relinquitur, ut cum Lugo l. l. n. 161 statuamus: „habet hoc peccatum (sacrilegae celebrationis) non quidem tres malitias, ut volunt aliqui . . ., nec solum unam . . . sed *duas,* alteram *suscipiendi* sacramentum, alteram *conficiendi* in statu peccati; in quibus includitur malitia offerendi (sive sacrificandi), quum oblatio (sive sacrificium) non distinguatur a consecratione et sumptione."

4. Similiter quaeritur, quot peccata committantur ab eo, qui continenter pluribus sacramentum administrat. Communiter ita statuitur, ut *toties* mortale peccatum numero distinctum committi dicatur, quoties sacramentum ministretur. In poenitentiae quidem sacramento administrando Lugo (*de poenit.* d. 16 n. 588) probabile putat esse, toties solummodo peccata *numero* distingui, quoties confessarius diversis vicibus in foro sacramentali pro tribunali sederit, sive eadem vice unum, sive plures poenitentes

---

tam non negent quidem, sed potissimum insistant in illa turpitudine, quod minister munus suum adeo excellens, quo assumptus sit ad gerendam Christi personam, per statum peccati commaculet: negari nequit, in eorum probabili argumentandi modo multum interesse, utrum minister munus ex speciali consecratione et perpetua deputatione, an per accidens in necessitate gerat. Quare nisi conjungatur et horum ratio et ratio, quam Lugo exponit, non constat certo de mortali peccato.

audiverit et absolverit. Idem Salmanticenses (*de censuris* cap. 1. n. 182) absolute tenent. Quam opinionem Lugo probabilem dicit non ex sua opinione, quam tenet de specifica malitia indignae administrationis sacramentorum, sed potius secundum alteram, quam supra retulimus, explicationem.

Ceterum *communius* censetur sacerdos, qui in statu peccati plures absolvat, toties graviter peccasse, quoties absolutionem pronuntiaverit. Consultius igitur est, eam in praxi sequi; si quis vero sacerdos confessionem instituturus, qui illius peccati reus esset, secundum benigniorem opinionem et computationem sese accusaret, non esset absolute reprehendendus.

De numero peccatorum, quae committantur in distribuenda pluribus Sancta Eucharistia, non est, cur multum dicamus, quum ne constet quidem, peccari mortaliter: verum etiam ii, qui tenent, peccari mortaliter, numero distinguunt peccata non pro numero communicantium, sed pro numero diversarum vicium, quibus Sanctam Communionem minister distribuit.

§ 5.

De obligatione Sacramenta ministrandi.

Principia, quibus haec obligatio declaratur, sumenda sunt tum ex 36
munere, quod aliquis cum quasi-contractu suscepit, tum ex generali obligatione caritatis, qua tenemur proximo succurrere.

I. Ii, quibus cura animarum vi muneris incumbit, tenentur *sub gravi* idque *ex justitia* administrare sacramenta subditis suis rationabiliter petentibus.

Suscipiendo scilicet munus seu officium tacito contractu ad id se obligaverunt. Tales autem sunt non tantum Episcopi (ex parte), parochi, praelati regulares, sed ii etiam, qui munus subsidiarium vicarii, coadjutoris etc. susceperunt, modo ei conjuncta sit cura spiritualis circa certam aliquam communitatem.

Extra casum, quo sacramentum administratuio grave incommodum oritur, ii, qui in pastorali munere constituti sunt, subditis suis toties, quoties petunt non solum ex necessitate, sed etiam *propter convenientem suum profectum,* sacramenta administrare debent. — At secluso periculo gravis necessitatis gravisve detrimenti et periculo fideles deterrendi a sacramentorum frequentatione, una alterave vice nolle sacramentum administrare, neglectus officii est ex parvitate materiae venialis.

Si minister sibi grave periculum timere debet, v. g. sanitatis, vitae etc.: nihilominus obligatio justitiae eaque gravis ministrandi sacramenta *necessaria* sustinenda est, quoties subditus in aliqua gravi necessitate spirituali versatur.

II. Reliqui, qui animarum curam ex munere non habent, sacramenta ministrare non tenentur severe, nisi *secundum regulas caritatis,* ex qua propter necessitatem fidelium obligatio, eaque aliquando gravis, oriri potest. — Imo idem cum eadem limitatione dicendum est de obligatione pastorum animarum circa non-subditos.

Ergo cum gravi vel etiam extremo vitae periculo hi tum tantum obligantur ad sacramenta conferenda, quando proximus in extrema vel quasi-extrema necessitate versatur. — Alias autem si commode, seu sine gravi

incommodo possunt, etiam obligantur ad ministrandum sacramentum, si quod necessarium est ad aliquem ex gravi — etsi non gravissima — necessitate eripiendum. Hanc obligationem etiam ex se gravem esse, prorsus dici debet, siquidem alias ratio reddi non potest, cur correctio fraterna unquam sub gravi urgeret: non enim ex alia radice haec obligatio oritur, quam ex obligatione succurrendi iis, qui in spirituali necessitate gravi, licet non ad extremum gravi, versantur.

Quae omnia ex auctoribus mox citandis confirmantur.

37 Explicandi causa noto quaedam singularia:

1. Graviter peccat parochus, qui saepius se difficilem et morosum praebet in excipiendis confessionibus, aut tempora non opportuna pro distribuenda S. Eucharistia constituit: in causa enim est, cur multi a sacramentis deterreantur, atque idem efficit, ac si formaliter sacramenta deneget. Gury II. n. 216, Lacroix l. 6 p. 1 n. 134.

2. Idem dic de parochis, qui nolunt confessiones excipere nisi paucis diebus in mense fixis; onerosam enim et difficilem reddunt sacramentorum receptionem, quam e contrario facilem reddere debent.

3. Ratio, cur una alterave vice denegare sacramentum ei, quem parochus satis scit in nulla necessitate versari, peccatum non sit mortale, haec est, quia damnum, quod infertur, facile reparatur. Iis autem, qui irrationabiliter vel tempore nimis importuno petant, sacramentum denegare vel differre, nullum peccatum est. Caveant vero pastores animarum, ne personas vere devotas cum devotulis confundant. Lacr. ib., Suarez *de poenit.* d. 32 sect. 1 n. 5 et 6, Arriaga *de poenit.* d. 43 sect. 2 n. 4 et 5.

4. Non omnia tenetur parochus per seipsum praestare; potest enim subditis suis etiam ex parte satisfacere per vicarios. Si vero nominatim postulatur, ipse per se petenti satisfacere debet, nisi legitime impediatur.

Minus etiam per seipsos sacramenta administrare tenentur altiores praelati; imo illi in rebus ordinarie contingentibus *per alios* fidelibus plene satisfaciunt, et satisfacere per alios debent.

5. In gravi vitae periculo ministro imminenti, ut tempore morbi contagiosi, per se non est gravis obligatio nisi *ea* sacramenta ministrandi, quae simpliciter necessaria sunt, sc. baptismum et poenitentiam, dein extremam unctionem ei, qui sensibus destitutus est, antequam absolvi potuit. Vide S. Alph. l. 6 n. 233 et ib. Declarationes S. Congr. Conc. a Greg. XIII. approbatas. At suadendum omnino est, ut etiam Viaticum generatim detur.

6. Ex iisdem autem S. Congr. rescriptis anni 1576 Bened. XIV. *de syn. dioec.* l. 13. c. 19 n. 2 concludit, parocho non licere, tempore pestis recedere, etsi relinquat suo loco vicarium idoneum: licere tamen sibi curam sanorum reservare, si vicarius paratus sit aegrotorum curam suscipere, ne videlicet omnes infectionis periculo exponantur, neve homines etiam sani utrumque sacerdotem ex metu infectionis fugiant. V. Bened. XIV. ib. n. 6.

7. Nimius timor nimiaque cautela sive parochi sive aliorum sacerdotum vere reprehensibilis est, siquidem fideles tantum metum videntes scandalum potius, quam aedificationem capturi sunt. Fiducia in Deum et remedia cum sobria prudentia adhibita periculum satis removebunt. S. Carolus Borrom. heroicum plane exemplum dedit caritatis, quum ipse, Mediolanensis Archiepiscopus, tempore pestis in ministrandis sacramentis praeiret, imo ad aegrotos in nosocomiis decumbentes accederet, ut non necessaria tantum sacramenta, sed ipsam etiam confirmationem conferret: (cf. *de syn. dioec.* ib.).

§ 6.

De Sacramentis denegandis.

Praenotanda. 1. Sicut digne et rationabiliter petentibus sacra- 38
menta conferenda sunt a ministro, ita indignis sunt deneganda. Hoc enim exigit dignitas ipsa sacramentorum et *virtus religionis,* ne sacra profanationi exponantur; exigit *fidelitas a ministro* in munere sibi concredito servanda, ne margaritas mittens ante porcos contra voluntatem Domini coelestia ejus dona, ipso invito, dissipet potius, quam dispenset; hoc etiam exigit *communis lex caritatis,* ne ei, qui indigne sacramenta suscipere conatur et audet, minister cooperetur scandalumve praebeat: ex neglectis igitur officiis pluribus colliges, quanta malitia, nisi adsit causa excusans, in hac sacramenti administratione erga indignos contineatur.

Sed quum ex una parte cooperatio ista non necessario formalis sit, atque etiam sacramentorum profanatio per se et primario in suscipientem recidat, nec fidelitas in dispensandis bonis omnem abusum eorum, quibus dentur, necessario cavere debeat; quum dein ex altera parte ex denegatione sacramentorum aliquando majora mala oriri possint: illa obligatio sacramenta denegandi certis limitibus circumscribatur oportet. Scilicet distinctione opus est 1) inter occultum et publicum peccatorem, qui petat sacramenta, seu inter eum, cujus indignitas publice nota sit, et eum, cujus indignitas cognita sacerdoti quidem sit, ceteroquin autem occulta; 2) inter petitionem publicam et petitionem occultam.

2. *Occultus peccator* ille dicitur, cujus indignitas vel crimen *paucis* tantum notum est; imo tamdiu *aliquo modo* dicitur occultus, quamdiu peccatum illius communi notitiae subduci adhuc potest.

Publicus igitur peccator ille vocatur, cujus peccatum seu indignitas ad communem notitiam venerit. Potest vero publicitas esse aut *absoluta,* aut *relativa* tantum. Relativa habetur, si solummodo ex praesentibus multi vel major pars crimen ejus, qui sacramentum petit, sciunt, id tamen ad communem vulgi notitiam nondum pervenit. — *Absoluta publicitas* adesse potest 1) ex judicio per judicis sententiam publicam vel publicandam, aut per propriam confessionem in tali judicio; 2) per facti evidentiam (v. g. in foro publico aut alio publico modo patrati), ita ut nulla tergiversatione celari crimen possit; 3) per famam, si rumor sparsus est in civitate et simul adsunt vehementia patrati criminis indicia.

3. Hac distinctione data, breves propono regulas, quae communiter 39
traduntur, postea adjiciam explicationem. Quae regulae imprimis S. Eucharistiam sive denegandam sive non denegandam spectant: at cum quibusdam modificationibus, quas ceterorum sacramentorum natura facile subministrabit, etiam illis sacramentis applicantur.

I. Peccatori publico, sive occulte petit, sive in publico, deneganda sunt sacramenta.

II. Peccatori occulto item, si occulte petit, deneganda sunt sacramenta.

III. Peccatori occulto, si in publico petit, non sunt deneganda sacramenta.

Explicatio: 1. Ratio, cur occulte petenti, etsi occultus peccator sit, sacramenta debeant denegari, ea est, quia nullum sequitur malum, propter quod praecavendum cooperatio, quae in administrando sacramento indignis reperitur, satis cohonestetur. Malum enim praecavendum, propter quod alias cooperatio illa permittitur, est diffamatio petentis cum aliis incommodis illi connexis. Sed occulte petenti ex illa denegatione nulla exoritur infamia.

2. Porro ex altera parte ex modo dictis jam sequitur, tum tantum recte dici posse aliquem occulte petere, quando petit coram solo sacerdote, aut coram sacerdote cum aliis paucis iisque ignaris vel simplicibus, qui non intelligant, de qua re agatur, ut sunt v. g. pueri. Si enim aliqui adsunt, licet pauci, quos rem evulgaturos esse praevidetur, jam non habetur occulta petitio.

3. Publicus autem peccator, qui, sive occulte sive palam petit, excludi debet a sacramentis, publicus esse potest, ut supra dictum est, propter crimen aut simpliciter et absolute publicum, aut publicum pro praesentibus tantum. Porro si peccatum secundum ‚*praenotanda*' absolute publicum est, sacramenta negari debent petenti, etsi ex hominibus praesentibus multi sunt, qui crimen ejus adhuc ignorant: quod per accidens fit. Peccator enim ille jus ad famam prorsus amisit; quare fieri nequit, ut diffamatione paulo latius extenta injustum incommodum illi inferatur: atqui id solum incommodum est, quod aut in se et per se, aut tamquam radix et ansa aliorum malorum pro causa habetur, cur ministro aliquando liceat, etiam indignis sacramenta conferre. — Si quis vero non ita publice diffamatus est, attamen ex praesentibus *multi* sunt, qui crimen ejus noverint: sacramentum denegandum non est, *si alii multi adsunt,* qui crimen adhuc ignorent; denegandum tum tantum est, quando ex praesentibus *relative omnino pauci* criminis ignari exsistunt. V. Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 7 cap. 11, Lacroix l. 6 p. 1 n. 138 et 139.

4. Hinc etiam facile deducitur, quid agendum sit cum eo, qui in uno loco publice diffamatus est, in alio vero, ubi nunc petit sacramenta, non est. Nimirum responderi debet: si ex circumstantiis elucet, illam diffamationem etiam hoc loco, ubi petit sacramenta, diu impediri non amplius posse, sed brevi esse secuturam, in hoc casu tanti non debet aestimari aliqualis diffamationis acceleratio et diffusio, ut non majorem rationem habere debeamus et sacramenti reverentiae et scandali, quod fideles brevi post passuri esse praevidentur, quando scilicet cognoverint, fuisse hominem indignum et scelestum, cui accessus ad sacramenta datus fuerit. Quare in illis circumstantiis peccator potius repellendus est. Conferri potest hac in re doctrina, quam tradit Lacroix l. c. n. 140, qui videtur etiam *facultatem* majorem repulsae dandae concedere cum Bonacina, Cajet., Suarez,

Castrop., Tamb. et aliis. Attamen S. Alphus l. 6 n. 46 limites hîc assignatos servandos esse recte putat.

5. Magis etiam repellendus est ille, quem peccati, propter quod indignus est, non pudet, sed qui de eo potius gloriatur. Nam tunc nulla ratio habenda est ejus circumstantiae, quod in hoc loco, ubi petit sacramenta, non cognoscatur, sed ignotus et peregrinus sit. Ignorantia enim criminis in illis adjunctis omnino per accidens est, neque ulla fit per ejus propalationem injuria, neque per se laesio caritatis; quare nulla ratio est, cur istius hominis indignitas tegatur atque ipse ad sacramenta admittatur. Quod autem homo ille indigne ferat repulsam ipsam in se spectatam, haec nulla causa est, cur ipsi parcatur; imo haec in se *nunquam* ratio est, cur *ulli* peccatori indigno sacramentum ministrari permittatur. — Verum ut repellatur, sacerdoti certum esse debet, emendationem interea non esse secutam.

6. Ceterum *in dubio* de publicitate criminis potius dandum est 41
sacramentum palam petentibus. Si vero post criminis publicitatem dubium est de emendatione vel satisfactione praestita, potius denegandum sacramentum est, seu differendum.

7. Ut igitur peccator, qui ex crimine aut ex vitiosa consuetudine diffamatus fuit, denuo ad sacramenta possit admitti, haec notanda sunt:

1) Si vixit in occasione proxima peccandi, haec communiter antea relinquenda est.

2) Si indignitas oritur ex solo crimine sine peccandi occasione, in qua maneat, sufficit, peccatorem confessum esse in publico, vel coram pluribus, ita ut brevi sic poenitentia divulgetur, uti nota erat indignitas.

3) Si alia quaedam satisfactio vel retractatio facienda est, haec praecedere debet, eaque publica, vel saltem ita exhibita, ut brevi evulgari possit (scil. si coram paucis, qui retractationem evulgaturi sint, satisfactio data est, facile coram illis paucis *statim* ad sacramenta admissio fieri potest).

4) Si quem in vitiosam consuetudinem, confessione non obstante, saepius relapsum esse vulgo constat, generatim per aliquod tempus exspectandum est, quo judicetur, emendationem esse satis probatam (nisi forte palam ostendat signa peculiaria emendationis). Cf. Lacroix l. c. n. 141 cum pluribus aliis.

8. Ex notitia igitur confessionis sacerdos, ut ad deneganda sacramenta nunquam, ita ne ad iterum concedenda quidem semper procedere potest. Quare tum monere debet poenitentem, si quem forte sacramentaliter quidem absolvit, sed publice ad Sanctam Eucharistiam admittere nondum valet, ne, quamquam confessus, repulsam postea patiatur.

Scholion I. Addam, quomodo, quae dicta sunt atque Sacram 42
Eucharistiam imprimis spectant, ad aliorum sacramentorum concessionem denegationemve applicari possint, quomodo debeant mutari.

1. Ad baptismum (nisi agitur de articulo mortis) non ita ex improviso fit accessus; sed candidatus antea disponitur. Neque extra mortis articulum ad baptismum aliquis admittitur ob id solum, quod

non constet de ejus indignitate, sed inquirendum est antea positive de ejus dispositione et dignitate.

2. Poenitentiae sacramentum de se nunquam ita palam aut petitur, aut negatur: ibi igitur absolutio danda aut deneganda est pro dispositione, de qua inter solum confessarium et poenitentem constabit, ut postea fuse exponetur.

3. Extrema unctio, quamquam peccatori non emendato etiam deneganda est, tamen quia sacramentum est, quod in vitae periculo datur, non tantam requirit certitudinem de indispositionis absentia. Item dic de Viatico, quod desideratur a moribundo. Quando vero agitur de homine sensibus destituto, major reverentia videtur habenda Sanctissimae Eucharistiae, quam extremae unctioni, si moribundus honestae vitae non fuit: ceterum cf. quae in singulis sacramentis dicturi sumus.

4. Sacramentum ordinis omnino requirit positivam inquisitionem et moralem certitudinem de vera candidati dignitate: ergo ille, contra quem suspicio est, multo facilius repelli potest et debet, quam eum repelli liceat a Sacra Eucharistia sumenda.

5. Matrimonium, cujus sacerdos minister non est, sed testis tantum publicus, permitti facilius aliquando potest, propter alia mala declinanda, ut etiam ab iis ineatur, qui sacramentis suscipiendis indigni habentur: sed de hoc plura suo loco.

6. Restat igitur solum confirmationis sacramentum, de qua concedenda negandave vix alia principia statui possunt, quam quae supra universim data sunt, et quae imprimis in Sanctissima Eucharistia valere dixi. Id solummodo notandum, Episcopum, confirmationis ministrum, plerumque aliter agere non posse, nisi ut parochi testimonio stet, atque eos admittat, quos ille admiserit.

43 Scholion II. Incommoda et damna, ad quae praecavenda non quemlibet indignum a sacramentis repelli posse dictum est, ex parte suscipientium consideravimus. Licetne etiam, ut a ministro gravia damna avertantur, indigno sacramentum ministrare, e. g. si quis peccator sacerdotem mortem ei minando cogere conetur, ut sibi sacramentum administret?

Negandum est, id licere. Quod ut melius intelligatur, discrimen enucleatius exponendum est, quod intercedit inter casum mox allatum et inter sacramentum homini alioqui non rite disposito non negandum.

Nimirum 1) ingens discrimen inter eum, qui interne non rite dispositus cum aliis ad sacramentum accedit, et inter eum est, qui cum positiva summa injuria sacramentum postulat. Prior potius *omittendo* debitum honorem contra sacramentum delinquit, alter *invadendo positive* honorem sacramenti laedit: quare multo magis urget obligatio hunc repellendi. 2) Ille, qui tantummodo sine debita dispositione ad sacramentum accedit, a ministro non juvatur in aliqua actione, quam tandem sine peccato ponere non possit: potest enim revera occultus peccator, quando jam in eo est, ut sacramentum recipiat, praemissa contritione, digne recipere. Imo quando jam in illis angustiis positus est, non tenetur recedere, sed sola contritione contento esse licet. Et quamquam antea se conjiciendo in illas angustias peccavit,

et communiter de contritione curam habiturus non est, id actionem administri non mutat, sed profanatio incipit a suscipiente. Qui vero minis gravibus extorquere vult sacramenti collationem, actum committit, qui a peccato gravi immunis esse *nequit*, gravem injuriam infert sacramento, ad quam sacerdos obsecundaturus cooperatur, atque a sacerdotis actione incipit profanatio. 3) Effectus bonus, propter quem aliquando cooperatio ad effectum malum (intellige hîc sacramenti profanationem) permittitur, in uno casu, scil. in collatione sacramenti erga indignum, ut communiter fit, aeque immediate sequitur, atque effectus malus; in casu autem altero, quem discutimus, non aeque immediate sequitur, ita ut cooperatio licita non sit. Nimirum in priore casu effectus bonus est, ut illaesa maneat fama peccatoris, et ut alia incommoda vitentur, quae cum famae laesione cohaerent, i. e. timor fundatus fidelium et aversio a sacramentorum frequentatione, quae nimis odiosa facile reddi posset. At famam illam manere illaesam, aeque immediate sequitur, ac malus effectus sacramenti profanationis: nam ex repulsa aeque immediate, imo *magis necessario* sequitur famae laesio, quam ex concessione sequitur sacramenti profanatio. Sed si nunc oculos conjicimus in eum, qui metu mortis sacerdotem cogere velit, ut sibi indigno sacramentum conferat: effectus bonus, i. e. evasio mortis seu vitae conservatio, sequitur *mediante sacramenti profanatione;* ergo non aeque immediate sequitur bonus effectus, ac malus. Quo fit, ut nunquam liceat ad hanc profanationem concurrere, sed ut potius mors, si inferatur, fortiter subeunda sit.

Scholion III. Cum indigna sacramenti collatione *fictio* seu *si-* 44
mulatio sacramenti cohaeret. Quae, utut videri alicui possit justus modus profanationis sacramenti effugiendae, licita tamen non est.

Proscriptam habemus thesin 29 ab Innoc. XI.: „Urgens metus gravis est causa sacramentorum administrationem simulandi."

In definienda autem illa simulatione seu fictione, quae ex sese et absolute illicita sit, theologi multum laborant. Suarez, afferens exemplum conferendi sacramenti sine intentione, dicit, actum *fictum* esse actum, qui externe ita ponatur, ac si omnia ad valorem requisita adsint, sed animo ficto, seu sine interna voluntate et intentione. Ita v. g. ficte contractum facit, qui verba, quibus contractus perficiatur, profert, sed voluntatem verum contractum faciendi nullatenus habet. Ita *de leg.* l. 1 c. 5 n. 7.

Simili modo Mazzotta (*de sacr. in gen.* q. II. fere in fine): „Simulare", inquit, „administrationem sacramenti dicitur, qui profert formam sacramentalem super materiam sine intentione conficiendi sacramentum." Potest tamen ‚fictio sacramenti' paulo latius sumi pro omni defectu essentiali voluntario, sed modo pro aliis imperceptibili in confectione sacramenti commisso, ita ut praeter formam sine intentione prolatam intelligatur etiam quilibet modus, quo adhibeatur materia ex occulto defectu invalida aut forma essentialiter corrumpatur, quibus fiat, ut ii, qui jus habent ad sacramenti legitimam confectionem, in errorem necessario inducantur. Velut si sacerdos fingens, sed re ipsa omittens consecrationem in Missa, hostiam non consecratam adorandam elevet, sive ficte, sive omnino non pronuntiaverit verba, sive pro materia adhibuerit rem invalidam.

Malitiam autem, quae in fictione sacramenti committitur, Mazzotta l. c. breviter explicat his verbis: „Est abusus rerum sacrarum et quaedam illusio Dei, et insuper est mentiri facto (reale mendacium) in re gravi."

Aliis verbis dici potest: fictio sacramenti est *mendacium graviter nocivum*, et est *mendacium sacrilegum*, quum ipsa re sacra, videlicet ritu sacro a Christo instituto minister sacrilege abutatur tamquam medio mendacii proferendi. In fictione Eucharistiae accedit multiplex *idololatria*.

Paulo diversa fictio committitur, si hostia non consecrata pro consecrata communicaturo porrigitur. Quae non ipsius sacramenti fictio est, attamen fictio *circa* sacramentum. Haec, si ex condicto forte fiat, deceptionem graviter damnosam erga suscipientem quidem non inducit; sed quoniam inductio ad idololatriam materialem et simulatam inest, gravissimum sacrilegium semper continet: quare ad evitandam sacrilegam Sanctae Eucharistiae sumptionem eo artificio uti nunquam licet, quia peccatum mortale unum altero *graviore* evitaretur.

Aliud esset, si ex conventione cum eo, qui se ad dignam Sanctissimae Eucharistiae susceptionem componere non posse arbitratur, sed neque sine gravis infamiae periculo prorsus abstinere vel discedere posse sibi videtur, res ita componeretur, ut sacerdos, pronuntiatis verbis „Corpus D. N. etc.“, sacram particulam non porrigeret, sed confestim in ciborium reponeret. Quae agendi ratio, si ex gravi causa fiat, in se quidem illicita dici nequit; at rarissime expediet ea uti, siquidem plerumque ne illud quidem incommodum vitabit — periculum puta diffamationis — ad quod evitandum assumitur.

45 A fictione seu simulatione sacramenti toto coelo distat ejus *dissimulatio*, seu potius sacramenti denegationis dissimulatio. Quae in absolutionis sacramentalis negotio non tantum licita, sed saepe necessaria est. Denegationem enim absolutionis aliis precibus recitatis et benedictione data tegere, nullo modo est fingere sacramentum; sed illa denegatio poenitenti quidem vix unquam, aliis autem utique occultanda est, ne sigillum sacramentale laedatur.

In matrimonio contrahendo, si gravis metus incussus est, scienter declarare consensum invalidum, potest alicui videri simulatio sacramenti. De nomine quidem nolo contendere, quamquam recte negari potest sacramenti fictionem subesse; at ita agere, sine ulla dubitatione licebit. Matrimonium enim sequitur prorsus naturam contractûs: quare quae in aliis contractibus fieri licet, ne contrahens gravem injuriam patiatur, etiam in matrimoniali contractu licita sunt. — Ceterum qui gravi metu ad matrimonium compellitur, validum consensum, quantumvis velit, dare nequit, neque id alterum fugere potest, quare in errorem invincibilem non inducitur. Nihilominus in eo casu praestat, cum restrictione non pure mentali verba proferre, quae matrimonialem consensum dubie exprimant: quo fit, ut neque contractus neque sacramentum ullo modo simuletur.

46 Appendix.

Hinc colligitur, circa sacramentorum administrationem graviter peccari praecipue in sequentibus:

1. si ex impia intentionis perversione sacramentum simulatur;
2. si voluntarie vel ex gravi negligentia materia formave mutatur, ita ut invalidum fiat sacramentum;

3. si ita producitur voluntaria distractio, ut periculum sit in valore errandi. — Communis est in his omnibus peccatis 1) malitia, quae continetur in mendaci abusu sacratissimi et divini signi, ita tamen, ut gradus hujus malitiae summus sit in 1., infimus in 3.; 2) malitia injustae deceptionis et damni aliorum. — In Eucharistia alia accedunt —;
4. si notabiliter, quamquam sine valoris periculo, receditur a forma et ritu ab Ecclesia praescripto;
5. si sine rationabili causa sacramentum iteratur — quod peccatum accedit ad malitiam *primam,* quae est in peccatis n. 1 et 2;
6. si, exsistente rationabili dubio, sacramentum conditionate non iteratur, idque pro gravitate damni aliisque circumstantiis;
7. si minister, ut consecratus minister est, sacramentum conficit in statu peccati;
8. si a sacerdote in munere constituto sine sufficienti causa subditis sacramenta denegantur;
9. si ab aliis sacerdotibus secundum regulas caritatis non succurritur iis, qui in necessitate versantur;
10. si sacramenta indignis administrantur.

Caput V.

De subjecto Sacramentorum seu de Sacramentorum susceptione.

Sacramenta, exceptâ S. Eucharistiâ, perficiuntur in aliquo subjecto, ita ut sacramentum conficere idem sit atque administrare. Ad doctrinam sacramentorum in genere complendam de subjecto sacramentorum quaedam notatu digna sunt.

§ 1.

De valida Sacramentorum susceptione.

I. Valor sacramentorum, quae in subjecto conficiuntur, eatenus 47
pendet ab homine suscipiente, ut requiratur susceptio, quae dici possit *voluntaria.*

II. Haec voluntas in homine adulto, i. e. ratione utente, *personalis* adesse debet[1]; in iis vero, qui ad usum rationis nunquam pervenerant, pro sacramentis, quorum capaces sunt, sufficit voluntas ministri, qua nomine Christi et Ecclesiae agit, ut videlicet ii, qui rationis usu nondum potiti sunt, sicut sine propria voluntate ceciderunt in Adamo primo, ita erigantur in Adamo secundo.

III. Baptismus valide susceptus praerequiritur ad valorem aliorum sacramentorum.

---

[1] Trid. sess. 6 cap. 7 dicit, justificationem fieri „per voluntariam susceptionem gratiae et donorum".

IV. Praeter ea, quae hîc sunt exposita, nihil aliud requiritur ad *valorem* eorum sacramentorum, quae pro *omnibus* hominibus instituta sunt. Conditiones pro reliquis sacramentis necessariae suo loco exponendae sunt.

48 **Plenior explicatio.** Id unum magis explicandum est, *qualis* debeat esse pro singulis sacramentis intentio seu voluntas suscipiendi sacramentum, ut valeat. Recole interim, quae dicta sunt de intentione cap. IV. § 2 n. 22 sqq.; dein nota sequentia:

1. Pro baptismo suscipiendo, ut *certa* sit collatio, requiritur intentio explicita habitualis, i. e. explicite habita, nec retractata [1].

At *probabiliter* sufficit intentio implicita scil. ea, quae habetur in omni vera contritione aut attritione. Nimirum in illa continetur propositum sincerum seu voluntas faciendi omnia ad salutem necessaria. At, ajunt, susceptio baptismi, quamquam fortasse non cognoscitur vel non cogitatur ut necessaria, re ipsa ad salutem necessaria est; ergo illa voluntas omnia necessaria faciendi videtur aliquo modo voluntatem suscipiendi baptismum implicite in se continere. Nihilominus tota res est valde dubia. Vide fusius *de baptismo* n. 77.

2. Pro confirmatione, Viatico, extrema unctione sufficit intentio implicita habitualis, vel, ut alii dicunt, interpretativa secundum ea, quae *cap. super.* explicata sunt.

Videlicet quilibet homo, qui voluit fieri membrum verae Ecclesiae per baptismum, vel qui libere in illo statu permanet, eo ipso vult etiam hujus statûs quasi naturale complementum. Complementum autem quoddam baptismi confirmatio est, qua baptizatus quasi in adulta aetate vitae supernaturalis et christianae constituitur — quam utique etiam infantes recipere possunt —. Ergo in voluntate evadendi vel manendi verum Ecclesiae membrum, quae habita aliquando est nec retractata, satis continetur — etsi implicite tantum — voluntas recipiendae confirmationis: ideoque haec intentio implicite habitualis sufficit, ut confirmatio dici possit voluntarie suscipi.

Relate ad Viaticum et extremam unctionem res non difficiliore negotio componitur. Nam voluntas christiano more moriendi includit in se voluntatem recipiendorum in articulo mortis sacramentorum Ecclesiae. Quam voluntatem quemlibet catholicum, qui christiane vixit,

---

[1] Quando autem dico intentionem *habitam nec retractatam*, non intelligo — quod etiam de aliis sacramentis valet — indubie valere sacramenta, quae utcunque post illam intentionem dormienti etc. conferantur. Valent utique in casu necessitatis, quando timendum est, ne alias homo sacramentum non amplius possit recipere, siquidem intentio recipiendi aliquando sacramenti includit prorsus voluntatem illud recipiendi in periculo mortis, quando antea intentio non fuerit impleta; sed num includat etiam voluntatem utcunque quolibet tempore absque conscientia sui sacramentum extra necessitatem recipiendi, non est plane certum. V. S. Alph. l. 6 n. 81. Quapropter si in casu occurrente extra necessitatem homini sibi non conscio sacramentum, potissimum si necessarium erat, collatum esset, ratio subesse potest sub conditione illud repetendi.

habuisse certo certius est. Ergo quum in extremis etiam solum dubium sufficiat, quilibet catholicus, quem non constat mansisse in impietate, vel qui mansit in unione Ecclesiae, jure censetur eam intentionem habuisse, quae requiritur et sufficit, ut extrema unctio et Viaticum voluntarie suscipi dicantur.

3. Pro S. Eucharistia praeter casum Viatici intentio habitualis 49
expressa requiritur: (adest autem vix non solum virtualis, sed etiam actualis). In generali nimirum voluntate christianae vitae agendae nullatenus continetur voluntas sumendae toties et tali tempore Sacrae Eucharistiae. Quum ergo in altero objecto volito haec voluntas non contineatur, relinquitur, ut separatim ipsa eliciatur. Quare adultus, cui (praeter casum Viatici) inscio S. Eucharistia daretur, eam reciperet materialiter quidem, sed non sacramentaliter, neque cum fructu.

4. Pro poenitentia requiritur virtualis intentio, si actus poenitentis respicis; habitualis sufficit, si respicis solam absolutionem accipiendam.

5. Pro ordine requiritur habitualis intentio expressa. Susceptio enim novi statûs et novi oneris nullo modo continetur in generali voluntate christianae agendae vitae aut in alia voluntate generali: ergo *explicite* in se concipienda est. Sufficit autem haec intentio habitualis, non retractata, nisi forte pro tactu instrumentorum potius ex natura rei virtualem intentionem necessariam esse dicamus (cf. S. Alph. l. 6 n. 82 et 83). Inde vero fit, ut defectus necessariae intentionis in eo, qui non coactus accedit, neque sacrilegus contrariam voluntatem fovet, vere impossibilis sit.

6. Pro matrimonio requiritur intentio saltem virtualis, idque jam ex hac sola ratione, quod contrahentes non solum recipiunt, sed etiam conficiunt contrahendo sacramentum. At qui per procuratorem contrahit, valide agit atque sacramentum recipit, si retinet intentionem habitualem.

§ 2.

De licitae et fructuosae susceptionis debita dispositione interna.

Ut licite et cum fructu sacramenta suscipiantur, a legitimo ministro peti debent, atque cum debita dispositione admitti vel sumi. De hac *primo, dein* de adeundo legitimo ministro agemus.

I. Qui *sine debita dispositione* ad sacramentum suscipiendum ac- 50
cedit atque ita culpâ sua sacramentum effectu frustrat, grave peccatum sacrilegii committit, profanando res sanctissimas, et ritum ex Christi institutione gratiae efficacem reddendo inanem et quodammodo mendacem, cum summa erga Christum injuria.

II. *Debita dispositio* ad suscipienda sacramenta *vivorum* est status gratiae: ita quidem, ut qui sibi peccati mortalis conscius est, si de S. Eucharistia suscipienda agitur, confessionem praemittere debeat, si de aliis sacramentis, saltem perfectam contritionem; imo etiam in aliis sacramentis suadendum maxime est, ut confessio antea instituatur.

III. *Debita dispositio* ad sacramenta *mortuorum* rite et cum fructu suscipienda est peccatorum commissorum retractatio saltem per supernaturalem attritionem, cum actibus fidei et spei saltem eatenus, quatenus ii actus ad veram attritionem concipiendam necessarii sunt; atque ita aut explicite aut implicite adesse debent pro diverso statu poenitentis. Cf. Trid. sess. 6 cap. 6 et sess. 14 cap. 4.

IV. Si quod sacramentum *inculpabiliter* informe mansit, *ad ejus reviviscentiam* requiri et etiam sufficere videtur ea dispositio subsequens, quae in susceptione adesse debuerat. — Ergo attritio cum suis actibus praeviis requiritur et sufficit quoad reviviscentiam baptismi, atque etiam — ut videtur — extremae unctionis. Num valere idem possit aliquando de poenitentia, infra de ea acturi dicemus. — Si vero post susceptum sacramentum informe aliquod mortale peccatum commissum est, sacramentum reviviscere nequit, nisi contritio, aut cum absolutione sacramentali attritio accesserit.

51 **Uberior explicatio.** Nota ad I. 1. Si quaeris relativam malitiae gravitatem, quae in susceptione sacramenti indigna reperitur, dici debet major, quam sacrilegium indignae administrationis, sed minor, quam fictio sacramenti; haec enim abusum magis directum continet, et insuper aliorum damnum causat.

Ad III. 1. Fides in articulos necessarios expresse et explicite exigenda est praecipue ab eo, qui nunquam veram fidem habuit, aut in peccatum contra fidem lapsus est; quodsi fides explicita requiritur, etiam actus spei expresse et explicite concipiendus est, item actus spei ab eo, qui spem amisit.

2. At ne in aliis casibus nimii simus in exigendis illis actibus praeviis fidei et spei, juvat notasse, non posse fieri, ut habeatur actus supernaturalis attritionis, quin simul expresse aliquis fidei actus adsit, etsi non cum expressa et reflexa conscientia. Quomodo enim, nisi per fidem, motivum attritionis apprehendere possum? Et quomodo aliquis sincere accedat ad confessionem, nisi speret a Deo veniam et reconciliationem? Quare si quis speciale peccatum contra fidem vel spem non commisit, inutiliter de actibus fidei et spei ad justificationem necessariis anxius inquirit: nam si satis constat, verum dolorem de peccatis adesse seu adfuisse, etiam de actibus fidei et spei, in quantum requiruntur, satis constabit. V. Reuter *theol. moral.* p. II. n. 36 *(de virtut.)* et p. IV. n. 247 *(de poenit.)*, S. Alph. l. 6 n. 439.

52 Ad IV. 1. Ad reviviscentiam sacramenti *vivorum*, etsi *inculpabiliter* informe mansit, requiri videtur status gratiae aliunde causatus, i. e. aut sola contritio, aut attritio cum sacramento, quod nunc suscipitur: solam attritionem sufficere, nulla solida ratio est asserendi.

2. Si quodcunque sacramentum *ex gravi culpa* suscipientis informe mansit, certum est, sacrilegium sic commissum fructui sacramenti tam diu obstare, donec aut contritione, aut attritione cum alio sacramento (absolutione) deleatur.

3. Sola igitur attritio non sufficit, ut reviviscat sacramentum in sequentibus:

1) si *quodlibet* sacramentum informe fuit propter *sacrilegam* susceptionem;

2) si *post* quodlibet sacramentum informe *mortale* peccatum commissum est;

3) si sacramentum aliquod *vivorum* (excepta, ut videtur, extrema unctione) utcunque informe mansit, etiam inculpabiliter.

§ 3.

De licitae susceptionis conditione externa seu de ministro digno adeundo.

Ad debitam dispositionem ipsam aliquo modo pertinet, ut sacra- 53
menta a legitimo et digno ministro petantur. Verum, quum id dispositionem subjecti *per se* non attingat, separatim hac de re pauca dicam.

Generalis ratio, cur prohibeamur, quominus ab indigno ministro sacramenta petamus, *cooperatio* est ad hujus indigni ministri peccatum, quod ministrando sacramentum commissurus est, seu *invitatio* ad id, quod ille sine peccato praestiturus non est. — Aliquando *accedere* possunt aliae rationes scandali, periculi.

Indignus autem sacramenti minister aut est propter statum peccati, in quo eum versari scitur, aut propter censuram aliquam ecclesiasticam, v. g. excommunicationem, qua sacramentorum administratio ei interdicitur. Nam de cetero cum legitimam facultatem et jurisdictionem habere, hîc supponimus. Porro pro diversis impedimentis ministri diversam normam statuere debemus:

I. Si agitur de sacerdote peccatore *censurâ non ligato,* res, quae ab ipso petitur, si eum sacramenti causa adeo, non illa est, quam sine peccato praestare non possit (— potest nimirum, si vult, perfecta contritione elicita, sibi sacramenti administrationem plene licitam reddere); at verisimiliter praevidetur, eum revera peccaturum esse.

Quare sine causa quidem non licet ab eo petere; sed si desideranti sacramentum secus incommodum *aliquo modo* notabile oriturum est, neque ipse id leviter fert, v. g. si diutius cariturus est absolutione, aut S. Eucharistiae usu, sine ullo scrupulo sacerdotem indignum adire, eumque suae conscientiae relinquere potest.

II. Si agitur de sacerdote *censurâ ligato, sed non publice:* nihil mutandum est eorum, quae n. I. dicta sunt. Nam excommunicatus toleratus, si a fidelibus rogatur, per excommunicationem non impeditur, quominus sacramenta administret. Quare solum ratio habenda est statûs peccati, ex quo, ut dictum est, minister ipse se eripere potest.

III. Si vero de *„vitando“* agitur, vel de sacerdote *publice haeretico vel schismatico,* non solum status peccati, sed ipsa censura obstat, quominus aut sacerdos administrare, aut fideles ab ipso petere possint sacramenta. Illa enim communicatio in sacris graviter prohibetur, *excepto casu necessitatis in mortis articulo.* — Insuper si de sacerdote publice haeretico vel schismatico agitur, habenda est ratio scandali, et proprii periculi eo quod ejusmodi homo facile tentare possit, ut poenitentem ad suam sectam pertrahat, et aliis fidelibus illa cum tali viro communicatio facile videri possit falsae sectae professio.

Quae rationes accessoriae, quas postremo loco tetigi, videntur suo tempore aliquos praesules movisse (ut in perturbatione illa in Germania per antiquo-catholicos vel potius neo-protestantes Vaticanum Concilium respuentes inducta), ut communicationem cum sacerdote neo-protestanti fidelibus etiam in necessitate articuli mortis interdicerent. Ceterum si et scandalum removetur, et periculum perversionis praecavetur (id quod certe fieri potest; imo scandalum cessabit, si fideles dedocentur): susceptio sacramenti per ministerium sacerdotis etiam „vitandi", alio deficiente, in articulo mortis non debet haberi illicita. Ita ex SS. Pontificum et communi theologorum sententia: cf. S. Alph. l. 6. n. 560, ubi clare dicitur, Innocentium XI praecepisse, non amplius dubitandum esse de veritate affirmativae sententiae (sc. quae docet, licere a sacerdote vitando in illis circumstantiis sacramenta necessaria recipere). Cf. etiam S. Alph. in q. 19 *inter quaest. recentius reformatas,* Suarez *de censur.* disp. 11. sect. 1 n. 14—16.

54 Pro hujus quaestionis dilucidatione non abs re est subjicere responsa quaedam, quae occasione perturbationis Gallicae a Pio VI. datae sunt 28. Maji 1793 (v. Scavini ed. 10 t. IV n. 415):

1. Licitum non esse adire presbyterum juratum (sc. agebatur de sacerdotibus intrusis, qui juramentum in constitutionem civilem cleri Gallicani emiserant) pro sacramento baptismatis, nisi in casu extremae necessitatis, in quo non sit alius valens baptizare.

2. Non posse fideles adire parochum intrusum pro contrahendo matrimonio; unde si non suppetat medium habendi presbyterum catholicum facultatibus opportunis ad hoc instructum, fideles debere contrahere sine praesentia proprii pastoris (coram aliis testibus).

3. Fideles *posse* in articulo vel periculo mortis sacramentum poenitentiae recipere a sacerdotibus juratis et etiam a parochis intrusis, deficiente quovis alio sacerdote catholico.

4. Fidelibus vetitum esse assistere etiam diebus Dominicis et festivis sacrificio Missae aliisque officiis celebratis a presbytero seu parocho jurato, neque licere aliis ejus functionibus interesse, vel ab eo officia ministerii petere, neque officio patrini fungi, si casu intrusus baptismum ministret.

5. Licere sacerdoti catholico non jejuno hostias consecratas a sacerdotibus catholicis consumere, ne in manus veniant intrusi, si aliter reverenter conservari nequeant.

Tandem licere fidelibus genua flectere coram hostiis consecratis ab intrusis; sed ne hujusmodi cultui praestando immiscere se videantur catholici cum schismaticis, curandum iisdem catholicis, ut occasiones declinent occursûs schismaticorum, quum Sacramentum deferant.

Appendix.

Circa sacramentorum susceptionem igitur graviter peccant praecipue:

1. qui scienter suscipiunt sacramenta mortuorum sine attritione aliisque actibus praeviis;
2. qui scienter suscipiunt sacramenta vivorum, antequam restituti fuerint in statum gratiae;
3. qui suscipiunt sacramenta a ministro indigno sine causa excusante plus minusve gravi, prout major minorve est ministri indignitas.

Tractatus II.

De Baptismo.

S. Thom. III. q. 66—71 incl., S. Alph. l. 6 n. 94—160, Tambur. *theol. mor.* t. 2 l. 2 etc.; ex recentioribus de iis, quae ad praxim baptismi pertinent, erudite et copiose scripsit Gassner l. c. c. 13.

Caput I.

De essentia et natura Baptismi.

„Primum omnium sacramentorum locum" — utor verbis Eugenii IV 55
in *Instructione ad Armenos* — „tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiae. Et quum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua et Spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum coelorum introire."

Brevem definitionem tradit Catech. Rom.: „Baptismus est sacramentum regenerationis per aquam in verbo", seu: Sacramentum, quo per ablutionem et certa verba homo a peccato mundatur et filius Dei adoptivus evadit. S. Paulus ad Ephes. 5, 26 illum vocat „lavacrum aquae in verbo vitae" et Tit. 3, 5 „lavacrum regenerationis Spiritûs Sancti."

Quare ut quid sit baptismus intelligatur, explicandum fusius est: 1. quae sit illa gratia seu ille supernaturalis effectus, cujus est signum efficax; 2. quale debeat esse signum, seu quae materia et forma, ut illius gratiae ex Christi institutione evadat efficax.

§ 1.

De gratia et effectu Sacramenti Baptismi.

I. Effectus baptismi brevi hac voce *regenerationis supernaturalis* continetur.

II. Plenius autem hanc regenerationem explicant hi insignes effectus:

1. *Impressio characteris,* quo fit 1) ut baptizatus sit membrum Ecclesiae visibilis et capax reliquorum sacramentorum, quae Christus Ecclesiae suae reliquit; 2) ut baptismus iterari nequeat. Cf. supra Eug. IV et Trid. sess. 7 can. 9.

2. *Deletio peccati* originalis et peccatorum personalium, si qua commissa sunt, per infusionem gratiae sanctificantis et divinam filiationem adoptivam. V. Trid. sess. 5 can. 5 et sess. 6. cap. 4.

3. *Remissio omnis reatûs poenae,* etiam temporalis. *Instr. ad Armenos:* „Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur." Denzinger *enchir.* n. 591.

4. *Jus* quoddam speciale *ad auxilia actualis gratiae,* quibus adjutus homo vitam christianam agere possit. Cf. Trid. sess. 6 cap. 11 et can. 18.

III. Baptismus est sacramentum necessitate medii necessarium ad salutem: ita tamen, ut haec necessitas medii in adultis baptismo Flaminis, qui vocatur, et baptismo sanguinis seu martyrio suppleri possit, in infantibus in solo casu martyrii suppleatur. Trid. sess. 6 can. 4: „Quae translatio (i. e. in statum gratiae) post evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest" et sess. 7 can. 5 *de bapt.* Quod colligitur ex verbis Christi Joan. 3, 5: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei."

56 **Uberior explicatio:** Ad I. nota: Sicut generatione homo constituitur membrum humani generis et filius Adami, non solum quatenus physice ab Adamo descendit, sed etiam quatenus sub Adamo *ut morali generis humani capite* constituitur, originali peccato infectus: ita regeneratione per sacramentum baptismi sub morali capite novo, Christo, secundo Adamo, constituitur, atque Christi corpori morali seu mystico ut membrum coadunatur.

Corpus illud Christi morale 1) est Ecclesia visibilis in hac terra; sed 2) sensu aliquatenus ampliore, aliquatenus strictiore intelligitur de omnibus sive vivis sive defunctis, qui per gratiam et caritatem sive consummatam sive nondum consummatam Christo conjuncti sunt.

Ad II. 1. Charactere baptismali homo imperfecte constituitur membrum Christi.

Videlicet character ille est nota indelebilis animae impressa seu spiritualis quaedam transformatio, qua, qui naturali formatione homo est, sit et indelebiliter maneat christianus, Christo quasi novo quodam jure consignatus atque in ejus dominium transscriptus; verum non in dominium servile, sed filiale, vi cujus particeps fit vel fieri possit omnium Christi bonorum, ut Ejus frater et membrum, et cum Christo capite ad divinum cultum divinamque gloriam speciali modo deputatus atque consecratus. Cf. S. Thom. III. q. 63 in omnibus art.

Ille autem effectus est solummodo inchoatio quaedam transformationis et regenerationis, quam baptismus perficit, ut S. Thom. l. c. art. 4 ad 1 innuit, et Suarez disp. 11 sect. 1 in fine (in III. p. S. Thom.) aperte docet, „prius natura" inquiens „datur character, quam gratia sacramentalis".

2. Formaliter igitur perficitur illa regeneratio per gratiam sanctificantem, qua homo ex inimico fit amicus Dei, haeres regni coelestis, filius Dei adoptivus, ut colligere licet ex Ephes. 5, 26 etc.; 2 Petr. 1, 4; 1 Joan. 3, 1. Quae sanctificatio omnem culpam coram Deo aditum supernaturalis beatitudinis excludentem delet, sed ita delet, ut simul hominem interne renovet atque quodammodo deificet. (Cf. S. Greg. Nyss. *serm. in diem lum.* Migne, PP. gr. tom. 46 p. 580.)

3. Regeneratio in baptismo ex plena Dei bonitate et misericordia efficitur; quare perfectum quiddam et absolutum habet. Reconciliatio

non fit, ut in sacramento poenitentiae, per misericordiam cum justitia conjunctam. Hinc est, ut et culpae et poenae plena fiat remissio. Nihilominus quia neque poena remittitur sine remissione culpae, neque ulla culpa venialis sine aliqua illius retractatione remittitur, in adultorum baptismo facile accidere potest, ut *non omnis* culpa et poena remittatur, siquidem alicujus venialis peccati affectio facile in catechumeno haerere potest. Attamen quum primum postea culpa retractata fuerit, et haec et omnis poena illi debita exstinguetur.

4. Jus ad speciales gratias actuales ipsam sanctificationem sive *per* 57
sive *extra* sacramentum acquisitam consequitur, sed abundantius obtinetur, quando *per sacramentum* sanctificatio effecta aut aucta est. Haec enim specialis auxilii collatio ratio praecipua est, cur Christus plura atque diversa sacramenta instituerit; ejusque auxilii quasi jus ex baptismo oriri eo ipso patet, si animum convertimus ad conditionem filii Dei, quam per baptismum homo consequitur. Deus enim id sibi debet, ut quos tamquam filios suscepit, speciali protectione prosequatur.

Ad III. 1. Necessitas baptismi, praeterquam ex doctrina Christi ipsius, praecipue elucet ex summa cura, quam Ecclesia a primis saeculis impendit, ne ullus infans sine baptismo decederet, atque ex doctrina Patrum, qua haereticos illos, qui peccatum originale negantes infantium baptismum negligebant, impios et crudeles in parvulos vocaverunt, vid. impia sua haeresi et incuria eos re ipsa a beatitudine deturbantes.

2. Neque infantibus, qui propriis actibus sese juvare nondum possunt, aliud remedium salutis relinquitur, nisi tamen etiam ipsi in odium fidei necem patiantur. Constans est enim doctrina et praxis Ecclesiae, quae etiam tales parvulos ut veros martyres supernaturalisque beatitudinis consortes colit atque veneratur. — Pro iis autem, qui usum rationis adepti sunt, quamquam baptismus medium est a Christo institutum, nihilominus perfectae caritatis actus id semper operatur, ut gratiam sanctificantem divinumque amorem conciliet: quare dubium minime est, quin ii, qui baptizari non possint, etiam sine baptismo salvari *possint* per actum perfectae caritatis et contritionis.

Quoniam autem ille actus perfectae caritatis et contritionis a Deo acceptatur ut relatus ad sacramentum baptismi, quod — si fieri potest — postea suscipiendum est: ille actus tunc vocatur baptismus Flaminis, i. e. Spiritûs Sancti, quia regeneratio illa fit sine aqua ex *solo Spiritu Sancto.*

3. Verum id discriminis inter sacramentum baptismi et inter baptismum sanguinis et baptismum Flaminis intercedit: 1) quod solum baptismi sacramentum reddat hominem aliorum sacramentorum capacem; 2) baptismus Flaminis non semper deleat omnem reatum poenae: sed id tantum obtineat, si tantam intensitatis vim habuerit, ut ipse ille actus poenis alioqui sustinendis aequivaleat; 3) baptismus autem sanguinis secundum theologos hanc praerogativam habet, ut id omne homini conciliet, quod requiritur, ut et culpae et poenae omnis remissionem accipiat. Quare sive actus perfectus caritatis et contritionis necessarius est, sive attritio martyri sufficit, ut peccati fortasse commissi remissionem obtineat: id dubium esse non debet,

quin Deus propter promissionem suam certo curaturus sit, ut qui vere martyrium subeat, hos necessarios actus, antequam plane sit extra statum viae, eliciat. Fusius vide haec omnia apud theologos dogmaticos tractata.

§ 2.

De materia Baptismi.

A. Materia remota.

58 I. Materia valida baptismi est sola et quaelibet *aqua naturalis:* v. Joan. 3, 5; Trid. sess. 7 *de bapt.* can. 2; Florent. *instruct. ad Arm.* (Denz. n. 591).

II. Materia, ut licita sit, in baptismo solemni debet esse *sub gravi* aqua *consecrata* decenter munda. In baptismo privato convenit quidem, etiam a laico adhiberi aquam *lustralem,* si ad manus est; peccatum autem non videtur esse, si sive a laico, sive a sacerdote adhibetur quaelibet aqua simpliciter naturalis. Cf. S. Alph. l. 6 n. 102, 3.

Uberior Explicatio. Ad I: *Valida materia* est 1) aqua, sive ex puteis, sive ex fluminibus, ex lacu, palude hausta;

2) aqua ex pluvia, rore, nebulis etc. collecta;

3) aqua mineralis, ferruginea, turbida etc., siquidem heterogenei elementi admixtio adeo parva naturam aquae non transmutat: idem igitur dic, si omnino parva pars alterius liquoris in aquam injecta, vel sat parva copia sacchari vel salis aquae admixta sit;

4) aqua ex nive, grandine, glacie soluta et in statum liquidum redacta; ex vapore iterum condensata, vel destillatione ab elementis tantum extraneis depurgata.

59 *Invalida materia* est 1) lac, sanguis, vinum — nam etsi multa ex parte elementa chimica aquae adsint, nemo tamen ejusmodi materiam vere aquam vocat (S. Alph. l. 6 n. 103);

2) humores humani corporis, ut sudor, sputum, urina: S. Alph. ib.;

3) jus, cerevisia, aliique potus caffei, thei: si in magna copia aliena materia aquae admixta est; similiter lutum, atramentum (attamen haec omnia facillime materia *dubie valida* evadent). V. S. Alph. ib. n. 103 III.

Dubia materia est 1) jusculum, cerevisia reliquique potus valde tenues, seu qui ex parva copia alienae materiae confecti sunt; simili modo lixivium (imo facilius seu probabilius in eo valide baptizatur, quam in cerevisia vel caffeo). S. Alph. n. 103. — Haec omnia igitur in defectu materiae certae in summa necessitate adhibenda sunt sub conditione, etsi iterandus conditionate baptismus est quam primum, si tempus et materia certior suppetat. — Similiter dubia materia est

2) succus plantarum (quamquam valor non est multum probabilis, de quo cf. Gobat tr. 2 n. 16 et Tanner tom. IV. disp. 4 q. 1 n. 41); probabilior paulo erit humor fluens ex vite aliisve plantis (S. Alph.

l. c. n. 104 dub. 3), aqua ex sale soluta, aqua cum notabili non tamen praedominante quantitate alieni liquoris permixta;

3) aqua artificialis, si praeter veram aquam aliena elementa notabiliter continet: S. Alph. l. c.

4) glacies, nix etc. nondum resoluta (scil. si frons baptizandi glacie perfricaretur). At vix possibile est, ut necessitas utendi *hac* dubia materia unquam adsit: si enim calore manus resolvas paululum nivis vel glaciei, habeas materiam *certam.*

Ad II. De *licita* materia id praecipue addendum est, quod Ecclesia 60
praescripsit circa benedictionem fontis.

1. Aqua baptismalis sive fons baptismalis bis in anno consecrari debet, veteri aqua in sacrarium dimissa, i. e. Sabbato sancto et in vigilia Pentecostes; imo etiam alio tempore (scil. secundum formulam in Rituali Romano descriptam), si aqua aut plane defecerit aut foeculenta evaserit. Haec vero consecratio facienda est cum oleis recenter, i. e. fer. V. in Coena Domini ejusdem anni, consecratis, si haberi possunt. Si vero tam cito afferri non potuerint: benedictio fontis peragenda est in vigilia Pentecostes cum oleis novis; Sabbato sancto cum veteribus, saltem si quis baptizandus occurrat. Quodsi baptizandus non occurrat, Sabb. s°. *„benedicat fontem sine sacrorum oleorum infusione, quae privatim opportuno tempore fiet“:* ita S. R. C. decr. 31. Jan. 1896 in *Anneciensi* (in *Decr. authentic.* n. 3879). Hoc modo S. R. C. moderavit nunc decreta in *Oriolen.* et in *Cadurc.* (Gard. n. 4820 et 5294) eaque aliquatenus conciliavit cum decr. in *Lucana* (Gard. 4252).

2. Si aqua consecrata foeculenta evaserit, neque nova consecrari vel e vicinia recipi possit: haec aqua foeculenta non est adhibenda, sed potius aqua non consecrata, praesertim si benedicta (i. e. lustralis) sit. Ita *S. Congr. de Prop. fide in Tonkin.* 1806 et *S. Offic.* 17. Apr. fer. IV. 1839.

3. Si timor est, ne aqua consecrata deficiat, licet in minore quantitate aquam naturalem admisceri.

4. Sine necessitate adhibere aquam valde impuram, a peccato gravi immune non est. S. Alph. n. 102, Gury n. 236.

5. Quamquam peccatum non esse constat, in baptismo privato uti aquâ non consecratâ vel non benedictâ: tamen quando sacerdos in necessitate domi baptizat infantem simul cum caerimoniis baptismum subsequentibus, quae baptismum efficiunt non omnino privatum, videtur omnino adhibenda esse aqua consecrata, si praesto est. — Ceterum in aliis baptismis consule etiam leges dioecesanas. Imo in Anglia pro conditionato baptismo eorum, qui ab haeresi ad fidem catholicam redeunt, praescribitur usus aquae simpliciter lustralis hisce verbis: „Hujusmodi baptismus non fiat publice, sed omnino privatim, cum aqua lustrali et absque caeremoniis.“ Concil. Westmon. I. c. XVI. n. 8, v. Coll. Lac. t. III. col. 929.

B. Materia proxima.

I. Materia proxima est ea aquae applicatio, qua vere fiat hominis 61
ablutio; haec enim spiritualiter efficienda est, ac proin corporaliter seu externo signo exhibenda.

II. Certissimum est, baptismum valide conferri sive immersione sive infusione, sive aspersione, modo tamen vera fiat ablutio.

III. Attamen quoad liceitatem non licet mutare ritum Ecclesiae vigentem: quare nunc immersio non est adhibenda, nisi est legitimus usus particularis ecclesiae; aspersio autem, utpote nimis facile valorem in dubium adducens, nullibi in usu est. Quare communiter *infusio* fiat oportet, eaque in baptismo solemni *trina*[1].

IV. Ut vero sine ulla controversia baptismus valeat, aqua ita applicanda est, ut 1) aliquo modo fluat seu successivo motu tangat baptizandum; ut 2) tangat caput ejusque cutem, non capillos tantum; ut 3) tangat baptizandum jam ex parte saltem natum seu ex utero egressum, de quo cf. infra n. 74 et 76.

Explicatio. Operae pretium est, praecipue n. IV. paulo magis explicare atque varios casus attingere, in quibus acciderit, ut non exacte omnia servata fuerint, quo appareat, quandonam qualisque obligatio exsistat propter aliquale dubium circa materiam proximam exortum baptismum conditionate repetendi. Mirum est, quantum scriptores paulo antiquiores hac in re inter se dissideant, aliis baptismum certo modo collatum pro dubio habentibus, aliis pro ita securo, ut ne sub conditione quidem repetendus sit. Quare cum magna cautela eorum opiniones suscipiendae sunt, ne quid forte dubii in sacramento adeo necessario incauti relinquamus. Neque tamen puto quamlibet dubitatiunculam ab uno alterove scriptore excitatam adeo considerandam esse, ut propterea hujus sacramenti etsi summe necessarii repetitio conditionata sub gravi obligatione praescribatur. Nam doctrina, quam tradit Lugo, vera est, in ipsis sacramentis necessariis dubium adeo improbabile esse posse, ut liceitas quidem conditionatae repetitionis danda, neganda tamen obligatio sit (*Resp. moral.* l. 1 dub. 33 n. 3): quamquam haec ipsa doctrina non est laxius sumenda, sed plerumque repetitio saltem consulenda et enixe suadenda. Cf. supra n. 18.

62 1. Si una alterave gutta tantum tetigerit infantem, praesertim si non fluxerit (imo Tamb. *de baptismo* cap. 1 § 3 n. 21 addit „etiamsi successive corpus tangat"), baptismus manet *dubius* (S. Alph. l. c. n. 107 Q. VI. cum multis auctoribus).

Etsi quando motu digiti bene madefacti minister aquam per se immotam in baptizando haerentem diffundat atque ita partem corporis (capitis) abluat, videtur baptismus satis certus esse (cf. S. Alph. l. c.): tamen baptismos paulo aliter collatos *„per modum unctionis in fronte cum pollice in aqua baptismali madefacto"* S. Officium d. d. 14. Dec. 1898 *jussit repeti sub conditione:* v. *Anal. eccl.* VII, 61. Collet etiam de priore modo dubitat: v. S. Alph. l. c. Quare qui dubitans sub conditione iterat baptismum in similibus casibus, non videtur facile peccati damnandus esse, ne tum quidem, quando multorum theologorum sententia est, baptismum satis esse certum.

2. Si alia pars praeter caput aquâ abluta sit, dubius ac sub conditione *omnino repetendus est* baptismus, si in membro minus principali

[1] Antiqua praxis baptizandi erat in Ecclesia tum occidentali, tum orientali per immersionem, quae etiamnunc in solemni baptismo apud Graecos in usu est. In latina Ecclesia autem a 13. sacculo baptismi per infusionem conferendi usus invaluit atque paulatim evasit praeceptus. Cf. Binterim *Denkwürdigkeiten* vol. 1 p. 1 pag. 106 et 109. — Quod autem aliquae sectae protestantium per levem aspersionem baptizare consueverunt, eorum baptismum merito dubium reddit. V. Gassner l. c. pag. 109.

ablutio facta sit (S. Alph. n. 107 Q. III.); si vero in scapulis, pectore, collo, humeris facta sit ablutio, „propter aliquale dubium ad majorem cautelam *licite poterit* repeti“ baptismus (S. Alph. l. c. Q. IV.), imo id saltem *prorsus suadendum* est [cf. etiam Rit. Rom. quod indiscriminatim dicit de infante nondum plene nato et periclitante: „si aliud membrum (quam caput) emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; et tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus“]; num vero gravis obligatio etiamtum conditionate repetendi baptismum adsit, dubitari potest, quum tot auctores baptismum validum et satis certum et indubitatum esse dicant: (v. Busenb., Suarez disp. 20 sect. 2, Tanner q. 1 n. 60 et q. 2 n. 114 etc.).

3. Si crines tantum abluti sint, baptismus utpote *dubius* sub conditione *repeti debet,* quidquid aliqui auctores contra dixerint (S. Alph. l. c. n. 107 Q. III.); quare monitum non spernendum in aliquibus Ritualibus habetur, ut minister manu sinistra capillos dividat et discriminet, si in vertice vel occipite baptismum conferre vult; melius tamen omnis dubitandi causa tollitur, si *in fronte* baptismus confertur.

4. Si quis non infuderit aquam, sed infantem tenuerit et aquae profluenti, ut stillicidio, supposuerit simul proferendo formam, communis sententia, cui adstipulatur S. Alph. l. c. n. 106 fere in initio, docet baptismum *valere* certo; quare, utut Tamb. l. c. n. 17 dubium movet, nulla obligatio iterandi exsistit.

Aliud prorsus est, si humana ope, i. e. alterius ope, aqua fluat, alter vero infantem aquae *sic* fluenti submittat: nam tum aut invalidus, aut saltem dubius est baptismus.

5. Aliquatenus dubius etiam censetur baptismus, si quis projicitur in flumen vel puteum, dum, qui projicit, pronuntiat verba formae cum vera baptizandi intentione: nonnulli enim scriptores cum Soto et Toleto putant, praeter immersionem *etiam emersionem ex aqua* a baptizante esse efficiendam. Cf. S. Alph. l. c. — At certe modus ille videtur saltem probabilis esse quoad valorem, modo cura habeatur absolvendi formam, antequam violenta illa projectio forte mortem causaverit; quamquam communiter illicitus est, utpote actus homicidii. Sed si ille modus baptizandi solus possibilis esset, atque baptizandus (infans) non solum in periculo utcunque sine baptismo pereundi versaretur, sed vere jamjam moriturus esset, non videtur illa actio illicita, ex qua sequitur *aeque immediate* et baptismi vere sat probabilis collatio et aliqualis corporalis mortis acceleratio (v. Reuter *theol. mor.* p. IV. n. 89, 6 cum Suar. et aliis et Lacroix l. 6 p. 1 n. 264), sicuti communi sententia potest, imo debet puer mox moriturus baptizari aquâ omnino frigidâ, si alia haberi nequeat, etsi ex ejus contactu mors acceleretur. Consentit Palmieri in Baller. *Op. mor.* tr. 10 s. 2 n. 20. Cf. S. Alph. l. c. n. 106 in fine.

§ 3.

De forma Baptismi.

Ante omnia applica ea, quae n. 10—15 supra de forma sacra- 63
mentorum in genere dicta sunt. De cetero baptismi forma necessaria est haec: „Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti“,

aut, ut Graeci baptizant, „baptizatur servus Christi N. in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti“, siquidem illud „baptizatur“ actionem assertive pronuntiat, ita ut idem sit ac: „per me seu meum ministerium baptizare.“

Porro percurrere juvat singulas voces, ut de earum necessitate atque de defectibus in earum omissione vel mutatione committendis rectum judicium feratur.

1. „Ego“ in lingua latina essentiale non est; aliud est in lingua vernac., gall., germ., anglica etc.

2. „Te“ essentiale est, ita ut aut formaliter aut aequivalenter (ut in graeca forma) exprimatur: quare in ejus locum „vos“ (sensu pluralis majestatis) vel nomen proprium N. N. substituere, defectus *essentialis non est.*

3. „Baptizo“ vox omnino essentialis est. Substituere aliud verbum, quod exprimit notionem „abluendi, lavandi“ non facit invalidum baptismum, modo adsit omnino intentio sacrae ablutionis seu sacramenti faciendi (S. Alph. n. 109. 2).

a) In vernacula lingua convenit, quantum fieri potest, illud verbum „baptizandi“ retinere, quia ut Suarez disp. 21 sect. 2 n. 2 dicit, *securius* est, nisi forte habeas, ut in germanica lingua, vocem, quae et nativa sua vi abluendi actum designat et usu consecrata sit ad *sacram* ablutionem exprimendam, ut „taufen“.

b) Si vero aliae etiam voces in usu communi sunt pro baptismo, videndum est, num forte *effectum baptismi* potius quam *actionem* notione sua exprimant: quod si obtinet, consultum est a tali voce in formula baptismi abstinere, ne dubium de valore oriatur. — Exemplum praebet Tamb. *de bapt.* § 5 n. 51 sqq. dicens, in lingua sicula usum fuisse, exprimendi collationem baptismi necessitatis et privati per verbum „ingravattare“, quam vocem illum sensum privati baptismi in necessitate collati exclusive habere dicunt. Quaedam igitur obstetrix, ait, usa erat per inscitiam hac forma: „Io t' ingravatto in nome del Padre etc.“ Postea dubium et consultatio de valore exorta est, multis affirmantibus, multis negantibus, *contendentibus tamen omnibus, debere sub conditione infantem iterum baptizari,* siquidem illa vox non satis determinate abluendi actionem, sed complexum actionum in illis angustiis et illa repentina necessitate consuetarum exprimere videretur.

Quare si iisdem fere principiis utamur circa vocem anglicam „to christen“, quam promiscue quidem cum voce „to baptize“ de baptismo usurpant, facile aliquid dubii circa legitimum valorem formae „I christen thee etc.“ excitari potest, quamquam multo probabilius illam formam validam esse dixerim. Communis autem usus fert, ut in formula baptismi dicant: „I baptize thee etc.“ — Debere autem praesentem actionem, quae fit, exprimi, habemus tum ex natura rei, tum ex continuo usu Ecclesiae.

64 4. Vox „in nomine“ est essentialis. Quare a) vox „in nominibus“ *non valet* ut forma;

b) loco „nomine“ dicere „auctoritate“, dubium reddit baptismum;

c) omissio „in“ etiam aliquod dubium circa valorem excitat[1];

d) „cum nomine“ *sine mala intentione dictum*, S. Congr. C. et S. Offic. pluries dixit, *non obstare valori:* v. 16. Aug. 1828, item 23. Maji 1720, 24. Maji 1723. V. thes. resolut. S. C. C. tom. 83 pag. 136.

Idem puto dicendum, si quis „in nomen“ dixerit, seu ut alicubi volunt in Hollandia „op den naam“ (εἰς τὸ ὄνομα), etsi haeretica mente putent, Ecclesiam catholicam a recta formula deviasse, modo absolute intendant, formulam a Christo et ab Apostolis traditam adhibere; nam haec versio plane congruit cum verbis in sacra Scriptura traditis.

5. „Patris etc.“ — Tres igitur Personae singillatim exprimendae sunt, idque vocibus communibus et usitatis. Quare

a) „in nomine Genitoris, et Geniti et Procedentis ab utroque“ — faceret baptismum *aliquatenus dubium:* S. Alph. l. c.;

b) „in nomine Patris et Jesu Christi et Spiritûs Sancti“ est expressio *non satis certa;*

c) „in nomine SS. Trinitatis“, omissis nominibus singularum personarum, est forma *omnino dubia.*

d) „Ego baptizo te in nomine Christi“ — est forma *invalida.*

6) Omissa vocula „et“, si bis omittitur, aliqui putant dubium reddi baptismum: at si secundo loco ponitur, ante Spiritum Sanctum, non videtur dubitandum esse de valore baptismi, quum non semel tum a S. Congr. C., tum a S. Offic. in tali casu decisum sit „pueros, de quibus agitur, fuisse valide baptizatos, ideoque non esse baptizandos neque sub conditione“. Cf. Resol. S. Congr. C. l. c. tom. 83 et 12. Sept. 1801 *in Faesul.*[2]

---

[1] Quamquam ex consultatione in causa *Faesul.* 12. Sept. 1801 id effici videtur, ut validus censeatur baptismus *sine prava mente* collatus sub forma italica: „Io ti battezo nnome del Padre etc.“: id tamen consultor arguit ex usu linguae italae vel etruscae, quo consueverunt saepe supprimere litteram „I“ ante M et N, ita ut 'n nome del Padre omnino sit „in nome etc.“: quare minime constat, etiam in latina aliave lingua suppressionem vocis „in“ certo non obstare valori.

[2] Scavini t. 3 n. 252 refert, a S. C. C. 12. Maji 1753 *in Cenetensi* declaratum esse dubium baptismum ex inscitia collatum sub forma „Mi te abattezzo in nome del Padre, e del Figliuolo, dello Spirito Santo“ tum propter corruptam vocem „abattezzo“, tum propter omissam vocem „et“ ante Spiritum Sanctum. Verum in *thesauro resolut.* nihil habetur. Episcopus quidem Cenet. *ob illas rationes,* ut ipse refert, jussit sub conditione iterari baptismum. At relatione facta ad S. Congr. C., EE. Patres decreverunt „scribatur juxta mentem“, neque exhibetur eorum decretum. Porro 12. Sept. 1801 *in Faesul.* consultor refert, *in Cenet.* illum baptismum declaratum esse „non esse iterandum nequidem sub conditione“; idem *in Forosempron.* 24. Maji 1823 refertur: „validum fuisse baptismum (ex solo errore et inscitia) hisce verbis collatum: ‚Mi te abbattezzo in nome del Padre e del Figliuolo, dello Spirito Santo‘ respondit haec S. Congr. *in Cenet.* 12. Maji 1753.“ Quid autem sibi voluerit illud „juxta mentem“, videtur constare ex ipsa hac ultima causa, in qua additur: „Haec autem S. Congr. in citata *Cenet.* Episcopo mandavit, ut suae dioecesis obstetrices de recte proferenda baptismi forma in casu necessitatis, praevio examine, curet edoceri,

7. Si repetitur: in nomine Patris, et in nomine Filii etc., Bonacina censet baptismum non esse validum; S. Alph., quamquam probabilius eum validum esse dicit, tamen formulam esse non satis tutam, sed aliquatenus dubiam, eo quod unio personarum distinctarum in una divinitate non satis exprimatur.

8. Additio haeretica vel erronea mente facta facile dubiam vel etiam certo invalidam reddere formam potest, ut

a) si quis dicat: „. . . in nomine Patris majoris“;

b) at si sensus non corrumpitur, neque voces aptae sunt ad exprimendum sensum corruptum, additio non inficiet valorem, ut si quis dicat: „in nomine Patris ingeniti, et Filii unigeniti, et Sp. S. ab utroque procedentis“, vel similia.

c) „In nomine Dei Patris et Dei Filii et Dei Sp. S.“, putat Gury (casus II. n. 191) baptismum dubium esse; at vere puto id sine causa fieri, nisi quis voluerit exprimere tres Deos: nam si bona fide et recto sensu profertur, habes formulam in aliquibus regionibus consuetam, quam cum signo crucis exprimunt, et qua eandem trium personarum deitatem quam maxime efferre volunt (cf. Gobat tr. 2 n. 721); at quum a formula Ecclesiae discrepet, sine peccato adhiberi nequit.

Caput II.

De ministro et modo conferendi Baptismi.

§ 1.

Munus ministri.

65 I. Minister ordinarius, qui solus extra casum necessitatis jus baptizandi habet, est Episcopus vel parochus quoad incolas sui territorii, ita ut, qui eorum jus laedant, per se graviter peccent. Rit. Rom. tit. 2 cp. 1 n. 12; S. Alph. n. 115 cum communi sent.

II. Quilibet sacerdos est vi ordinationis suae minister ordinarius baptismi eo sensu, ut a competente pastore animarum semper licentiam baptizandi, idque solemniter, accipere possit. Ib.

III. Diaconus solemnis baptismi minister extraordinarius est eo sensu, ut in casu mediocris *necessitatis*, si *delegatus* fuerit a sacerdote, possit baptizare. — Ergo et delegatio requiritur et casus mediocris necessitatis. Cf. c. 19 D. IV. *de consecr.*

IV. Minister extraordinarius relate ad baptismum necessitatis privatim conferendum est quilibet homo usu rationis pollens: valide baptis-

---

cisque hujusmodi exercitium inhibeat, nisi circa eandem formam optime instructae et approbatae fuerint.“ Si ergo hisce decisionibus insistimus, vox „et“ semel tantum omissa praesertim ante „Spiritum Sanctum“ invalidum aut dubium faceret baptismum, si ex prava aut erronea mente minister vocem „Spirit. S.“ proferret ut appositionem ad „Patrem et Filium“, non ut nomen distinctae personae Ss. Trinitatis: cf. S. Alph. n. 112 dub. 1. Alias puto, ne utrumque quidem *et* omissum facere baptismum dubium.

mus semper a quolibet homine rationis compote conferri potest. Cf. ibid. *de consecr.* c. 19 et 21; Later. IV. c. *„Firmiter“* Denz. n. 357.

V. In baptismo solemni caerimonias a Rituali praescriptas notabiliter mutare vel omittere, peccatum grave est. Si baptismus sine caerimoniis collatus est, caerimoniae postea supplendae sunt. S. Alph. n. 141 *cum sententia communi.*

Nota ad I. 1. Episcopus igitur intra limites dioecesis, parochus [66]
intra limites parochiae eos baptizare potest, qui ibi domicilium habent. — Extra suum territorium autem ne incolas quidem sui loci baptizare potest sine licentia parochi loci. Cf. Craisson *Man.* n. 1350, Bouix *de Judic.* t. 1 pag. 454.

2. Vagi baptizari possunt in qualibet ecclesia, quam elegerint (sive ipsi, quando adulti sunt, sive parentes, si de infantium baptismo quaeritur).

3. Peregrini, qui diutius extra patriam morantur, eodem modo in loco, ubi subsistunt, baptizari possunt. — Imo si mulier parit in loco non suo, infans baptizandus est a parocho loci, ubi peperit mater et decumbit, nisi forte aeque bene ad proprium parochum deferri possit: imo si parochia patria non distat ultra 3 leucas, semper *licet* ad proprium parochum infantem deferre. S. Alph. n. 115.

4. Quae de jure conferendi baptismi dicta sunt, valent etiam de supplendis caerimoniis, si forte baptismus necessitatis jam ab altero collatus est.

5. In baptismo conditionato privatim sine caerimoniis conferendo convenit eadem servari, at de stricta obligatione non constat; quapropter ob aliquam rationabilem causam alius sacerdos id facere posset. Imo Gobat *de bapt.* n. 405 cum aliis, ut Quintanadv., Lacroix l. 6 p. 1 n. 325 dicunt, baptismum sub conditione repetendum, quando sine caerimoniis conferatur, conferri *posse* quocunque loco, et a quocunque etiam laico: quod tamen non sine aliqua necessitatis causa S. Alph. vult approbare.

Ad II. 1. Facultas alieno sacerdoti aut expresse data esse debet, [67]
aut rationabiliter praesumpta: v. S. Alph. l. c. et Lacroix l. c. n. 274.

2. Haec *commissio* requiritur etiam in terris infidelium, ubi ecclesiae jam constitutae et circumscriptae sunt: at, ut patet, ubicunque verae parochiae canonice erectae desunt, Episcopi aut alterius qui regioni seu districtui praeficitur, est, aliis licentiam dare sive pro parte dioecesis vel quasi-dioecesis tantum, sive pro tota. Imo facilius accidere potest, ut *merito* licentia *praesumatur.*

Ad IV. In baptismo necessitatis privato, *si fieri potest,* ordo a Rituali Romano assignatus observari debet in eligendo ministro: „Si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi.“

Attamen haec regula ita intelligitur, ut 1) quilibet fidelis in unione cum Ecclesia exsistens, sive vir sive femina, modo satis sciat modum baptizandi, praeferendus sit omnino cuilibet haeretico, schismatico, excommunicato vitando *etiam sacerdoti;* 2) ut femina extranea praeferatur patri infantis; siquidem parentes infantem proprium baptizare non debent, nisi in defectu alterius.

Inversio autem ordinis a Rituali statuti grave peccatum tum tantum inducit per se: 1) si infidelis, haereticus, schismaticus, vel excommunicatus (vitandus) praefertur sine necessitate *homini catholico:* inter ipsos illos enumeratos unum aliis praeferre, potest solum *per accidens* peccatum grave evadere (cf. n. 53); 2) si non-sacerdos praefertur sacerdoti in unione Ecclesiae exsistenti; 3) aut si ille, qui non est parochus, praefertur parocho praesenti (nisi ipse alteri sacerdoti officium committat). — Grave peccatum est illa ordinis inversio tum ex parte ministri, tum ex parte ejus, qui ita fieri petit aut approbando permittit.

68 Ad V. 1. Baptismus solemnis conferendus non est nisi *in ecclesia,* neque domi privatus baptismus nisi in periculo. — Excipiuntur a jure soli *filii principum,* qui in sacello domestico domûs paternae solemniter baptizantur. (Ita ex jure a Clem. V. praescripto *Clem.* l. 3 tit. 15 cap. unic.; cf. etiam Lacroix l. c. n. 337 [1].) Attamen si vere alicubi legitima consuetudine ille mos paulo latius extenditur ad alios nobiles, non videtur res adeo reprobanda esse: S. Alph. n. 118 in fine. Conc. Prag. anno 1860 usum etiam benigniorem, etsi per se abusus sit, *ad tempus tamen tolerandum* esse, monet: Coll. Lac. t. 5 col. 596; cf. Conc. Vienn. an. 1858 ib. col. 161. Aliter tamen peccatum mortale est [2].

Casui necessitatis, in quo baptismus privatus sine caerimoniis conferri possit, Instructio pastoral. Eystettensis de sacramento baptismi c. 1 § 1 adnumerat tempus ingentis frigoris; „tempore etiam hiemis *propter ingens frigus* in domibus privatis, sed semper in loco decenter ornato sacramentum hoc regenerationis conferri posse concedimus, omissis tamen caerimoniis, quae postea in ecclesia suppleantur. Ne vero ex nimio frigore tenerae proli damnum inferatur, permittimus, ut sacra baptismi functio in sacristia calida peragi possit et cum aqua baptismali aliquo modo calefacta."

---

[1] Quum primum Ecclesiae, finitis persecutionibus, sub Constantino Magno pax et libertas reddita erat, baptismus extra casum necessitatis in locis sacris conferri consuevit. Verum quum propter modum baptizandi per immersionem et propter multitudinem eorum, qui simul baptizandi erant, amplior locus requireretur, prope ecclesiam baptisteria construi consueverunt, cum ecclesia tamen saepe conjuncta: qui mos eo magis permansit, quia per id simul significabatur, baptizandos nondum intra Ecclesiam esse. Postea vero, praecipue a saeculo 13., quum baptismus per modum infusionis inciperetur conferri, in ipso ecclesiae vestibulo ad septentrionalem partem exstruebatur fons baptismalis, ad quem baptizandus, peractis *praeviis caerimoniis extra ecclesiam,* deduceretur — quae mansit hodierna praxis. Cf. Mayer *Geschichte des Catechumenats,* Binterim *Denkw.* t. 1 p. 1 pag. 77 sqq., Gassner l. c. pag. 641 sqq.

[2] Addo respons. S. R. C. in una *Asculan. in Piceno* 27. Apr. 1877, Gardell. n. 5688, quo circa baptismum in domibus privatis conferendum dicitur: „Altitudo Tua curare debeat, *attamen prudenter et caute,* removere abusus, qui in hac re irrepserunt, efficiatque ut infantes ad baptizandum juxta Ecclesiae praescriptionem et communem praxim deferantur."

Imo idem aliquando etiam propter alias rationes fieri posse, ut sc. domi baptismus conferatur, indicant S. Alph. n. 142, Scavini cum Del Vecchio II. n. 432 et 434, aliique, nimirum propter infamiam parentum aliter orituram, aut propter *aliud grave damnum.*

2. De *aqua consecrata* vide, quae supra dicta sunt n. 50 et 60.

3. Omissio unctionis sive ante baptismum cum oleo catech., sive[69] post cum sacro chrismate censetur *gravis* (S. Alph. et Gury l. c.); quare donec recentia olea habeantur, vetera conservanda sunt. — Idem dic de aliis caerimoniis majoris momenti, ut professionis fidei, aut de caerimoniis levioribus in maiore copia.

4. Interrogationes a Rituali praescriptas *linguâ latinâ* faciendas neque mutationem in Rituali inducendam esse, S. R. C. constanter respondit: attamen quum impossibile sit, patrinos ignotâ linguâ interrogari et respondere, atque etiam in diversis conciliis provincialibus Romae approbatis de necessaria explicatione in lingua vernacula sermo sit, nihil relinquitur, nisi ut sacerdos, postquam omnia linguâ latinâ pro se dixerit, eadem vernaculâ linguâ pro patrinis repetat eorumque responsum excipiat. Atque ita etiam in aliquibus Ritualibus dioecesanis denotatur.

5. Si infans propter necessitatem domi a sacerdote baptizatur: ex Rituali Romano, si tempus suppetit et chrisma adest, caerimoniae baptismum *subsequentes* statim perficiendae sunt; saltem id fieri magis convenit, etsi de praecepto non constat, quod etiam Gardell. in nota ad responsum S. C. R. in *Caligurit.* 28. Sept. 1820 sentit dicens, caerimonias subsequentes *posse* sive permitti *fieri.*

De *supplendis* autem caerimoniis et de iis adhibendis in baptismo adultorum haec nota:

1) Si infans ab haeretico ministro baptizatus defertur ad catholicam ecclesiam, sive baptismus conditionate confertur sive non: caerimoniae adhibendae sunt eaeque ex baptismo infantium.

2) Super adultum ab haereticis baptizatum, si baptismus conditionate non repetitur, non est mos supplere solas caerimonias: si vero — id quod sane licet, imo per se magis convenit — supplentur, sumendae sunt ex baptismo adultorum, nisi specialis facultas S. Pontificis aliter agendi habetur.

3) Si autem caerimoniae supplentur super adultum *catholicum,* caerimoniae sumantur ex baptismo infantium. Ita S. R. C. 27. Aug. 1836 *in Rhedon.* (Gard. n. 4780, *D. auth.* n. 2743).

4) Si repetitur conditionate baptismus super adultum ab haeresi conversum, communis lex est, ut sumatur baptismus cum caerimoniis pro adultorum baptismo: ita S. R. C. loc. cit. — Pro Anglia (v. Conc. Westm. I. loc. supra cit.) data est facultas conferendi in hoc casu baptismum sine caerimoniis, quod pro America, Episcopis anno 1866 petentibus, negatum est. V. Coll. Lac. t. III. col. 384 et 462. Videtur tamen in casu particulari ex gravi causa Episcopus dispensare

posse, ut liceat caerimonias omittere, sicut conjeceris ex ipsa nota, quae adjecta est in collectione Gardell. ad decretum modo citatum *in Rhedon.*

5) Si adultus antea non baptizatus nunc baptizatur, decet, ut patet, formam baptismi adultorum sumi, si ille adultus convertitur ab haeresi vel infidelitate. At etiam tum aliquae dioeceses obtinuerunt facultatem adhibendi formam pro baptismo infantium. Ita saltem pro limitato tempore dioeceses Liverpolitana et Salopiensis in Anglia (v. syn. dioec. Liverp. sextam et Salopiens. quartam) et multae regiones Americae Septentr., de quibus cf. Coll. Lac. t. III. col. 34. 321. 599. 1106 etc., et Hibernia, de qua cf. Dublin Rev. ann. 1889 fasc. 1.

§ 2.

Munus patrinorum.

70 Ut doctrina de baptismo conferendo compleatur, de Patrinis agendum est, quos in baptismo adhiberi consuetudo et lex ecclesiastica jubet. Antiquissimus mos est Ecclesiae adhibendi patrinum in baptismo, qui adhibebatur, ut catechumenum baptizandum offerret, de bonis ejus moribus testimonium diceret, atque de servanda vita christiana pro eo quodammodo fide juberet. Quare praeter nomen ‚patrini' occurrunt nomina antiquiora ‚fidejussoris', ‚sponsoris', ‚susceptoris'. Morem illum jam saec. 3. ut antiquum Tertull. *de bapt.* c. 18 clare testatur; imo Binterim putat, illum ad tempora Apostolorum usque ascendere, l. c. pag. 189. Cf. Gassner l. cit. — Jus novum, quod viget, habes in Conc. Trid. sess. 24 *de ref. matr.* cap. 2: „ . . . Sancta synodus . . statuit, ut unus tantum, sive vir sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos et baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab eis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantiâ ullâ excusari valeant. Quodsi alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus."

Quare haec pauca tenenda sunt:

71 I. Adhiberi debet saltem unus vel una, ut munere patrini fungatur, in baptismo solemni: in baptismo privato obligatio non est.

II. Non licet adhiberi plus quam duos, i. e. marem unum, alteram feminam; alias peccatur, sed venialiter tantum, si ambo ejusdem sexûs sint ac baptizandus. — Quodsi *uterque* patrinus sive utraque matrina, quando duo assumuntur, sint diversi sexûs a baptizando, S. Alph. id habet pro peccato mortali l. c. n. 155 dub. 2.

III. Si plures patrini designati sint sive a parentibus sive iis deficientibus a parocho, iique omnes infantem tetigerint: *omnes* cognationem contraxerunt[1]; idem dic, si nullus designatus sit aut nullus eorum tangat infantem, siquidem tum ii omnes, qui volentes esse patrini infantem, dum baptizatur, tangunt aut immediate post baptismum e manu sacerdotis suscipiunt, vere patrini sunt et spiritualem contrahunt cognationem. Verum si certi designati sunt: praeter hos nemo cognationem contrahit. Cf. S. Alph. n. 154, ibique declar. S. Congr.

IV. Patrinus aliquis constitui potest per procuratorem a se constitutum: verum tunc procurator omnia ea physice agere debet, quae patrinorum sunt, i. e. cum vera intentione infantem sufficienter tangere (de quo cf. infra n. 757 et 758).

V. De *cognatione spirituali*, quae contrahitur per munus patrini, vide infra *de matrim.* l. c. *Officium* autem patrini est, ut deficientibus parentibus curam spiritualem filioli agat, eumque in fide moribusque christianis instituat.

VI. Hinc a munere patrini licite suscipiendo excluduntur 1) ii, qui propter statum suum curam aliorum gerere non possunt, vid. religiosi et moniales; iique positivo jure prohibentur: Rituale Rom. tit. II. cap. 1. n. 26, S. Alph. n. 256;

2) qui in christianis moribus educare non possunt: ut apostatae et haeretici, atque alii publici peccatores[2]: Rit. Rom. ib. n. 25;

3) qui primariam curam educandi jam aliunde habent, sc. parentes respectu filiorum, conjux respectu sui conjugis. — Alii autem cognati non excluduntur, etsi sunt proxime cognati, ut fratres et avi.

Rejicienda est nunc sententia Laym. et Castropal., qui pro regionibus 72
haereticorum permittunt, ob gravem causam, e. g. si gravis offensio timeatur, adhiberi praeter patrinum catholicum aliam personam haereticam pro patrino sive matrina; aliter tamen res expediri potest, scilicet hominem haereticum admittendo *ut testem* et impediendo, ne omnia peragat, quae ad patrinum constituendum requiruntur. Cf. S. Alph. n. 156.

E contrario S. Alph. cum Laym., Lacroix, Gobat, Tambur. permisit, ut catholicus sit patrinus infantis parentum haereticorum, baptizante illorum ministro, in illis adjunctis, quando „nullatenus illa actio censeri possit approbatio ritûs acatholici“. Sed Acta S. Sedis vol. 27, p. 455 referunt decisionem S. Offic. 10. Maji 1770: „Sanctissimus decrevit, catholicis regulariter non licere haereticorum aut schismaticorum concionibus, baptismis, matrimoniis interesse. Absolute autem non licere nec per se nec per alios fungi officio patrini in baptismis, quae haereticorum filiis ab haereticis ministrantur.“

---

[1] Verum si plures patrini a parentibus quidem vocati sint, parochus autem duos (ut ex II) designet declarans, ne alii habeant intentionem contrahendi cognationem, hi, etsi tangant infantem, veri patrini non videntur fieri. Cf. S. Alph. l. c. n. 154.

[2] Quamquam ii, qui notorie censuram ecclesiasticam incurrerunt, non necessario rejici debent a munere patrini, si gravia inde mala oriantur (S. Poenit. 10. Dec. 1860): tamen praestat, baptismum sine patrino conferre, quam haereticum pro patrino admittere. S. Offic. 3. Maji 1893: v. Acta S. Sedis vol. 26, p. 448.

Videlicet auctores illi putaverunt, patrinum catholicum posse ut fidei sponsorem facilius postea filiolum spiritualem in *vera* fide educare; eamque esse gravem causam, cur illam cooperationem cum haereticis praestare possit: verum non videntur satis attendisse, impossibile esse, ut patrinus non petat baptismum a ministro, qui baptizaturus est; at ille actum baptizandi sibi omnino illicitum exercebit; ergo patrinus id petit, quod alter licite facere nequit: sed ejusmodi actionem ne peti quidem licet.

Caput III.

De subjecto Baptismi.

73 I. Subjectum baptismi est omnis homo viator nondum baptizatus.

II. Ut illi, qui usum rationis non habent, valide et fructuose baptizentur, ex eorum parte nihil requiritur.

III. Ut illi, qui usum rationis perfectum unquam adepti sunt, valide baptizentur, necesse est, ut ipsi voluntatem recipiendi baptismum aliquo modo habuerint vel habeant: ut vero cum fructu baptizentur et gratiam sanctificantem recipiant, etiam actum fidei et dolorem de peccatis commissis supernaturalem adesse vel adfuisse necessarium est.

IV. Obligatio procurandi baptismum infantibus cuilibet, qui succurrere potest, incumbit, si occurrit extrema infantis necessitas, i. e. si infans nondum baptizatus reperitur in imminenti mortis periculo neque alter adest, qui baptismum conferat sive conferendum curet; alias incumbit iis, qui ex officio infantis curam habent, imprimis parentibus et parocho.

74 **Explicatio.** Ad I. *nota:* 1. Vix dubitari potest de valore baptismi infanti in utero matris collati, si infantis caput a secundina omnino solutum sive medio instrumento sive aliter aquâ tingi potuerit. Attamen non desunt, qui putent, prius hominem debere membrum separatum externae societatis humanae esse, quam baptizari possit. Quapropter, etsi theoretice considerata ratio dubitandi de valore baptismi vix ulla suppetat; tamen quia S. C. C. 12. Julii 1794 *in Sutrina* baptismum illum sub conditione iterandum dixit, qui infanti tali modo collatus erat, Sacrae Congregationis auctoritas nos prohibet, quominus omnino certum ejusmodi baptismum statuamus[1]. Ergo in periculo omnino ita conferendus est, sed postea, si infans vivus ex utero prodierit, sub conditione est repetendus.

2. Quum primum foetus humanus anima rationali donatur, per se est baptismi subjectum. Quare cura summa adhiberi debet, ut quilibet foetus humani abortivi saltem sub conditione baptizentur, nisi de eorum morte certo constet.

---

[1] Sc. contigerat, ut in partu difficili medicus caput infantis clare observaret atque, scypho aquae assumpto, illam in caput infantis infunderet cum forma et intentione rite servata. Et quamquam attestabatur, physica necessitate aquam debuisse ad infantis caput et cutem pertingere, nihilominus S. Congr. considerans, puerum penitus in utero materno delituisse, contra parochum, qui noluit sub conditione rebaptizare, e partibus patris infantis stetit, qui iterationem baptismi petierat.

Dico, *omnes* foetus abortivos, siquidem hodie valde communis sententia est, si post copulam conceptio sequatur, foetum statim in ipsa conceptione animari: quare antiquorum scriptorum opinio, animationem per rationalem animam secundo vel tertio mense tandem fieri, practice relinquenda est. S. Alph. n. 124[1].

Foetus abortivos, qui post quintum mensem a conceptione eduntur, baptizandos esse, non facile ignoratur; at etiam relate ad eos monendae omnino sunt matres aliique, ad quos cura spectat, ne propter aliqua signa, quae mortem foetûs indicare videantur, baptismus conditionatus omittatur. Nam vix aliud signum *certum* mortis habetur, nisi *ipsa putrefactio*; neque putrefactionem *tantum incipientem* pro certae mortis indicio haberi posse, viri periti testantur. Vide Del Vecchio II. n. 437 not. Baptismus vero conferendus omnino est, nisi *constet certo* de morte. — At foetûs abortivi, qui prioribus temporibus, maxime primis ipsis hebdomadis forte editur, baptismus ut male negligatur, facile accidere potest. Hac de re etiam matres moneri debent. Idque eo magis faciendum est, quia non adeo raro accidunt ii casus infelices, sive ex quadam culpa, sive sine ulla culpa matris, et quia ex altera parte solae matres earumve adjutrices sint, quae juvare possint. Jure igitur in quibusdam dioecesibus speciali lege parochi monentur, ne talem instructionem, a qua multorum aeterna salus pendet, praetermittant[2].

---

[1] Patrocinium foetuum etiam minimorum baptizandorum jam saeculo 17. Fr. Hieronymus Florentinus suscepit dissertatione de foet. abort. baptiz. edita, quae post aliquas turbas excitatas approbationem Congreg. Indicis tulit, „modo de iis . . . agatur, quae initium aliquod *humani* foetûs prae se ferant.“ Quae conditio apposita secundum praesentem statum physiologiae solos illos materni uteri fructus a baptismo excludere potest, si quae crudae massae carneae, quas *molas* vocant, aliive deformati et defectuosi foetus in eo statu sunt, ut ea omni vitâ carere constiterit. Nam alioquin etiam minimus foetus vitalem motum habet et initium humani foetûs prorsus ostendit. Atque in degenerato foetu si propria vita vegetativa remanserit, haec, rationalem animam remansisse, potius indicat. Cf. etiam Gury-Ballerini ed. 5 n. 247, II. not.

[2] Non abs re erit notare, *gravem* esse obligationem parochorum curandi, ut obstetrices, medici, vel matres hac de re moneantur, ne eorum incuriâ minimi foetus abortivi non baptizati in latrinam projiciantur. Ita Roncaglia, Scavini vol. 3 n. 83, Instructio pastoral. Eystettens., quae tit. II cap. III § 2 parochis haec injungit: „curabunt sedulo, ut obstetrices in sua parochia constitutae a medicis pro quovis periculi eventu bene instituantur . . . nunquam enim ejusmodi foetum utut monstruosum vel parvum incaute occidere vel in latrinam mittere absque diligenti inspectione licebit.“ Similia monet Rituale Augustan. Cf. insuper folia period. pastoral. Monaster. ann. 1870 N. 8—10; Gassner *Pastoral* pag. 617 sqq.

Quodsi per obstetrices — eas enim generatim ipse parochus per se vel pium medicum convenientius instruit, et per eas matres — matrum instructio fieri non possit, tempus matres caute hac de re monendi potest v. g. esse, quando brevi post matrimonium confessionem instituunt: tunc enim de cura foetûs, quem in utero gestent, sine scandalo et offensione instrui possunt. — Paucis autem haec observanda sunt: a) foetus etiam minimi diutius etiam vitam servare *possunt;* imo inventi sunt, qui etiam post plures dies indubia vitae signa dederint; b) attamen *periculum semper* est, ne brevi post ejectionem moriantur; multi jam emortui sunt; c) verum *certitudo* de morte jam secuta non ita frequenter habetur, quia certae mortis signum etiam hîc vix aliud habetur, nisi putrefactio jam apparens. Quapropter omnes foetus abortivi *caute* tractandi sunt, atque, nisi statim *indubia* mortis signa appareant, illico

75 3. Sicut industria in eo collocanda est, ut foetui, qui ante tempus ex utero materno ejicitur, baptismus conferatur; ita etiam necessitas contingere potest foetum ex materno utero extrahendi, ne baptismo careat. Quod ducit ad pauca de sectione caesarea adnotanda:

1) De qua quaestio esse potest tum vivente matre, quae naturaliter parere nequeat, tum ea mortua. De priore casu cf. vol. I. n. 844 et 849[1].

2) Igitur mortua matre, nullum dubium est, quin sectio fieri possit et debeat, idque etiamsi conceptio a brevi tempore facta sit. Quare, quam citissime fieri potest, chirurgus aliusve, qui possit sectionem facere, advocandus est: interim vero uterus matris mortuae calidus servandus, os ejus aperiendum est; neque facile credendum est medico forte dicenti, omnem conatum incassum fieri, eo quod foetus jam sit emortuus: siquidem id raro omnino certo sciunt.

Ne vero sacerdos legis civilis laesae reus videatur et gravis poenae periculum subeat, non jam ipse ex sese omnia jubere debet, sed inducat strenue maritum defunctae vel propinquos aut virum in munere publico constitutum, ut quam primum curam sectionis perficiendae gerant. — Si gravissima incommoda timenda non sunt, deficiente medico, quilibet alius, qui animum habet, etiam non exspectato consensu cognatorum, incisionem ex caritate erga infantem fortasse salvandum perficere potest vel debet[2].

---

baptizandi sunt sub conditione, neque post longius etiam tempus, si statim collatus non sit, baptismus omittendus est. Consuli hac in re imprimis meretur Capellmann *Medica pastoral.* edit. lat. pag. 112. Aliqua ex ea afferam:

„Hîc jam quaeritur (vid. de embryonibus in primis mensibus), utrum foetus, qui ovo inclusus editur, baptizari non debeat, antequam ovum aperiatur, an liceat vel oporteat primum in membranis ovi clausi sub conditione baptismum conferre et dein aperto ovo ipsum foetum iterum conditionate baptizare? Ex ratione supra allata, quod nimirum exterior velamentorum membrana non oritur ex ovo ideoque minime ad foetum pertinet, id approbare non possum, ut in ovo clauso baptismus conferatur. . . . Si caute ovum aperitur, atque si liquor amnii lente, hoc est, nisi ex negligentia subito profluat, aër accedens foetum quamvis exiguum non illico occidet. Tum . . . aperto ovo e vestigio baptismus sub conditione conferatur. . . . Utilissimum ac certissimum consilium erit, ut baptismum per immersionem conferant, et ita quidem, ut *in* vel *sub* aqua (non frigida, sed nonnihil tepida) velamenta disrumpant, hisque disruptis statim formam baptismi pronuntient. Apprehende igitur utriusque manus pollice et indice aliquam velamenti plicaturam atque ita disrumpe, ut materia ovi effluat, h. e. ut aqua baptismalis integram ovi materiam bene abluat. Quod si ita fit, etiam vitabitur [periculosus] accedentis aëris appulsus in embryonem.“ At ut *securius* agas, dicens formam foetum *et* immerge in aquam *et* ex ea extrahe.

[1] Obligationem incisionis, vivente matre, ibi non tam facile admisi, at *facile* eam *licere* dico. Nam ob solam spem *certius* foetum *baptizandi* matri eam pati licere sentio, etiam cum gravi omnino vitae periculo, modo ne sit ea matris conditio, ut incisio evadat vera occisio, neque foetus, nisi occisione secuta, extrahi possit: alias non minus propinquus sequitur effectus bonus, quam malus.

[2] Severum omnino edictum episcop. hujus curae habendae refert Dens *theolog* tom. 5 app. n. 7. — Decr. S. Off. 15. Febr. 1780 (*Collect. S. C. de P. F.* n. 573) jussit *Sutchuenses* caute edocere legem Eccl., etsi Sinensibus exosam et cum periculo pro religione cath. conjunctam, at prohibuit S. Pontifex, „ne Missionarii in casibus particularibus se ingerant in demandanda sectione multoque minus in ea peragenda; sat fuerit illius notitiam edidisse curasseque, ut . . . perdiscant [chirurgici], tum . . . ejusdem praxim ipsorum oneri ac muneri reliquisse“. Cf. decr. 17. Dec. 1899: *Anal.* VIII, 53.

Ad II. 1. Infantibus usu rationis carentibus accensentur ii, qui 76
perpetuo amentes sunt; siquidem illi etiam sine propriae voluntatis actu baptizantur et gratiam consequuntur. Si vero antequam in amentiam inciderunt, usu rationis potiebantur, non baptizantur, nec fructuose, nec valide, nisi voluntatem et dispositionem, sicut alii adulti, *antea habuerunt:* at quia de illius defectu raro constabit, in necessitate, i. e. in mortis periculo, aut si de recuperanda ratione desperatum est, sub conditione baptizandi sunt, ea manente obligatione, ut si forte postea ad rationis usum redierint, et examine facto baptismus dubie validus inveniatur, conditionate repetendus sit.

2. Ii, de quorum perfecto rationis usu dubitatur: 1) *si ipsi volunt* baptizari, pro modulo suo instrui de actibus virtutum theologicarum et attritionis debent, atque dein postquam aliquo modo, quid sit baptismus, cognoverint, baptizandi sunt. Id etiam extra periculum mortis valet, quia non est ratio, cur baptismus, qui tum *certo valide* administratur, propter instructionis plenae impossibilitatem differri debeat, postquam puer instructus est pro sua capacitate. 2) In articulo autem mortis multo magis baptizandi sunt, idque tunc temporis, *etiamsi aliquam repugnantiam ostendunt:* quamquam, si id obtinuit, baptismus utpote *dubius* postea, si certius conferri potest, repetendus est sub conditione.

Ad III. 1. Postquam aliquis in adulta aetate de baptismi neces- 77
sitate et obligatione edoctus est, eum *diu differre,* etiam extra periculum mortis, grave peccatum est: unius alteriusve mensis dilatio etiam post sufficientem instructionem ex se non videtur gravis. Attamen facile fieri potest, ut id non sit sine periculo; quapropter hoc urgendum est, ut quam primum recipiatur.

2. Qualis voluntas recipiendi baptismi ad validam ejus susceptionem requiratur, ex iis repetendum est, quae de sacramentis universim exposita sunt. Videlicet ut *certo* constet de ejus valore, requiritur, ut homo adultus *expresse* christianae societati adjungi seu baptismum suscipere voluerit. Cf. Lugo *de sacr. in genere* disp. 9 n. 130. Nam revera valde dubium est, num recte dicatur, in quacunque supernaturali attritione seu dolore de peccatis satis includi voluntatem recipiendi baptismi, de quo nihil est auditum — aliud plane est relate ad hominem, qui obligationem recipiendi baptismi cognoverit —, quasi illa generalis voluntas servandi omnia ad salutem necessaria in dolore inclusa sufficiens desiderium baptismi in se contineat. Fac enim, dolorem illum continere in se propositum servandi omnia ad salutem necessaria: tamen propositum baptismi non habes determinatum. Necessarium quidem est alterutrum, aut perfecta contritio, aut baptismus *re* suscipiendus, idque postquam ejus obligatio cognita est. At cognita non est; ergo ille dolor non videtur aliud continere, nisi implicitum propositum aliquando contritionem perfectam eliciendi.

Nihilominus aliqui scriptores, ut Coninck, Dicastillo, Reuter 78
p. 4 n. 63, 5, Mazzotta *de sacram. in gen.* q. III. cap. 2 cum multis aliis, quos v. apud Lacroix l. 6 p. 1 n. 168, illum dolorem supernaturalem ex fide conceptum habent pro „voluntate baptismi fortasse sufficienti“:

neque omnem probabilitatem huic opinioni negare, in animo est. Quare haec usui esse potest in homine *moribundo sensibus destituto*, quem juvare etiam cum tenui probabilitate, si aliter fieri nequit, caritas jubet.

Is igitur moribundus sensibus destitutus baptizandus conditionate videtur, de cujus dolore supernaturali fide forte concepto prudens conjectura est. Verum ejusmodi prudens conjectura de dolore supernaturali atque voluntate suscipiendi baptismi, *saltem implicita,* etiam exigi debet, ut liceat baptizare. Quodsi agitur de homine, qui de fide christiana et baptismo audivit, voluntatem *explicitam* adfuisse vel adesse prudenter seu probabiliter debet posse sumi. Circa hoc nunc exstat resp. S. Off. d. d. 30 Martii 1898, d. 1 Apr. a Leone XIII approbatum: „De Mahumedanis moribundis et sensibus destitutis respondendum est ut in decr. S. Officii 18 Sept. 1850 ad Episc. Perthensem, id est: *Si antea dederint signa velle baptizari, vel in praesenti statu aut nutu aut alio modo eandem dispositionem ostenderint, baptizari posse sub conditione, quatenus tamen Missionarius, cunctis rerum adjunctis inspectis, ita prudenter judicaverit.*“ (Anal. eccles. vol. 6, pag. 187.)

Quod puto facilius prudenter judicari posse, quando moribundus propterea hucusque noluerit re ipsa baptismum recipere, quia lex christiana jubet vitia reprimere, alioquin christianam religionem non aversatus, quam si moribundus ad extremum usque christianae religionis osorem se ostenderit.

Notandum est 1. Quando certo licuerit moribundum baptizare, caritas, ut etiam re vera fiat, omnino exigit. Nihilominus quum prudens illud judicium, de quo S. Officium loquitur, alius aliter conceperit atque de ipsa prudentia vel probabilitate rationum dubium aliquando exsistere possit, nolim negare, fieri posse, ut obligatio quidem non sit, liceat tamen sub conditione baptizare.

Notandum 2. Bene animadverti debet, in hujusmodi circumstantiis conferri baptismum sub conditione „si capax es“, atque eundem sic baptizatum, si postea ad sui conscientiam redierit, etiamsi factum approbaverit, nihilominus sub conditione iterum baptizari debere, nisi certo constiterit, eum prius expressam et explicitam voluntatem baptismi habuisse, atque veram fidem de iis omnibus mysteriis, quae probabiliter sunt de necessitate medii, jam tum concepisse.

Qui autem rationis compos est, antea omnino instrui debet de necessariis fidei articulis pro ejus captu et possibilitate suamque fidem et baptismi suscipiendi voluntatem declarare. De quibus si dubium exstiterit neque plus possit obtineri, in extremis conditionate baptizandus est, „si es capax.“ Cf. S. Offic. ib.

79 Ad IV. Quoad baptismum infantibus suis procurandum christianis parentibus obligatio incumbit, eaque gravis: 1. quam primum infans periculose aegrotat; 2. etiam sine tali periculo ex hodierna disciplina Ecclesiae, quae primis saeculis alia erat, dilatio unius alteriusve mensis censetur gravis, nisi causa majoris momenti excuset; 3. ex speciali lege dioecesana etiam citius obligatio gravis urgeri potest.

Quamquam scilicet ex natura rei solum periculum sine baptismo moriendi obligationem illam inducit: tamen quia id ipsum majus est et magis fatale quoad infantes, quam pro adultis, utpote qui actu contritionis tandem salvari possint, et quia hodierna consuetudo Ecclesiae veram legem effecit, approbantibus atque etiam urgentibus Superioribus ecclesiasticis, dilatio unius alteriusve mensis pro peccato mortali generatim habetur; paucorum dierum dilatio (ad 3—8 dies pro consuetudine

regionis) sine ullo peccato tolerari potest, nisi speciale periculum infanti impendet. V. Reuter p. IV. n. 94, S. Alph. l. 6 n. 118 cum Suarez, Laymann etc. Nihilominus secundum Bened. XIV. *de synod. dioec.* l. 12 c. 6 n. 7 omnino definiri potest ab Episcopo, „ne baptismus infantium ultra 8 dies differatur".

Ut compleantur, quae ad IV notavi, alia et difficilior quaestio tractanda est:

De jure et facultate baptizandi filios parentum acatholicorum. 80

In qua re quaedam certa sunt, quaedam controvertuntur.

A. Si puer usum rationis habet et baptizari vult, plene sui juris est quoad salutem aeternam, neque a quopiam impediri potest. Quare etiam dici debet, parochum vel Episcopum nequaquam posse eum a baptismo excludere, quantumvis parentes reluctentur. Id solum propter gravissima incommoda, si qua oritura esse praevidentur, fieri potest, ut puer dirigatur ad alium locum, quo securius conversionem perficere et in Ecclesiam recipi possit. Nam si interim puer, qui ab omni falsae religionis professione abstineat, per actum contritionis perfectae juvetur, periculum salutis urgens non exsistit: quapropter ei auxilium ulterius ferre cum valde gravi incommodo, non est tam instantanea obligatio.

Id vero, quod postulari potest et debet a tali puero, est, ut ostendat firmam voluntatem, non obstantibus incommodis et damnis sibi imminentibus, christiano et catholico more vivendi. Quare sicut haec, si dubia est, aliquo experimento probanda, ita, ne probatio ultra justos limites protrahatur, curari debet.

Puero igitur omnino licet sese parentibus subducere, aliis eum in hoc proposito juvare; imo post baptismum susceptum Ecclesia jus habet, et pro diversis adjunctis obligationem, eum extra parentum potestatem utpote fidei periculosam collocandi, atque civilis potestas obligatur, ut Ecclesiae hac in re adjumento sit. Sed si potestas civilis Ecclesiae potius inimica est eamque ab exercendo suo jure impedit, puer, qui sese subducere nequit, apud parentes relinquendus est aliisque remediis contra pericula roborandus.

B. Si puer nondum certe, sed dubie tantum perfectum usum 81
rationis attigit, nisi periculum mortis immineat, eum nondum statim, etsi vult, baptizari expedit, sed usque ad perfectum usum rationis exspectandum.

Attamen, modo hoc exsecutioni mandari possit, a parentibus separandus est, ne cum periculo salutis contra suam voluntatem graves tentationes pati debeat. Erudite rem illam pertractat Lugo *resp. moralia* l. 1 dub. 4. — Si vero parentes consentiant in baptismum filii, maxime si parentes sive ambo sive eorum alteruter utpote baptizatus Ecclesiae jurisdictioni subjectus sit, expedire potest, puerum etsi dubie ratione praeditum baptizari, postquam pro modulo suo instructionem receperit et actus virtutum praevios elicere conatus sit.

C. Si certum est, pueros nondum habere usum rationis, seu quando agitur de iis, qui theologico sensu infantes dicuntur, certum est, eos a

quocunque valide baptizari posse, atque adeo id fieri debere *secundum regulas praecepti caritatis* [1].

82 1. Obligatio igitur urget, si infans deprehendatur in articulo mortis constitutus. Porro ut *contra voluntatem parentum* talis puer baptizari *debeat,* si possibilitas id perficiendi exsistat, requiritur, ut mors moraliter certo immineat. Imo ut baptizare liceret, S. Congreg. Officii idem aliquando exegerat, scil. „in praesens vitae discrimen adduci debere — quocunque (tamen) modo —, qui ob mortis periculum baptismo sit expiandus": ita anno 1777. Attamen ex decr. S. Officii d. 18. Julii 1894 sufficit ad baptismum filiolis infidelium conferendum, ut exsistant in *periculo* mortis atque valde dubium sit, an praesentem infirmitatem superent et usque ad annos discretionis vitam producant: quod decretum integrum habes ad calcem h. vol. in fine appendicis I. Imo jam antea graves scriptores tenuerant, illud „praesens vitae discrimen" non ex solo morbi statu, sed etiam ex aliis adjunctis peti posse; quare si prudenter putetur puer vix ad annos discretionis perventurus, sed antea moriturus, etsi *nunc* mors nondum immineat, licere baptismum conferre: cfr. infra n. 84 et Gallo *suppetiae missionar.* t. I, p. 104 sqq.

2. Certum est, infantes licite et pro rerum adjunctis ex obligatione baptizari, si parentum infidelium curae *juste* subtracti exsistunt, aut si *utcunque* eorum potestati re ipsa i. e. *de facto ita* subtracti sunt, ut ad parentes redire non possint. Nam sola ratio, cur infantes baptizari aliquando non liceat, est, quia praejudicium creatur paternae potestati, cui ex jure naturali subduci infantes nequeant, cui tamen infantes, *postquam baptizati sint,* prorsus subduci debeant, ne cum injuria sacramenti parentes filios ad apostasiam sollicitent. Ergo si jus parentum jam antea altiore jure *exstinctum vel ligatum* est, aut si *usus juris prorsus impossibilis evasit,* nihil obstat, quominus infantes baptizentur et catholicae educationi tradantur.

3. At ex eo, quod baptismus *jure* conferri possit, et *licite* conferatur, nondum semper sequitur *expedire,* ut re ipsa conferatur. Praecipue aliquando obstare potest periculum majus communi causae religionis imminens.

83 Hinc: 1) licite confertur baptismus, et pro circumstantiis dari debet *filiis servorum,* si qui in conditione strictae servitutis juste exsistant;

2) licite confertur aut conferri debet iis infantibus, quorum parentes ubi exsistant, nescitur, neque spes est id pro comperto habendi;

3) licite per se conferretur baptismus infantibus infidelium, si qui justo bello capti essent; putant tamen communiter scriptores (cf. S. Alph., Lugo, Reuter ll. cc.), id generatim non expedire, sed licite posse fieri mutuam captivorum redditionem, tum quod causa fidelium, quibus potior cura debeatur, alias deterior evadat, tum quod illi infantes postea, amore parentum commoti, facile a fide defecturi sint;

4) jure suo utitur Ecclesia ac proin per se licite baptizat filios eorum, qui utpote baptizati Ecclesiae jurisdictioni subjacent, quantumvis ipsi Ecclesiam non agnoscant, idque sive uterque, sive alteruter parentum baptizatus est. At ex rationibus modo collatis id invitis parentibus fieri, generatim non expedit.

---

[1] Posse et debere baptizari etiam eos infideles non solum pueros, sed etiam adultos, qui deprehendantur *perpetuo amentes* fuisse et esse, quum per se pateat, vix opus est notari.

D. Infantes[1] infidelium licite baptizantur, si parentes aut alter- 84
uter eorum, aut ille, qui loco parentum paterna potestate utitur, in baptismum infantis consentit et simul consentit, ut puer extra domum paternam collocatus catholice educari possit[2].

Gravior autem difficultas est, quando in baptismum quidem alter parentum consentit, puer autem in domo paterna manere debeat atque ita periculo defectionis a fide seu educationis superstitiosae objicitur.

S. Congr. superiore saeculo, satis severam sententiam amplexa, in negandum baptismum inclinavit. At tum *antea,* tum — quod majoris momenti est — *postea* multo mitiore modo respondit. Anno 1637 S. C. Off. responderat: „Potest conferri baptisma filiis infidelium, quum adsit *spes justa* separationis a parentibus“: imo in antiquioribus etiam responsis ne talis quidem spes urgebatur. Anno vero 1867 hoc responsum est: „Remittendum prudenti arbitrio et conscientiae Missionariorum, audito, si fieri possit, Praefecto Apostolico, qui in expositis circumstantiis baptizare possint pueros a parentibus non baptizatis oblatos, dummodo in singulis casibus non praevideatur ullum adesse grave perversionis periculum, et dummodo non constet, parentes ob superstitionem filios offerre baptizandos.“ Quo edicto ex mente peritorum virorum haec duo tantum cavenda esse praescribitur in baptismo conferendo: 1) ne puerum ex circumstantiis *singulare* aliquod seu extraordinarium periculum incursurum esse judicari debeat; 2) ne Missionarius ita agat, ut parentum ethnicorum superstitioni conniveat: quare si parentes superstitione quadam moventur ad puerum pro baptismo offerendum, missionarius eos nonnihil instruere et dedocere debet. V. Gallo l. c.

Multo magis etiam baptismus conferri potest, alterutro parente *qui baptizatus sit* consentiente. Juvat in hunc finem referre responsum Clementis VIII., prout in tabulis S. Officii continetur sub 12. Oct. 1600: „Proposito dubio, an filii mulierum christianarum et patris Turcae . . . sint baptizandi, instante patre vel matre, quum pater in progressu aetatis illos instruat in secta mahometana, et filii timeant profiteri se esse christianos: Sanctissimus, auditis votis, *decrevit, ut baptizentur.* Moneatur Episcopus, ut diligenter curam educationis habeat, et exprimat (sc. in proponendo dubio) si certum sit, quod omnes efficiantur Turcae, apostatent a fide et labantur in Mahometanismum: si non adsit certitudo apostasiae, baptizentur; si adsit, iterum proponatur (sc. dubium istud).“ — Unde concludes, ne in apostasia quidem certo praevisa ausos esse Patres, baptismi conferendi licentiam *absolute* negare. Haec pro extraordinariis adjunctis. In ordinariis quidem adjunctis Ecclesia, ut filios infidelium vel acatholicorum baptizet, solet, nisi periculum mortis adsit, exspectare consensum alterutrius parentis vel ejus, qui locum tenet, atque probabilem spem catholicae educationis. Cf. Coll. Conc. Lac. vol. III. col. 29. 634. 740. 779.

---

[1] Hîc quoque et in sequentibus agitur semper de infantibus veri nominis seu liberis usum rationis nondum habentibus, quum de reliquis sub *A* et *B* satis dictum sit.

[2] Idque verum est, etsi filium jam Ecclesiae vel viro catholico concreditum postea repetere velit: nam prior oblatio et acceptatio, quum juridice valida fuerit, non debet in praejudicium aeternae salutis prolis postea rescindi, neque proles, etsi nondum baptizata, reddenda est. Cf. Bened. XIV. in Constit. *„Postremo mense“* n. 18. Similiter infans *expositus* juste assumitur in curam a fidelibus, et parentibus postea forte repetentibus jure denegatur. V. S. Alph. l. c. n. 130.

929. 1097: ubi simul etiam pro mortis articulo *obligatio* inculcatur hos limites negligendi atque omnes, si occasio se obtulerit, baptizandi.

85 *E.* Baptizari non licet infantes bene valentes: 1) si parens uterque infidelis (non baptizatus) repugnat, neque jus in infantes reipsa excercere desiit;

2) si parentes in baptismum quidem consentiunt, sed non in catholicam educationem, idque eo modo, ut periculum perversionis magnum sit seu extraordinarium;

3) si missionarius sua agendi ratione superstitionem infidelium, qui filios suos baptizandos offerunt, fovere dicendus est: sed id opportuna declaratione potius quam negato baptismo caveat.

Neque id jam pro superstitione per se haberi debet, si pater offert filium ad baptismum, ut a morbo liberetur. Teste Benedicto XIV. S. Officium 24. Sept. 1699 decretum edidit: „puerum, quem pater Judaeus offerat ad baptismum, ut liberetur a morbo, esse baptizandum“: quod intellige, modo puer aut a parentibus Judaeis separari possit, aut aliunde spes concipiatur periculi perversionis ita mitigandi, ut jam adeo magnum et extraordinarium non sit.

86 *F.* Disputant theologi, num publica auctoritas sive ecclesiastica sive civilis summo jure licite id agat, ut, parentibus infidelibus invitis, filios baptizet, baptizatosque paternae potestati sublatos in tuto collocet. De qua quaestione, ut breviter, quid sentiendum sit, dicam, haec noto:

1. Ecclesia hanc potestatem non habet. Et revera eam per se et directe Ecclesiae non competere, ex eo efficitur, quod in infideles non baptizatos jurisdictionem proprie dictam non habet. Quare ea solum dubitatio esse potest, num Ecclesia indirecte eam potestatem exercere possit, quatenus Principibus fidelibus id praecipiat, quod ipsi jure *suo* facere possint. Qui si id possint, Ecclesiam illum juris usum praecipere aliquando posse, per se non repugnaverit.

2. At neque potestas civilis hanc potestatem generatim videtur habere. Eam potestatem illi competere negant S. Thomas innumerique theologi eum sequentes, affirmat Scotus cum suis. Sed rationes, quae S. Thomae assentiendum esse suadent, sunt hae: Civitas, si eam potestatem haberet, ea potiretur, aut 1) quod subditos suos ex se ad officia supernaturalis ordinis cogere posset, aut 2) quod infantes in suo jure posset defendere contra parentes, qui re ipsa seu objective gravissimam impietatem committere, proprios filios summo bono privare et extremo periculo exponere videntur.

Verum *prior* ratio non valet. *Posterior* quid valeat, exploremus. Si revera civitati hoc jus baptizandi inesset, necessarium sequeretur, ut parentes etiam privare deberet jure naturali secum retinendi filios. Sed hoc jure civitas eos privare nondum potest propter periculum, cui infantes exponuntur. Id patebit, si rem comparamus cum periculo temporalis mali, si quod filii patiuntur. Propter periculum mali temporalis enim, quod fortasse filiis a parentibus creatur, horum jura quae in filios habent, auferre non licet, nisi injustitia atque impietas gravis a parentibus inferenda jam immineat aut illata fuerit; (alioquin odiosissimi illius systematis, quod „Polizeistaat“ vocant, jura familiaria ad publicam potestatem transferentis patrocinium agere deberemus). A pari vel potiore ratione idem dicendum est relate

ad bona vel mala supernaturalis ordinis. Quorum bonorum procuratio eatenus tantum a civitate exigi potest (nisi Ecclesiae delegatio amplior accedat), quatenus post supernaturalem ordinem satis certo propositum jus ipsum naturale postulat, ut ille ordo servetur, vel potius ne alii in eo ordine damnificentur. Verum jus infantium, si solam rei naturam spectamus, nondum proxime urget, neque de gravi hujus juris laesione constat, nisi infantes in articulo mortis constituti sint. Alias enim differri baptismus potest, donec pueri ratione utantur, et pro propria sua voluntate baptismum aut eligant aut respuant. Mortis autem tempore non auctoritati civili tantum, sed cuilibet homini privato jus et obligationem esse fatemur, quantum possit, filiis infidelium baptismum conferendi. Imo non videtur a vero aberrare, qui *hanc potestatem* civili auctoritati inesse putet, etiam propositis poenis parentes ipsos infideles adigendi, ut filiis *morituris* baptismum conferendum curent, et potestatem, ut id fiat, invigilandi.

3. Sed quominus haec ipsa potestas proponendi poenas et invigilandi ex obligatione exerceri debeat, pericula communis boni et magnae perturbationis timor dissuadere possunt. Neque re ipsa civilem auctoritatem haec exercuisse legimus, ne illis quidem locis, ubi Ecclesia temporali auctoritate potiebatur.

4. Atque etiam ii, qui civitati generatim *jus* baptizandi filios infidelium 87
eosque parentibus eripiendi adscribere student, fatentur ingenue, id communiter nullatenus expedire, siquidem, ne commune bonum in periculum magnum vocetur, timendum sit. Alii vero ex eo, quod nunquam factum sit, jus faciendi deesse, colligendum esse putant. Ecclesia enim nunquam, ne apud piissimos quidem et potentissimos Principes, id urgebat, ut potestate sua ad infidelium filios baptizandos uterentur. Id vero aliquando sine tantis perturbationibus fieri potuisse videtur. Quare, etsi non certam, probabilem quandam rationem inde aliquis petere potest, qua colligat propterea neque Ecclesiam, neque Principes id fecisse, quod id non licere putaverint. Ita S. Thomas II. II. q. 10 a. 12 et III. q. 68 a. 10.

5. Solemnis prohibitio invitis parentibus baptizandi filios (exceptis casibus supra notatis) exstat relate ad *filios Judaeorum* ex Constit. Jul. III. et resp. S. C. Conc. 16. Jul. 1639: quae v. apud S. Alphons. l. c. n. 132 circa finem.

Appendix.

Graviter peccari praecipue potest praeterquam iis culpis, quae, 88
ubi de sacramentis generatim egimus, notatae sunt:

1. quando extra necessitatem alius praeter parochum jus baptizandi sibi assumit;
2. quando non-sacerdos sacerdoti, non-catholicus catholico libere praefertur in ministrando baptismo;
3. quando praeter casus exceptos baptismus solemnis extra ecclesiam confertur;
4. quando in solemni baptismo praetermittitur usus aquae consecratae, unctio chrismatis, oleive catechumenorum, aut aqua oleave vetera sine necessitate adhibentur, aut aliae caerimoniae notabiliter negliguntur;
5. quando adhibentur plures patrini quam duo, aut etiam duo, quorum uterque diversi sexûs est a baptizando;

6. quando diutius differtur baptismus infantium, aut adultis petentibus et rite dispositis denegatur;
7. quando per baptismum infantium parentum non christianorum contra jus, quamdiu ab illis in infantes retinetur, obstaculum creatur;
8. quando negligentiâ parochi fit, ut fideles, maxime obstetrices, imperiti maneant in conferendo baptismo necessitatis, aut quando negligit edocere, quo procuretur baptismus saltem conditionatus foetibus etiam immaturis et abortivis.

Tractatus III.

De Confirmatione.

Cf. S. Thom. III. q. 72, S. Alph. l. 6 n. 161—188, E. Müller l. 3 § 78—86, Benger *Pastoralth.* § 107.

Caput I.

De essentia et natura Confirmationis.

89 Confirmatio proxime post baptismum sequitur, atque baptismi quoddam complementum seu perfectio est, qua pleniora dona Spiritûs Sancti conferuntur.

Confirmatio est igitur sacramentum Novae Legis, quo unctione chrismatis et manuum impositione sub certa verborum forma homini baptizato detur plenitudo Spiritûs Sancti ad robur et fortitudinem.

Doctrinam catholicam de hoc sacramento fusius vide in Conc. Florent., Trid., in catechismo R. Hîc pauca potissimum pro praxi notabo.

§ 1.

De gratia, quam Confirmatio confert.

I. Confirmatio hominem baptizatum pleniore jure Christo dedicat eumque per novum characterem formaliter Christi militem constituit.

II. Per eandem confertur peculiare augmentum gratiae sanctificantis et Spiritûs Sancti donorum.

III. Quibus tandem adjungitur jus quoddam speciale ad auxilia gratiae, quibus homo contra fidei pericula atque insectationes fidei causa subeundas muniatur.

Explicatio. Nota ad I. Confirmatio novum characterem imprimit a baptismali charactere distinctum. Quod definitum est a Conc. Trid. sess. 7 *de sacr. in gen.* can. 9; idque ex PP. doctrina patet, qui hoc sacramento etiam „sigillum“ sive „signaculum“ quoddam ani-

mae imprimi affirmant, utique post mortem mansurum (cf. S. Greg. Naz. *orat. in S. baptisma* cp. 4. apud Migne t. 36 PP. gr. col. 364, et S. Ambros. *de Spiritu S.* lib. 1 cp. 6 apud Migne t. 14 PP. lat. col. 723). Quare ne hoc quidem sacramentum Ecclesia unquam permisit iterari.

Ad II. SS. Patres hoc sacramentum semper collocant in numero 90
eorum sacramentorum, quae suscipienda sunt ab iis, qui supernaturali vita jam vivunt. Quapropter gratiam sanctificantem *augeri,* planum est. — Sed esse hanc excellentem quandam gratiae sanctificantis augmentationem, dubium esse nequit. Nam sacramentum confirmationis prae aliis sacramentis illud vocatur, quo detur Spiritus Sanctus, quod tum ex Act. Ap. 8, 17, tum ex quotidiana Ecclesiae doctrina habetur, atque in ipsis orationibus confirmationem concomitantibus exprimitur. Verum certissimum est, in omnibus sacramentis, speciatim in baptismo, conferri Spiritum Sanctum. In omni enim justificatione cum divino dono caritatis et sanctificantis gratiae ipsum donum increatum vel totam sanctam Trinitatem speciali modo in animam illabi, doctrina catholica est, atque ipsissimis Christi Domini verbis docetur Joan. 14, 23: atque per baptismum Spiritum Sanctum dari satis innuitur Joan. 3, 5. Quare ut nihilominus in confirmatione per excellentiam dici possit, Spiritum Sanctum dari, fateri debemus, majorem copiam prorsus *abundantem* gratiae sanctificantis et donorum Spiritûs Sancti conferri.

Ad III. Finis autem specialis hujus sacramenti elucet ex auxilio actualis gratiae, quod propter confirmationem fidelibus suo tempore confertur: idque ad robur et fortitudinem referri, tum SS. Patrum explanatio, tum caerimoniae Ecclesiae probant. Instructio ad Arm. dicit „datur Spiritus Sanctus ad robur . . . ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat et praecipue crucem ejus, quae Judaeis quidem est scandalum, gentibus autem stultitia".

Neque melius effectus illos aliquis intellecturus est, quam si mentem 91
converterit ad caerimonias, quae sive ex ipsius Christi institutione, sive ex ecclesiastica lege adhiberi debent. Nam:

1) *Unctio* ipsa indicat, fidelem praeparari *ad pugnam* ad eamque roborari.

2) Unctio fit oleo cum balsamo mixto. *Oleum* per se nitorem conscientiae designat, atque ita ipsum Spiritum Sanctum, qui est animae nitor atque splendor. *Balsamum* vero odorem sanctitatis et fragrantiam omnium virtutum significat, quibus fideles tamquam Christi bonus odor exemplum sanctae vitae coram toto mundo exhibere debent: ad quod efficiendum copiosa gratia donatur.

3) Unctio fit *in fronte* per modum *crucis:* quo indicetur virtus data contra omnem vanum timorem et erubescentiam, simulque obligatio Christum ejusque crucem ubique intrepide confitendi, atque gloriandi in opprobriis ejus causa tolerandis.

4) Unctio fit sub *impositione manûs:* quae manûs impositio et consecrationem quandam et deputationem, et rei alicujus apprehensionem et approbationem significat. Deputatur christianus in militem; de novo fit speciali titulo res et proprietas Spiritûs Sancti, qui eo uti vult tamquam instrumento ad divinos supernaturalesque actus perficiendos.

5) Denique *alapa* data sub verbis „Pax tecum“ signum est, quo admoneatur confirmatus, se collocatum esse inter milites Christi tamquam in nobili equitum ordine: se pugnare quidem strenue debere contra spirituales hostes, at hanc ipsam pugnam cum vera pace consistere atque ad perfectam tandem pacem in coelis praeparare.

Videtur scilicet aliquibus haec caerimonia desumpta esse ex more Germanico infligendi alapam vel ictus in compluribus actionibus solemnioribus, inter alias in creatione equitis: de qua origine vide, quae Dr. Münz disputavit in *„Katholik“* t. 21 a pag. 24 (an. 1869). Alii, ut Assemann et post eum Probst (*Verwaltung des hohenpriesterlichen Amtes* § 12) putant, hanc caerimoniam ortum ducere ex osculo pacis in lenem maxillae tactum mutato: qua explicatione assumpta, etiam apparet intentio Ecclesiae, quae innuere vult, statum christianae militiae cum vera pace intime esse conjunctum.

§ 2.

De materia et forma, quae confirmationem ut gratiae efficax signum constituunt.

92 I. Materia remota ut indubia sit, requiritur chrisma 1) ex oleo olivarum et 2) balsamo confectum, 3) benedictum, i. e. consecratum 4) ab Episcopo, 5) idque speciali chrismatis benedictione.

II. Materia proxima ut certo valeat, fieri debet unctio 1) in fronte confirmandi, 2) per modum crucis, 3) immediate per manum Episcopi, non mediante instrumento.

III. Actionem aliam praeter eam, quae in hac unctione continetur, ad essentiam Sacramenti non requiri, satis certum est.

IV. Forma autem „signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti“ secundum omnes suas partes probabiliter essentialis est, ita ut omissio aut mutatio, nisi haec fiat in sensum aequivalentem, dubiam reddat confirmationem.

93 **Explicatio.** Nota ad I. 1. Oleum *olivarum* certo ad valorem requiritur, quia id solum oleum simpliciter dictum est: quare nunquam oleum nucum aliave olei genera adhiberi licet. Cf. Florent., vel Eugen. IV. *ad Arm.* (Denzinger n. 592).

2. Balsamum num de essentia sit, non omnes quidem conveniunt; at verius videtur dici, illud ad essentiam pertinere, sufficere tamen cujuslibet speciei balsamum: Eugen. IV. l. c.

3. Consecrationem eamque per Episcopum factam per se ad valorem requiri, *dubitari nequit.* Cf. praeter Florent. decr. S. Officii vel potius SS. Pontificum Pauli V. et Greg. XVI. (13. Jan. 1611 et 14. Sept. 1842) circa oleum extremae unctionis, quam oleo episcopali benedictione non consecrato, sed a sacerdote, in casu necessitatis (sine potestate a S. Pontifice accepta) valide ministrari posse, ut temerarium et errori proximum rejectum est. Quare id eo magis de confirmatione dici debet, quum oleum extremae unctionis a Graecis presbyteris valide benedici constet, chrisma confirmationis nunquam nisi ab Episcopo benedictum adhibeatur. Denz. n. 1494 et 1495.

4. Nihilominus S. Pontifex videtur posse simplicem presbyterum ad consecrandum chrisma delegare: aliqua enim exempla occurrunt talis facultatis datae. Sed hodie, quantumvis facultas conferendae confirmationis non raro detur, *semper* praescribitur usus chrismatis ab Episcopo confecti, nullius difficultatis in eo comparando ratione habita. Cf. Ben. XIV. *de syn. dioec.* lib. 7 cap. 9.

5. Debere autem eam consecrationem pro chrismate *specialem* esse, jam partim colligitur ex necessitate balsami admixti. Ceterum haec necessitas non est extra omnem controversiam, ita ut aliquatenus probabiliter valor subsistat, si oleum catechumenorum vel infirmorum adhibitum sit. Cf. S. Alph. n. 162 fere in fine.

Ad II. 1. Unctionem in *fronte* ab antiquissimis temporibus omnia documenta exhibent, ita ut „in fronte chrismate ungere“ pro sacramento confirmationis exprimant illudque opponant caerimoniae, quae *per sacerdotem* fiat post baptismum, cui liceat „non in fronte, sed in vertice“ ungere.

2. Signum crucis ad essentiam requiri, ex eo probabiliter omnino eruitur, quod „signatio“, quam in confirmatione fieri antiqua traditio docet, illo signo externo exprimi debeat, quo omnes, quotquot Deo et aeternae vitae adscribuntur, insigniti sint oportet, et per quod omnis victoria spiritualis refertur. Insuper latinae formae exordium non verificatur, nisi signum crucis a ministro ducatur.

3. Debere fieri unctionem non mediante instrumento, sed immediate per manum Episcopi, idque ad essentiam pertinere, omnino tenendum est contra paucos quosdam scriptores (v. S. Alph. n. 166), quorum singularis opinio refellitur ex iis, quae de necessitate impositionis manuum dicenda restant.

Ad III. 1. Aliquam manûs impositionem in confirmatione re- 94
quiri, vix videtur negandum esse, quum hanc prae aliis caerimoniis commemoret S. Scriptura (Act. 8, 17). Et quamquam ex eo inferri nequit, unctionem chrismatis ab essentia excludi — quod catholicae doctrinae prorsus adversatur — (de quo fusius v. dogmaticam theologiam), tamen juste infertur, impositionem manûs etiam includi debere.

2. Porro aliqui auctores putabant, ut Merbes., Juenin etc., hanc impositionem manuum essentialem eam esse, quae unctionem singulorum praecedit, atque super omnes confirmandos in communi fit, quando Episcopus implorans Spiritûs Sancti dona manus extendit. At communis omnino doctrina eaque certissima est, eam solam manûs impositionem essentialem dici posse, quae ungendo exercetur, seu eo ipso, quod Episcopus *manu sua* tangit confirmandum, exsistere actionem, quam manûs impositionem jure vocemus. Atque haec ita esse, probatur 1) ex ritu Orientalium, qui generali illa manuum extensione non utuntur, sed sacramentum confirmationis certissime habent. 2) Bened. XIV. *de syn. dioec.* l. 13 cap. 29 n. 17 dicit, facta illa manuum protensione ab Episcopo super primos confirmandos, passim in locum eorum alios subintrare, eosque confirmari non iterata manuum extensione, neque propterea de valore sacramenti ullatenus dubitari. — Insuper qua Pontifex in epist. encycl. *„Ex quo primum“*, quamquam fatetur, se nolle dirimere opiniones theologorum controversas, tamen

dicit: „Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur, nimirum in Ecclesia Latina confirmationis sacramentum conferri adhibito sacro chrismate seu oleo olivarum balsamo immixto et ab Episcopo benedicto, ductoque signo crucis per sacramenti ministrum in fronte suscipientis, dum idem verba formae profert.“ Quae omnia ostendunt, actionem ungendi in se continere eam manûs impositionem, quae essentialis sit, neque hac de re locum dubitandi relinqui.

95 Ad IV. Exprimi debet in forma, ut valeat: 1) signatio confirmandi, 2) collatio uberioris salutis seu gratiae Spiritûs S., 3) probabiliter (quamquam minime certum est) invocatio SS. Trinitatis per distinctam trium personarum expressionem, ut in baptismo.

Apud Graecos autem forma haec est: „Signaculum doni Spiritûs Sancti.“ Attamen ut invocationem SS. Trinitatis essentialem esse sustineatur, statuunt, apud Graecos invocationem SS. Trinitatis, quam precando praemittunt, probabiliter ad essentiam pertinere; idque dici *debet, si* in latina forma verba: „in nomine Patris etc.“ valorem attingunt.

Ceterum nimis absonum est, de valore graecae formae, si omnis eorum ritus praescriptus servatus sit, vel minimum dubitare.

Caput II.

De ministro Confirmationis.

96 I. Minister ordinarius confirmationis (sc. vi ordinationis seu characteris episcopalis) est solus Episcopus. Est de fide, Trid. sess. 7 can. 3. *de confirm.*

II. Minister extraordinarius, i. e. ex delegatione, potest esse simplex sacerdos. Est doctrina catholica *certa,* sc. ex continua praxi Eccles., Eugen. IV. *ad Armenos* l. c.[1]

III. Obligatio gravis conferendae confirmationis, ordinarie loquendo, ita restringitur, ut Episcopus debeat aliquoties opportunitatem suis subditis praebere sacramenti confirmationis accipiendi. — Si igitur per 8—10 annos hanc opportunitatem non praebeat, ex communi doctrina *graviter* peccet, nisi vera necessitate impediatur (vide S. Alph. 175). Ut autem plene obligationi satisfaciat, frequentius conferre debet.

IV. Modus vero et ritus in Pontificali describitur: *gravis* transgressio esset 1) notabilis caerimoniae accidentalis omissio, 2) omissio

---

[1] Primis sc. temporibus, quum Episcopus ipse consuevisset baptismum conferre, presbyter tantum ex speciali mandato Episcopi, statim post baptismum solebat conferri confirmatio. Sed quum augeretur numerus baptizandorum atque infantes recenter nati statim baptismi causa afferrentur, Episcopi baptizare per se non amplius poterant, sed presbyteris hanc provinciam universim committere debebant. Quo tempore in latina Ecclesia separatio facta est confirmationis a baptismo; in orientali Ecclesia cum commissione baptizandi simul confirmandi facultatem presbyteri acceperunt approbante supremo Ecclesiae pastore: quae diversa disciplina hucusque perdurat.

omnis vestis sacrae stricte *pontificalis:* alias leve peccatum est, paululum a praescripto Pontificalis recedere.

Explicatio. Ad I. Episcopus quoslibet quidem valide confirmat; 97
licite tamen solos subditos, vel potius solum intra limites suae dioecesis. Nam quotquot ibi inveniuntur, sive vagi, sive peregrini, sive quasi-domicilium habentes, ex communi consuetudine licite confirmat, nisi forte in peregrinos eorum Episcopus expresse contradixit. — In aliena autem dioecesi nulli Episcopo confirmare licet, nisi Episcopi proprii consensus accessit: alioqui graviter peccatur (S. Alph. n. 171 et 172).

Ad II. 1. In Ecclesia graeca sacerdotes confirmare valide et licite, approbante S. Pontifice, dubium esse nequit. — Atque etiam in latina Ecclesia quam plurima exempla sunt facultatis missionariis datae, ut sacramentum etiam confirmationis conferant. Quare recte Ben. XIV. l. 7 cap. 7 n. 6 et 7 *de syn. dioec.* de ea re disputans dicit, nunc R. Pontifici eam potestatem valide delegandi presbyteros negare, instar sacrilegii esse.

2. Utrum vero ex jure divino delegatio R. Pontificis requiratur, an sufficere possit delegatio Episcopi, non ita clarum est (v. Ben. XIV. l. c. cap. 8). Certum autem est, R. Pontificem illud jus sibi reservare posse, atque nunc revera neminem, R. Pontifice excepto, simplici presbytero delegationem valide confirmandi dare posse (ibid.); hanc autem in graeca Ecclesia generali concessione sive tacita sive expressa adesse.

3. Quum igitur presbyter ex sola delegatione completam potesta- 98
tem habere possit, qua valide confirmet: id discriminis est inter confirmationem ab Episcopo et a presbytero *alienis* collatam, ut Episcopus, quantumvis illicite, valide tamen confirmaverit, presbyter vero, sive quoad tempus sive quoad locum vel personas delegationem excessit, sacramentum nullatenus confecerit.

Quare sacerdotes etiam Graeci ab aliquo Episcopo missi, cui R. Pontifex expresse abstulerit facultatem, invalide confirmant (v. Ben. XIV. l. c. c. 9 n. 3). Atque prorsus certum est, presbyteros Graeco-Italos hanc facultatem non habere, quum pro iis regionibus Summi Pontifices pluries declaraverint, se nullatenus velle, ut ille ritus Graecorum servetur. (Cf. Const. Ben. XIV. *„Etsi pastoralis."*) Ceterum, nisi expresse facultas confirmandi alicubi dempta sit, a Graecis presbyteris schismaticis secundum eorum ritum valide conferri confirmationem, certum fit ex responso Sancti Officii, quod a Summo Pontifice confirmatum est. Vide Conc. Collect. Lac. t. 6 col. 567 sqq.

4. Qua vero ratione et modo presbyter per delegationem hanc facul- 99
tatem confirmandi accipere possit, operae pretium esse duxi, paucis exponere[1]:

---

[1] Cf. libellos periodicos Oenipontanos sive „Zeitschrift für kathol. Theologie", Innsbr. 1882 pag. 567 sqq.

1) Ut actio aliqua a Christo instituta rite et vere ut sacramentalis actio exerceatur, communiter opus est potestate *ordinis*. Haec potestas ordinis completa habetur in Episcopis, minus plena in presbyteris. Presbyteralem potestatem pro reliquis sacramentis, excepto ordine et confirmatione, sufficere, nemo dubitat.

2) Nihilominus in uno sacramento, scilicet in poenitentia, ordinis potestatem non sufficere, sed requiri insuper potestatem jurisdictionis, notissimum est. Quare et ordinis et jurisdictionis potestas in eodem ministro concurrere debent, ut sacramentalem absolutionem valide impertiat. An igitur pro sacramento confirmationis simili modo utramque potestatem in sacerdote conjungi dicamus, quo valide confirmationem conferat? Sunt qui putent, sacerdoti certam aliquam jurisdictionis potestatem conferri posse, quae si accedat ad potestatem ordinis presbyteralis, completam constituat potestatem conferendae confirmationis. At non puto, ita recte rem explicari.

3) Scimus Episcopum vi solius ordinis confirmationis conferendae potestatem habere. Jurisdictio in sacramento poenitentiae ex natura rei requiritur, quia sacramentum poenitentiae per modum judicii institutum est: repugnat autem judicium fieri ab eo, qui judex non sit, seu jurisdictionis potestatem nullam habeat. At in sacramento confirmationis natura rei id non postulat, neque naturae rei id convenire videtur. Potestas ordinis videlicet, quam in episcopo sufficere videmus, non in aliquo habitu operativo consistit, sed, etsi qualitas physica sit animae inhaerens, ejus tamen naturae est, ut *dignitatem* personae tribuat, quam dignitatem Christus sua institutione postulavit, ut ritus sacer a tali persona positus sacramentum evadat. Dignitatem illam plenam pro confirmatione requisitam habet Episcopus eamque perpetuam, indelebilem. Presbyter, quum dignitatem minus plenam habeat, nondum aptus est ad confirmationem administrandam. At ex natura rei fieri posse videtur, ut dignitas aliqua transiens, mutabilis, delebilis conferatur, quae aliquem in eadem dignitate quadamtenus constituat, quam Episcopus habet ex sese, seu ex indelebili ordinatione. Idque optime convenit ipsi confirmationis naturae. Confirmatione enim homo baptizatus *miles Christi* constituitur: porro militem facere, per se *ducis* est: dux vero quodammodo natus et princeps in Ecclesia est Episcopus. At cum rerum natura non pugnat, supremum principem posse id, quod per se ducibus competit, alteri committere, ita ut illum transeunter in illa dignitate et potestate conscribendorum militum constituat. Similiter in nostro casu rem concipere liceat, videlicet presbyterum, qui accipit a Summo Pontifice facultatem confirmandi, elevari relate ad hujus sacramenti collationem extrinsecus ad majorem dignitatem, quam ea est, qua per characterem sacerdotalem utitur, seu dignitatem presbyteralem extrinsecus a Summo Pontifice compleri: aliis verbis, potestatem *ordinis* (quae in sola dignitate consistit) compleri in sacerdote, non vero potestatem ordinis cum potestate jurisdictionis conjungi, ac si ex hac conjunctione evaderet completa potestas confirmandi. Posse autem ipsum S. Pontificem non *quoslibet*, sed *solos presbyteros*, qui incompletam dignitatem intrinsecam jam habeant, deputare, res facti est, positivâ Christi voluntate constituta.

4) Ergo id *quod* presbyter *recipit*, ut possit confirmare, non est potestas jurisdictionis, sed est *dignitas*, quae ad eandem speciem refertur ac potestas ordinis, attamen potestas ordinis non recte vocatur, quia non in-

trinsecus per ordinationem, sed extrinsecus per delegationem confertur. Id vero, *quo* fit, ut Summus Pontifex presbyterum ita elevare et aptum ministrum confirmationis facere possit, utique potestas jurisdictionis est, qua supremam facultatem *regendae* Ecclesiae habet.

Ceterum sive haec explicatio sive alia datur, res ipsa integra manet. Scimus enim, revera Christum ita instituisse sacramentum confirmationis, ut, accedente voluntate Pontificis, simplex presbyter illud conferre possit. *Quomodo* vero id cogitare possimus vel debeamus, si quaeritur: ea explicatio melior est, quae cum *natura hujus* sacramenti et cum *analogia aliorum* sacramentorum magis conveniat.

Ad III. 1. Communis sententia est, Episcopum non obligari ad con- 100
ferendam confirmationem moribundo petenti (S. Alph. n. 175): nam si id uni faciat, alteri neget, ratio scandali sit; si vero omnibus satisfacere velit, grave omnino onus ipsi imponatur.

2. Posse tamen id fieri, imo pro specialibus rerum adjunctis id laudabiliter fieri, ut Episcopus sese paratum exhibeat ad moribundos privatim confirmandos, exemplum heroicum S. Caroli Borrom. demonstrat, qui tempore pestis eos, qui lue infecti erant, ne confirmationis quidem sacramento privatos esse voluit, sed spreto periculo ad publica nosocomia accedebat, ut sua manu illud coeleste solatium morituris afferret.

Ad IV. 1. Ut severae obligationi satisfiat, satis est, Episcopum indui *amictu* super rochettum et *stola;* decet vero secundum Pontificale, ut adhibeat etiam *mitram,* pluviale, et ut baculus pastoralis a clerico teneatur. (S. Alph. n. 184.)

2. Omissio alapae culpa *levis* censetur; omissio vero orationum, quae praecedunt confirmationem, gravis haberi debet; a fortiori quilibet defectus, qui dubium reddat sacramenti valorem.

3. Patrinus, isque unus tantum, *per se sub gravi* adhibendus est. Attamen si haberi nequit, sine peccato omittitur. Patrinus autem debet esse 1) confirmatus, 2) designatus sive a parentibus, sive a confirmando, sive ab Episcopo; 3) debet tangere confirmandum.

4. Quamquam convenit, ut si fieri possit, confirmatio *mane* conferatur, tamen verum praeceptum non est. Et licet locus proprius ecclesia sit, tamen rationabilis causa excusat ab omni culpa, si alius locus eligitur, neque unquam per se sub gravi locus sacer exigitur: (v. Pontificale, S. Alph. n. 184).

5. Si qui presbyteri ex delegatione R. Pontificis confirmant, ex instructione 21. Martii 1774 data et 3. Apr. ejusdem anni a S. Pontifice confirmata (v. in *appendice* ad Rit. Rom.) 1) severe praescribitur, ne audeant insignia pontificalia assumere, sed *albâ et stolâ* induti confirmationem administrent; 2) jubentur antea vernaculâ linguâ delegationem suam populo praelegere et explicare, ne doctrina illa oblivioni tradatur, solum Episcopum esse ordinarium confirmationis ministrum.

Caput III.

De subjecto Confirmationis, ejusque suscipiendae obligatione.

101 I. Confirmationis capax est quilibet homo fidelis baptizatus, cui saltem interpretative voluntaria sit confirmationis susceptio.

II. Quamquam in *latina* Ecclesia praxis communis est non conferendi seu recipiendi confirmationem nisi post annos discretionis, tamen lex proprie dicta non exsistit. Quare non tantum consuetudo Ecclesiae graecae in suis locis servanda est, ut scil. infantes statim post baptismum confirmentur, sed etiam idem de consuetudine legitima Hispaniarum dici debet, secundum quam infantes ad confirmationem adducuntur. Imo in aliis quoque regionibus ex rationabili causa ita etiam cum laesione communis praxis agere licet (v. Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 7 cap. 19 n. 8).

III. Obligatio suscipiendae confirmationis *per se* gravis non videtur esse. Gravis autem evadere potest ejus omissio ratione contemptûs, ratione scandali, ratione peculiaris periculi et infirmitatis spiritualis: quamquam haec ultima ratio rarissime in praxi urgeri potest, quum alia media, quibus homo necessaria auxilia divinae gratiae sibi comparare possit, omnibus suppetant.

IV. Dispositio necessaria est status gratiae, ab eo, qui lapsus est, aut per contritionem aut per confessionem acquirendus (v. Pontificale R.).

102 **Explicatio.** Ad I. Interpretative seu habitualiter implicite voluntaria est confirmatio cuilibet, qui christianam vitam amplexus est in eaque permanet (cf. *de sacr. generatim* n. 48). Infantes autem, sicut in fide Ecclesiae baptizantur, ita etiam confirmari possunt.

Ad II. 1. De aetate secundum communiorem praxim latinae Ecclesiae habes in Catechismo Rom. P. II c. 3 q. 17: „quare si duodecimus annus non exspectandus videatur, usque ad septimum certe hoc sacramentum differre maxime convenit". Non convenire illud differre usque ad primam Communionem, docet Leo XIII in ep. ad Ep. Massil. d. d. 22 Junii 1897: v. *Etudes t. LXXII p. 514.*

2. Nihil impedit, quin in teneriore etiam aetate infantes adducantur, 1) si aliquod periculum est, ne prius decedant; 2) si Episcopus impeditus non potest frequentius confirmationis occasionem praebere.

103 Ad III. De obligatione suscipiendae confirmationis, si occasio offeratur, acris est controversia. Negant obligationem gravem S. Thom. III q. 72 a. 1 ad 3 et a. 8 ad 4, eumque plerique et gravissimi theologi secuti sunt, quorum ultra viginti S. Alph. n. 181 affert; affirmant S. Bonav., S. Anton. cum aliis. Hodie complures auctores S. Alphonsum secuti negativam sententiam defendere vix audent propter Const. Bened. XIV „*Etsi pastoralis*" de ritibus et dogmatibus Graecorum, ubi de Graeco-Italis loquens (§ 3 n. 4) ait: „Monendi sunt ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si, quum possunt ad confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt."

Clarius hanc opinionem amplexi sunt Card. ex Congr. de Propag. Fide, qui „Instructionem pro simplici sacerdote sacramentum confirmationis ex delegatione Sedis Apostol. administrante“ 4. Maji 1774 confecerunt, in appendicem Ritualis Rom. translatam, quum ad Constitutionem Ben. XIV. remittentes simpliciter dicant: „hoc sacramentum . . . sine gravis peccati reatu respui non potest, ac negligi, quum illud suscipiendi opportuna adest occasio“: quod eo gravioris momenti est et auctoritatis, quia Sum. Pontifex Clem. XIV. hanc instructionem approbavit et servari jussit.

At hisce omnibus non obstantibus, non immerito Scavini tom. III. n. 97 nota — quamquam ipse non plane assentitur — animadvertit, etiam nunc esse, qui dicant, verba Ben. XIV. non concludere. Et revera, donec clarius Ecclesia obligationem gravem exsistere declaraverit, prorsus existimo, de gravi peccato non constare, nisi extrinsecus alia ratio accedat, quam supra indicavi.

Nam gravis obligatio probaretur aut ex rei natura, aut ex positiva Dei lege, aut ex positiva lege ecclesiastica. At nullo ex his capitibus satis probatur.

Ex natura rei id non probari, clare evincitur ex iis, quae disputat S. Alph. tum l. c., tum l. 6 n. 733 *(de extrema unctione),* siquidem id, quod ad *majus* auxilium et *pleniorem* tantum sanctificationem institutum est, per se non est de necessitate salutis, ut bene arguit S. Thomas.

Ex lege divina gravis obligatio non eruitur, quia neque in Sacra Scriptura neque in Traditione tale argumentum invenitur: certe mirum esset, tot auctores, qui negativam opinionem defendant, *clarum* praeceptum, si quod esset, non vidisse.

Tandem neque ex *lege ecclesiastica* certa probatio affertur. Textibus antiquorum canonum ex hoc solo supersedere possumus, quod S. Alph. l. c. eos ut inter infirma argumenta rejecit, ipseque in *sola* Constitutione Ben. XIV. insistat. Sed quamquam fatemur, Ecclesiam ejusmodi legem certissime condere posse, eam tamen vere latam esse negamus.

Primo enim Constitutio illa Ben. XIV. certe controversiam theologorum dirimere noluit. Si enim, quae agere soleat Ben. XIV., attendas, quando controversas quaestiones supremo oraculo finire vult, nihil ex iis *hîc* eum fecisse deprehendas. Solummodo quasi transeundo verba supra citata affert, quum alias in definiendis quaestionibus singulas sibi contrarias quaestiones enumerare easque discutere consueverit. — Dein, quod maximi momenti est, pro Graeco-Italis peculiaris ratio erat, obligationem gravem non tam imponendi, quam explicandi, quae pro reliquis fidelibus communiter non adest. Graeco-Itali enim aliquando suo ritui inhaerentes contra omne fas infantes a simplicibus sacerdotibus, quibus omnis facultas a R. Pontificibus dempta erat, confirmandos curabant, neque induci poterant, ut ab Episcopis latini ritûs, sicut Pontifices volebant, confirmationem reciperent. Illi igitur, quando confirmationem, data occasione, renuebant atque negligebant, facile et scandalum praebebant, imo et contemptum vel contumaciam prodebant. Quibus circumstantiis reatum gravis peccati induci, nemo est, qui neget. At inde, communi lege neglectam confirmationem reatum gravis peccati involvere aut Romanum Pontificem eam communem legem condidisse, inferri nequit.

Secundo instructio illa in appendice Ritualis Romani relata faciliore etiam negotio expeditur. Ultro enim damus, Patres illos ex parte eorum

stetisse, qui communiter grave peccatum in omissa confirmatione inesse putavere. At haec sententia *opinio* est, quae contra se communiorem opinionem habet, neque lex evadere ullatenus potest. Ut enim taceam, Congregationem de Propag. Fide non pollere legifera potestate pro universali Ecclesia: *forma legis* omnino deest. Lex enim, quae ex natura sua universum populum christianum spectat, ad eum certe dirigitur; instructio autem illa, de qua sermo est, solos presbyteros spectat eosque paucissimos, qui extraordinaria delegatione a Summo Pontifice donati sunt. Neque approbatio Summi Pontificis eam amplioris auctoritatis facit, quoniam, ut dixi, deest *forma legis*.

Ergo *instructio fidelium* ea sit, ut, omissa mentione gravis peccati, proponatur turpitudo ingratitudinis erga Deum et incuriae propriae perfectionis, et ita, si opus sit, urgeantur ad accipiendum illud donum, quo copiosa gratia et magna auxilia Spiritûs Sancti conferantur: nisi forte pro negligentioribus addere velis, *aliquando* adjuncta *externa* ea esse, ut sacramenti illius neglectus grave scandalum, contemptum, periculum personale grave, atque ita grave peccatum constituere possit.

104 Ad IV. 1. Confessio adultis semper *suadenda* est, eaque ex communi etiam consuetudine praemittitur.

2. Ex praecepto alia non requiruntur, nisi status gratiae, et cognitio ipsius sacramenti atque eorum, quae in quolibet homine fideli scitu necessaria sunt: nisi adjungas pro immediata praeparatione piam et devotam mentis compositionem. — Jejunum accedere, quando mane confertur confirmatio, Pontificale non jubet, sed suadet. — Imo, si usus alicubi est, praevie S. Eucharistiam sumi ab iis, qui jam ad S. Synaxim admissi erant, consuetudo est certe laudabilis.

Appendix.

Circa sacramentum confirmationis praecipua peccata gravia, quae occurrere possunt, sic habeto:

1. si ex materiae aut formae defectu culpabiliter admisso confirmatio invalida aut dubia evadit;
2. si Episcopus sine ulla sacra veste *episcopali* sacramentum confert;
3. si orationes, quae confirmationem ipsam praecedunt, quibus Spiritus S. imploratur, omittuntur;
4. si sine aliquali necessitatis causa patrinus omittitur;
5. si Episcopus in aliena dioecesi sine Ordinarii loci consensu confirmat;
6. multo magis, si simplex sacerdos delegatus delegationis limites transgreditur;
7. si sine vera necessitate Episcopus ultra 8—10 annos abstinet a praebenda dioecesanis opportunitate confirmationis recipiendae;
8. si fideles opportunitate oblata uti cum scandalo vel quodam contemptu negligunt.

Tractatus IV.

De SS. Eucharistiae Sacramento.

Inter scriptores, qui consuli merentur, praeter S. Thom. III. q. 73—83 et in IV. dist. 8—13 et S. Alph. l. 6. 189—424 noto hos: Suarez *de Sacramento Eucharistiae*, Lugo *de Eucharistia*, Lacroix lib. 6, Th. Tamburini *methodus Commun.*, Ben. XIV. *de sacrif. Missae et de syn.* lib. 6 et 7, Franzelin *de Eucharistia;* reliquos vide laudatos suo loco in singulis capitibus.

Baptismus et confirmatio hominem, ut vidimus, Christo conformant 105
atque assimilant, atque per hanc primam assimilationem, quae characteris signaculo efficitur, praemonstrant et quodammodo adumbrant suum omniumque sacramentorum principalem et plane divinum effectum, sanctificantem gratiam dico ejusque abundantiam, hominem vero quodam modo deificantem. Adeo copiose Deus suam caritatem atque Christi Redemptoris merita diffundere decrevit.

Verum Christus Dominus immenso erga homines amore flagrans illam deificantem gratiam multo sublimiore modo nobis conciliare voluit. Non solum per sacramenta spiritualem quandam animae secum conformationem efficere eamque pro pignore et signaculo gratiae sanctificantis dare constituit, sed realem personalemque unionem et intimum nexum cum membris suis inivit. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quo realiter ipse Deus-homo praesens est, hominibus pro cibo dedit, illumque perennem atque inexhaustum fontem abundantis gratiae et caritatis augmenti effecit: quo suavissimo et efficacissimo medio nobiscum ea omnia coelestia dona communicaret, quae piissima sua passione tam abundanter est promeritus.

„Ex omnibus sacris mysteriis, quae nobis tamquam divinae gratiae certissima instrumenta Dominus Salvator noster commendavit, nullum est, quod cum SS. Eucharistiae Sacramento comparari queat.“ Catech. Trid. *de Euch.* quaest. I.

Convenit cum reliquis sacramentis in eo, quod sit signum gratiae efficax, at modo longe excellentiore. Significat igitur secundum eundem catechismum Trid. q. XI. 1) passionem Christi, quae praeteriit — quod maxime postea elucebit ex sacrificii ratione —, 2) coelestem gratiam „quae praesens ad animam alendam et conservandam hoc sacramento tribuitur ... 3) tertium est, quod futurum praenuntiat, aeternae jucunditatis et gloriae fructus, quos in coelesti patria ex Dei possessione capiemus.“

Distinguitur autem hoc sacramentum ab aliis multis modis: 1. quod non tantum gratiam creatam continet hominibus conferendam, sed ipsum omnium gratiarum auctorem et datorem; 2. quod non in solo usu consistit, sed *permanens* sacramentum est, etiam antequam ejus usus incipiat: quare distingui debet a) sacramentum *in fieri,* i. e. sacramenti confectio seu consecratio, b) sacramentum *in facto esse,* seu

sacramentum permanens, c) sacramenti ad homines *administratio,* seu distributio; 3. tandem distinguitur hoc sacramentum a reliquis, quod S. Eucharistiae confectio non solum sacramentum est, sed simul sacrificii rationem habet.

Quapropter ex natura rei divisio in duas sectiones oritur, quarum priore rationem sacramenti, posteriore sacrificii rationem considerabimus.

Sectio I.

De SS. Eucharistia, ut est Sacramentum.

Hanc SS. Eucharistiae ut Sacramenti tractationem commode ita possumus dividere, ut cap. I. de *re* ipsius sacramenti seu de ejus elemento invisibili quod continet, sc. de reali praesentia et de SS. Sacramenti effectibus, II. cap. de sacramenti *confectione*, vid. de ministro, materia et forma, III. cap. de *usu* S. Eucharistiae, scilicet de ejus asservatione, distributione, susceptione agatur.

Caput I.

De re, quam continet SS. Eucharistia.

106 S. Eucharistia secundum catholicam fidem sacramentum est, quo sub speciebus panis et vini Corpus et Sanguis Christi continetur, et consequenter totus Christus, Deus et homo, vere, realiter et substantialiter praesens est, atque per corporalem sumptionem spiritualis animae refectio evadit, qua supernaturalis vita confortetur et augeatur. V. Trid. sess. 13 cap. 1 et 2.

§ 1.

De reali Christi in Eucharistia praesentia.

Ut summa capita catholicae doctrinae de reali praesentia ex dogmate brevissime complectar, haec commemoro:

I. In SS. Sacramento totus Christus vere, realiter et substantialiter praesens est.

II. Totus Christus praesens est sub utravis specie, et sub qualibet speciei parte.

III. Christus praesens fit per modum transsubstantiationis panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi.

Explicatio. Nota ad I. 1. Principio habeto doctrinam Conc. Trid. sess. 13. can. 1: „Si quis negaverit, in SS. Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini N. Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit, tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute: anathema sit.“

2. Quae veritas, humano intellectui humanaeque superbiae utique impervia, effatis S. Scripturae atque omnibus Traditionis documentis adeo clara et certa continetur, ut sine imprudentissima verborum detorsione atque maxime ridiculis effugiis a nullo possit negari. Quae omnium saeculorum documenta et SS. Patrum effata optime collecta, vel potius ex multis pauca selecta habes apud Hurter *comp. theol. dogm.* t. III. n. 342 sqq., Simar *Lehrb. d. Dogm.* § 149, Schanz *d. hl. Sacram.* § 29.

3. Quamquam ipsa verba institutionis et consecrationis solum 107
Corpus et Sanguinem exprimunt: tamen et ipsa ratio et perpetua Ecclesiae fides docet, Corpus et Sanguinem Christi in SS. Sacramento sic praesentia fieri, ut *re ipsa* exsistunt, i. e. tum inter se tum cum anima et Divinitate conjuncta; nam neque Corpus neque Sanguis Christi exsistunt separata, neque exsistunt mortua, multo minus ab hypostatica Divini Verbi unione dimissa. Hinc est, ut ecclesiastica definitione „Corpus quidem sub specie panis et Sanguinem sub vini specie ex vi verborum, ipsum autem Corpus sub specie vini, Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur, divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem“ exsistere dicamus. Trid. l. c. cap. 3.

Neque haec ita intelligenda sunt, quasi *verba* consecrationis *nullo modo* exigant praesentiam et sanguinis et animae et divinitatis Christi: — vere enim omnia haec nunc exigunt vi rei significatae, sed non exigunt vi solius significationis vocum per se sumptarum, utpote quae possint corpus mortuum, sanguinem separatum significare, idque vere significassent, si in triduo mortis Domini consecratio locum habuisset. Tametsi scilicet verba ex se solis abstrahant a statu vitae aut mortis, in quo exsistat corpus et sanguis, tamen propter statum Christi, in quo re ipsa est, i. e. propter statum vitalem, gloriosum, et hypostaticam unionem verba illa nunc contrahuntur ad significandum Corpus et Sanguinem Christi viva, gloriosa, atque semper et in omni suppositione qua hypostatice cum Divino Verbo unita.

Ad II. 1. De fide definita est, „in venerabili Sacramento Euchari- 108
stiae sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri“: siquidem Conc. Trid. id ipsum can. 3 sess. 13 docet, quae „si quis negaverit, anathema sit“.

2. *Definitum* igitur est, sub utriusque speciei *singulis partibus* Christum totum contineri, saltem quum partium separatio seu divisio facta sit. Ex qua definitione theologica explicatione satis certo concluditur, etiam ante separationem partium Christum totum sub singulis cujuscunque speciei partibus contineri. Nam: 1) separatio seu divisio sacramentaliter nihil operatur; 2) haec exsistentia Christi sub qualibet parte specierum vix aliter explicari potest, nisi ut dicamus, Christum *modum* sub speciebus exsistendi habere *spiritualem,* i. e.: sicut spiritus, velut anima humana in corpore, in toto spatio, cui coëxsistit, et in omni-

bus ejus partibus totus exsistit, ita Christus in tota hostia et in singulis ejus partibus totus exsistit, utique non plane secundum omnem illum modum, quo anima corpori, *cujus forma est,* coëxsistit.

109 Ad III. 1. Fieri transsubstantiationem, hoc dicit: 1) Substantiam panis et vini non remanere, sed cessare omnino, ita ut solummodo *accidentia* seu species panis et vini remaneant. 2) In locum substantiae panis et vini succedere Corpus et Sanguinem Christi, ita tamen sicut inseparabiliter conjuncta sunt cum anima et Divinitate, i. e. Christum totum praesentem fieri non solummodo quoad substantiam, sed quoad integrum ejus Esse, qualis gloriose in coelis exsistit. 3) Cujusmodi mutatio recte vocatur conversio substantialis seu transsubstantiatio, eo quod non est mera substantiae panis et vini annihilatio; sed desitio substantiae panis et vini ex ea ratione exigitur, quia Corpus et Sanguis Christi praesens ponitur; ideoque substantia panis et vini *desinit in* Corpus et Sanguinem Christi: aliis verbis, annihilationis terminus est nihilum, hîc autem terminus actionis sunt Corpus et Sanguis Christi praesentia ponenda. V. Trid. l. c. can. 2.

2. Ergo ex pane et vino nihil remanet, nisi accidentia. Sed accidentia seu species vere et objective remanent. Id enim cum dogmate conciliare nullo modo possumus, quod aliqui videntur imaginati esse, quasi nomine specierum cogitare possemus impressiones in sensus nostros immediate a Deo productas easdem, ac si substantia panis et vini adesset: nam revera aliquid objective manens assumere debemus, quod impressiones illas in sensus humanos faciat.

110 3. Neque tamen ita Corpus et Sanguis Christi in locum substantiae panis et vini intrant, ut omnino ejus vice fungantur. Nam substantia panis et vini substratum erat, cui tamquam subjecto accidentia inhaerebant: verum Corpori Christi ejusve Sanguini accidentia panis non tamquam subjecto inhaerent, sed divinitus sine subjecto sustentantur; Corpus et Sanguis Christi divina lege alligata sunt accidentibus panis et vini.

4. Quamdiu igitur species panis et vini in aliqua particula intacta manet, tam diu Christus praesens est et manet: quum primum autem desinit esse species panis et vini, praesentia Christi seu SS. Eucharistiae Sacramentum desinit exsistere; atque in ejus locum succedit ea substantia, quae *naturaliter* adesset, si corruptio in vero pane et in vero vino locum habuisset.

Ex quibus haec de usu fructuque S. Eucharistiae concluduntur:

111 1. Qui sumit S. Eucharistiam sub una specie, totam rem Sacramenti accipit, sive totum Christum, sicut ille, qui sub utraque specie communicat.

2. Quare si quis sacerdos majorem effectum ex Sacramento percipit, id praecipue *per accidens* est; nimirum si forte in sumptione secundae speciei, i. e. calicis, melius dispositus est. Nam quum sacramenta ex opere operato quidem operentur, sed secundum uniuscujusque dispositionem: dici debet, effectum Sacramenti produci pro meliore dispositione, quam sumens habet intra totum illud spatium, quo dici debeat Sacramentum *sumere.* Sed ex hac ratione homo laicus fructu nullo per se privatur: si enim ipse in sacrae hostiae sumptione tam bene dispositus est, quam sacerdos in ultima

sumptione, eandem gratiam percepturus est unica sumptione, quam sacerdos duplici sumptione accipiet; si melius, majorem est percepturus. — Num vero sumptio sub duplici specie *per se* ex opere operato majorem gratiam producat, sane dubium est.

3. Qui in prima (hostiae) sumptione dispositus non sit, puta peccato mortali foedatus, sed ante calicis sumptionem recte disponatur, videtur omnino Sacramenti fructum percipere.

4. Pie putari licet — quamquam certum non est — sacramentalem effectum ex opere operato tam diu augeri per meliorem dispositionem, quamdiu species eucharisticae in sumente consumptae seu corruptae non sint. Dixi effectum sacramentalem ex opere operato; nam alio modo, ex opere operantis per modum impetrationis hominem toto illo tempore, quo species eucharisticae non-corruptae manent, per se multo abundantius, quam aliis temporibus, gratias divinas sibi conciliare posse, minime est dubium, siquidem omnium gratiarum datorem sibi intime unitum habet.

5. Quamdiu autem sacrae species incorruptae maneant, certo determinari nequit. Id enim a facultate digestiva ejus, qui Sanctissimam Eucharistiam sumpsit, dependet. Quamquam in homine sano non ultra quadrantem requiri communiter videtur, ut sacrae species plene corruptae sint: tamen de stomacho aegroti id dici nequit. Quod maxime attendendum est, si post aliquod tempus a sumptione vomitus sequitur, ne citius judicemus omne periculum profanationis abesse. Capellmann in sua „*Medicina pastorali*“ (cap. D. II.) putat, spatium semihorae esse minimum illud, quod requiri debeat, ut *constet* de plena corruptione chimica sacrae speciei, neque tantum discriminis esse inter sumptionem laici et sacerdotis celebrantis: quare post vomitum, qui intra illud spatium contingat, si nulla sacra species appareat, nihilominus ejectamenta in sacrarium esse injicienda. Si autem specialis infirmitas adest, accidere potest, ut etiam post complures horas species non solum non certo corrupta, sed fere plane incorrupta rejiciatur.

§ 2.

De effectibus SS. Eucharistiae.

S. Eucharistia sacramentum quidem est ante usum, attamen propter 112
usum humanum institutum est. Plenum igitur effectum suum sumptione producit, quatenus effectus Eucharistiae qua sacramenti considerabimus. Effectus vero in se excellentissimos esse, nihil est, quod dicam; id enim ex ipsa hujus sacramenti natura jam per se patet.

Trident. Synodus eos cap. 2 sess. 13 adumbrat, dicens: „Sumi autem voluit (Salvator noster) sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: ‚Qui manducat me, et ipse vivet propter me‘, et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput exsistit, cuique nos, tamquam membra, arctissima fidei, spei et caritatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.“

Si quis igitur ad certum quendam ordinem varios effectus revocare voluerit, haec fere statuenda sunt:

I. S. Eucharistia est sacramentum vivorum, ad augendam, non ad primo dandam justificationis gratiam instituta; nonnisi probabiliter in eo, qui bona fide putat se in statu gratiae et debita dispositione esse, peccatum mortale delet, modo attritio saltem antecesserit.

II. Effectus omnium sacramentorum (vivorum) communis, hujus Sacramenti quodammodo specialis est, augmentum vitae supernaturalis. Verum haec vitae supernaturalis augmentatio non in solo gratiae sanctificantis augmento ex opere operato efficiendo collocanda est, sed efficitur etiam per specialem et abundantiorem collationem actualis gratiae auxiliorum, quae ad exserendam spiritualem vitam ejusque nobilissimam activitatem, caritatem dico, tendunt, atque ita continuum gratiae et meriti incrementum operantur.

III. Cum effectu modo explicato cohaeret alius effectus, quo vita supernaturalis aucta conservetur atque a periculis defendatur: quod fit 1) per concupiscentiae diminutionem, 2) per daemonis ejusque tentationum propulsionem, 3) per quaecunque media, quibus perseverantiae donum facilius obtineatur.

IV. Accedit culpae venialis remissio atque poenae temporalis pro peccatis remissis diminutio.

V. Speciali modo SS. Eucharistia fovet unionem et caritatem cum proximis.

VI. Tandem specialem titulum futurae gloriae atque corporis etiam gloriosae resurrectionis fidelibus contribuit.

113 **Explicatio.** Nota ad I. 1. Quae n. I. dicta sunt, jam satis exposita habes, ubi de sacramentis universim egimus. Id unum addo, Sanctissimam Eucharistiam ne sacramentaliter quidem sumi posse ab iis, qui baptizati non sint. Hinc est, ut distinguantur varii modi sumendi Sanctissimam Eucharistiam: materialis, sacramentalis, spiritualis. De quo fusius infra n. 143.

2. Hominem non-baptizatum ne sacramentaliter quidem sumere posse Sanctissimam Eucharistiam, colligitur ex doctrina de baptismo atque effato S. Augustini exprimitur, debere esse de Corpore Christi eum, qui velit edere Corpus Christi. Neque propterea in eadem causa sunt peccatores baptizati et non-baptizati, si qui Sanctissimam Eucharistiam sumant. Nam non baptizati, quantumvis contritionem elicuerint, sacramentalis effectûs incapaces sunt et manent: baptizati vero capacitatem effectuum sacramentalium percipiendorum habent quidem, quamvis impeditam: quare si in ipsa sumptione, antequam manducatio perfecta fuerit, veram contritionem elicuerint (siquidem in illis temporis angustiis confiteri nequeunt), effectu sacramentali non privantur, sed sumptionem, quam sacramentalem tantum inceperunt, simul spiritualem reddunt. Haec a nullo theologo negantur aut negari possunt.

114 Ad II. 1. Specifica ratio diversorum sacramentorum imprimis desumitur ex jure quodam, quod homini conciliant, accipiendi suo tempore actualis gratiae auxilia. Pro diverso enim fine, ad quem

haec auxilia conferuntur, diversa habentur sacramenta. Hinc ex ipso sacramenti *fine* arguere licet, quaenam sint specialia gratiae auxilia, quae vi illius sacramenti conferuntur. S. Eucharistiae finem praecipuum esse caritatem ejusque augmentum, innumera scripta SS. Patrum testantur: quare eam ad excitandos caritatis actus potissimum institutam esse, concludatur oportet.

2. Quocum cohaeret ipsa symboli ratio, quae in hoc Sacramento reperitur. Sub specie convivii ejusque pleni institutum est, ut significet et producat in anima id, quod in convivio largiter instructo videre licet, hilaritatem et laetitiam. Spiritualis autem laetitia et hilaritas ad caritatem pertinet; illa est enim, quae dilatat cor, quae ardorem et zelum pro Deo infundit, atque omnia, quae Deum et coelestia spectant, etsi difficillima et ardua, non cum resignatione tantum, sed cum gaudio et exsultatione aggreditur et perficit.

3. Quo fit, ut Sanctissimum Sacramentum revera eximio modo ad augendam vitam spiritualem conferat. Si enim homo gratiis actualibus propter Sanctissimam Eucharistiam sibi collatis respondet, habet abundanter, quo crescat atque perficiatur. Nam etsi omnia opera supernaturalia in statu gratiae facta vitam spiritualem et meritum augent, nihilominus quae ex caritatis motivo fiunt, ceteris paribus alia quaelibet merita longe superant.

Ad III. 1. Tertio loco notatur effectus, qui SS. Eucharistiam 115
secundum Christi voluntatem reddit medium moraliter necessarium ad conservandam gratiam sanctificantem. Secundum communem enim supernaturalis providentiae ordinem homini adulto praecipue intuitu S. Communionis tribuuntur auxilia abundantiora gratiae, quibus superet pericula et tentationes hominum saluti insidiantes, sine quibus aut non potest aut difficulter tantum potest omnem lapsum etiam gravem cavere.

2. At non solum haec abundantiora gratiae auxilia, quae homini moraliter necessaria sunt, S. Eucharistia suo tempore digne sumentibus conciliat, sed etiam aliis modis pericula salutis removet, videlicet:

1) ipsam concupiscentiam in homine latentem cohibendo et diminuendo: idque maxime valet quoad concupiscentiam carnis, ita ut S. Patres multi sint in efferendo illo effectu et in pollicendo dono continentiae iis, qui frequenter et cum debito fervore ad sacram mensam accedant, atque theologorum doctrina et confessariorum experientia id comprobet, praesentissimum et fere necessarium remedium luxuriae esse Communionis frequentationem;

2) diabolum, qui tantam alioqui in homines, Deo permittente, per insidias et tentationes potestatem exercet, compescendo, ne eas tentationes et pericula ciere possit, in quibus hominem lapsurum esse Deus praevidet[1].

---

[1] De duplici illo effectu v. Less. *de divinis perf.* l. 12 c. 15, Hurter *theol. dogm. compendium* t. III. n. 426: ex PP. ibi habes Cypr. ep. 63 n. 11; Ambros. *serm. 8 in Psalm. 118, n. 48;* Cyr. Alex. *in Ps. 22, 5; in Joan. 6, 57* (l. 3 c. 2); Chrysost. *hom. 46 n. 3 et 4 in Joan.;* Petr. Dam. *opusc.* 47 c. 2 etc.

116 Ad IV. 1. Peccata venialia per S. Eucharistiam deleri, expresse docetur a Trid. l. c. Modus autem, quo id efficitur, potest esse varius. Certe delentur per actus supernaturales doloris et caritatis, ad quos SS. Sacramentum nos excitat, idque eo magis eoque plura, quo ferventiores actus eliciantur. Sed ille modus *ex opere operantis* non videtur totam efficaciam explicare, sed id etiam videmur asserere debere, SS. Eucharistiam delere *ex opere operato* culpas veniales, plures paucioresve pro hominis dispositione, etsi homo non posuit neque ponit *eos* actus, qui sufficiant ad culpas illas ex opere operantis delendas. Imo si homo utcunque ex parte sua peccata venialia commissa retractavit, sive formali actu, sive aequivalenti affectuum suorum immutatione et purgatione, S. Eucharistia *culpae reatum* videtur remittere.

2. Similiter duplici modo tum ex opere operantis, tum ex opere operato S. Communio efficit poenae temporalis post remissam culpam residuae diminutionem: idque eo magis tenendum est, quod venialis culpae remissio sine ulla poenae debitae remissione hac in vita vix possibilis est.

117 Ad V. Effectus caritatis erga proximum non eo tantum sensu intelligitur, quo quaelibet sanctificantis gratiae augmentatio omnes virtutes ideoque etiam caritatem in proximum secundum infusum habitum auget; sed dubitare non possumus, quin intuitu Sacrae Communionis Christus Dominus actuali sua gratia nos specialiter excitet atque juvet in actibus caritatis erga proximum eliciendis sive internis desideriis et orationis suffragiis, sive externis opitulationibus. — Hanc enim mutuam inter Christianos unionem hoc Sanctissimo Sacramento significari atque effici, et externa symbola, et liturgicae preces (cfr. *Postcomm.* in festo *Pasch.*, *Secreta* in Missa *de Sanctissimo Sacramento, prima* oratio ex tribus *ante Communionem sacerdotis* in canone Missae etc.), et Sanctorum Patrum dicta demonstrant[1], et ipsa Sacra Scriptura insinuat (I Cor. 10, 17).

Ad VI. Quod demum Sacra Eucharistia dicitur specialem titulum futurae gloriae et gloriosae corporis resurrectionis[2] tribuere, intelligitur 1) utique hypothetice, modo sc. homo vere in statu gratiae perseverarit, seu in eo moriatur; 2) non intelligitur *res* aliqua essentialiter *nova*, siquidem quicunque tandem in amicitia divina decesserint, gloriae coelestis et gloriosae resurrectionis participes erunt; at haec ipsa gloriosa resurrectio *novo titulo* conferri videtur; 3) nihil etiam impedit, quominus putari liceat, singulari quodam *splendore* propter Sacram Communionem perceptam corpora Beatorum distinctum iri.

Admirabiles divini Sacramenti effectus, fortasse magis quam effectus aliorum sacramentorum, ab humana cooperatione pendent; imo id ex speciali hujus Sacramenti fine nobis conjicere licet. Quum enim praecipue ad excitandos divinos affectus in anima sumentis institutum sit, neque illi sine ulla hominis cooperatione in actus liberos et meritorios transire possint: omnino patet, ipsius hominis tepore,

---

[1] De quo consule Hurter l. c. n. 385: praecipuus in hoc effectu efferendo est Cyr. Alex. *in Joannem 17, 22* (lib. 11 c. 11); idem *in Joan. 6, 56* (lib. 4), *in Joan. 19, 24* (lib. 12); S. August. tr. 26 *in Joan. c. 6.*

[2] Cf. Franzelin *de Ss. Euch.* thes. 9.

negligentiâ, distractionibus divinos illos fructus facile intercipi vel praescindi posse. Unde aliquam causam habes, cur hujus venerabilis Sacramenti fructus aut abundantiores non sint, aut non ita admirabiles apparcant. Ceterum non ex iis praecipue, quae apparent, illi effectus dijudicandi sunt. Plura de hoc notanda occurrent postea cap. 3, ubi de sumptione Sanctissimae Eucharistiae dicturi sumus.

Caput II.

De confectione SS. Eucharistiae.

Ad Sacramenti confectionem et legitimus minister requiritur, et obser- 118
vatio legitimi ritûs seu materiae et formae, prout a Christo praescriptae sunt.

De ministro, qui conficere debeat S. Eucharistiam, id unum notandum est, solos esse presbyteros, qui consecrare possint. Quod habes *definitum* in Concilio Later. IV. *adv. Albing.* etc. Denz. n. 357 „Et hoc utique Sacramentum (altaris) nemo potest conficere nisi sacerdos, qui rite fuit ordinatus.“ Cf. etiam Trid. sess. 22 can. 2 et sess. 23 can. 1 et 3: quod insuper universa Traditio contestatur. Et re quidem vera, quum Christus Dominus solis Apostolis mandatum et potestatem consecrandi seu faciendi idem, quod ipse in ultima Coena fecit, divino ore contulerit: nemo hanc potestatem habere potest, nisi cui per successionem Apostolorum ab Ecclesia fuit communicata, communicatur vero ordinatione presbyteratûs.

Haec de ministro hoc loco sufficiant. Restat, ut de materia et forma dicamus.

De materiae S. Eucharistiae tum natura, tum praesentia agi debet; in utraque re videndum est, quid requiratur ad validam, quid insuper ad licitam consecrationem.

§ 1.

Materiam SS. Eucharistiae qualem esse oporteat.

I. Materia ad valorem necessaria est panis triticeus et vinum de vite.

II. Quamdiu secundum humanam aestimationem et usum panis et vinum substantialiter incorrupta sunt, manent materia valida; si certo corrupta sunt, invalida evadunt; si dubie, materia erit dubia.

III. Nihilominus si materia aliquod corruptionis initium aut periculum subiit, fieri potest, ut de valore quidem consecrationis dubitandum nondum sit, sed — nisi forte adsit necessitas — gravi irreverentiâ peccetur.

IV. Ut igitur licite fiat consecratio, materia debet esse 1) decenter munda; 2) panis debet esse formae secundum ritum diversum consuetae, 3) in latino ritu solum azymum, in graeco solum fermentatum panem licet adhibere; 4) vino ex apostolica traditione et gravi praecepto Ecclesiae modica aqua admisceri debet.

Uberior explicatio. Nota ad I. 1. Panis, ut sit certo validus, debet 119
aquâ esse confectus et igne coctus.

2. Invalida materia est panis confectus ex farina pomorum terrestrium,

fabarum, avenae etc., item vix non certo invalida dicenda est materia ex hordeo, secali confecta.

3. Si frumentum tritico simile est, materia dubia potest esse: sic multi de „spelta" judicant. Alii tamen de ea aliter loquuntur. Quod inde videtur factum esse, quia nomine „Spelt" non idem ubique genus frumenti designatur. Si enim nihil est nisi veri tritici species, de ejus materiae valore dubitari nequit: sicut nemo diverse sentire potest de varia tritici specie, quae in Germania vocatur sive triticum aestivum sive triticum hiemale. Quare recte etiam Scavini III n. 227 dicit de tali spelta: „Eam teste Gobat, Laym. aliisque censent esse materiam validam et licitam, quia ex spelte fit panis usualis optimus . . ., qui sine scrupulo adhibetur in Missa . . . Hinc pro praxi consulendum peritorum judicium, et praestat attendere ad communem dioecesis et regionis aestimationem."

4. Invalida est massa, licet ex farina triticea, *cruda;* aut in aqua per modum pultis cocta; aut notabili lactis alteriusve materiae copia permixta (saltem panis sic confectus esset materia valde dubia).

5. Dubia insuper materia sunt orbiculi seu formulae illae *vario colore tinctae,* quibus literae obsignari consueverunt.

6. Quodlibet vinum de vite materia valida est: imo etiam mustum ex uvis *maturis* recenter expressum, quamquam per se extra necessitatem licita materia non est, tamen est *valida*, ut clare colligitur ex *Rubr. Missalis* t. IV n. 2: „Si fuerit . . . mustum de uvis tunc expressum . . . conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat." [1]

7. Aliud vero dicendum est de vino arte confecto. Imo etsi chimice

---

[1] In necessitate, i. e. in defectu alterius materiae, licere in musto consecrare, colligi potest ex cap. *„Cum omne"* 7 dist. II de consecr. „Si necesse sit, botrus in calice comprimatur et aquâ misceatur."

Dein attendendum est ad communem aestimationem pro regione, in qua vivitur, et ad vini confectionem ibi consuetam: ex qua facilius aliquid licitum evadit, quod alibi non liceat.

Hac in re habes praeclarum documentum ex resp. S. Off. 22. Julii 1706 circa *vinum ex acinis uvae passae* (Rosinen) confectum; quod si sollicite praeparatur, materiam et validam et licitam esse posse, non solum postquam liquor expressus satis efferbuerit, sed etiam antea, certo constat. V. Coll. Concil. Lac. t. II col. 505.

Videlicet P. Josephus de Hierusalem O. Min., praefectus missionum Aethiopiae, exposuit modum conficiendi vini ita: Sumuntur v. g. 4 librae zebibi (acinarum uvae passae), franguntur, atque in apto vase tunduntur, ac deinde totidem frigidae aquae librae in idem vas infunduntur, eâque in infusione servantur per sex, octo, vel ad summum decem horas; extrahitur postea uvae passae materia, eaque ab exteriore aqua purgata panno stringitur, vel torculari premitur. Liquor inde expressus vinum est, quo sine ulteriore diligentia utuntur, dum celebrant." Hac praemissa explicatione, et variis experimentis factis pro eruendo dicto vino, *Sanctissimus*, auditis votis Emorum, *dixit, licere, dummodo ex colore, odore et gustu dignoscatur esse verum vinum.* — Quod sane supponit, posse constare, modo ne nimia aquae copia affundatur vel citius res peragatur, antequam succus ex acinis satis exprimi possit. Facilius igitur ubique tale vinum videtur licite adhiberi posse, si soli acini illi ex moderata aquae copia affusa turgentes torculari subjiciuntur et modo nostris regionibus consueto musti effervescentia exspectatur, atque ita vinum defaccatum diffunditur.

Licet etiam adhibere vinum obtentum ex musto, quod ante fermentationem vinosam per evaporationem igneam condensatum est, dummodo haec decoctio fermentationem alcoolicam haud excludat, ipsaque fermentatio naturaliter obtineri possit et de facto obtineatur. S. Off. d. d. 5. Aug. 1896 et 22. Maji 1901: v. *Anal. eccl.* IX. 379.

eadem sint elementa, materiam certe dubiam dixerim, quum non quid chimice, sed quid humana aestimatione vinum *de vite* sit, attendi debeat. Quare materia inepta vel summopere dubia dici debet vinum, quod ab inventoribus artificiosi modi vocant vinum Gallisatum, aut Petiotisatum, siquidem aquae affusione et sacchari mixtione quantitas ejusmodi vini triplo aut quintuplo major efficitur, quam quantitas naturaliter elicita: quo indubitanter fit, ut *notabilis* sit mutatio et permixtio alienae materiae.

8. Eo magis invalida materia est liquor ex pomis aliisve fructibus expressus, aut vinum adustum.

9. Parva autem alterius materiae commixtio valorem non afficit; quamquam videtur materia aliquo modo fieri illicita, nisi rationabilis causa sit, v. g. vini conservatio, quae illam parvam additionem suadeat.[1]

Cf. hac de re libellos periodicos „Theologisch-praktische Quartalschrift", Linz anni 1881, fasc. 1.

Ad II. et III. 1. Materiam dubiam consecrare vix unquam licet, nisi 120
forte ad sacrificium *complendum,* si materia certo valida jam haberi nequeat.

2. Primum corruptionis initium materiam nondum facere invalidam, neque dubiam, colligitur ex *Rubr. Miss.* l. c.: „Si vinum coeperit acescere vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre . . . , conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat." Verum illud acescere, quod constituat materiam quamquam non dubiam, sed *graviter* prohibitam, intelligunt scriptores de paulo notabiliore acescentia, v. S. Alph. n. 207 q. I., „nam vinum parum acescens, deficiente alio vino, adhibere licet sine scrupulo", ut ait S. Alph. approbans alios, ut Gobat, Sporer, Lacroix, idque Ben. XIV *notif.* 77 extendit ad eos, qui in aliena ecclesia celebrent, aut quibus cura vini non incumbat, quum difficulter aliud vinum habere possint.

3. Idem per se de pane dici debet, ut, quando coeperit primo corrumpi, vel mucidus fieri, valeat quidem consecratio, communiter tamen non liceat, nisi non solum et *valoris* dubium nullum sit neque ulla notabilis alteratio, sed etiam gravior quaedam causa excusans accedat. —

Hic attende decret. S. C. R. *in Gandav.* (Decr. auth. n. 2650 ad I, 1 et 2), quod refertur tum ad particulas pro populo consecrandas tum ad majorem hostiam pro Missa:

1. „An attenta consuetudine Rector licite consecrare possit species a tribus mensibus tempore hiemis, vel a sex mensibus in aestate confectis?"

2. „An casu quo Rector sive Pastor ecclesiae praxim illam approbet, nec velit eam relinquere, alii sacerdotes in eadem ecclesia inservientes possint tutâ conscientiâ in hoc Pastori obsecundare, utendo praefatis speciebus?"

R. „Ad 1m: Negative, et eliminata consuetudine, servetur Rubrica. *Ad 2m:* Negative. Atque ita servari mandavit."

Quare scienter illis uti non licebit, nisi forte, omni periculo corruptionis absente, gravis ratio accedat. Cf. postea c. III de asservanda S. Eucharistia n. 132.

Ad IV. 1. Notant tamen scriptores cum S. Alphonso, hostiâ fractâ 121

[1] Circa hoc habes nunc decr. S. Off. a Leone XIII approbatum d. 31 Julii 1890, quo declaratur: licere vino alioqui debili quo melius conservetur admiscere quantitatem spiritus vini (Alcohol), „dummodo 1) spiritus (Alcohol) extractus fuerit ex genimine vitis, et 2) admixtio fiat, quando fermentatio tumultuosa defervescere inceperit et 3) quantitas alcoolica addita una cum ea, quam vinum de quo agitur naturaliter continet, non excedat proportionem 12%; quam si naturaliter jam excedat, augeri posse ad 17—18%, decr. S. Off. 5. Aug. 1896 docet: cf. Anal. eccl. 4, 385. 483.

aut maculatâ uti, secluso scandalo, esse peccatum veniale tantum; rationabilem causam ab omni culpa excusare, e. g. si defectus ille post oblationem factam tandem advertatur. — Idem ex pari ratione dic de vino parum turbido, si aliud commode haberi non possit.

2. Pariter cum S. Alph. docent, etiam solius devotionis causa celebrari posse, quando magna hostia desit, cum hostia parva, i. e. ejus formae, quae pro usu populi adhibetur: si vero celebretur coram populo, eum ad tollendam admirationem de defectu occurrente monendum esse.

3. Sacerdotem latini ritûs solo azymo, graeci ritûs solo fermentato pane posse uti, praeceptum *grave* est, a quo vix ulla ratio unquam excusat, excepta necessitate complendi sacrificium, si panis adhibitus deprehenditur corruptus, neque alius panis, qualem ritus requirit, potest haberi. — Verum sacerdos itinerans debet quidem in *suo* ritu, si hujus ecclesia adest, celebrare; sed si sola ecclesia alieni ritûs adest, in ea celebrare potest quidem in suo ritu, at videtur etiam posse alieno ritui sese conformare, hinc celebrare latinus in fermentato, graecus in azymo: v. S. Alph. l. 6 n. 203 et Coll. Lac. II. col. 605; melius tamen servat etiam tum ritum suum.

4. Admixtio aquae in ipso ritu celebrandi Missam fieri debet. Verum si suo tempore facta non fuerit, *ante* consecrationem defectus supplendus est, postea minime. V. Missale, *Rubr. de defect.* tit. 4 n. 7. — Cavendum est, ne nimia aquae copia affundatur, maxime si vinum est debile; nam usque ad tertiam partem aquam admiscere, dubiam reddere potest materiam consecrationis: sufficit modicissima aquae pars, seu una alterave gutta. (Vide Eugen. IV. *instruct. ad Arm.* Denzinger n. 539).

§ 2.

Materia SS. Eucharistiae quomodo debeat esse praesens.

122 I. Materia consecranda debet ita esse praesens, ut per verbum „hoc“ possit demonstrari, idque *ad valorem.* Insuper vera aliqua voluntate sive actuali sive virtuali determinari debet et assumi ad consecrandum; quod pariter ad valorem necessarium est. S. Alph. ex Busenb. et aliis n. 211 et 213.

II. Materia consecranda, eaque omnis, sive sacerdos pro se tantum, sive etiam pro Communione populi consecrat, *sub gravi praecepto* debet tempore consecrationis esse 1) super altare, 2) in corporali, 3) si altare solum lapidem consecratum insertum habet, in ipso hoc lapide consecrato: quod de ipsis hostiis parvis expresse monet Bened. XIV. *de sacrif. Missae* sect. 2 n. 139, Navarr. *Manuale* cap. 25 n. 83, Suar. *de Euch.* d. 81 sect. 5, Tambur. *de sacr. Missae* l. 2 cap. 1 § 3 *casus quartus* et ib. cap. 5 § 2 n. 12, Gury-Ballerini II. n. 281 etc., 4) sub praecepto veniali ciborium discoopertum esse debet.

III. *Omnis* materia consecranda, ergo etiam hostiae parvae pro populo ita adesse debent tempore offertorii, ut quo proprius sacerdos jam ad ipsam consecrationem devenerit, eo difficilius liceat allatas admittere.

123 **Explicatio et applicatio.** Nota ad I. 1. Non consecratur hostia sacerdoti moraliter non praesens, ut quae post tergum est, neque videtur posse consecrari hostia in tabernaculo *clausa,* siquidem per „hoc“ non demonstratur. S. Alph. ib.

2. Neque consecratur hostia, quae, sacerdote prorsus inscio, posita est in corporali et quam nunquam ad consecrandum assumpsit. Busenb. apud S. Alph. n. 215.

3. Consecratur autem utraque hostia, quam sacerdos consecrans in manibus tenet putans, se unam solam tenere; quia ejus intentio est consecrare, quod tenet in manibus, hancque intentionem *ipso facto* actualiter habet, nisi forte — quod objective grave peccatum est — contrariam voluntatem fovit expresse. V. Missale, *Rubr. general. de def.* tit. 7 n. 2.

4. Guttulas in calice dispersas, si vel specialem intentionem sacerdos non fovit, vel specialiter intendit consecrare ut intendit Ecclesia, non videtur consecrare: nam quum *reverenter* non possint consecrari, voluntas eas consecrandi censetur non adesse; nihilominus quia res dubia est, eas post consecrationem abstergere non licebit, sed cum S. Sanguine aut cum ablutione sumendae sunt. S. Alph. n. 215, Lacr. l. 6 p. 1 n. 449.

Quando vero sacerdos bis terve celebrat, consultius est cavere diligentius, ne quae guttulae dispergantur in calice, atque omne quod in calice continetur expresse consecrare velle; quo melius cavcatur omnis materiae dubie consecratae sumptio.

5. Idem dubium est circa minimas micas panis, non quae cum hostiis utcunque cohaerent — nam illae certo consecrantur — sed quae jam ab illis separatae cum hostiis in ciborio exsistunt. Potest sacerdos sine expressa voluntate sua Ecclesiae menti sese conformare; potest etiam expresse excludere intentionem illas micas consecrandi. Nihilominus postea ex micis, quae in fundo ciborii inveniuntur, plures erunt dubiae, aliae certo consecratae, siquidem vix continget, ut non aliquae particulae post consecrationem ab hostiis separentur. Cf. Lacroix, ib.

Ad II. 1. Sufficit, ut ciborium quoad majorem partem in sacra petra 124
consistat, quum Rubricae idem disponant de sacro calice. Et quamquam per se omnis materia consecrata usque ad Communionem sacerdotis consistere debet in sacra petra: nihilominus, si propter sacri lapidis angustiam calix et ciborium simul in eo consistere nequeunt, hic non videtur tantus defectus esse, ut ciborium in eo altari consecrare non liceat; videtur enim tunc sufficere, ut ipso consecrationis tempore materia accessoria in sacro lapide ponatur, statim removenda, ut locum cedat calici consecrando. — Ceterum in tota hujus rei cura, ut materia consecranda in sacra petra consistat, *moralis* diligentia sufficit. Rectoris seu praefecti ecclesiae est, lapidem in medio altari sic collocare, ut pro celebrante sufficiat communi more in corporali materiam consecrandam disponere.

2. S. R. Congreg. prohibuit, ne parvae hostiae pro populo consecrandae in altero corporali separato ponerentur: sed sive in ciborio vel patena collocantur, sive nude in corporali in ipso eodem corporali ponendae sunt, in quo calix et hostia sacerdotis ponitur. Ita 12. Aug. 1854. *Annal. Jur. Pontif.* ser. II. p. 2192.

3. Dubia quaedam moventur de consecratione particularum, quae in 125
ciborio positae remanserint omnino *extra corporale*, et quarum sacerdos oblitus sit, quamquam ante Missam sit monitus: utrum videlicet in hoc casu solummodo adsit inculpabilis laesio praecepti ritûs, an etiam consecrationis valor tangatur. Circa quod practice haec dicenda sunt:

1) Si sacerdos in Missa jam consecraturus de parvis hostiis cogitavit, etsi ex errore eas reliquit extra corporale, certissime consecratae sunt.

2) Si sacerdos eas intra Missam, ut in offertorio, aspexit atque consecrare intendit, magis etiam si tunc temporis eas assumpsit atque in corporali super sacrum lapidem se eas collocare putavit: dubium esse nullo modo potest, quin sint consecratae, etsi momento consecrationis earum plane immemor fuit, siquidem intentio consecrandi implicite dirigitur ad omnem materiam consecrabilem, quae intra Missam a sacerdote vera intentione ad consecrandum assumpta est, sive re sive sola mente, modo ne intentio retractata sit.

3) Si intra Missam sacerdos nullatenus cogitavit de particulis, eaeque extra corporale relictae sunt, consecratio practice dubia est, quia non certo constat de voluntate consecrandi sive explicite sive implicite habita. Nam monitio antea v. g. a ministro facta, id quidem effecit, ut sacerdos haberet intentionem particulas postea ad consecrationem assumendi, sed certum non est, eum illas revera assumpsisse seu intentionem revera exsecutum esse; siquidem voluntas illa ante Sacrum concepta *non certo* dici potest materiae consecrandae determinatio tempore consecrationis perdurans, sed probabiliter erat tantum propositum postea illas particulas assumendi et in consecratione includendi: quod, num factum sit, dubium manet[1]. Confer S. Alph. n. 217.

4. Verum si particulae *in corporali* positae erant, utcunque tandem sacerdos tempore consecrationis earum oblitus est: rationabilis dubitatio de consecratione oriri nequit: nam si sacerdos ipse eas in corporali posuit, ipse initio Missae eas consecrandas vere assumpsit et determinavit; si minister eas in corporali posuit ante Missam, fieri non potuit, quin sacerdos eas, maxime tempore offertorii, adverterit atque satis ad consecrandum assumpserit: denique semper omnes liturgicae actiones saltem implicite ad eas particulas etiam dirigebantur.

---

[1] Videlicet materiam consecrationis principalem, i. e. hostiam majorem et vinum calicis impossibile est non assumi ad consecrandum; quare si sacerdos duas hostias in manu tenuit putans esse unam, quando consecrationis verba pronuntiabat, sine ulla dubitatione utraque consecrata est; quamquam si ante consecrationem id advertit, unam reponere et tamquam panem benedictum post ablutiones consumere debet. At materia *superaddita* actione ab ipsa liturgica actione distincta assumi et determinari debet, idque, ut omne dubium removeatur, *intra Missam* vel externa vel saltem interna actione. Quare si tota actio circa particulas posita mansit omnino extra Missam, dubium validae consecrationis non omnino tollitur. — Optime rem proponit Lacroix in indice ad vocem „Eucharistiae Sacramentum" dicens: „si sacerdos, *advertens* ciborium consecrandum cum hostiis minoribus poni in corporali, *intendit consecrare,* quamvis postea non amplius ad illas reflexionem expressam habeat, valide consecrat: quodsi *advertat ciborium poni extra corporale,* et postea reflexionem non habeat, probabilius non consecrat: hinc in praxi tales hostiae erunt de novo in alia Missa sub conditione consecrandae." Nimirum in posteriore casu quum advertat, hostias esse extra corporale, *absoluta voluntas* consecrandi concipi licite non potuit; idem dic, si neque advertat, particulas in corporali poni neque eas poni extra corporale, siquidem etiamtunc voluntas probabiliter ea tantum fuit, qua *proposuerit* consecrare, sed non ea, qua particulas illas jam *absolute addiderit reliquae materiae consecrationis:* solum autem propositum consecrandi certe non sufficit, ut hostiae sint consecratae.

5. Si vero, sacerdote nullatenus advertente, ciborium a ministro allatum est, etsi in corporali positum, aut nulla, aut saltem dubia est earum consecratio.

6. Si igitur dubia manet consecratio, particulae aut in sequenti Missa sub conditione iterum consecrandae sunt, aut — id quod, nisi aliunde incommodum oriatur, majoris reverentiae causa praeferendum videtur — post sumptionem sacri calicis ante ablutionem a sacerdote celebrante consumi debent.

Ad III. Si paulo post offertorium particulae pro populi Communione 126
afferuntur, sine graviore causa eas consecrare licet, oblatione mentaliter facta; incepta praefatione, aliquanto gravior causa adesse debet; incepto jam canone, causa *absolute gravis* videtur prorsus requiri, ut eas particulas consecrandas assumere liceat. Quare si unus alterve fidelis diutius Communionem exspectare deberet, satius esset, particulam ex hostia sacerdotis *detrahere,* quam alias particulas consecrandas addere. Si aliter plures sine Communione remanerent, Ben. XIV. *de sacrif. Missae* l. 3 c. 18 n. 5 approbat, licere post praefationem, antequam canon sit inceptus, parvas hostias assumere. Si autem magna pars populi non sine offensa aut Communione privaretur, aut nimis diu exspectare deberet, esset, ut videtur, haec ratio omnino sufficiens, cur etiam incepto canone particulae consecrandae afferrentur. Cf. S.-Alph. l. 6 n. 217. IV. cum Tamb., Gobat, Quarti, Salmant. — Nunquam autem licet post consecrationem Missae peractam super ciborium allatum speciatim verba consecrationis pronuntiare: id adeo certum est, ut vix conveniat hoc adnotare; esset enim sacrilege essentiam Missae secundo peragere idque imperfecte.

§ 3.

De Forma SS. Eucharistiae.

I. Formam consecrationis esse ipsa verba Christi, quae sacerdos 127
Christi nomine profert, sine errore in fide negari nequit.

II. Quare dicendum est, essentialia esse in consecratione panis „hoc est (enim) Corpus meum“, in consecratione calicis saltem: „hic est (enim) calix Sanguinis mei“.

III. Ad essentiam consecrationis calicis pertinere insuper verba, quae adduntur „novi et aeterni testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum“, sunt qui affirment: verum sufficiens ratio id affirmandi esse non videtur.

IV. Verba, quibus invocatur virtus divina ad perficiendam consecrationem et complendum sacrificium, sive post, sive ante verba Christi, ad formam consecrationis nullatenus pertinere, certissimum est. Verba, quae historiam ultimae coenae referunt: „Qui pridie quam pateretur etc.“ formaliter ad formam consecrationis non pertinere, aeque certum est; indirecte autem seu eatenus eo pertinere, ut per ipsa verba celebrans constituatur ut in persona Christi agens, opinantur pauci quidem theologi: quae opinio, etsi non est ab Ecclesia proscripta, tamen fundamentum non habet.

128 **Uberior explicatio.** Ad I. nota: 1. Eugen. IV. in *instr. ad Armenos* dicit: „Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum; sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum."

Pius VII. 8. Maji 1822 *in lit. ad Patriarcham Melchit.* „prohibet omnibus, quominus sustineant ac tueantur illam opinionem a schismaticis hominibus propugnatam, consecrationem non consistere unice in verbis Christi, quibus utraque Ecclesia occidentalis et orientalis utitur, sed ad perfectam consummatamque consecrationem addi oportere precandi formulam, quae in liturgia occidentali antecedit, in orientali subsequitur."

2. Quare etiam ut prorsus antiquata rejicienda est eorum opinio, qui putant, Christum ipsum non verbis, sed sola benedictione consecrasse in ultima coena.

Ad II. In consecrationis forma: ‚Hoc est enim Corpus meum' omnia et singula verba sunt essentialia, excepta vocula ‚enim': cujus omissio materia peccati *venialis* est.

Loco ‚hoc' dicere ‚illud', dubiam reddet consecrationem, item si ‚est' omittatur. V. S. Alph. n. 221 et n. 224 q. IV.

Si ‚hic' loco ‚hoc' dicitur *adverbialiter* (aliud si per errorem grammaticalem pro pronomine sumitur), invalida est consecratio; item si loco ‚est' dicitur ‚fit'.

Ex negligenti pronuntiatione, sine prava mente, corrumpere ‚est' in ‚es', ‚corpus' in ‚copus', ‚meum' in ‚meu,' ‚calix' in ‚calis', ‚sanguinis' in ‚sanguis' etc. non reddit invalidam nec dubiam consecrationem: quamquam, si vere incuria committitur, id a veniali peccato excusari nequit. S. Alph. n. 224.

129 Ad III. 1. Contra opinionem dicentium, sine verbis „novi et aeterni testamenti etc." consecrationem calicis valide non fieri, est 1) analogia consecrationis panis, 2) quia in diversis liturgiis diversa ex illo additamento omittuntur: quare saltem non omnia ad valorem consecrationis pertinere possunt.

Difficultas tantum sumitur ex aliqua Rubrica, et ex verbis S. Thomae. — Rubr. tit. 10 *de defect.* n. 3 docet: „Si obierit sacerdos semiprolata forma sanguinis, tunc alter prosequitur Missam, et super eundem calicem repetat integram formam" — verum, quum non possit sciri, quousque sacerdos prior verba pronuntiaverit, hoc monitum cautissime datur, etsi per verba ‚hiç est calix sanguinis mei' consecratio perficitur.

S. Thomas in 4. dist. 8 q. 2 a. 2 dicit: „illa, quae sequuntur, sunt essentialia sanguini, prout in hoc Sacramento consecratur, et ideo oportet, quod sint de *substantia formae.*" At quo sensu haec dicta sint, interpretes non consentiunt. Potuit S. Thomas illa verba *de substantia* formae esse dicere, eo quod externe exprimant audientibus characterem sacrificalem Sanctae Eucharistiae: quod indicari videtur inciso illo „prout in hoc Sacramento consecratur"; idque verissimum est, videlicet verbis illis substantialiter *efferri* rationem sacrificii. Sed id ad ipsum consecrationis valorem exigi, propterea dici nondum debet; nam sacrificii ratio non in ipsis verbis, sed in ipsa reali actione consistit: quare incongruum videtur, vocem ‚essentialia', qua S. Thomas usus est, premi atque pleno sensu sumi.

2. Quapropter puto, si priora verba ‚hic est calix Sanguinis mei' indubie rite prolata sint: 1) propter aliqualem errorem et omissionem in verbis subsequentibus ne licere quidem formam integram repetere, ut si ‚novi', aut ‚aeterni'; aut ‚mysterium fidei' omissum sit;

2) imo ne propter quemcunque quidem talem errorem obligationem repetendae sub conditione formae statui posse, quum consecratio videatur moraliter certo valida;

3) attamen si notabilis error occurrerit, propter complurium auctorum sententiam, conditionatam repetitionem licere.

3. Voluntaria autem mutatio vel omissio in illis verbis „novi et aeterni testamenti etc.“ non potest sine gravi peccato fieri.

Ceterum propter distractionem forte occurrentem, atque dubium inde exortum circa rectam verborum consecrationis pronuntiationem aliquid repetere raro licebit, eo quod raro rationabile dubium erit. Ipsa Rubrica tit. 5 n. 2 monet: „Si celebrans non recordetur se dixisse, quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constet, se omisisse aliquid eorum, quae sunt de necessitate sacramenti, resumat formam. Si vero valde probabiliter dubitat, se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione.“

Ad IV. 1. Sententia Scoti dicitur, quam aliqui recentioris aetatis com- 130
probarunt: verba „qui pridie etc.“ propterea requiri, ut *significetur,* consecrationem proferri in persona Christi, aliter illud „hoc est Corpus meum“ non significare corpus Christi, sed sacerdotis; at alii Scotum aliter explicant.

At haec opinio ita singularis est, ut Lugo d. 11 n. 39 dicere potuerit, illam sententiam ab omnibus rejici. Nam verba illa *sola* non efficiunt, ut sacerdos loquatur in persona Christi, neque hoc significant, quum mere *historice* sumi possint. Quare, ut re ipsa non historice tantum, sed assertive sive operative in persona Christi dicantur, id efficitur tandem intentione sacerdotis; satis autem et habetur et significatur haec intentio, eo quod verba illa in liturgica hac actione solemniter profert, quandoquidem et vult et omnibus spectantibus apparet velle Missam celebrare.

2. Hinc fit, ut solummodo si consecrationis verba repetenda sint postquam celebrans jam longius progressus sit, resumi debeant ex praecepto Ecclesiae: „qui pridie etc.“, quo *congruentius* ad ipsam consecrationem deveniatur. Sin autem statim inter consecrationem error corrigendus est repetitione formae, non resumantur oportet illa verba „qui pridie“, sed sola ipsius consecrationis forma.

Appendix.

Graviter peccat praecipue ille:

1. qui utitur materia corrupta, aut utcunque non valida; 131
2. qui utitur materia, quae paulo notabilius *coepit* corrumpi, aut notabiliter impura, aliave materia permixta est: ita tamen, ut pro minore majoreve gradu indecentiae facilius aut difficilius excusatio adesse possit;
3. qui sciens formam corrumpit, aut sine rationabili causa sive totam formam, sive ejus notabilem partem repetit;
4. qui consecrat extra Missae celebrationem;
5. qui sciens materiam consecrandam extra corporale sacrumve altare relinquit;
6. qui non curat, ut debito tempore sacrae species renoventur, si notabilis indecentia, magis etiam, si periculum corruptionis propterea inducitur.

Caput III.

De usu SS. Eucharistiae.

Scriptores de hac re tractantes laudari merentur inter alios: Apoll. Maier *liturgische Behandlung des Allerheiligsten*, Propst *Verwaltung der Eucharistie*, De Herdt *sacrae liturgiae praxis*, Hartmann *repertorium rituum;* — praeter proprios liturgiae fontes: *Missale, Rituale, Caeremoniale Episcop., Decreta S. R. C.* (collect. auth. Gardellini, quam adhibui et attuli secundum *tertiam* editionem Rom. ex typogr. S. C. de Propag. Fide).

Articulus I.

De SS. Eucharistiae asservatione.

132 I. Asservanda est SS. Eucharistia in ecclesiis cathedralibus, parochialibus, regularibus, et in ecclesiis monialium sub clausura stricta viventium. — Pro aliis autem ecclesiis consulenda est consuetudo vel Apostolicum indultum; item pro oratoriis et sacellis. Cf. Benger *Compendium theolog. pastoralis § 90.*

In conservatoriis, ad communitatem spectantibus, cui sacerdos ut rector praeest, non raro indultum Apostolicum conceditur, ut S. Eucharistia asservari possit; etiam nonnunquam in granciis seu villis regularium. Interdum autem Apostolicum indultum etiam conceditur pro oratorio domûs privatae: modo semel in hebdomada sacerdos celebrans sacras species renovet.

Utrum in ecclesiis filialibus SS. Eucharistia sine privilegio asservari possit necne, circumstantiae et consuetudines considerandae sunt. Si sacerdos aliquis illi ecclesiae praeest et apud eam habitat, facile licentia obtinebitur, imo, licentiâ exsistente, desideratur vel praecipitur, ut SS. Sacramentum ibi custodiatur pro commoditate et securitate Viatici; verum ubi sacerdos deest, in ecclesiis vel sacellis ruralibus indultum concedi minime consuevit. Cf. inter alios S. Alph. n. 424, magis particularia v. Maier l. c. pg. 522 sqq.

De modo asservandi SS. Sacramenti sufficit afferre praescripta Ritualis, iisque paucas notulas adjicere[1].

II. „Curare porro (parochus) debet, ut perpetuo aliquot particulae consecratae eo numero, qui usui infirmorum et aliorum fidelium Com-

---

[1] Modum asservandae SS. Eucharistiae non semper eundem fuisse notum est. Persecutionis tempore primis saeculis Sanctissimum Sacramentum fidelibus domi asservandum tradebatur, quo ingruente necessitate pro Viatico uterentur vel sese ad agonem confortarent. Pace Ecclesiae reddita, quando sacrae aedes et templa augebantur atque splendidius exstruebantur, pro sola necessitate infirmorum Sanctissimum Sacramentum in ecclesiis asservari consuevit, quum fideles, qui liturgiae assistere poterant, intra Missam solerent S. Communionem sumere. Asservabatur in ciborio, quo nomine vocabatur tota illa custodia, qua altare protegebatur, per modum tecti super illud exstructa atque columnis fulta; ex medio illo tecto pendulum erat sacrum vasculum in modum columbae vel turriculi confectum, quod SS. Eucharistiam contineret. — Paulatim factum est, ut in ipso altari tabernaculum construeretur, atque ciborium vocaretur sacrum illud vas, quod in tabernaculo inclusum SS. Eucharistiam contineret. — Cf. Probst l. c., Benger *theol. pastoral.* § 78.

munioni satis esse possit, conserventur in *pyxide*[1] ex solida decentique[2] materia, eaque munda et suo operculo bene clausa[3], albo velo cooperta[4], et quantum res feret, ornato in tabernaculo[5] clave obserato."[6]

III. „Hoc autem *tabernaculum* conopaeo[7] decenter opertum, atque

---

[1] Pyxis non consecratur, sed benedicitur similiter, ut vestes sacrae.

[2] Pyxis, quantum fieri potest, sit ex eadem materia, quae in calice praescribitur, ideoque aut aurea, aut saltem argentea vel stannea intus deaurata. Verum propter verba Rituali s non constat de rigoroso praecepto deaurationis, saltem si sit pyxis argentea (cf. etiam infra n. 228). Excluditur materia aeris, vitri, ligni etc. Quod de pyxide dictum est, valet etiam de lunula ostensorii, quae excipit sacram hostiam exponendam: sit igitur, quantum fieri potest, intus deaurata atque ita constructa, ut purificari possit; quod commodius fit, si duae laminae semicirculares medio cochlearum disjungi et arctius conjungi possunt.

S. Congr. R. 4. Febr. 1871 *Vicario Ap. Daniae* respondit, non decere sacram hostiam inter duas laminas vitreas sic includere, ut illae laminae tenuissimo quidem circulo aureo vel deaurato circumducto contineantur, ipsae tamen vitreae laminae, non aureus circulus, sacras species tangant. — At si latior est ille circulus, sphaerulae autem vitreae convexae sacras species non tangunt, sed circumdant, non tantum nihil obstat, quominus tale vasculum pro lunula usurpetur, sed ex majore reverentia et cura contra omnem SS. Sacramenti profanationem commendari et laudari debet.

[3] Pyxis suo operculo bene claudi debet; quare minime sufficit palla aliudve operculum superpositum, quod solum in necessitate ad asservandum Sanctissimum Sacramentum pro brevi tempore permitti potest. — Multo major abusus est, sanctam hostiam in lunula non clausa nudam in tabernaculo collocare.

[4] Pyxis aliudve vasculum Sanctissimam Eucharistiam continens in corporali vel palla benedictis collocari debet; pyxis velo *albo serico* est circumdanda, ita ut in tabernaculo non nuda appareat.

[5] Tabernaculum communiter ex ligno conficiendum est: alicubi majoris securitatis causa ferreum praescribitur. Extrinsecus *decet* esse deauratum; intus vero debet esse serico — etiam villoso — panno ornatum: si autem intus deauratum est, non esse necessarium pannum album sericum, rescripsit S. R. C. 16. Maji 1871 *in Urgeliens.* ad VII.

[6] Clavis tabernaculi (vel claves) debet esse sub diligenti custodia, eaque non laici, sed ipsius *sacerdotis,* ut pluries S. Congr. decrevit et S. Pontifices monuerunt. V. Maier l. c. pag. 543; Gard. n. 940, 987, 1048, 4007, 4918, 5029 etc. (*Decreta auth.* n. 529, 635, 2830, 2904). — At rector ecclesiae clavem tabernaculi retinere potest in sacristia sub alia clavi atque *hanc* committere sacristae seu aedituo pro tempore, quo ipse praesens non est et clavis tabernaculi necessaria esse potest: Gasparri, *De Euch.* n. 1000. Aliquando etiam privilegium habetur (ut in *Collectan. S. Sedis* ed. I. n. 336) ubi Pius IX. 13. Dec. 1874 indulsit cuidam Vic. Ap., ut in domibus religiosis piisve institutis permittere posset ex rationabili causa aliam tutam tabernaculi clavis custodiam.

[7] Conopaeum, quod Rituale requirit, non ubique quidem conspicitur; sed ad conformitatem cum Rubricis revera saltem convenit, illud inducere etiam ibi, ubi contraria consuetudo verae obligationi fortasse moderata est. S. C. enim praeter „*ornatum* tabernaculum", licet extra sit deauratum (S. C. Epp. et Reg. 26. Oct. 1575), semper conopaeum requirit: v. Maier l. c. pag. 542 sqq. — Est autem conopaeum velum ad instar tentorii, quo extrinsecus tabernaculum circumtegatur, seu etiam ex loco paulo altiore usque ad basim tabernaculi undequaque descendens; materia non praescribitur, convenit materia uti pretiosiore; color aut albus sit, aut secundum tempora et festa mutetur, ita tamen, ut loco nigri coloris, si occurrat pro tempore, violaceus sit adhibendus: ita 21. Julii 1845 in *Briocensi* ad 10. Decr. auth. n. 3035.

ab omni alia re vacuum[1], in altari[2] majore vel in alio[3], quod venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius ac decentius videatur, sit collocatum: ita ut nullum aliis sacris functionibus, aut ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur."

IV. „Lampades coram eo plures, vel saltem una die noctuque perpetuo colluceat[4]; curabitque Parochus, ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata integra mundaque sint, et conserventur." [5]

V. „Sanctissimae Eucharistiae particulas frequenter renovabit[6];

---

[1] In tabernaculo nihil servari licet, nisi SS. Eucharistiam, et sacra vasa, antequam post usum purificata sunt. Quare non licet simul cum SS. Sacramento ibi asservari vasa vacua et purificata, sacra olea, sacras reliquias sive Sanctae Crucis sive Sanctorum, multo minus purificatoria, claves, alia id genus. Cf. S. Congr. Ep. 3. Maji 1693 (Benger l. c.).

[2] Consuetudo asservandi SS. Sacramentum non in medio altari, sed ad latus in pariete aut in turricula ad id constructa (Sacramentshäuschen) Romae reprobatur, eam in *epist. ad Ep. Limburg.* 21. Aug. 1863 S. Congr. Rituum nomine S. Pontificis omnino prohibuit (v. Benger l. c.): quare quantum fieri potest, ejusmodi usus tollendus est; quamquam Maier op. cit. (edit. anni 1860) pag. 539 adhuc mitius judicat, si diuturna consuetudo alicubi morem illum probaverit, quem Bened. XIV. Const. *„Accepimus"* 16. Jul. 1746 antiquitus usitatum fuisse testatur.

[3] Communiter SS. Sacramentum in altari majore asservatur; in ecclesiis autem cathedralibus debet in alio altari asservari, ne videlicet sacrae functiones episcopales impediantur, quum commode et reverenter observari simul non possint et reverentia SS. Sacramento debita et rubricae sacrarum functionum.

[4] Peccatum grave tamen non constituitur, nisi per integrum diem et noctem lampas exstincta mansit. Cf. Alph. n. 248. Oleum per se debet esse *olivarum;* ex necessitate autem Episcopus permittere potest, ut aliud oleum, etiam alio deficiente petroleum, substituatur; quod tamen non sine graviore causa faciendum est. „Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiae Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, *quantum fieri possit, vegetabilibus.*" Die 14. Julii 1864 confirmat. a Pio IX. v. Decr. auth. n. 3121. — Quare sola ratio minuendi expensas justa non est, quum potius in aliis rebus minui debeant; aliud est, si paupertas et ecclesiae et parochiae accedit.

[5] Altare, in quo SS. Sacramentum asservatur, ornatus habere debet et lampades plures, quam forte alia altaria reliquiis vel sanctis imaginibus distincta. Quod nihilominus non sic intelligitur, ut auferendae sint lampades ad altare Beatissimae Virginis aliorumve Sanctorum appensae, sed ut potius major earum numerus addatur ante Sanctissimum. S. R. C. 2. Julii 1661, ut refert Benger l. c.

[6] Caeremoniale Episcoporum statuit, ut saltem semel in hebdomada sacrae species renoventur, aut etiam saepius, si necesse sit, idque variis legibus sancitum esse, Gardell. in *Gand.* 16. Dec. 1826 n. 4623 (2650) ad I. 1 et 2 adnotat. Nihilominus, si excipias casum, quo propter speciales circumstantias loci et tempestatis valde incongruae id necesse est, et quando in privilegio asservandae SS. Eucharistiae in oratoriis et locis alioqui non permissis expresse ea lex adjungitur (id enim aliquando fieri certum est): praxis communis et statuta dioecesana, imo etiam conciliorum provincialium Romae recognitorum id ad quatuordecim dies extendunt, atque Bened. XIV. Constitutione *„Etsi pastoralis"* § 6 n. 9 et Clemens VIII. *„Sanctissimus"* 31. Aug. 1591 pro Graecis approbant, ut octavo aut *saltem quintodecimo quoque die* renovatio fiat. Idem Innocent. IV. in *literis ad legatum Cypri* fecerat. Quare Gardellini ipse concludit: „Quodsi ad quindecim dies protrahatur renovatio, non id reprobandum culpaeque vertendum . . . secus nec Clemens VIII. tempus hoc pro Italo-Graecis determinasset." — Notat autem Lacroix cum aliis, per integrum mensem sacras species non renovari, posse mortale peccatum facile evadere.

hostiae vero seu particulae consecrandae sint recentes[1]; et ubi eas consecravit, veteres primo distribuat vel sumat.“[2]

Scholion. Pauca hîc adnoto circa *Sanctissimi Sacramenti expositionem,* 133
de qua confer Maier op. c. pag. 249—437.

1. Distinguitur expositio publica et expositio privata. — Expositio quoad formam *publica* est expositio in ostensorio non velato ita facta, ut populo aditus ad ecclesiam, ubi expositum est Sanctissimum Sacramentum, pateat. — Expositio *privata est:* 1) quae fit in ciborio non extracto e tabernaculo, sed in vestibulum tabernaculi protracto. 2) Etiam privata censeri debet expositio in ostensorio, quae fit in oratorio sive ecclesia regularium *ianuis clausis,* ita ut fidelibus aditus non pateat, sed summum uni alterive hospiti, qui quasi de familia specialiter admittitur: cf. Bouix *de regular.* p. V. sect. 3 cap. 2 q. 13. — 3) Expositioni privatae secundum Scavini t. 3 n. 121 not. *ex notificatione* Card. Morozzo 14. Aug. 1834 aequiparari potest expositio *in ostensorio velato,* i. e. tenui velo albo circumdato, ita ut sacra species oculis fidelium non appareat.

2. Ad expositionem *publicam* requiritur causa publica et approbatio sive licentia Episcopi: quod multoties etiam relate ad regulares S. R. C. declaravit atque praescripsit. Causa autem publica sine dubio est devotio specialis promovenda.

Expositio *privata* fieri potest solo consensu Superioris vel rectoris ecclesiae etiam ex causa privata, v. g. ad implorandam sanitatem homini privato aegrotanti; eamque expositionem privatam priore loco notatam ‚de consensu Episcopi‘, etiam affluente populo, sic fieri posse, ut tabernaculum aliquod speciatim ad hoc construatur et in altari pro populi devotione magis adaptato collocetur, S. R. C. declaravit: v. Gard. n. 3162. Verum ille Episcopi consensus hîc non intelligitur pro qualibet causa, sed solum quoad *modum* expositionis.

Articulus II.

De distributione SS. Eucharistiae.

§ 1.

Quibus competat jus distribuendi.

I. Solus sacerdos est ordinarius minister S. Eucharistiae; diaconus 134
ex delegatione in casu necessitatis minister est extraordinarius. Vide Trid. sess. 13 cap. 8.

II. Ut in aliena Ecclesia S. Eucharistiam distribuere sacerdoti liceat, requiritur licentia parochi vel rectoris: verum cum licentia

---

[1] S. Carolus Borromaeus praescripsit, ne assumerentur unquam hostiae, nisi quae infra tres hebdomadas essent confectae. Cf. Benger l. c. et Decr. auth. ut supra n. 120, ubi reprobatur abusus adhibendi hostias a tribus mensibus confectas.

[2] Id igitur in renovatione ciborii ante omnia notandum est, ne unquam recenter consecratae hostiae aliis addantur: sic enim summum periculum inducitur, ne una alterave particula ultra modum diu servetur, atque ita lex renovandi sacras species illusoria evadat. Neque omitti debet diligens ciborii purificatio, ne videlicet minimae particulae residuae cum injuria SS. Sacramenti corruptioni exponantur.

celebrandi etiam licentia S. Eucharistiae distribuendae dari censetur ex consuetudine hodie vigente, nisi forte in Communione paschali parochus exceptionem faciat. Cf. Müller lib. 3 § 94. — In sacello autem privatae domûs cum indulto Apostolico celebrandae Missae non datur eo ipso facultas distribuendae S. Eucharistiae: quare quid liceat, aut ex indulto superaddito, aut ex licentia *Episcopi*, cujus est haec concedere, videri debet. V. Const. Ben. XIV. *„Magno“* § 15 edita 2. Jun. 1751.

III. Regulares, etsi in suis ecclesiis et oratoriis S. Eucharistiam ministrare possunt fidelibus, excepto die Paschatis: tamen non possunt sine venia Episcopi aut commissione parochi ad aegrotos S. Eucharistiam (publice) deferre; multo minus per modum Viatici S. Communionem praebere.

IV. Communiter nemini, ne sacerdoti quidem extra celebrationem Missae licet sibi ipsi S. Communionem sumere, neque laico eam ad alterum deferre. Verum secluso scandalo, sacerdoti infirmo licebit sibi S. Eucharistiam sumere, si aliter S. Communione privaretur. Imo nonnulli concedunt, id laico licere in casu necessitatis Viatici, si id aliter sumere non possit; magis etiam posse laico in casu summae necessitatis id committi, ut alteri S. Eucharistiam pro Viatico deferat, ita ut saltem tempore pestis Episcopus hoc laico pio committere possit.

135 **Uberior explicatio.** Nota ad I. Diaconus, quamquam ex ordinatione sua id habet, ut possit Sanctissimam Eucharistiam dispensare, tamen ex hodierna praxi hoc non potest, nisi ad causam alicujus necessitatis commissio sacerdotis accessit. S. R. C. 25. Febr. 1777 (Decr. auth. n. 2504). Si autem de Viatico agitur, ne eo moribundus privetur, commissio utique exspectanda non est. Nam necessitas, cui commissio accedere debeat, intelligitur longe minor, scil. notabile aliquod incommodum, quod sive sacerdoti sive fidelibus oriretur, nisi diacono Eucharistiae dispensatio committeretur.

Ad II. 1. Oratoriis privatis relate ad Sanctissimae Eucharistiae distributionem adnumeranda non sunt oratoria regularium. Ibi distribuendae Sacrae Eucharistiae licentiam Pontifices concesserunt, e. g. Societati Jesu Gregor. XIII. *„Decet Romanum Pontificem“* et *„Usus altaris viatici“*, Paul. III. *„Licet debitum“*, imo in facultate celebrandae Missae contineri putanda est: est enim haec facultas, si personale quidem privilegium conceditur, *strictae* interpretationis, *latae* autem interpretationis, quando per privilegium communitatibus datur.

2. Verum in quolibet oratorio videtur *ministro* Sacra Communio dari posse, quum ministrum in qualibet Missa non communicare sit potius antiquae legis relaxatio, quam eum Sacram Communionem sumere posse est singularis concessio. Ceterum aliorum judicio id relinquo.

136 Ad III. 1. Regulares, quum ex officio ordinario curam animarum non habeant, id solum possunt erga fideles, quod S. Pontifex vel Episcopus concessit. Quare in suis ecclesiis quidem sacramenta fidelibus confluentibus administrare possunt, excepto die Paschatis (v. Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 11 cap. 14 n. 5), ut S. Pontifices expresse constituerunt, atque etiam aegrotorum confessiones ubique — modo appro-

bati sint — audire possunt (v. infra *de sacramento poenitentiae* n. 382); sed S. Eucharistiam ad aegrotos deferre, ad eos solos spectat, qui ordinariam curam fidelium vi muneris habent, scilicet ad parochos eorumve Superiores. Quapropter solummodo ex eorum commissione regulares id sibi sumere possunt, ut Suarez *de Euch.* d. 72, Castrop. *de censur.* d. 3 p. 26 bene explicant.

2. In casu Viatici et extremae unctionis fertur excommunicatio erga regulares, qui illegitime sine necessitate sibi illud munus contra jura parochialia arrogaverint (v. infra *de censuris*).

3. Administratio autem sacramentorum non solum erga regulares subditos, sed etiam erga familiares illi restrictioni non subjicitur; atque ratio est plana, siquidem Superior regularium in eos vi muneris sui officium quasi-parochiale habet. V. etiam Müller l. c.

Ad IV. 1. In casu verae necessitatis, ne moribundi Viatico priventur, licere laico (tum sibi sumere, tum) alteri deferre Sanctam Eucharistiam idque ei committi *posse,* censent Cajetan, Suarez, Laym., Mazzotta (cap. 3 § 1 *de Euch.*) citans pro eadem sententia Greg. de Val., Regin., Filliucci: neque S. Alphonsus eam doctrinam ullatenus reprobat l. 6 n. 237 in fine.

2. Ut autem sacerdoti liceat, sibi sumere sacram Communionem, talis necessitas nullatenus requiritur; imo approbante S. Alphonso, sola devotio et defectus alterius sacerdotis sufficit. Ib. n. 238.

§ 2.

De obligatione administrandae S. Eucharistiae.

Quae de illa obligatione dicenda sunt, facile eruuntur tum ex 137
generali caritatis officio, tum ex speciali officio, quod vi muneris habent, qui curae animarum exercendae sunt praepositi. Quare haec pauca noto:

I. Parochus aliique curam animarum ex munere exercentes tenentur sive per se, sive per alterum administrare S. Eucharistiam subditis suis toties, quoties rationabiliter petunt[1].

II. Praecipue vero debent aegrotis Viaticum praebere, imo prospicere, ut illud sumere velint et sumant; idque pro conditione personarum et circumstantiarum etiam saepius: de qua gravissima obligatione visitandi infirmos eorumque saluti prospiciendi vide, quae infra in tractatu de sacramento Ordinis dicentur circa specialia officia parochi.

---

[1] Quamquam illam obligationem fidelibus satisfaciendi potius severius, quam laxius interpretari convenit: tamen ex se grave peccatum dici nequit, raro alicui petenti non obsecundare, etsi fiat sine justa causa: potest autem grave fieri per accidens. Cf. quae dicta sunt de *sacram. generatim* cap. IV. § 5. — Ab omni peccato parochus excusari potest, si petitio sine causa fit importuna sive ex se sive propter alia parochi negotia. Multo minus crimini verti potest, quando denegat frequentiorem Communionem iis, qui ad eam rite dispositi non sunt: verum id publice facere non licet, nisi de illa indispositione publice constet.

III. Debent etiam curare, ut pueri suo tempore ad sumendam S. Eucharistiam praeparentur et admittantur, idque in periculo mortis longe maturius, quam extra illud. De tempore admissionis dicetur sequenti articulo.

IV. Reliqui sacerdotes (vel diaconi), atque ipsi parochi non-parochianis, tenentur solum in casu necessitatis hoc officium praestare. Quare gravis obligatio fere restringitur ad periculum mortis. Quod si imminet, quilibet sacerdos, qui praesto sit, debet aegroto succurrere, etsi Sacramento illo non indigeat tamquam medio salutis necessario: attamen si sacerdos grave damnum subire debet, alienus sacerdos multo facilius, quam parochus, excusatur.

§ 3.

De modo S. Eucharistiae ministrandae.

133 I. In danda sacra specie servanda est consuetudo Ecclesiae: quare nunquam licet in latino ritu laico dare S. Eucharistiam sub specie vini. Sub specie panis danda non est hostia major, quali sacerdos in celebratione utitur, *neque plures* hostiae parvae (cf. decret. S. C. C. 12. Febr. 1679 ab Innoc. XI. expresse approbatum); licet tamen, si necessarium est, parvas hostias dividere, sed summum in duas vel tres partes, ne particula nimis parva evadat; licet etiam pro uno alterove communicaturo, qui aliter diutius exspectare deberet, ex hostia majore pro Missa consecrata particulam detrahere.

II. Caerimoniae concomitantes eae sunt, ut, nisi urgentem necessitatem excipias, vestis sacra *sub gravi* requiratur, lumen sub veniali, preces sive antecedentes sive subsequentes sub veniali. S. Alph. n. 241. Item, excepto casu necessitatis, observari debet, ut S. Eucharistiam distribuat sacerdos pollice et indice manûs dexterae: si vero illos digitos impeditos habet, praestat aliis uti, quam *populum*, aut *singulos moribundos* S. Communione privari.

III. Tempus S. Eucharistiae fidelibus distribuendae est tempus Missae, i. e. tempus, quo vel jure ordinario vel ex privilegio celebrare licet: verum facilius admittitur latior hujus temporis extensio, quam in ipso Sacro faciendo. Viatico vero administrando quodlibet tempus sive diei sive noctis aptum est; imo etiam pro aliis aegrotis, qui alioqui jejuni manere non possent, aliquoties legitimum tempus anteverti debet.

IV. In defectibus inter distributionem occurrentibus ipsae Rubricae omnia necessaria praescribunt et minutim reverentiam SS. Sacramento debitam servandam indicant.

139 **Uberior expositio.** Ad I. nota: Sacram Eucharistiam sub specie vini laico dare in latina Ecclesia nunquam licet, ne in necessitate quidem Viatici id unquam permittitur: sicut longe communius etiam negatur, fieri posse consecrationem in pane fermentato, etsi necessitas Viatici urgeat (S. Alph. n. 203). Sola ratio perficiendi sacrificium causa esse *potest*, cur

fermentatus panis alio omnino deficiente sumatur. Videlicet quamquam juris divini censetur esse, ut moribundus sumat S. Eucharistiam, praeceptum azymi vel fermentati panis juris divini esse dici nequit: nihilominus illud divinum mandatum Sacram Eucharistiam pro Viatico sumendi intelligitur, *modo convenienter sumi possit.* — Fidelibus autem alieni ritus posse aliquando secundum *ipsorum* morem S. Eucharistiam ministrari, v. infra ad calcem in fine appendicis I.

Ad II. 1. Omittere *omnem* vestem sacram, nisi necessitas adeo urgeat, peccatum grave est; at omittere solam stolam, aut solum superpelliceum, grave peccatum certo dici nequit. Deferre autem ab uno altari ad aliud sine ulla sacra veste, non excedit peccatum veniale. S. Alph. l. c. n. 241.

2. In locis haereticorum vel infidelium aut ex sese, aut ex privilegio a Sancta Sede concesso licet Sacram Eucharistiam ad aegrotos clam deferre sine vestibus sacris: verum in *Instructione* Ben. XIV. (quam vide in *appendice ad Rit. Rom.* anni 1877) hoc praescribitur pro ipsis regionibus Turcarum et infidelium, ut sacerdos Sacram Eucharistiam deferens saltem *sub* communi veste sua *deferat stolam,* quae ab aliis non videatur, ne vid. sine omni sacra veste Sanctissimum Sacramentum feratur. Quoniam autem eadem reverentiae ratio ubique subest, neque ullibi impedimentum sit, sacram vestem ita gerendi: omnino convenit, ubicunque Sacra Eucharistia defertur occulte, illum ritum servari. In hunc sensum habes responsum S. R. C. 4. Febr. 1871 in una *Vicariatûs Apost. de Dania* Gard. n. 5469 „omittendum non esse, quotiescunque fieri possit, sc. ut sacerdos saltem in cubiculo infirmi talari et stola se induat."

3. Sanctissimum Sacramentum capite cooperto ad aegrotos deferri — 140
quando palam defertur — S. Congr. difficulter permisit, nisi quando per agros deferendum esset. Quamquam si vere graves rationes sunt, ita ut propter aëris inclementiam valetudinis detrimentum sacerdoti timendum sit, ne illud quidem exclusit, quominus id in oppidis fieret, ut videri potest *in Oriolensi* 22. et 27. Aprilis 1871 *Decr. auth.* n. 3246: „Utrum liceat ministro deferenti Sacram Eucharistiam infirmis, tam infra populos, quam in agris degentibus incedere capite cooperto, quando propter aëris inclementiam aut nimium calorem solis fundate timetur periculum salutis illius? — Sanctitas sua commisit Rev^mo Ordinario pro tempore dioecesis Oriolensis, quatenus nomine et auctoritate S. Sedis pro suo arbitrio et prudentia concedere valeat sacerdotibus suae dioecesis, *in expositis tantum casibus,* delationem pileoli"; imo pro dioecesi *Coloniensi* 13. Nov. 1862 indiscriminatim concessum est, ut sacerdotes S. Viaticum delaturi incedant tempestate praesertim hiemali capite laneo pileolo obtecto, qui exigente necessitate esse poterit tantae amplitudinis, ut aures etiam cooperiat. V. Müller l. c. § 97.

Quare Episcopi est, sibi de tali facultate providere: verum si inopinatus casus *verae necessitatis* occurrat, in quo venia Episcopi vel Sanctae Sedis peti nequeat, epikia uti licere, ex responso videtur satis recte colligi posse: nisi forte id observari possit et sufficiat, quod Rubrica Ritualis per se jubet, sacerdoti publice Sacram Eucharistiam deferenti sub baldachino incedendum esse.

4. In ipsa Sacrae Communionis distributione, si diacono legitime commissa est, nullus ritus mutari debet, sed a diacono *omnia* perficienda sunt, sicut a sacerdote, omissa, ut videtur, sola benedictione populi *post* datam Communionem, et mutato modo deferendae stolae: si autem cum Sanctis-

simo Sacramento danda est benedictio, hanc diaconus impertiatur oportet. Vide Analecta Sanctae Sedis ser. IX. vol. V. p. 1 col. 1136, ubi refertur responsum, quod a S. C. tulit Coadj. Vicar. Apost. Tunquini Occidentalis: „Diaconus, qui ex mandato sui Vicarii Apost. defert Sanctum Viaticum infirmis, potestne facere aspersionem aquae benedictae, dicere ‚Misereatur etc., Indulgentiam etc.', signare infirmum, dicere ‚Dominus vobiscum' et benedicere cum Sanctissimo Sacramento infirmum et assistentes?"

R. „Deficiente presbytero et Vicarii Apost. concurrente licentia, *affirmative in omnibus.*"

5. Post Communionem extra Missam, i. e. sive omnino extra Missam, sive immediate ante vel immediate post fit, ex Ritualis Romani Rubrica dicenda est saltem Oratio de Sanctissimo Sacramento (quae tempore Paschali mutatur) praemissis versiculis „Domine, exaudi orationem meam" etc. et „Dominus vobiscum": quam *legem* veri nominis esse, tum ex Rituali patet, siquidem Rubricae, quando aliquid praescribunt, non consueverint id aliter exprimere, nisi ut hîc quoque fit, utendo voce: *„Sacerdos dicit"*, tum ex responso S. Congr. R. 24. Sept. 1842 (Gard. n. 4947): „An in Communione fidelium post versum ‚Panem de coelo' dici omnino debeant ante orationem versiculi ‚Domine, exaudi' etc.?" R. „Affirmative, ut praescribitur in Rituali." Versus autem et antiphona „O sacrum convivium etc." pro libitu dicitur aut praetermittitur, ut ex Rituali evidens est.

141 Ad III. 1. De tempore, quo fidelibus in Ecclesia Sacra Communio possit distribui, S. Alph., loquens sane de praecepto gravi, solummodo excludit tempus nocturnum et illam diei partem, quae ad vesperam vergit; ita ut saltem propter speciales circumstantias permittat, Sacram Eucharistiam jejunis distribui posse etiam tempore pomeridiano, quum tempus Missarum jam omnino elapsum sit, ut hora secunda vel tertia pomeridiana.

Quod autem alii opponunt Rubricam Ritualis, et responsum S. C. R. (*D. auth.* n. 2572) 7. Sept. 1816 in *Tuden.* ad 23, id rem non evincit. Nam 1) Rituale loquitur de tempore, quod *per se* deceat et conveniat observari. 2) Responsum illud S. C. R. *legem non tulit,* respondit tamen ita, ut pro particulari illo casu etiam illud tempus fortasse comprehenderet, quod alias, utpote nocturnum, excludi deberet. Nam interrogata: „An in die magni concursus ad Indulgent. plenariam vel Jubilaeum possit ministrari Sacra Eucharistia fidelibus aliqua hora ante auroram et post meridiem?" dixit: „Affirmative in casu, de quo agitur, a tempore ad tempus, quo in illa ecclesia Missae celebrantur vel ad formam Rubricae, vel ad formam indulti eidem ecclesiae concessi." At indultum speciale aliquando concedit, ut Missae celebrentur paulo post mediam noctem; quod tempus sane ex communi lege ineptum est ad distribuendam fidelibus Sacram Communionem: id quod comprobatur ex lege, quae vetat, ne post primam Missam in nocte Nativitatis Domini celebratam liceat Sacram Communionem distribuere, nisi privilegium omnino speciale obtineatur.

2. Etsi Rituale moneat, Sacram Eucharistiam, si fieri possit, esse *intra Missam* distribuendam: tamen consuetudo late vigens et causae communiter occurrentes id effecerunt, ut verum praeceptum, etsi sub veniali tantum, statui amplius non possit. Cf. Ben. XIV. *de sacrificio Missae* l. 3 c. 19 n. 1.

142 Ad IV. 1. Defectus in ipsa distributione Sacrae Eucharistiae occurrens fere ille solus est, si sacra species decidit. Quod si factum est, sacrâ specie diligenter collectâ, locoque inspecto, ne qua particula remaneat,

locus interim tegendus et postea abluendus est, aqua ablutionis in sacrarium injicienda: quae lex ablutionis, si agitur de sancta hostia, quae cecidit, non obligat sub gravi (S. Alph. n. 250), nisi forte cecidit in locum, qui alias pedibus calcatur.

2. Quare si sancta hostia cecidit in barbam viri, in sinum mulieris etc., paucis, quoties ablutio magnam admirationem excitaret, potius omittitur: S. Alph. l. c. cum aliis. Si igitur in sinum mulieris sancta hostia cecidit, mulier in sacristiam ducenda est, ut ipsa sacras species inquirat et sacerdoti porrigat, atque manus suas, quae sacras species tetigerunt, ipsa lavet ibidem.

3. Si vero in Sacro celebrando gutta Sanguinis cecidit sive in linteum, sive in alium locum: Sanctissimus Sanguis, si fieri potest, sorbeatur, dein si usque ad lapidem lignumve penetravit, hae res nonnihil radi, rasura comburi, locus ter ablui debet; lintea similiaque tegumenta ter debent ablui, ablutio et cineres rasurae in sacrarium injicienda sunt. In effusione Sancti Sanguinis ejusque guttulae aliqua ablutio *sub gravi* fieri debet.

4. Facilius alius defectus occurrere potest, quando ciborium purificandum sacraeque species renovandae sunt. Si igitur ciborium, quo sacerdos statim indiget, purificari *debet,* sacerdos vero ex oblivione purificationem calicis jam sumpsit; nihilominus post jejunium naturale sic fractum generatim licet parvas reliquias in ciborio inventas colligere et sumere, siquidem haec consumptio per modum unius cum Sacra Communione computatur. Ita saltem, si accidet, ut aliter vix possibile sit reverentiam Sacrae Eucharistiae debitam servare atque tempus pro renovandis sacris speciebus et purificando ciborio praescriptum retinere. Cf. Tamb. *de methodo Commun.* c. 2 n. 37 cum Henriquez et Fagund. Integram autem hostiam multo difficilius sumi licebit, ut quae etiam servari possit ad sequentem diem.

5. De aliis fragmentis sacrae speciei, si forte inveniuntur, haec statui possunt: 1) Nulla difficultas est, si quae fragmenta inveniuntur a sacerdote intra Missam, antequam ablutionem sumpsit; nam tum etiam post Sacram Communionem diutissime distributam potest quaslibet particulas, etiam integras hostias, si opus sit, consumere.

2) Consulto quidem nunquam ita agere licet, ut non jejunus debeat sanctam particulam postea sumere: at si tandem post jejunium per ablutionem laesum invenit fragmenta ad idem sacrificium spectantia, ea sumere *debet,* si adhuc est ad altare, imo communius cum Ben. XIV. dicunt, idem faciendum, etsi sit in sacristia, sacris vestibus nondum exutis. Imo si sacerdos justam causam habet particulas pro fidelium Communione consecratas post suam Missam potius, quam intra illam distribuendi, idque non ex pyxide, sed ex patena: Ben. XIV. absolute concedit, ut etiamtum fragmenta sumantur.

3) Si fragmenta non sunt de eodem sacrificio, aut si de eodem quidem sacrificio sunt, sed inveniuntur a sacerdote sacris vestibus jam exuto: sumenda non sunt, nisi accedit periculum irreverentiae, scil. si post ultimam Missam inveniuntur et a) aut deest tabernaculum vel decens locus, ubi conserventur, b) aut particulae minutissimae sunt, quae sine periculo ne ad tabernaculum quidem deferri possint.

4) Quod de fragmentis dicitur, non potest intelligi de hostia integra, aut tali parte, quae commode usui esse potest in fidelium Communione: nam ut haec a non jejuno sumi liceat, requiritur, ut post ultimam Missam desit locus decens, quo sacra hostia asservetur, et simul sine graviore in-

commodo deferri ad alium locum non possit. Sub illis autem conditionibus etiam integra hostia post ablutionem sumenda est, ut ipsa Rubrica Missalis disponit. Cf. Ben. XIV. *de sacrif. Missae* l. 3 c. 17 n. 3—5.

Articulus III.

De susceptione SS. Eucharistiae.

143 Sumptio S. Eucharistiae distingui potest: materialis, sacramentalis, spiritualis. *Materialis* sumptio vocatur, quae fit ita, ut sacramenti ratio pro sumente excludatur, videlicet 1) si a non-baptizato S. Eucharistia sumitur, pro quo sacramentum esse aut sacramentalem gratiam producere non potest; 2) si suscipitur a baptizato (adulto) nullatenus voluntarie, ne interpretative quidem, ut si extra mortis periculum ab inscio, dormiente sumitur.

Sacramentalis sumptio est quaelibet S. Eucharistiae voluntaria sumptio ex parte hominis baptizati (si de infante agitur, sufficit voluntas aliena). Verum si voluntarie quidem sumitur, sed cum obstaculo recipiendae gratiae, sumptio dicitur *sacramentalis tantum;* si cum effectu gratiae sumitur, habetur sumptio *sacramentalis et spiritualis simul* [1].

Spiritualis sumptio, si a sacramentali sejungitur, est perceptio ipsius fructûs sacramenti extra realem S. Eucharistiae sumptionem: quae vocari potest ad analogiam aliorum sacramentorum, Communio in voto, seu desiderium Communionis [2].

---

[1] Ut *certo* sit sacramentalis, sumptio fieri debet per *manducationem* (et potationem), i. e. fieri debet vitalis transmissio per os et guttur in reliquam viam ordinariam alimentorum. *Probabile* autem est, sufficere, ut species eucharisticas homo utcumque voluntarie, etiam miraculoso vel artificiali modo, e. g. per fistulam oesophago insertam, in organa digestiva recipiat: sic enim s. species vere recipit *per modum cibi,* quamquam non proprie „*manducat* carnem Filii hominis". Quodsi quaeris, num aegroto, qui aliter cibos recipere jam non possit, hoc modo etiam S. Eucharistia pro Viatico administrari *debeat,* dico neque ministrandae neque suscipiendae sic Eucharistiae obligationem esse, eo quod modus sit dubius et inusitatus, nisi forte hoc solum sacramentum sit, quod dari possit. Si quaeris, num sic administrare *liceat,* non abnuerim, quamdiu lex ecclesiastica id non prohibet; ceterum Superiorum Ecclesiae est, id decernere definitive. Cf. Suarez *de Euchar.* disp. 63 sect. 7, et praecipue Lugo *de Euchar.* disp. 1 n. 114 et 115.

[2] Hoc pium devotionis exercitium summopere commendandum est, quum fervorem augeat et innumeras gratias spirituales homini conciliet. Nam etsi ceteris paribus per realem sumptionem largior gratia datur: nihilominus quo majus desiderium fuit, eo abundantius ipsius Sacramenti gratia jam anticipatur; idque eo magis attendendum est, quod spiritualis Communio quovis tempore et frequenter peragi potest.

Peragitur autem aliquo modo, quoties homo christianus per affectum sese unit Christo, Deo incarnato et pro homine passo, atque ad arctiorem unionem cum Christo, tamquam vivum membrum adspirat, maxime per affectuum Divini Cordis imitationem. Ille enim ipse effectus est, quem Christus Dominus per SS. Sacramentum in suis membris producere et in dies augere intendit: quare qui desiderio hunc effectum vult atque divina gratia adspirante in se effingere studet, rectissime dicitur Sacram Eucharistiam in voto seu spiritualiter suscipere.

Si quis autem impensius huic devotionis exercitio indulgere vult, expressius in plures quosdam actus virtutum erga SS. Eucharistiam ferri debet: 1) in actum vividae fidei in realem Christi praesentiam, 2) in piam memoriam et gratiarum actionem pro Dominica passione et hujus SS. Sacramenti institutione, 3) in amorem et desiderium erga Christum Salvatorem, cui quam simillimus fieri et quam intime

Hujus loci est agere de *sacramentali* sumptione atque ea, quae debeat simul esse spiritualis. Nam Sacram Eucharistiam sacramentaliter tantum sumi, aut supponit defectum erroris, aut grave sacrilegium. Explicanda est tum obligatio S. Communionis, tum dispositio ad eam necessaria.

§ 1.

De obligatione sumendi S. Eucharistiam.

I. S. Eucharistia ex jure divino adultis necessaria est necessitate 144
praecepti et medii moraliter quodammodo necessarii aliquoties in vita et maxime circa ejus finem.

II. Hoc praeceptum ab Ecclesia ita determinatum est, ut quotannis tempore Paschali sumi debeat ab iis, qui ad annos discretionis pervenerint. Later. IV. cap. 21: „*Omnis utriusque sexûs.*“

III. Anni autem discretionis paulo latius sumuntur relate ad SS. Sacramentum, si excipias mortis periculum, ita ut aliquot etiam annorum intervallum ex judicio parochi concedi liceat, antequam gravis obligatio Sacrae Eucharistiae primum suscipiendae statuatur. Suarez *de Euch.* disp. 70 sect. 1, Laym. l. 5 tr. 6 cap. 4 n. 3.

IV. Quamquam ad annuam Communionem Ecclesia restrinxit suam legem, tamen maxime optat, ut quam frequentissime fideles ad sacram mensam accedant. V. Trid. sess. 13 cap. 8 et sess. 22 cap. 6.

Expositio uberior. Ad I. nota: 1. Obligationem divinitus im- 145
positam habemus apud Joan. cap. 6, 54: „Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.“ Quae verba quomodo necessitatem communicandi sub utraque specie non includant, v. Trid. sess. 21 cap. 1 et 2.

Obligationem autem solis adultis seu usu rationis pollentibus imponi, tum ex ipso textu, tum ex constanti Ecclesiae praxi et consuetudine elucet. Et vere obligationis implendae aut violandae infantes capaces non sunt. Medii autem necessitas, quam etiam aliquatenus exprimi ultro fatemur, ea sola est, ne recepta gratia in periculis et tentationibus hujus vitae per gravem lapsum amittatur: cujus amissionis infantes iterum incapaces sunt. Quomodo haec necessitas medii ad obtinendas gratias necessarias et abundantiores intelligi debeat, jam supra n. 115 dictum est. Quodsi impossibile erit, S. Eucharistiam recipere, Deus aliis subsidiis homini praesto est, ut possit in spirituali pugna consistere.

2. Determinatio ex sola lege divina non est facta. Esse tamen praecipue circa finem vitae S. Eucharistiam sumendam, theologorum consensus et Ecclesiae praxis demonstrat. Atque etiam planum est,

---

tamquam membrum capiti uniri cupiat, his in terris in humilitate, labore, dolore, cum summa fiducia postea sese Christo jungendi in gloria, 4) in dolorem de peccatis ex caritate oriundum, 5) in desiderium Christum Jesum in SS. Eucharistia, si fieri possit, realiter suscipiendi.

Haec spiritualis Communionis praxis tum in pia visitatione SS. Sacramenti, tum maxime tempore Missae, si realiter Communio sumi nequit, utilissime exercetur.

Paschali Communione divino praecepto per se sumpto, i. e. quatenus extra articulum mortis saepius in vita urget, satisfieri.

Verum divinae legi per sacrilegam Communionem non satisfieri, per se in comperto est. Fuerunt quidem theologi non pauci, qui putarent, *ecclesiasticae* legi qua tali satisfieri quacunque sumptione, ita ut post sacrilegam sumptionem ecclesiastica lex non amplius urgeret. Sed haec opinio tum statuit, Ecclesiam non posse praecipere actus internos, tum etiam parum distinguit inter actus internos per se praeceptos et inter actus internos, qui sint externae actionis necessarium complementum. Neque opinio illa amplius sustineri potest, postquam Innoc. XI. proscripsit thesim 55: „Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem"; idque magis confirmatur thesi ab Alex. VII. damnata 14: „Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto *Ecclesiae*".

146 3. At si quis moribundus sacrilege sumpsit Viaticum, et postea dolore tactus id confitetur: prudentiae confessarii relinquitur, utrum moribundum moneat de iterando Viatico, an id dissimulet. Nam si id difficile videtur, si moribundus non potuit solo hortatu sine obligationis mentione ad hoc adduci, consultius est, a declaranda obligatione abstinere, ne formalis laesio divinae legis committatur in summam morituri perniciem.

4. Qui subito in mortis periculo constituitur, *non certo tenetur* ad sumendam Sacram Eucharistiam, quando circiter una ante hebdomada Communionem sumpsit, maxime si mortis periculum ex causa intrinsecus orta creatur, quae jam tunc praeparata erat. — Verum *potest* pro Viatico etiam ille Sacram Communionem sumere, qui eodem die, mortis periculo nondum ullatenus apparente, Sacram Communionem ex devotione sumpsit atque postea in mortis periculo inopinato constituitur: quamquam minime tenetur. Ita Ben. XIV. *de syn.* l. 7 c. 11 n. 2, Gury-Baller. II. n. 319. Cf. etiam recentiora concilia particular. Coll. Lac. tom. IV. (Conc. Rem.) col. 117, (Auscit.) col. 1186.

5. Ceterum obligatio in mortis periculo aut circa illud tempus Sacram Eucharistiam sumendi adest, ex quacunque tandem causa mors imminet, sive ex morbo, sive ex proelio instante, sive ex itinere omnino periculoso.

6. At haec obligatio, quum nulla absoluta medii necessitas sit, semper sic intelligi debet, ut supponatur facultas Sacram Communionem sine irreverentiae periculo sumendi. Quare sensuum destitutio quidem ex se nihil impedit, quominus Sacra Eucharistia iis, qui interpretative petierint, detur; tamen videndum est, sitne magnum in hoc statu fortasse periculum, ne aegrotus positivam irreverentiam gravem contra SS. Sacramentum committat; quod si juste timetur, potius Sacra Communio omittenda est. Quare etiam iis, qui videntur in statu peccati sensibus destituti esse, non tam facile dari potest Sacra Eucharistia pro Viatico, quam extrema unctio. — Hinc iis, qui in actu peccati sensibus destitui videntur, Sacra Communio dari non debet, nisi forte sit unicum sacramentum, quo probabilius juvari possint. — Aliis autem, qui signo positivo probabili ostenderunt mutationem animi et conversionem a peccato, non est ratio, cur (post datam absolutionem) negetur. — Similiter judicandum est de iis, qui vomitu laborant aut tussi vehementi. Ex una enim parte nimis rigorosum est, multas horas quietis exspectare; ex altera parte *grave* periculum sacrae speciei evomendae

inducere non licet. Prudenter monet *Instructio pastoralis Eystettensis* tit. 1 cap. 6 § 3, posse Sacram Eucharistiam dari, „si spatio unius vel alterius horae infirmitas aegroto quietem indulserit", aut *faciendum esse in dubio experimentum cum frustulo non consecrato.* Nam si hoc vomitum non provocat, etiam particula parva consecrata sive sola, sive cum aqua vel vino sine magno periculo dari potest; neque necessarium est, ut *omne* levius periculum absit, quum tandem sacramenta sint propter hominem instituta.

7. Quod aliqui dubium movent circa epilepticos, energumenos, sine causa fit, si quaeritur, num illis, quando sui compotes et dispositi sint, liceat Sacram Eucharistiam porrigere; quando autem sui compotes non sunt, periculum irreverentiae communiter prohibet, quominus SS. Sacramentum dari possit. — Si quando alicubi usus est capite damnatos, utut dispositos, a percipienda Sacra Eucharistia excludendi, illa praxis est minus probanda, neque ita conformis est Romanae Ecclesiae praxi, nec divinam misericordiam imitatur, quam multo fidentius illis ipsis miseris hominibus licet sperari. Cf. Concil. Queb. II, Cassal., Auscit. etc. Coll. Lac. t. III. col. 642, 835, t. IV. col. 1186.

Ad II. Difficultas esse potest quoad semifatuos. Quodsi revera ali- 147
quam notitiam SS. Sacramenti habent, non est ratio, cur eis denegetur. S. Alph. n. 303 quidem id restringit ad tempus Paschale et ad periculum mortis. Verum alii, ut id pluries fiat, concedunt. Et quamquam id, quod Leander et Sanchez (ibid.) concedunt, videlicet posse iis toties quoties Sacram Eucharistiam dari, laxiori interpretationi facile patet: id tamen dicendum est, pro minore majoreve gradu discretionis iis tuto concedi posse, ut aliquoties in anno, rarius saepiusve, Sacram Eucharistiam sumant.

Ad III. 1. Magna est discrepantia scriptorum, qua tandem aetate *gravis* obligatio sit, pueros admittendi ad Sacram Communionem. Id quod antiqui auctores statuunt, in regionibus septentrionalibus usque ad 14. annum aetatis exspectari posse: hac nostra aetate generatim nimium est; nam qui tum tandem pueros ad plenam discretionem et ad annos pietati et devotioni SS. Sacramento debitae aptos pervenire consuevisse diceret, sine dubio pro mendaci haberetur. Quamquam igitur sumendae Sacrae Eucharistiae terminus paulo latius extendi jure potest, quam peragendae confessionis: recte tamen etiam in regionibus septentrionalibus aetas ab anno 9 ad 12 completum, ut etiam in conciliis particularibus jam factum est, pro regula statuitur. V. Conc. Cinc. III. anni 1861, Albien. anni 1850, Coll. Lac. t. III. col. 225 et t. IV. col. 433. Cf. etiam Baltim. II. ib. col. 466, Colon. ib. t. V. col. 365.

2. Quodsi ante illud tempus puer in mortis periculum sive articulum inducitur, parocho nullatenus fas erit, S. Eucharistiam denegare, quum primum puer ad annos discretionis utcunque pervenerit. Quare si septennium attigerit, communiter obligatio erit parochi, puerum post brevem instructionem Sacra Communione, non solum absolutione et extrema unctione muniendi. Vide hanc communem doctrinam theologorum, divino praecepto innixam, apud Lacroix l. 6 p. 1. n. 636, Reuter p. 4 n. 181, Suarez, Laym. l. c., Lugo, Dicast. Tamb., Lohner etc. Cf. etiam concilior. recentior. monita et prae-

cepta quam plurima in Coll. Lac. III. coll. 467. 643. 835; t. IV. 117. 274. 434. 570. 890. 991. 1116. 1186; t. V. 822 etc. Sin autem aut propter majorem hebetudinem mentis, aut propter teneriorem aetatem de usu rationis sufficienti dubium manserit: absolvi quidem post diligentem praeparationem omnino *debet* hypothetice, sacra unctione et Communione muniri *potest*, unctione utique hypothetice tantum. De *obligatione* extremae unctionis tali puero dubie capaci dandae, eaque gravissima, quandonam sit exstitura, vide infra n. 576.

148 Ad IV. 1. Frequentior usus Sacrae Eucharistiae per se praeceptus non est. Nihilominus accidere potest, ut ille frequentior usus alicui poenitenti evadat moraliter necessarius. Sume hominem prava potissimum consuetudine vitiatum et debilitatum. Illi utique, re theoretice considerata, alia remedia absolute quidem praesto sunt, verum, ut evadant efficacia, saepe difficiliora. Quare poenitentem debilem illa difficiliora media adhibiturum esse, sperari nequit: unde nihil relinquitur, nisi ut urgeatur omni modo ad frequentiorem usum Sacramenti poenitentiae et Eucharistiae, ut vere voluntatem sinceram et nunc probet et diutius retineat. Imo, si licet fidere viris hac in re maxime versatis, una est eorum sententia, juvenem peccato mollitiei deditum emendationem sperare non posse, nisi *frequenter* ad Sacramenta accedat; atque eum quavis hebdomada *confiteri* vix satis, nedum nimium esse. Cfr. Tolet. *Instructio sacerdotum* l. 5 c. 13 n. 11. Est igitur confessarii, talem poenitentem, si minus denegata absolutione, certe aliis modis inducere, ut quantum possit, Sacramenta frequentare assuescat.

2. Aliis vero hominibus, qui ad superandas graves tentationes non ita indigent frequentiore usu Sacrae Eucharistiae, suadendus ille frequens usus est secundum mentem Ecclesiae, ut in virtute christiana melius contineantur et crescant. Verum ne sola sacramentali sumptione omnia putent esse absoluta, serio instituendi sunt in debita praeparatione et gratiarum actione perficienda. Melius est enim cum perfectiore praeparatione rarius accedere, quam saepius cum negligenti praeparatione. Ceterum hac de re vide infra monita de frequenti Communione n. 156 sq.

§ 2.

De dispositione animae ad sumendam S. Eucharistiam.

149 I. Substantia dispositionis consistit in statu gratiae, quae animam exornet: qui si adest, essentiale obstaculum effectui Sacramenti non objicitur.

II. Si gratia sanctificans amissa fuit, per peccatorum confessionem atque sacramentalem absolutionem iterum acquiri debet, antequam ad S. Eucharistiam aditus pateat: quodsi in casu necessitatis hoc impossibile est, perfecta contritio elici debet. Trid. sess. 13 cap. 7 *de SS. Euch.*

III. Verum ne ampliori fructui ex SS. Sacramento hauriendo impedimenta ponantur, major mentis puritas atque devotio sedulo quaerenda est.

Explicatio. Nota ad I. 1. Neque devotionis defectus, neque affectio ad peccatum veniale, imo neque illa negligentia, qua in ipsa

S. Eucharistiae perceptione aliquod veniale peccatum committatur, omnem effectum Sacramenti intercipiunt: quamquam ille defectus et animi torpor uberiores gratias *multum* impediunt atque vitae spirituali summopere periculosi evadere possunt. S. Alph. n. 270.

2. Gratiae sanctificantis status re ipsa adesse debet, ut *certo* constet de sacramentali gratia percipienda; probabiliter tamen produci effectum sacramentalem, modo adfuerit et attritio et bona fides, alibi jam dictum est (v. de *Sacr. generatim*): gratiae statum adesse prudenter existimari debet, ne sacrilegii culpa contrahatur.

Ad II. 1. Si bona fide confessio peracta atque sacramentalis ab- 150
solutio data est, etsi ante Communionem memoria peccati *omissi* occurrit: de necessitate illud ante Communionem confitendi non constat. Ita S. Alph. n. 257 contra plerosque antiquiores theologos, quorum sententia sane gravi, non tamen certa ratione nititur. Trid. syn. sess. 13 can. 11 dicit „. . . illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem".

2. Si quis dubius est de peccato gravi commisso: communiter quidem ex aliis circumstantiis, habituali statu et praesumptione moralis quaedam certitudo de peccato gravi aut contracto aut non contracto adest, et secundum illam aut confessionis obligatio urgenda aut non urgenda est. — Ceterum si tandem fundatum dubium peccati gravis manet, licet probabile sit, illud esse commissum: *obligatio* confitendi ante S. Communionem vel Sacrum celebrandum urgeri illa quidem nequit, *consulenda* confessio omnino est, imo ab ordinariis fidelibus, qui sibi rationem reddere atque conscientiam efformare nesciant, potius exigenda: nisi agatur de homine scrupuloso vel nimis timorato, a quo ejusmodi dubia sperni debent neque ejus confessio admittenda est.

Ne vero S. Communio periculo frustrati effectus exponatur, ille, qui cum gravi ratione dubium gravis peccati commissi concepit, debet saltem conatum perfectae contritionis facere; nam illum conatum, qui difficilis non sit, omittere idem est ac *temere* periculum frustrandi Sacramenti subire. At si sibi videtur non posse satis certo ad perfectam contritionem assurgere: obligatio ulterioris certitudinis habendae non erit, quum probabilem sui ipsius probationem et humanum conatum adhibuerit. Cf. S. Alph. n. 475.

3. Trid. l. c. innuit, aliquando licere etiam ei, qui peccati gravis sibi 151
conscius sit, praemissa perfecta contritione, sine confessione ad Sacram Eucharistiam sive Missae celebrationem accedere. Quod facilius in sacerdote celebraturo, raro prorsus in laicali Communione accidere potest.

a) Nimirum ut hoc liceat, debet et facultas confitendi seu ‚copia confessarii' deesse, et *necessitas* celebrandi sive communicandi adesse. Qui alterutra conditione non verificata, nihilominus sine confessione Sacram Eucharistiam sumit, sacrilegii reus est.

b) *Copia confessarii* censetur deesse, non si consueti confessarii adeundi facultas deest, sed si *nullus* confessarius seu sacerdos approbatus adest vel adiri potest sine nimia difficultate. Difficultas autem illa nunquam

excusat, quae confessioni quodam modo intrinsecus inhaeret, neque ulla repugnantia contra hunc vel illum confessarium; sed sola ea difficultas attenditur, quae confessioni est prorsus extranea, ut nimia confessarii distantia, poenitentis infirmitas, necessaria occupatio. Quare qui jam celebraturus est coram populo exspectante, propter satis brevem distantiam confessarii excusatur, quum sine nota et suspicione non jam possit multum discurrere; item ille, qui proximo die celebrare debet, hodie autem per totum diem necessariis muneris sui laboribus occupatus, iter illud, quod ipsum longum non est, instituere nequit ad inveniendum confessarium. — Si vero speciales circumstantiae, quae difficultatem augeant, absint, distantia $1—1^1/_2$ leucae seu horae ratione solius longinquitatis censetur sufficiens, ut dicatur copia confessarii deesse, ex S. Alph. n. 264: quod tamen nunc pro ratione commodi, quod forte per viam ferream habetur, nonnihil mutari debet.

152 c) *Necessitas celebrandi* aderit: 1) si sacerdos ratione officii sui celebrare tenetur, e. g. diebus Dominicis et festis, ut populus Missam audiat; 2) ut moribundo provideatur de Viatico; 3) si sine gravi infamiae periculo Sacrum omitti nequit: quod non imaginario timore, sed fundata prorsus ratione dijudicari debet. — Ratio non amittendi stipendium per se nullatenus justa est. — S. Alph. n. 259.

Infamiae periculum facile aderit, si sacerdos, incepta jam Missa, peccati gravis recordetur, aut infelici lapsu peccatum committat. Nam licet theoretice verum sit, sacerdotem tum, canone nondum incepto, potius *relinquere* debere Missam, vel saltem interrumpere ad confitendum (num enim, si confitendi facultas non est, Missa prorsus *deserenda* sit *sub gravi,* omnino certum non est, secundum S. Alph. n. 262 dub. 2, modo concepta sit perfecta contritio): tamen raro sine nota et periculo suspicionis recedere aut accersere confessarium potest is, qui publice celebrat, nisi forte infirmitatem possit praetexere, aut in Missa solemni sive ad cantum assistenti ministro possit confiteri, sive alteri in interruptione, quae concionis causa fiat. At sine contritione procedere nunquam potest. Quod autem dicunt, sacerdotem, qui contritionem perfectam elicere non possit, omnino recedere debere, periculo infamiae posthabito, ad praxim vix quidquam valet: nam serium conatum adhibenti Deus gratiâ suâ non deerit, neque agitur de actu, qui comitante divinâ gratiâ, adeo sit difficilis, neque necessaria est omnimoda certitudo, sed prudens opinio seu persuasio contritionis factae sufficit.

Quod eo magis notandum est de sacerdote, qui post consecrationem (coeptam), peccati gravis recordetur aut reus evaserit. Nam illi deserere Missam aut interrumpere non licet: quare, nisi ministro sacerdoti assistenti vel (quod rarius continget) advocato brevissime confiteri potest, prorsus obligatur ad eliciendam perfectam contritionem, idque saltem ante suam Communionem sub gravi, imo etiam prius, ne Missam notabiliter protrahat in statu peccati; statim autem saltem sub veniali. — Hinc impium est putare, sacerdotem tum non posse contritionem elicere, modo conetur et Deum oret, quasi Deus hominem conantem et orantem in implendis praeceptis suâ gratiâ necessariâ unquam destituat.

d) Necessitas *in laico* extraordinarie adesse potest: 1) si jam in scamno communicantium coram aliis assidens peccati gravis recordatur; 2) si Sacram Eucharistiam ab impiorum manibus sumendo salvare potest: quod tunc *debet,* praemissa, quantum rerum angustiae patiuntur, contritione; at si in illis *secundi casûs* angustiis id sibi praestare non posse videretur, tamen cum con-

tritionis vel saltem attritionis conatu omnino *deberet* Sacram Eucharistiam sumere, propter statum gratiae certius non procuratum nullatenus peccaturus.

4. Sacerdoti, qui in necessitate, deficiente copia confessarii, cum sola 153
contritione Sacrum celebravit, Trid. l. c. cap. 7 imposuit praeceptum, ut „quam primum confiteatur". Illud *„quam primum"* scriptores intelligunt, ut fiat saltem infra triduum, modo copia confessarii tum habeatur. S. Alph. l. c. n. 266. Quodsi sacerdos ille statim facultatem confitendi (etsi ex inopinato adventu sacerdotis alieni) habet, si praevidet, se alias intra triduum occasionem non habiturum esse, statim eodem die sub gravi tenetur confiteri, ut scite Card. de Lugo adnotat *de Eucharistia* disp. 14 n. 162 et 163. — Verum interim non licebit absque confessione re ipsa instituta secundo celebrare, nisi et *defectus confessarii* perdurat et *necessitas* celebrandi denuo urget.

Obligatio illa quam primum confitendi non est in laico, si quis forte ex necessitate non praemissa confessione Sacram Communionem sumpsit, neque censent scriptores, illum sacerdotem hac lege teneri, qui sine necessitate aut praesenti copia confessarii, adeoque *sacrilege,* celebravit; siquidem aut legis verba eos non comprehendunt, aut finis legis nullatenus obtinetur. Vide S. Alphons. l. c. 266 q. V, Lugo l. c. n. 138 et 149 secundum „communem sententiam".

5. Confessarium tunc deesse, modo dictum est, quando nullus legitimus confessarius adsit. Quare ei, qui peccatum reservatum habet neque ullius alterius gravis peccati reus est, confessarius deest, si, qui forte adest, nullâ, ne ad interim quidem, polleat facultate in reservata. — Qui vero cum reservatis peccatis etiam alia gravia commisit, secundum S. Alph. *probabilius* quidem tenetur saltem peccata non reservata confiteri; et *certo,* ut quilibet, si contritionem perfectam sibi non videtur posse elicere; *probabiliter* tamen, excepta ultima hypothesi, non tenetur. S. Alph. n. 265.

Haec quidem, quando a *reservatis* absolutio dari nequit. Si autem ille, qui ab adeundo Superiore impeditus est, *absolvi potest* ab inferiore confessario sive absolute sive cum onere, sive sola peccata sunt reservata, sive censura annexa (de quo nunc vide infra n. 410 et 413), confessio instituí debet eaque *integra.*

Ad III. 1. Trid. l. c. cap. 7 dicit: „Quo magis sanctitas et divinitas 154
coelestis hujus Sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere illo debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat"; et revera vix ullius sacramenti uberior fructus ita pendere videtur a digniore praeparatione, quam hujus SS. Sacramenti effectus; idque merito, quia in nullius sacramenti susceptione neglectus aliquis tantam *culpam* constituit, quantam in hoc omnium divinissimo mysterio. Quare idem valet, quod antea (n. 117) dictum est de negligenti cooperatione, nimirum neglectum praeparationis hujus Sacramenti dignitati adaptatae a multis pro ratione haberi, cur ex frequentiore etiam Sacrae Eucharistiae sumptione fructus sanctitatis major non appareat. Cfr. S. Thomas III. q. 79 a. 8.

Nihilominus ex altera parte id etiam cum Card. de Lugo *de Euch.* d. 14 n. 46 sqq. fateri debemus: illud augmentum gratiae et caritatis (i. e. fructus Sacramenti), licet magnum sit, non tamen debere experientiâ cognosci, quia virtutes infusae per se loquendo non mortificant passiones, neque excludunt habitus vitiorum . . ., (dein) si homo ille in gratia diu perseverat absque mortali peccato, hunc ipsum esse non exiguum fructum frequentis Communionis. Dein pergit doctus ille scriptor exponere, quo-

modo gratia illa sacramentalis diu manere possit quodammodo otiosa et suffocata sub sollicitudinibus et curis saecularis vitae, ita tamen, ut data opportunitate magnam vim exserat et robur ad heroicas virtutes inspiret.

155 2. Dispositio vero distingui potest in remotam et proximam praeparationem. Remota praeparatio est ipsa animi puritas, qua studeat homo sese praeservare ab omni etiam veniali peccato, imo quantum possit a moralibus etiam imperfectionibus, etsi ad peccati rationem non pertingant. Proxima autem consistit in iis actualis devotionis exercitiis, quibus fides, fiducia, desiderium et caritas exerceatur et augeatur, quo melius homo suo actuali fervore divino fervori Christi Domini ejusque immensae erga nos caritati respondeat atque illi sese conjungat.

3. Praeparationem autem sequi debere etiam justum tempus gratiarum actionis post susceptum SS. Sacramentum, omnes spiritualis vitae magistri clamant. Loco omnium audiatur S. Alph. (*Prax. confess.* n. 155): „Curet (confessarius poenitenti) insinuare, ut post Communionem immoretur in gratiarum actione pro eo tempore, quo potest. Paucissimi sunt directores, qui sedulo id faciunt, scilicet inculcare suis poenitentibus, ut per aliquod notabile tempus post susceptam Eucharistiam gratias agant . . . pudet eos aliis insinuare, quod ipsi non faciunt. Gratiarum actio . . . fiat saltem per dimidiam horam[1], in qua anima in amando et petendo se exerceat. Inquit S. Theresia, quod post Communionem Jesus exsistit in anima tamquam in throno misericordiae, ut illi gratias elargiatur dicens: ‚Quid vis, ut tibi faciam?' Et alibi: ‚Post Communionem non amittamus tam praeclaram opportunitatem negotiandi; non solet divina majestas male rependere hospitium, si bene in anima excipiatur.'" (Cf. etiam Monitum Ritualis Rom., *Rubr. gen. de SS. Eucharistiae Sacramento.* Qui cupit videre praeclaram methodum exercendae devotionis post susceptam Eucharistiam, adeat Lancicii opuscul. spirit. (XIII.) *de officiis sacerdotum* l. 1 c. 10.)

156 4. *De frequenti, vel etiam quotidiana Communione* habes edictum Innoc. XI. 12. Febr. 1679, quo cavetur, ne propter solum statum laicalem, conjugalem etc. aliquis a frequenti Communione arceatur, sed judicium de frequenti vel etiam quotidiano accessu ad sacram alimoniam confessariorum prudenti judicio esse relinquendum, qui secreta cordis explorantes ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu et ad pietatem progressu id, quod prospiciat singulorum saluti, praescribere debeant.

Quare ne aut nimis faciles aut nimis difficiles sint confessarii in Communione frequentiore concedenda vel suadenda, bonum est, ad quasdam breves regulas doctrinam probatissimorum ascetarum revocare.

---

[1] Imo S. Alph. in iis, qui perfectionem christianam profitentur neque aliis negotiis nimis detinentur, optat, ut „ordinarie per integram horam gratiarum actio durare debeat": verum communiter jam praeclare actum esset, si gratiarum actio sive a sacerdotibus post Missam, sive a reliquis fidelibus semper minimum per horae quadrantem produceretur: quod temporis spatium etiam a quolibet sine difficultate impendi et regulariter exigi potest; si diutius, eo melius.

Sunt, qui in gratiarum actionem potius abbreviandam inclinent, ne frequentioris Communionis habeatur obstaculum: quod nisi de abbreviatione ex causa accidentali et rara intelligitur, nullatenus possum approbare. Non enim tota perfectio christiana pendet a S. Communione *quam frequentissime* sumenda, sed potius ab ea sumenda *quam fructuosissime.* Neque ita sumitur, nisi et fervens praeparatio et justi temporis gratiarum actio adhibetur.

Regula I. Communio *menstrua* nemini deneganda, sed omnibus suadenda est, qui singulis vicibus absolutione digni reperiantur et ad actualem devotionem sese disponant.

Regula II. Communio *hebdomadaria* ex duplici titulo diverso dari potest, i. e. aut ex respectu ad gradum habitualis perfectionis christianae, aut ex respectu ad specialem necessitatem spiritualem. Quare:

1. iis non est deneganda, qui habitualiter ita sint dispositi, ut se immunes servent a peccatis gravibus, et insuper conatum aliquem verum adhibeant contra peccata venialia. Igitur 1) lapsus in peccatum grave debet esse aliquid extraordinarium; 2) qui post plures vices nullum conatum contra venialia peccata serium ostendunt, privandi aliquando sunt hebdomadaria Communione sub hoc respectu;

2. iis non deneganda, sed suadenda est, qui non ita quidem extraordinarie tantum in peccatum mortale labantur, sed tentationibus gravibus laborent atque in frequentiore Communione remedium atque fortitudinem quaerant, modo tamen voluntatem firmam dimicandi contra tentationes concipiant.

Regula III. Communio *frequens non quotidiana,* sc. praeter dies Dominicos (et festos) una alterave vice in hebdomada, requirit talem dispositionem, ut peccata venialia deliberata *consueverint non accidere* (igitur peccatum quodlibet deliberatum non debet esse aliquid, quod ordinarie fiat), et ut insuper serius *conatus adhibeatur ad exstirpandos pravos affectus*[1] cum desiderio proficiendi in virtutibus. — Aliis verbis dici potest: *serius progressus in via, quam vocant purgativam, cum conatu in via illuminativa progrediendi.*

Regula IV. Communio *quotidiana* requirit non solum conatum serium pugnandi contra pravos affectus, sed *exstirpationem pravorum affectuum* ex magna parte revera factam et insuper conatum omnino serium incumbendi in christianam perfectionem et imitationem Christi omnimodam idque maxime Christi pauperis, abjecti, patientis: paucis, *serium progressum et fervens desiderium proficiendi in dies magis in via illuminativa et unitiva.*

Haec ex se etiam regula esse debet, secundum quam animi puritatem 157
in sacerdote quotidie celebrante requisitam aestimemus: imo quo excelsius ejus est officium, eo sanctior esse debet. Neque diffitendum est, illum imperfectionis moralis reum esse, qui hanc animi puritatem non habeat. Nihilominus a *peccato* veniali irreverentiae longe facilius sacerdos celebraturus

[1] Addideram in prioribus editionibus: *etiam indeliberatos;* nunc vero ea verba et superflua habeo et speciem nimii rigoris prae se ferentia: quod *S. Congr. de Prop. Fide* in suo responso monuit, *ceteroquin regulas illas quattuor a me datas approbans.* — Videlicet R^mus D. I. B. Cazet Ep. Soz. et Vicar. Apost. Madagasc., ut ipse suis literis mecum communicavit, has regulas S. Congr^is de Prop. F. judicio subjecerat, quaerens: *utrum tuto ac fructuose suaderi et in praxi teneri possent.* S. C. d. 25. Maji 1892 respondit: *„Cum schema hoc maturius examinatum fuerit . . . . schema ab Amplitudine Tua propositum (exceptis in reg. III. verbis* „etiam indeliberatos“, *quae excessiva videntur) dignum, quod in substantialibus adprobetur, inventum est: minime tamen ut lex absoluta et taxativa, sed veluti norma confessariis tradenda.“*

excusatur, eo quod *publicum munus ad communem Ecclesiae utilitatem* gerit: imo propter hanc ipsam rationem suadendum omnino est, ut cum minore animi puritate potius celebret, quam ut Sacrum omittat, modo tamen pro sua parte aliquatenus incumbat in puritatem non a solis mortalibus, sed etiam a levioribus culpis conservandam vel quantocius sibi restituendam.

Ratio, cur frequentiorem Communionem sic limitemus et praeter statum gratiae aliquid amplius postulemus, est 1) irreverentia saltem venialis, quae erga SS. Sacramentum committitur ab eo, qui multis culpis etsi venialibus non expiatis, imo quibus affectu adhaereat, maculatus ita frequenter Christum, omnis puritatis fontem, sine meliore dispositione sumit; 2) major utilitas sumentis ipsius, siquidem accessus *cum tepore* minus juvat quam rarior accessus, qui, utpote rarior, fiat cum majore fervore et reverentia.

Paucis, qui ex frequentiore accessu minus crescit in reverentia et fervore, melius facit, nisi aliae circumstantiae aliud suadent, si minus frequenter accedit. Verum quum fervor verus et progressus in virtutibus non semper ab ipso homine in se percipiatur et recte dijudicetur, prudentis directoris judicio utendum est, ne aut dejectio et falsa humilitas, aut devotio immatura et superba vanitas animam decipiat. Cf. S. Thom. III. q. 80 a. 10.

158 Scholion. Ad animae dispositionem revocari potest, quod non pauci scriptores tractant de pollutione carnali, quatenus accessui ad Sacram Eucharistiam impedimento sit. Quid tenendum hac de re sit, paucis accipe ex doctrina Card. de Lugo (*de Euch.* disp. 15 sect. 1): 1. Pollutio sive ejusmodi carnalis voluptas, si mortaliter peccaminosa fuit, non solum qua peccatum impedit, quominus sine confessione Sacra Eucharistia sumi possit, sed peccatum venialis irreverentiae inducit ita, ut, etiam culpa per confessionem deleta, accedere non liceat, nisi aliqua necessitas excuset.

2. Imo voluptas illa voluntarie sine causa excusante quaesita in usu matrimonii de se licito quandam indecentiam affert ita, ut eodem die S. Communionem sumere, nisi alia causa id suadeat, venialis sit irreverentia.

3. Orta involuntarie pollutio per se non impedit Sacram Communionem. Quando autem propter eam mentis perturbatio devotionem impedit, ex hac ratione expedit Communionem differre; nihilominus alia ratio contrarium suadere potest, ut: difficultas differendi, diabolica illusio saepius excitata et frequentationi Sacrae Eucharistiae objecta.

4. Si igitur carnalis illa voluptas involuntaria mentem parum perturbat, aut si aliae causae Sacram Communionem suadent, aut si agitur de usu matrimonii *debito:* nulla est ratio, ne consilii quidem, cur propter illam rem ab Eucharistia percipienda abstineatur.

§ 3.

De dispositione corporis ad sumendam Eucharistiam requisita.

159 Legis naturalis est, ut ad S. Sacramentum accedatur in decenti et mundo habitu: quantum sinunt conditio personae et circumstantiae.

Contra quod non solum incuriâ et negligentiâ peccari potest — quamquam plerumque venialiter tantum — sed etiam, idque gravius, vana superfluitate et indecenti ornatu, si sc. muliebris ornatus castos oculos non potest non graviter offendere. Quod *quando* grave peccatum constituat, ita ut sacerdos sic accedentem debeat repellere, nonnihil ex circumstantiis regionum pendet, atque sumendum est ex iis, quae de VI. decalogi praecepto dicta sunt.

Fusiore quadam explicatione indiget lex positiva a prioribus saeculis christiani temporis jam vigens, quae ad sumendam Eucharistiam praescribit jejunium naturale[1].

I. Lex jejunii naturalis ea est, ut non liceat ad S. Eucharistiam sumendam accedere illi, qui a media nocte aliquid, etsi minimum, cibi vel potus sumpserit. S. Alph. n. 278 sqq.

II. Ut jejunium hoc laesum esse censeatur, id quod sumptum est, debet esse 1) *ab extrinseco*, 2) *per modum* cibi vel potûs, 3) debet aliquatenus habere *rationem cibi seu potûs* vel medicinae, seu aliquo modo debet esse inter res pro homine consumptibiles.

III. Ab hac lege Ecclesia excipit periculose aegrotos, qui jejuni S. Eucharistiam commode sumere nequeant: alii casus extraordinarii, quos nulla lex positiva eximat, secundum regulas collisionis officiorum eximuntur.

IV. Nulla lege quidem amplius praescribitur, ut etiam post sumptam S. Eucharistiam jejunium servetur: at naturalis reverentia exigit, ut, nulla causa urgente, tam diu saltem abstineatur ab esu et potu, donec sacrae species desierint; alioqui venialiter peccatur. S. Alph. n. 283.

Explicatio. Nota ad I: 1. Media nox sumitur secundum horologia publica regionis, etsi non accurate verum tempus referant. Nimirum illud tempus cuique licet saltem sequi, etiamsi multum discrepet a tempore sive vero sive medio: ita S. Poenitentiaria 18. Junii 1873, v. Acta S. Sedis vol. 7 p. 399. Attamen illud tempus sequendi non est obligatio; nam S. Poenitentiaria hac de re interrogata 29. Nov. 1882 respondit: „Fideles in jejunio naturali servando, et in officio divino recitando sequi tempus medium posse, sed non teneri“ (sc. in distinctione a tempore *vero*). Si quando plura horologia diversimode tempus indicant, licebit eligere secundum regulas probabilismi.

2. Scriptores complures versant quaestionem, quid faciendum sit, si quis inter comedendum sive bibendum primum pulsum horae duodecimae audiat. Certe re in se spectata haustum non potest perficere: sed debetne, quod in ore tenet, exspuere? Gobat et Voit negant, eo quod Ecclesia ad talem rusticitatem non censeatur velle obligare. Melius forte dixeris, practice de jejunio laeso non constare, quia sine dubio vix deerunt horologia etiam probata, quae tantillo spatio serius tempus indicent, quae quominus aliquis sequatur, prohibitum esse ostendi nequit.

---

[1] S. Augustinus epist. 54 (al. 118) n. 8 dicit, hoc naturale jejunium „per universum orbem servari“: excipiebatur tamen dies Coenae Domini, pro quo die teste eodem S. August. *(ibid.)* Concilium Carth. anno 392 statuerat, ut S. Eucharistia sumeretur vespere post coenam: qui mos etiam alibi servabatur. De reliquo autem tempore jam S. Jo. Chrysost. (ep. ad Cyriacum 125), imo Tertull. (*ad uxor.* II, 5, Migne t. 1 col. 1296) jejunium ante sumptionem S. Eucharistiae servari supponunt: v. Probst op. cit. § 16. Ceterum Sozomenus (*hist. eccles.* 5, 22 apud Migne PP. gr. t. 67 col. 636) de Aegyptiis universim testatur, eos vespere cibo sumpto ad S. Eucharistiam accedere; at etiam pro tota orientali Ecclesia jejunii legem jam antiquissimam esse constat, ita ut Bened. XIV. *de syn. dioec.* l. 6 c. 8 n. 10 dicat: „nec desunt, qui *ejus initia* repetant ab aevo Apostolico.“

160 Ad II. 1. Prima conditio *„sumptio ab extrinseco“* deest, si quis transmittit in stomachum sanguinem fluentem ex dentibus, vel saniem ex ulcere, quod in ore exstiterit. — Est autem ‚ab extrinseco‘, si quis sugit sanguinem ex vulnere digiti etc.

Aliqui etiam defectum conditionis „ab extrinseco“ reperire volunt in transmissione reliquiarum cibi, quae haereant inter dentes. — Alii dicunt, illas transmitti non *per modum* cibi, sed per modum salivae; ceterum certum est ex ipsa Rubrica Missalis, illam trajectionem non impedire Sacram Communionem, maxime si involuntaria fit trajectio, imo probabiliter ne tum quidem, si voluntarie et advertenter fit. Cf. S. Alph. n. 279.

2. Secunda conditio *„per modum cibi vel potûs“* explicatur per opposita. Opponitur: 1) per modum salivae, 2) per modum aspirationis, 3) per modum attractionis per nares.

1) Ut aliquid dicatur sumi *per modum salivae*, requiritur, ut res trajecta sit a) minima quantitas cum saliva inseparabiliter commixta et b) non assumpta eo fine, ut transmittatur in stomachum, sed aut ex alio fine (ad gustandum et dein exspuendum, ad os lavandum), aut casu in os immissa, v. S. Alph. n. 280, S. Thom. III. q. 80 a. 8. De iis vero, quae communiter occurrunt atque difficulter caventur, lex ipsa ecclesiastica laxius disposuit, ut a) in trajectione reliquiarum cibi v. supra; b) si praeter intentionem inter os lavandum stilla aquae in stomachum transmittatur: quod videtur utique valere de stilla, quae nondum sit omnino cum saliva conjuncta, nam salivam deglutire, etsi sciat seu sentiat, non omnem aquam, quam ad os abluendum sumpserit et quae cum saliva prorsus commixta sit, se exspuisse, nemo prohibetur ex regula antea data. Missale, *de defect.* tit. 9 n. 3. c) Similiter si guttula sanguinis defluens ex capite, aut manans ex ore exteriore praeter intentionem cum saliva permixta transmittitur, Communio non impeditur: *Cas. Bened. XIV.* continuati 1770. Oct. cas. 2. Verum si quidquam, licet minimum, ex intentione deglutiendi sumitur, omnino impeditur sumptio Eucharistiae: idem dic de eo casu, quando alter aliquid in os alterius injiciat, idque in stomachum descendat. Missale ibidem n. 1.

2) Per modum *aspirationis* id dicitur sumi, quod communiter per aëra volat et cum respiratione attrahitur, ut musca, pulvis; verum si quis haec ex proposito in os assumat, et dein deglutiat, jejunium laeditur. S. Alph. n. 280.

3) Per modum *attractionis per nares* tabacum sumitur: quare etsi granum aliquod per accidens in faucibus haerens deglutitur, Sacra Communio non impeditur. — Imo S. Alph. l. c. id etiam dicit de grano vel minima parte, quae insensibiliter *cum saliva* deglutitur, vel de minima quantitate succi *cum saliva* conjuncta, si quis tabacum masticet[1].

3. Tertia conditio jejunii laesi est, ut *res assumpta sit aliquo modo consumptibilis.* — Non igitur necessarium est, ut res vere nutriat: hinc sufficit medicinam, imo venenum sumpsisse, ut expresse monet *Rubr. Miss.* tit. 9. n. 1 *„per modum etiam medicinae“*. Sed si res prorsus digeri nequeunt, jejunium non censetur laesum, ut S. Alph. cum plerisque asserit n. 281, inter quas recenset: capillos, ungues, metallum, vitrum, fila ex serico aut lana. Si vero res aliquo modo, licet non plene, digeri potest, sufficit ad

[1] Complures etiam censent, jejunium eucharisticum non laedi ab eo, qui ope canalis *stomachum lavat:* cavendum tamen esse, ne canalis ille oleo sit inunctus: Génicot II, 200; Noldin III, n. 152; *Il Monitore eccl.* IX, 184.

jejunium laesum: neque excusat vomitus statim secutus, quia praesumptio est, aliquid minimum saltem a stomacho retineri. — Ut res aliquo modo digestibiles S. Alph. affert: chartam, paleam, filum ex lino, ceram, cretam etc.

Verum si chimiam consulimus, haec non omnino ita sunt. Ungues enim vere alterari possunt in stomacho, certius sane, quam palea. Dein non omnia metalla, ut ferrum, cuprum, a qualibet alteratione in stomacho subeunda excluduntur, neque tamen quisquam ea pro cibo vel medicina ullo modo habet, nisi per modum pulveris vel simili modo sumuntur: quod si fit, talis sumptio certe jejunium laedit; alias vero communem hominum aestimationem imprimis attendendam esse dixerim. Hinc jejunium non laedi puto ab eo, qui deglutiat vitrum, capillos, sericum, lanam, metallum, paleam (?), ossicula fructuum omnino depurata; laedi ab eo, qui deglutiat ungues, ossa, ceram, cretam.

Ad III. 1. Jus ecclesiasticum concedit, ut infirmi, qui *periculose* de- 161
cumbant, possint etiam non jejuni Sacram Eucharistiam sumere, ut commemorat Conc. Const. sess. 13[1]. Sed communis doctrina theologorum est, hoc ita intelligi, ut ne aegroto quidem ex mero libitu liceat laedere jejunium ante Sacram Communionem pro Viatico sumendam, sed tum tandem, quando commode non possit sumere jejunus. Cf. Tamb. *method. Communionis* cap. 5. § 10 cum Suarez d. 68 sect. 5 n. 2, S. Alph. cum Busenb. n. 284 etc.

Verum quodlibet incommodum rationabile sive ipsius aegroti, sive eorum, qui inserviunt, sive sacerdotis, ratio est, cur observatio jejunii negligi possit. Idem dic, si reus ad supplicium damnatus ipso die supplicii post sumptum cibum tandem convertatur aut de S. Eucharistia sumenda cogitet. Neque solum unica vice, sed, durante periculo, toties quoties devotio et dispositio poenitentis hoc suadet, S. Communio eodem modo repeti potest, jejunio neglecto. Cf. S. Alph. n. 285, Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 7 cap. 12 n. 5 (qui poenam decernendam esse dicit in sacerdotes, qui aegroto volenti noluerint iterato S. Eucharistiam administrare). Neque quod aegrotus, quum sanus erat, S. Communionem non tam frequenter sumpsit, ratio est, cur etiamnunc, modo satis dispositus sit, raro ad eam admittatur. Cf. complurium Conc. praecepta Coll. Lac. III. 643; IV. 117, 570, 991, 1186; V. 825[2].

2. Si morbus diuturnus quidem, sed non letalis est, S. Eucharistia pro devotione non jejuno dari nequit, etsi aegrotus sine cibo diu manere non potest; probabiliter potest *pro Communione paschali*, quae fit *ex praecepto* eoque quasi-divino (cf. D'Annibale III. 411; Génicot II. 202; Noldin III. n. 159[b] etc.). Devotio tamen est ratio, cur aliquoties media nocte vix elapsa S. Eucharistia deferri possit vel etiam

[1] „Quod hujusmodi venerabile Sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesia concesso vel admisso."

[2] Casum Viatici, et proin pro circumstantiis excusationem a jejunio non a solo *praesenti* periculo, sed etiam nonnihil ab adjunctis pendere, habes ex responso S. C. de Prop. 20. Febr. 1801 (v. Collect. ed. II. n. 721): „Aliquando missionariis christianos sibi commissos visitantibus occurrit aegrotus, hectica febri vel simili morbo laborans, qui juxta experientiam vivet adhuc plures menses, sed intra annum morietur. Quaeritur, an in tali casu missionarius ipsi administrare possit Viaticum et extremam unctionem, eo quod quando verior aderit casus ea recipiendi, non poterit haberi praesens missionarius ob magnam distantiam et alias circumstantias? S. C. de Prop. F. respondit: Affirmative."

debeat. Nam lex Eucharistiam non noctu deferendi ecclesiastica est neque adeo gravis; sumendam esse aliquando Eucharistiam, legis divinae interpretatio est; neque ullo modo Ecclesia censetur fideles aegrotos adstringere velle, ut potius non recipiant S. Sacramentum, quam ut noctu aliquoties in anno recipiant. V. etiam Gassner *Pastoral.* cap. 10 pag. 451 [1].

3. Utrum sacerdos pro conficiendo Viatico, si S. Eucharistia desit, non jejunus celebrare possit — sicut potest bis celebrare — necne, non conveniunt scriptores. Plerique quidem negant. At non video, cur legem ecclesiasticam circa jejunium servandum, quod re ipsa jam aliquas exceptiones patiatur, neque adeo ad necessariam decentiam S. Eucharistiae debitam pertinet, ita severe tueri debeamus, ut vergat in dispendium divinae legis recipiendi Viatici. Quamquam enim verum est, legem divinam praecipere Viaticum tantummodo, quando decenter sumi possit: sed in celebranda Missa laeso jejunio, saltem si fiat ante prandium, non est tanta indecentia aut abnormis discrepantia ab ecclesiastico ritu.

Quare libenter cum Lugo (*de Euch.* d. 15 n. 67 et 69, ubi septem alios auctores affert), Suarez l. c. n. 4, Filliucci, Dicastillo, Laym., Lacroix lib. 6 p. 1 n. 600 probabile esse fateor, id sacerdoti *licere,* ideoque licere in hunc finem etiam sacerdoti non jejuno secundam Missam dicere, seu binare: quod idem plures ex scriptoribus allegatis expresse concedunt.

Imo addam, si (quod practice vix juvabit notasse) aegrotus hujus sacramenti solius satis certo capax sit, eo quod absolutio propter sensuum rationisque aegroti destitutionem maneat dubia et quod S. Oleum defecerit neque haberi tam cito possit, celebrari *debere,* etiam post meridiem.

162 4. Aliae circumstantiae, in quibus non jejunus Sacram Eucharistiam sumere debeat, extraordinariae sunt, vid. 1) ad perficiendum sacrificium, si v. g. sacerdos in sumptione calicis adverterit esse aquam, aut si sacerdos post consecrationem corruerit; 2) ad salvandam Sacram Eucharistiam ab injuria hostium [2].

5. Causa perplexitatis oriri potest, si sacerdos ex inadvertentia aliquid cibi vel potûs sumpserit, et populus die Dominico vel festivo Sacrum exspectet. In quo id adverti debet, rationem, quod populus Missa forte privetur, ab Ecclesia non haberi pro legitima causa, cur non jejunus celebret:

---

[1] Recenti tempore autem S. Pontifex ex hujusmodi causa compluries concessit dispensationem a jejunio naturali: quare expedit, pro tali casu ad S. Sedem recurrere, vel etiam ab Episcopo apud S. Sedem facultatem rogari, ut sibi liceat in necessitate hanc dispensationem concedere.

[2] Alium casum minus frequentem quidem, sed qui ostendat propter jejunium illud ante S. Communionem servandum non debere perturbari alios ritus ab Ecclesia praescriptos, affert responsum S. C. de Prop. F. 13. Febr. 1806 (Collectanea n. 616): „Sale a catechumenis in collatione Baptismi adultorum praegustato, etsi jejunium frangi videatur, adhuc tamen nullum dubium est, quin ad S. Communionem, suscepto Baptismate, admitti possint, imo vero debeant: ita omnino Ecclesiâ, in cujus potestate est a generali lege jejunii eucharistici ab ipsamet iis inducta, qui extra mortis periculum Sacram Communionem recipere cupiunt, in peculiaribus casibus dispensare, in Rituali Romano praescribente, ubi ritum tradit, quo Baptismus adultis conferendus sit.“

nam aut alia opportunitas est; aut si non est, populus disobligatur. Verum non adeo raro ratio *scandali* adesse potest, quia nimirum facile praevidetur gravis populi offensio, periculum gravis suspicionis vel dicterii contra sacerdotem, aut periculum, ne complures, quamquam possint et debeant alio se conferre ad audiendam Missam, ex inopinato illo casu ansam sumant cum peccato gravi Missam negligendi: quodsi haec juste timentur — non solum populi admiratio —, videtur lex naturalis scandala praecavendi gravius urgere, quam ecclesiastica lex de jejunio naturali lata. Cf. Gobat et Lacroix l. c. n. 582, Suarez n. 7, alios. Quare in singulis casibus prudenti judicio relinquendum est, num putetur ex Missa non celebrata aliquod grave scandalum secuturum esse.

Simile quid dicendum est, si sacerdos jam in altari celebraturus, etsi ante consecrationem — nam postea pergere *debet* — recordetur, se non amplius jejunum esse, aut laicus jam scamno communicantium accumbens: nam si juste timetur ex recessu periculum gravis suspicionis seu diffamationis, licebit utique non jejunis sive celebrare, sive S. Communionem sumere.

Exceptis igitur causis relatis, lex illa jejunii omnino gravis est nec levitatem materiae admittit. Quae ut ecclesiastica sine dubio S. Pontificis dispensationi subjacet, neque desunt exempla concessi privilegii, ut Carolo V Imperatori a Julio III 15. Martii 1554, missionariis in Indiis pro certis rerum adjunctis a Pio IV. 10. Febr. 1563, Elisabethae imperatrici pro die coronationis ab Innoc. XIII 20. Aug. 1723 etc.; v. Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 6 cap. 8 n. 19: attamen nostra aetate rigorosius illam legem observari volunt, ut dispensatio extra infirmitatem (pag. praec. not. 1) vix concedatur.

Ceterum convenit, ut haec observantia non solum lex sit, sed etiam signum quoddam desiderii et famis spiritualis, qua fideles in Sacra Communione premantur. Desiderio eorum Christi eucharistici liberalitas respondebit, et Ipse re implebit, quod dicit: „Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur."

Ad IV. 1. Ex c. „*Tribus*" (23) dist. 2 *de consecr.* antiquitus jubebatur servari jejunium usque ad *Sextam* a ministris, qui mane SS. Eucharistiam sumpsissent; ab iis, qui tertia vel quarta hora sumpserint, usque *ad vesperam.* Verum S. Thom. III. q. 80 a. 8 ad 6. hanc legem abolitam jam dicit, ne rarius sacra mysteria celebrarentur.

2. Rituale Rom. monet etiam, ne statim post sumptam S. Eucharistiam exspuatur: quod sic intelligendum est, ne forte minimae particulae sacrae speciei, quae utrum jam transmissae sint in stomachum necne, non sentiatur, simul exspuantur. Propter hanc solam rationem et tam diu, donec certo constet, nihil amplius sacrae speciei in ore sive in faucibus haerere, id monetur et prohibetur.

Appendix. 163

Graviter igitur peccat praecipue:

1. Qui in asservanda S. Eucharistia decori notabiliter deest;
2. qui negligentiâ suâ causa est, cur subditus sine Viatico decedat;
3. qui rogatus nolit pluries S. Eucharistiam subdito graviter aegroto dare;
4. qui pluries S. Eucharistiam subdito fideli rationabiliter petenti denegat sine causa, aut etiam semel tantum ei, qui probabiliter in gravi necessitate est;

5. qui moroso aut importuno agendi modo causa est, cur subditi a frequentatione Sacrae Communionis deterreantur;
6. qui, excepta necessitate, S. Eucharistiam sine vestibus sacris administrat;
7. qui gravi negligentia in causa est, cur sacra species pereat;
8. qui S. Eucharistiam in statu peccati volens et sciens sumit;
9. qui peccati gravis reus ante sumptionem S. Eucharistiae, nisi necessitas urget, non confitetur;
10. qui, quando ex necessitate cum sola contritione sine confessione sacramentali *celebravit,* saltem infra triduum, si potest, non confitetur;
11. qui extra casus ab Ecclesia permissos post laesum jejunium naturale S. Eucharistiam sumit;
12. qui Eucharistiam sumere negligit tempore paschali, aut in gravi mortis periculo.

Sectio II.

De SS. Eucharistia, ut est sacrificium.

Praeter scriptores supra (pag. 77 et 94) laudatos consuli possunt: Gihr *das hl. Messopfer,* Kössing *liturgische Erklärung der hl. Messe,* Specht *die Wirkungen des eucharistischen Opfers,* Oswald *die dogmat. Lehre von den Sacramenten,* Gassner *Pastoral,* Benger *Pastoraltheol.,* Bona Card. *rerum liturgicar. libri duo,* ejusdem *de Sacrificio Missae tractatus asceticus,* Platzweg *Betrachtungen über die hl. Messe,* Schneider *Manuale sacerdotum*: inter quos sane Gihr, cujus opus jam brevi tempore *quinto* recusum est, propter abundantiam rerum et soliditatem doctrinae iis commendari meretur, qui longiorem Missae explicationem desiderant.

S. Eucharistia non modo sacramenti rationem habet eamque nobilissimam reliqua sacramenta longe excedentem, sed in ejus confectione simul sacrificium omni cogitatu nostro excellentius Deo offertur. Atque sub hac quoque ratione non pauca sunt, quae in theologia morali sive fusius explicari, sive brevius saltem attingi debeant, abundantiore tractatione dogmaticis relicta.

Caput I.

De natura et efficacia SS. Missae sacrificii.

Articulus I.

De natura hujus sacrificii.

164 Doctrinae catholicae, quam Trid. Conc. sess. 22 uberrime explicat, summa capita quoad naturam sacrificii, quod in Eucharistiae confectione seu in Missa celebratur, sunt haec:

I. Missa est verum sacrificium. Ib. can. 1.

II. Missa omnes diversorum sacrificiorum fines complectitur. Ib. cap. 1 et can. 2.

III. Missa est cruenti crucis sacrificii repraesentatio seu realis exhibitio incruenta. V. ib. cap. 1.

IV. Missa non est sacrificium a sacrificio crucis plane distinctum, sed secundum quendam respectum unum cum illo, secundum alium respectum sacrificium distinctum dicendum est. Ib. cap. 2.

Explicatio uberior. Nota ad I. Sacrificium communi notione apud omnes gentes vigente concipitur ut signum reale publicum, quo per quandam rei destructionem sive physicam sive moralem homines profitentur summam Dei excellentiam ejusque supremum in vitam et mortem dominium.

Inesse autem in Missa omnia momenta: 1) quandam rei oblatae destructionem, eamque 2) publice seu auctoritative institutam, 3) tamquam signum seu protestationem supremi Dei dominii, theologi dogmatici explicant.

Ad II. Illud supremum dominium in vitam et mortem Deo divinitatis titulo plenissime competit; at post peccatum ab homine commissum novus titulus accedit, quum peccando homo se mortis reum constituerit, atque Deo justissimum puniendi titulum contulerit. Quare in statu naturae lapsae non solum divinitatis professio atque latria per sacrificium exhibetur, sed etiam ut propriae culpae agnitio et propitiationis imploratio usurpatur.

Imo communiter quatuor fines sacrificii enumerantur, quos etiam in V. T. divinitus approbatos habes, et prout unus alterve finis principalius intendebatur, sacrificia diversa V. T. diversa nomina sortiebantur.

Fines sunt: 1. *latria* — hinc sacrificium latreuticum (holocaustum): qui est finis maxime essentialis et principalis;

2. *laus et gratiarum actio* — sacrificium eucharisticum, votivum: hic finis priori cognatus est, quum beneficia a Deo accepta specialis ratio sint Deum ut Deum colendi (cf. *de virtute religionis,* vol. I. n. 334, quomodo gratitudo ad eam virtutem referatur);

3. *expiatio peccatorum* — sacrificium propitiatorium: qui finis accessorius quidem est, sed in nostro statu summe necessarius;

4. *beneficii imploratio* — sacrificium impetratorium: per id enim, quod Deum debito modo colimus, eum nobis propensum reddimus ejusque liberalitatem provocamus.

Omnes autem illi fines in uno Missae sacrificio plenissime complentur.

Ad III. 1. Esse sacrificium Missae cruenti sacrificii repraesentationem, 165
eamque esse essentialem, extra controversiam versatur. Nam sacrificii ratio ab institutione positiva ipsius Christi Domini pendet: Christus vero hanc repraesentationem cruenti sacrificii omnino voluit.

At aliud est, eam repraesentationem ad essentiam pertinere, prout reipsa Missa instituta est, aliud, in ea ipsam sacrificii essentiam totam sitam

esse. Aliqui cum Vasquez ita sentiunt, dicentes, sacrificium Missae ita esse sacrificium *relativum*, ut in hac relatione ad sacrificium crucis tota sacrificii ratio consistat, quum realiter immolationem cruentam exhibeat. — Communiter vero alii censent, etiam in ipsa actione Missae ex sese id haberi, quod ad sacrificii absoluti rationem requiratur. Igitur aliqui ex iis cum Lessio mysticam destructionem efferunt, quae vi verborum habeatur, quum separatim sub aliis speciebus vi verborum Corpus, sub aliis Sanguis Christi ponatur: alii aliter explicant.

Hodie satis communis est ea sententia, quam Lugo docuit, et quam nostra aetate Franzelin plenius perfecit, scil. rationem sacrificialis destructionis in eo haberi, quod Christus Deus-homo, cui omnis gloria et honor competit, sese ita deprimat, ut in statu adeo vili quasi emortuum se collocet, sine naturali usu ullius sensibilis facultatis, atque in esum et potum hominibus praeparetur.

2. Si vero de actione illa in toto decursu liturgicae celebrationis quaeras, in qua potissimum essentia sacrificii consistat, communis jam opinio est, eam in *consecratione utriusque speciei,* in eaque sola consistere.

Sunt quidem, qui cum Bellarmin. *de Missa* l. 2 c. 27 et S. Alph. l. 6 n. 305 putent, *etiam Communionem* ad essentiam sacrificii pertinere: communius vero illam non ad essentiam, sed ad *integritatem* pertinere, censent [1].

At nullo modo probabile est, *alterutram* consecrationem per se solam sufficere ad essentiam sacrificii Missae. Licet enim sufficiat, ut *potuerit assumi* pro sacrificio, reipsa tamen *non ita assumpta est* a Christo Domino. Nam realis cruentae mortis repraesentatio non satis habetur secundum ea, quae Christus voluit, nisi utriusque separatae speciei consecratio fiat. Haec vero realis repraesentatio Missae essentialis est.

Ad IV. Unitatem sacrificii Missae cum crucis sacrificio Concil. Trid. sess. 22 cap. 2 eatenus effert, quatenus una eademque hostia, unus idemque principaliter offerens utrobique sit, diversitas vero habeatur in sola *offerendi ratione.* Quare quum actio, *qua* hostia offertur, diversa sit, Suarez aliique theologi communius asserunt, idque recte, potius dici *simpliciter* diversa sacrificia, quam unum idemque, at unum idemque sacrificium dici debere *secundum quid.* Formalis enim diversitas sacrificii potissimum ex actione sacrificiali desumitur; haec autem in Missa plane alia est, quam in crucis sacrificio.

---

[1] Videlicet: a) In ea actione essentia sacrificii consistere debet, quae exercetur *nomine Christi,* siquidem Christus ut principalis sacerdos actionem essentialiter sacrificialem exercere debet: at consecratio est eaque sola, quae strictissimo sensu nomine Christi exerceatur; Communio autem, quae non fit nomine Christi, ad integritatem sacrificii, qua sacerdos visibilis et populus victimae particeps fiat, potius refertur.

b) In ea actione essentia sacrificii Missae collocanda est, cui definitio sacrificii communis, seu cui essentiales notae cujuslibet sacrificii conveniant. Quae conveniunt consecrationi; ergo in ea essentia reponenda est; neque est ratio, cur praeter eam alia actio etiam addatur. Destructio sacrificio essentialis solum elementum est, de quo difficultas seu quaestio moveri possit: nam alia omnia elementa definitionis in consecratione adesse, *si destructio adsit,* evidens est. Porro et adesse et essentialiter compleri destructionem in consecratione, paulo attentius consideranti patebit, sive Lessii, sive Vasquezii, sive Lugonis theoriam elegerit.

Articulus II.

De fructibus Missae.

Potissimus sacrificii finis ille est, qui Deum respicit, ut scilicet sit signum 166
externum, quo prae aliis signis Deo supremus cultus simul cum laude et gratiarum actione exhibeatur, quae tum propter summam ejus excellentiam ipsi debentur, tum propter injuriam peccatis ei illatam strictiore jure exiguntur. Deo igitur latriam, laudem et gratiarum actionem plenissime exhiberi, optimo jure inter effectus Missae numeratur. A nobis effectus et fructus Missae illi maxime intelliguntur, qui utilitatem nostram respiciunt. Quae sane summa est. Ut vero melius totus ejus ambitus cognoscatur, haec capita breviter proponam et in hoc et sequenti articulo explicabo:

1) qui sint in S. Missae sacrificio offerentes atque ad fructus et effectus conferentes;
2) quos fructus seu effectus S. Missae sacrificium habeat pro hominibus;
3) quot et quibus modis in diversis diversi fructus producantur;
4) quibus illi fructus applicari seu pro quibus Missa offerri possit;
5) quis sit valor applicationis Missae;
6) quomodo sacerdos fructus Missae applicare debeat.

§ 1.

Qui sint in SS. Missae sacrificio offerentes atque ad fructus et effectus conferentes.

I. Offerens principaliter ipse Christus est, siquidem ipse est, cujus nomine et delegatione sacerdos celebrat. Scilicet Christus qua sacerdos princeps, qui aliorum sacerdotum ministerio utitur, post opus redemptionis his in terris absolutum atque perfectum non amplius meretur quidem nec satisfacit, tamen applicat merita praecedentia.

Christus autem se ipsum offert non ut singularis persona tantum, sed ut caput Ecclesiae et mediator Dei et hominum.

Christum esse, qui vere offerat, habetur non solum ex liturgica actione, cujus nobilissimam partem, consecrationem dico, sacerdos plane nomine et verbis Christi ipsius peragit, sed etiam ex aperta declaratione Trid. Conc. sess. 22 cap. 2, ubi dicitur, in sacrificio crucis *eundem esse offerentem.*

II. Sed ipsa etiam Ecclesia, ut a Christo capite distincta, non 167
sejuncta, sacrificandi actionem participat. Nam Christus dilectissimae suae sponsae hoc sacrificium reliquit, ut ipsa quoque haberet, quod offerret (v. Trid. l. c. cap. 1: „ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium"). Neque unquam desinet Ecclesia, i. e. coetus fidelium ut unum aliquod morale, vel saltem in membris suis principalioribus hanc intentionem Christi complere et ejus desiderio sese unire. Perficitur autem haec sacrificandi actio ex parte Ecclesiae ut societatis per ministerium sacerdotis, qui a Superiore ecclesiastico deputatur, ut *nomine Ecclesiae* agat.

Deus autem hanc actionem vere ut Ecclesiae actionem respicit, eamque propter Ecclesiae dignitatem sanctitatemque benignus acceptat.

III. Offert porro etiam ipse sacerdos celebrans. Imo plane necessarium est, esse singularem aliquem hominem, qui immediate et physice sacrificium peragat, quum Christus et Ecclesia mediate et moraliter actionem sacrificialem exerceant.

Igitur sacerdos celebrans 1) ministerium Christi gerit atque immediate ejus nomine agit; 2) ministerium Ecclesiae gerens nomine Ecclesiae offert; 3) nomine proprio ut hic singularis homo agit et offert, quum character publici muneris non impediat, quin ipse suam personalem intentionem adjungat.

IV. Postremo autem quodam sensu offerunt singuli fideles, qui activo aliquo modo ad sacrificium concurrunt, ut ministrando, assistendo sive mente et corpore, sive sola mente, stipendium dando etc. Quo fit, ut generalis illa deputatio, qua sacerdos nomine omnium fidelium agat, majorem in iis recipiat energiam, atque specialis et immediata fiat.

Haec ita esse, ex ipsa liturgica precandi formula habetur; expresse enim sacerdos in Canone pro circumstantibus orans dicit: „pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium."

§ 2.

Quos fructus seu effectus SS. Missae sacrificium habeat pro hominibus.

168 I. Quatenus Missae celebratio *personalis* actio sive sacerdotis sive eorum fidelium est, qui actu ad eam concurrunt, ei omnia adscribenda sunt, idque excellentissimo modo, quae generatim bonis operibus attribuuntur, modo ex parte aliorum et ministri illae conditiones verificentur, quae in reliquis operibus bonis necessariae sunt.

Igitur eorum, *qui sunt in statu gratiae,* personalis ad Missam agendam cooperatio *meritoria* est augmenti gratiae et gloriae, *satisfactoria* pro poenis temporalibus peccato debitis, *impetratoria* cujuslibet beneficii divini nobis vere utilis. Qui vero extra statum gratiae est, per Missae sacrificium solum potest *impetrare,* quum aliorum effectuum incapax sit. Sacerdos vero, qui sciens et culpabiliter in statu peccati celebrat, hac sua actione, quatenus personalis est, utpote summe sacrilega, certe ne impetrare quidem quidquam potest, sed potius divinam iram contra se excitat et auget.

Impetratio vero tum ex dignitate orantis multum pendet, tum ex praecedentibus peccatis ejus, qui orat, obstacula sibi per divinam justitiam objecta invenire potest; quare impetratio sive hominis justi sive hominis nondum justificati *multiplicatis intercessoribus* fidentius et uberius desiderata consequitur; idque fit ex Missa,

II. quatenus Missae celebratio fit *nomine Ecclesiae,* seu quatenus sacerdos fungitur munere ejus, qui ab Ecclesia delegatus est. Sic enim per Missam neque meremur, neque satisfactionis fructum recipimus, at

impetramus. Per sacerdotem enim necessitates et *desideria* fidelium Deo praesentantur.

Orare autem id ipsum est, desiderium suum alteri pandere atque ad eum dirigere. Et revera illa desideria eo magis pia et ferventia sunt, quo plures et sanctiores sunt in Ecclesia, qui aestiment coelestia dona, et ob graves tum communes tum privatas necessitates compassione et zelo torqueantur. Per sacerdotem enim Deo omnis illa virtus et sanctitas praesentatur, qua Ecclesia in multis suis membris semper excellit; nunquam enim, ut Suarez bene dicit *de oratione* (i. e. tr. IV. *de relig.*) l. 4 cap. 1 n. 10, Ecclesia ut Christi sponsa dilectissima non potest esse sancta ac Deo placens. Quapropter haec impetratio ex parte Ecclesiae per se semper est efficacissima, maxime in celebratione Missae, ubi Ecclesia mentem suam et intentionem atque se totam cum Christo sponso suo intime unit: attamen pro singulis hominibus, in quorum favorem illa impetratio a sacerdote pro Ecclesia fungente dirigitur, non semper infallibiliter beneficium petitum obtinetur; id enim in ipsa ratione impetrationis seu orationis, praecipue pro aliis, situm est.

III. Potissimi igitur effectus Missae habentur sub eo respectu, 169
quod Missa est *actio Christi ipsius.* Videlicet sicut in reliquis sacramentis, ita etiam in SS. Eucharistiae sacramento, cujus confectio simul sacrificii rationem habet, sacerdos instrumentum, Christus principaliter agens est, ex cujus deputatione et dignitate propria vis movendi Deum oritur.

Porro sacrificium Missae sub hoc respectu est copiosissima applicatio meritorum Christi et cruenti crucis sacrificii, ita ut ad avertenda mala et ad concilianda bona omnemque benedictionem, qua Deus benedixit nos in coelestibus in Christo, sit efficacissimum.

At *meritorium* non est ex parte Christi, sed meritorum, quae Christus comparavit, *applicativum;* siquidem etiam in Christo merendi facultas limitibus vitae ejus terrestris concludebatur.

Neque hominum justificationem gratiaeve sanctificantis augmentum immediate efficit sacrificium sicut sacramenta, quasi eum ex sese justificet, qui cum sola attritione Missam audiat, aut pro quo Missa offeratur. Sed effectus omnes continentur sub ratione sacrificii ut *impetratorii* et *propitiatorii.* V. Trid. sess. 22 cap. 1 et 2 cum can. 3. Sic igitur placat divinam iram, quae propter peccata sive nondum remissa, sive quoad culpam solam remissa contra peccatores exarsit, atque Deum inclinat, ne ex justitia vindice mala inferat aut spiritualia auxilia uberiora deneget. Sic Deum pronum reddit ad bona, maxime spiritualia, conferenda, imo etiam ad temporalia bona saluti animae convenientia danda.

Qua *impetratorium* sacrificium Missae nobis obtinere potest: 170

Gratiam conversionis, qua homo ad veram poenitentiam ac reconciliationem cum Deo perducatur; *victoriam in tentationibus,* sive efficaciores gratias actuales conciliando, sive tentationes ipsas atque pericula imminuendo

vel succidendo; *animos et occasiones bonorum operum* atque profectum in vita spirituali (atque tali modo summi momenti est ad convertendos homines, ad delenda peccata, ad perseverantiae donum obtinendum, ad augendam gratiam et futuram gloriam); *protectionem* singularis divinae providentiae in necessitatibus tum spiritualibus, tum temporalibus; *bona temporalia* cujusvis generis, quae secundum Dei voluntatem aeternae saluti adjumento esse possunt.

Christi igitur haec oratio est, per sacerdotem nomine ipsius fusa, quae illa immensa bona iis impetrat, pro quibus Missa offertur vel qui ipsi hoc sacrificium coofferunt. Imo Christus non solum per mandatarium suum Patrem coelestem exorat, sed ipse, quum realiter praesens sit in altari, pro hominibus apud Patrem intercedit, non eo sensu et modo, quo formalis oratio defectum aliquem denotat, sed quatenus realiter merita sua Patri coelesti exhibet in eum finem, ut bona supra notata hominibus concedantur.

Attamen effectus ille impetratorius non est omnino infallibilis relate ad illud speciale beneficium, quod desideratur, et cujus intuitu Missa offertur. Nam etsi sit excellentissima oratio ab ipso Christo exhibita, tamen conditiones illae, quae requiruntur, ut orationes pro altero oblatae sint efficaces, non semper implentur, scil. 1) non semper ex parte ejus, pro quo oratur, quum denique ipse possit pro sua libertate gratiis oblatis resistere, neque secundum Dei vel Christi voluntatem est, omnibus hominibus sub quavis conditione et sub qualibet perversa et obstinata eorum voluntate gratias re ipsa efficaces concedere; 2) non semper ex parte objecti, quod ab hominibus per Missam impetrandum desideratur, et quod sacerdos, interpositis meritis Christi, a Deo exorare conatur. Christi igitur ipse sese non semper cum tali desiderio conjungit; siquidem quae homini nociva sunt vel quae divino beneplacito adversantur, desiderare et impetrare certe non potest, neque ipse in iis discernendis fallitur, homines vero falli possunt. Quod si accidit, sacerdos, Christi mandatarius, fallitur putans se Christi desideria Deo repraesentare; re ipsa Christi oratio et impetratio nullo modo circa illam rem versatur, sed ad alia beneficia, quae vere bona sunt, hominibus concilianda convertitur.

171 Qua *propitiatorium* sacrificium Missa, quatenus Christi actio est:

1. Delet aliquam partem poenae temporalis, quae, post peccata deleta quoad culpam, est residua: ita ut ille, pro quo Missa offertur, nisi ipse obicem ponat, remissionem aliquam temporalis poenae consequatur. — Nam Missa, quatenus Christi actio est, est sacrificium illud mundum, quod nulla indignitate offerentis possit maculari et quod aliorum sacrificiorum „*bona omnia* . . . velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur“ (Trid. l. c. cap. 1). Atque revera vetera sacrificia hanc vim habebant, ut temporalem poenam aliquam in eo, pro quo offerebantur, exstinguere possent. Ergo sacrificio Missae illa vis negari nullo modo potest. Si enim cujuslibet hominis justi actio eam efficaciam habet, ut etiam alterius temporalis poenae reatum possit diminuere, quamquam id ex meritis Christi habet: quanto magis illa efficacia exercetur in illa solemni ipsius Christi actione!

2. Avertit calamitates, flagella, mala communia vel privata, quae Deus in poenam peccatorum infligere paratus est.

3. Avertit poenas multo terribiliores spirituales, quas Deus secundum *justitiam suam*, nisi placetur, statuit pro peccatis infligere. Scil. peccata

commissa, maxime si culpae reatus nondum deletus est, at etiam si culpa jam remissa est, non raro ratio sunt, cur Deus in poenam deneget uberiora actualis gratiae auxilia, quae alioqui dare paratus foret. Quae poena non solorum mortalium peccatorum, sed etiam venialium, imo etiam inspirationum divinarum neglectarum esse potest: quo fiat, ut homo *possit* quidem aut converti, aut tentationes vincere et peccata vitare, re ipsa autem victurus eas non sit, sed lapsurus, gratiam sanctificantem amissurus, in aeternum periturus. Haec miserrima sequela peccati est, ad quam *permittendam* peccata commissa divinam justitiam provocant. Quae poena ut avertatur atque ut Deus plenissime placetur, homini summopere curae esse debet. Excellentiore igitur modo Deo servire eique honorem exhibere seque humiliare debet, ut servitiis indebitis atque fervore supererogatorio contumeliam compenset, quam peccando Deo intulit. At haec omnia tum demum plenum effectum facilius sortiuntur, si immaculata illa hostia, unigenitus Dei Filius in eucharistico sacrificio, pro propitiatione offeratur. Neque aliud quidquam Ecclesia in liturgia tam saepe inclamat, quam: „Propitiare Domine, placare Domine . . ."

Postquam ergo per sacrificium Missae — fieri potest, ut frequenter offerri debeat, ut Deus omnino placatus sit certo alicui peccatori [1] — Deus plene placatus est: peccata, pro quibus propitiatio facta est, non amplius impedimentum sunt, quominus Deus gratias suas easque uberiores concedat; easque, *vi impetrationis* adductus, per idem sacrificium fortasse conferet [2].

---

[1] Videlicet quo plura et graviora peccata commissa sunt, aut quo majore ingratitudine, eo altius divinae menti indignatio quasi inhaeret, eoque vehementius impellitur Dei justitia, ne certae quaedam gratiae peccatori dentur, seu ut impetratio certi beneficii maneat inefficax: quare etsi aliquatenus Deus placatus sit, nihilominus accidere potest, ut nondum quidquam Deus re ipsa ex iis concedat, quae antea deneganda decreverat. Nondum enim omnes tituli, cur deneget, deleti sunt; at sufficit unus titulus residuus, ut impetratio inefficax maneat, similiter ac reatus gravis culpae unius sufficit, ut homo Deo inimicus sit et privatus maneat gratia sanctificante.

[2] Propitiatio et impetratio, ut recte notat Lugo disp. 19 sect. 9. et Suarez disp. 79, saepissime ad eandem rem homini conciliandam tendunt, at diverso modo: propitiatio quodammodo negative agit, removendo obstacula parat viam, ut impetratio positive per liberalitatem et clementiam Dei bona et beneficia obtineat. Quod aliis verbis sic exprimitur: Propitiatio et impetratio saepe habent effectus materialiter eosdem, diversos tamen formaliter. Quamquam igitur propitiatio non ita immediate et directe in utilitatem nostram tendit, ut impetratio, tamen indirecte quam maxime nobis utilis est, ita ut facile id nobis persuasum esse debeat, fructum propitiationis prae aliis Missae fructibus esse vix non optatissimum atque cum salute nostra aeterna cohaerentem. Deus enim ex sese proclivis est ad dona et beneficia sua in nos profuse conferenda: at peccata hominum malum ingens cogitatuque nostro gravius est, quod justitiam divinam lacessens ejus benignitatem quasi vinculis constrictam detinet. Quare id maxime agendum, ut propitiatione seu placatione haec vincula solvantur, neve amplius frustra divina bonitas atque liberalitas fatigetur, sed bonitas illa secundum insitam vim suam expedita in nos exerceatur.

Ceterum quamquam propitiationis effectus, nisi ipse homo obstacula ponere pergit, infallibiliter ex Missa oritur: gratia efficax qua efficax sive ad convertendum peccatorem, sive ad alios fines obtinendos non infallibiliter Missarum oblationi adscribi potest, nisi homo ipse suo tempore atque debito modo pro se orationem adjungat; de quo confer Lugo l. c. n. 148 et 149, ubi inter alia haec habet:

„Certe non expediebat (independenter sc. a propria et non intermittenda oratione) impetrationem auxilii efficacis esse infallibilem, quia . . . magna securitas

§ 3.

Quot et quibus modis in diversis diversi fructus Missae producantur.

172 I. Modus duplex vel triplex distingui potest, quo diversi fructus ex Missae sacrificio hauriantur. Solemnis distinctio est inter spirituales effectus et gratias, quae producuntur *‚ex opere operato‘*, et quae producuntur *‚ex opere operantis‘*.

1. Ex *opere operantis* oriuntur fructus illi, qui respondent Missae, quatenus est actio personalis sacerdotis celebrantis aliorumque, qui ministrando, assistendo concurrunt.

Ex *opere operato* imprimis illi fructus oriri dici debent, qui respondent Missae, quatenus est actio Christi ipsius adeoque valoris independentis a merito et devotione celebrantis aliorumque concurrentium.

Ad effectus illos, qui respectu Christi principaliter offerentis oriuntur, illi proxime accedunt, quos respectu Ecclesiae a sacerdote etiam repraesentatae Deus concedit, quosque etiam alio quidem, sed certo quodam sensu ex opere operato dari dicere possis.

2. Sed ex opere operato alii effectus oriuntur infallibiliter, modo ille, cui applicantur, capax sit, — quos dicere licet oriri *ex opere operato stricte dicto;* alii non omnino infallibiliter, quos dixerim a Deo dari *ex opere operato latius sumpto,* quum praeter ipsam Missae oblationem liberalis Dei acceptatio vel effectûs determinatio intercedere debeat.

Hinc a) ex *opere operato stricte sumpto* habetur fructus propitiatorius, praecipue ille, qui presse *satisfactorius* vocatur, atque pro temporali poena peccatis remissis debita ex parte saltem solvit: qui nititur in solis Christi meritis certa lege per Missam in hunc finem applicatis; propitiatio latiore sensu (v. n. 171) potest simul etiam in meritis et sanctitate Ecclesiae niti.

b) Ex *opere operato latius sumpto* habetur fructus *impetratorius,* qui respondent Missae, quatenus est actio Christi et Ecclesiae actio.

c) Ex *opere operantis* habetur impetratio, satisfactio et propitiatio, meritum, ut supra dictum est § 2.

3. Unde postremo facile patet, effectum propitiationis relate ad poenas spirituales supra indicatas avertendas et effectum impetrationis tum demum maxime haberi et certius efficax auxilium divinae gratiae producere, si ejus ipsius, pro quo Missa offertur, fervens oratio accedat, atque desideria Christi et Ecclesiae per ipsam illam personalem orationem sustententur et compleantur.

173 II. Modus hucusque explicatus praecipue respicit *rem,* quae per Missam obtinetur, et fontem, ex quo emanat. Si vero consideramus *diversos gradus applicationis* fructuum ad diversos homines, prout alii

---

et libertas peccandi daretur hominibus scientibus, se postea infallibiliter habituros, medio hoc sacrificio, auxilium efficax ad justificationem et donum perseverantiae. . . . Voluit ergo Deus relinquere nos cum timore et dubio ad majorem cautelam.“ — Nihilominus sacrificium Missae multum conferre ad illos effectus obtinendos et ad propitiationem sensu indicato perficiendam, tum ex communi notione sacrificiorum et divina veterum sacrificiorum institutione habemus, tum ex satis clara doctrina Concilii Trid. sess. 22 cap. 2.

aliis magis minusve propinquam relationem ad Missam celebrandam seu celebratam habent, distinguitur:

1) fructus generalis, 2) fructus specialis seu ministerialis, 3) fructus personalis.

NB. Fructum generalem dicunt etiam *universalem;* alii secundum fructum vocant medium, tertium specialem: quem tertium alii, qui secundum fructum dicunt specialem, etiam *specialissimum* vocare consueverunt. Quare, ne confusio oriatur, melius vocemus fructum secundum *ministerialem,* tertium fructum *sacerdotis personalem.* Pluris tamen interest explicare, quid sibi nomina illa velint.

Fructus *sacerdotis personalis* est, qui pro sacerdote oritur eo ipso, quod ministerio suo digne fungitur. Nam nullum est dubium, quin ipse non solum ratione Sacramenti Eucharistiae percepti, sed etiam ratione sacrificii oblati omnium fructuum ex opere operato sive latius sive presse sumpto particeps fiat, idque ita, ut ipse eos, saltem quosdam, a se in alios transferre nullo modo possit.

Fructus specialis seu *ministerialis* est, quem sacerdos nomine Christi et Ecclesiae agens pro certo et determinato fine vel homine applicat. Sicut enim specialiter pro singulis necessitatibus oramus idque ceteris paribus cum majore efficacia, quam si solum generatim oraremus, ita etiam secundum catholicam doctrinam et praxim hoc sacrificium pro certis necessitatibus certisque hominibus speciatim offertur. Sacerdotis autem est, hanc specialem applicationem facere; nam ipsius tandem est, immediate nomine Christi et Ecclesiae agere atque huic actioni suae ministeriali certam determinationem dare. Huic ergo, pro quo Missa celebratur, si capax est, fructus satisfactorius, reliquaque propitiatio atque impetratio ex opere operato communicatur. Cf. n. 176.

Fructus *generalis* ille est, qui praeter singularem illam Missae appli- 174
cationem in communi producitur, quum sacerdos nomine Christi et Ecclesiae semper oret et offerat pro communi necessitate, pro toto coetu assistentium, pro tota Ecclesia, imo aliquatenus pro toto mundo. At illius generalis fructûs alii aliis abundantius participes fiunt non solum pro majore sua dispositione et capacitate, sed etiam pro majore conjunctione, quae inter eos et sacerdotem offerentem intercedit. In multis hominibus ille fructus propter obstacula prorsus frustrari potest. Diversi autem gradûs conjunctionem, quae diversam participationem inducit, hi fere habent: 1) ministrantes, 2) assistentes, 3) qui mente solum sese conjungunt, 4) reliqui fideles, qui in unione cum Ecclesia permanserunt, 5) alii, qui extra Ecclesiam sunt: imo, ne ii quidem omnes *eodem modo* in fructuum participationem admittuntur, siquidem Ecclesia quosdam a quadam directa participatione in poenam excludit, ut habes seq. §.

NB. In hac generalis fructûs participatione, si ministrantes et assistentes excipias, reliqui solummodo fructûs impetratorii et aliquatenus propitiatorii participes evadunt, vel evadere possunt. Ministrantes et assistentes probabiliter aliquem fructum *satisfactorium* ex opere operato ferunt, et insuper impetrationis et propitiationis effectus per se multo major pro iis est, quam pro reliquis. Siquidem duplex causandi modus ex opere operato latius sumpto et ex opere operantis inter sese excipiunt, conjungunt, in eundem effectum realem producendum conspirant; imo quum eorum personalis oratio non sit nuda oratio, sed impetratio per victimam divinam, quam ipsi cum sacerdote coofferunt, fructus ipsis proveniens non solum

praecipua quaedam pars illius fructus est, qui in eos, *pro quibus* Missa offertur, redundat, sed similis est ejus fructûs, qui personalis et proprius est sacerdotis celebrantis.

Articulus III.

De applicatione Missae.

§ 1.

Pro quibus Missa offerri possit.

175 Sensus quaestionis. 1. Proposita quaestio non est eadem, ac si quis quaerat, quinam fructuum Missae sint participes. Nam a) ex una parte latius patet numerus eorum, pro quibus offerri *possit* Missa, quam qui re ipsa participes fiant; b) ex altera parte participatio fructuum Missae non ex eo solo habetur, quod *pro* aliquo offertur, sed etiam ex eo, quod aliquis assistendo ad offerendum concurrit, ut modo dictum est. — Quamquam assistendo coofferre nemo potest, pro quo non etiam possit offerri et pro quo non etiam aliquo modo tunc offeratur, e contrario autem offerri potest etiam pro iis, qui coofferentes nullo modo esse possint.

2. Non quaeritur, in quos ex parte coofferentium ille fructus, quem fortasse ex opere operato percipiunt, transfundi possit; nam ille non videtur ullatenus in alios posse transfundi. Neque quaeritur, cuinam sacerdos fructum specialissimum seu personalem, quatenus ex opere operato satisfactorius est, communicare possit; nam ille item incommunicabilis est.

3. Neque id proprie quaeritur, cuinam applicari possit sive ex parte sacerdotis, sive ex parte assistentium seu coofferentium *fructus ex opere operantis*, qui respondet eorum actioni qua supernaturaliter bonae, imo excellenter bonae: nam *impetratio*, quae cuilibet operi bono qua tali inest, fieri potest pro quibuslibet hominibus vivis sive justis sive injustis, sive fidelibus sive infidelibus, baptizatis sive non baptizatis, excommunicatis sive non excommunicatis, atque etiam pro quibuslibet animabus in purgatorio degentibus; valor satisfactorius, quo insuper opus bonum praeditum est, videtur eodem modo offerri posse et transfundi in quoslibet *justos* vivos sive defunctos, baptizatos sive non baptizatos, neque ulla prohibitio Ecclesiae quoad quemcunque hominem ostendi potest.

4. Neque quaeritur, quibusnam Missa *indirecte* utilis esse possit. Nam nihil impedit, quominus ita evadat etiam iis utilis, pro quibus ob Ecclesiae prohibitionem proprie et directe offerri Missa non potest. Eo ipso enim, quod v. g. Missa offertur pro exaltatione Sanctae Ecclesiae, indirecte utilis fieri potest ipsis excommunicatis iisque etiam vitandis, qui alioquin a communione bonorum Ecclesiae excluduntur.

5. Quaestio igitur proprie intelligitur de iis fructibus directe applicandis, qui applicationi sacerdotis subsunt, quatenus personam alienam in publico munere agit, i. e. quatenus nomine Christi et Ecclesiae agit et *fructus ex parte Christi et Ecclesiae oriundos* dispensat. Atque hoc est, quod vulgo dicimus, *Missam pro aliquo celebrare sive applicare.* Ad quam quaestionem breviter sic responderi potest:

176 . Missae fructus applicari possunt seu offerri pro omnibus, qui et re capaces sunt, neque ab Ecclesia positive excluduntur. Hinc:

I. Fructum satisfactorium ex opere operato stricte sumpto possunt *certo* percipere soli justi baptizati sive vivi, sive defuncti nondum beati. — Certum quidem non est, non-baptizatos per actum perfectae caritatis justificatos atque ita in gratia Dei *defunctos* ab illo fructu excludi: at utrum participes fiant immediate illius fructûs necne, vere *dubium* manet (cf. Suarez et Lugo ll. cc.).

II. Fructum propitiatorium latiore sensu sumptum et fructum impetratorium percipere possunt per se omnes viatores omnesque defuncti in purgatorio exsistentes.

III. Prohibitio vero Ecclesiae hujusmodi est:

1. Relate ad excommunicatos vitandos omnis applicatio proprie dicta prohibita est, atque ita fit, ut fructus ex parte Ecclesiae oriundus ne valide quidem excommunicato vitando applicari possit, siquidem Ecclesia sacerdotem non constituit suum ministrum et delegatum pro excommunicato vitando, nisi sumas publicam orationem in liturgia feriae VI. in Parasceve; ergo si sacerdos nihilominus conaretur in illa causa prohibita se ut publicum ministrum gerere, nihil ageret. Fructus vero ex parte Christi oriundos graviter quidem illicite, at si excommunicatus alioqui capax est (maxime si contritione cum Deo reconciliatus est), valide sacerdos applicat: nam quod nomine Christi agat, habet ex sacramento ordinis et charactere sacerdotali indelebili.

Quod ergo aliquando a scriptoribus dicitur, sacerdotem posse pro excommunicato vitando ut personam privatam Missam celebrare, id sane ambiguum est. Nam in celebratione semper personam publicam agit. *Licite id solum* pro excommunicato vitando offerre potest, quod in celebranda Missa agit ut *opus bonum privatum.*

2. Relate ad *omnes,* qui absque unione externa cum Ecclesia *defuncti* sunt, prohibetur Missae celebratio seu applicatio saltem publica: ut habes ex Brevi Greg. XVI. 16. Febr. 1842 ad Episcop. Augustanum, et 19. Julii ad Abbat. mon. Scheyern.

Quodsi probabilia signa sunt (i. e. non tantum generalis illa possibilitas, quae in solo secreto divinae gratiae et misericordiae nititur), defunctum bona fide et in gratia divina decessisse, occulte seu privatim sacerdos pro tali defuncto in particulari celebrare posse videtur (*Il Monitore eccles.* XIII, 132 permittit applicationem conditionatam, „si in gratia decesserit"). Specialem autem Missam de Req., potissimum cum speciali oratione pro hoc defuncto, fieri non probo, quum nunquam non sit actio *per se* publica[1].

IV. Prohibitio Ecclesiae aut non est, aut non est totalis: 177

1. relate ad infideles viventes;

2. relate ad excommunicatos etiam publicos, sed toleratos, inter

[1] Marc, qui *Instit. Alphons.* n. 1601 ullam Missae applicationem pro ejusmodi defunctis fieri posse negat, circa stipendium forte oblatum haec dicit l. c.: „Quodsi stipendium pro aliquo in particulari offeratur, respondeat sacerdos, se posse applicare Missam pro omnibus fidelibus defunctis, cum intentione subveniendi etiam animae illius defuncti, si hoc acceptum sit coram Deo." — *Pro iis vero, qui in manifesta haeresi moriuntur, Missam offerri non licere, etiam si applicatio nota sit sacerdoti tantum et illi qui dat eleemosynam,* S. Offic. respondit d. 7. Apr. 1875: Acta S. Sedis XXV, 445.

vivos exsistentes: hinc neque pro iis, qui ad sectam acatholicam pertinent, totalis prohibitio est.

Attamen haec aliquo modo limitari debent. Nam:

Nota 1) Quamquam non ita certum est, excommunicatum toleratum, qui sciat, se esse excommunicatione ligatum, posse ex se sine peccato saltem veniali rogare sacerdotem, ut ad suam intentionem celebret, nisi forte id ex desiderio conversionis et ad hunc finem petat: sacerdos tamen sive rogatus, sive non rogatus licite pro eo applicat, qui excommunicatus quidem sit, sed ad coetum religiosum acatholicum non pertineat. Nimirum excommunicato potius interdicta est spontanea cum fidelibus communicatio sacra (quo sensu, vide postea de censuris), fidelibus vero communio cum excommunicatis toleratis interdicta non est.

Nota 2) Attamen applicatio Missae pro iis, qui ad sectam acatholicam pertinent, non permittitur ab Ecclesia ita universaliter, sicut pro ipsis infidelibus nondum baptizatis. Id colliges ex duobus decretis Sacrae Inquisitionis:

Primum 19. April. 1837. Proposito dubio: „Utrum possit aut debeat celebrari Missa ac percipi eleemosyna *pro graeco-schismatico,* qui enixe oret atque instet, ut Missa applicetur pro se sive in ecclesia adstante, sive extra ecclesiam manente"; S. C. respondit: „Juxta exposita non licere, nisi constet expresse, eleemosynam a schismatico praeberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem." Quam resolutionem S. Pontifex Greg. XVI. approbavit.

Secundum. „Utrum liceat sacerdotibus Missam celebrare *pro Turcarum aliorumque infidelium intentione* et ab iis eleemosynam accipere?" S. C. Inquisitionis 12. Julii 1865 respondit: „Affirmative, dummodo non adsit scandalum et nihil in Missa addatur, et quoad intentionem constet, nihil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse."

3. Relate ad catechumenos sive vivos, sive ante baptismum defunctos nulla est prohibitio, imo pro iis S. sacrificium offerre est pietatis matris Ecclesiae. Sintne autem eodem modo omnium fructuum capaces ac fideles baptizati, ex iis, quae jam supra dicta sunt, et quae mox dicturi sumus, dijudicabitur.

178 V. Sancti consummati seu beati propriam utilitatem ex sacrificio Missae habere non possunt. At praeterquam quod Deo offertur in gratiarum actionem pro donis in Sanctos collatis, etiam per modum impetrationis offerri potest, ut alicujus Sancti cultus in terris augeatur: ex quo honor quidam externus Sancto, fidelibus in terra degentibus utilitas oritur.

VI. Igitur, ut supra notatum est, a participatione Missae penitus excluduntur soli damnati, i. e. tum ii, qui cum peccato mortali personali defuncti poenas sensuum in gehenna patiuntur, tum ii, qui cum solo peccato originali in limbo parvulorum reclusi sunt.

Scholion. Verum qua utilitate Missa defunctis prosit, difficultate non caret; idque *primo,* si respicimus defunctos non-baptizatos, qui tamen in gratia Dei decesserunt atque in purgatorio detinentur. Nam fructus, cujus solius capaces sunt, est satisfactio pro poena temporali, seu poenae

temporalis diminutio: at supra satis dubium esse diximus, num non-baptizati fructum satisfactorium ex opere operato percipere possint. Secunda difficultas oritur, si respicimus praxim Ecclesiae, quae multoties pro defunctis Missas aliaque opera satisfactoria offerenda curet, tamen non raro uni Missae plenariam indulgentiam adjungat. An igitur applicatio pro defunctis adeo incerta et dubia est?

Ut hisce quaestionibus aliquam lucem affundam, haec respondeo: 179

A. De fide est, animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis (i. e. orationibus, jejuniis aliisve piis operibus) *juvari.* Trid. sess. 25.

B. Est doctrina theologice saltem certa, eas per fideles juvari posse non ex opere operantis tantum, sed etiam aliqua ratione ex opere operato. Id enim ex usu indulgentiarum et ex sacrificio Missae, „quo potissimum eas juvari" syn. Trident. docet, satis certe colligitur.

C. Attamen de modo et mensura, secundum quam fidelium suffragia, sive ex opere operantis, sive ex opere operato satisfactiva, defunctis applicentur, non ita certo constat.

D. Quum autem Deus semel decreverit, vicariam satisfactionem a fidelibus vivis oblatam pro defunctis accipere, videmur causam non habere statuendi, insuper *impetrationem* atque recursum ad divinam liberalitatem et misericordiam *per se* esse necessarium: qui quum infallibilis efficaciae non sit, effectu possit frustrari. Ita saltem, si de defunctis baptizatis agitur. Nam quoad defunctos non-baptizatos utique ratio est, cur illum recursum necessarium esse statuamus. Verum etiam in baptizatis prorsus videtur fieri posse, ut pro diverso statu defunctorum, seu pro diversis eorum peccatis nondum expiatis, etsi non impetratio proprie sumpta, tamen *propitiatio* aliqua requiratur, quae viam sternat, ut ad illas animas efficax auxilium perveniat.

Fusior explicatio. 1. Etsi dubium sit, sintne *non-baptizati* in purga- 180
torio exsistentes capaces *satisfactionis ex opere operato,* tamen certum est, eos *alia via,* mediante Missa, satisfactionum participes effici posse sive directe sive indirecte.

2. Capaces nimirum utique sunt communicatione *satisfactionum personalium,* quas justus pro altero justo offerre potest, quia ad id nihil est, quod videatur requiri, nisi commune vinculum caritatis et gratiae: quare Missa ut opus eximie bonum personale sive sacerdotis celebrantis sive fidelium assistentium iis prodesse potest.

3. Certum est, alterius speciei *propitiationem,* si qua requiratur, etiam pro defunctis non-baptizatis per fideles in terra degentes perfici posse. Confer, quae postea sub n. 6 dicturi sumus.

4. *Impetratio* etiam locum habere potest pro quibuslibet in statu gratiae defunctis, sc. a) certo ea ratione, ut impetretur fidelibus vivis efficax gratia actualis, qua moveantur ad satisfactiones personales et privatas pro certo defuncto offerendas; b) fortasse etiam id impetrationi tribui potest, ut satisfactio ex opere operato, quae nimirum est immediata solutio ex meritis et satisfactionibus Christi, et quae ex sese non ita extenditur ad non-baptizatos sicut ad baptizatos, nihilominus titulo impetrationis per divinam benignitatem etiam ad non-baptizatos applicetur: quod ratione non dissimili etiam de indulgentiis pie opinari licet, ita ut etiam hae fortasse

per impetrationem non-baptizatis prodesse possint; c) num vero insuper vi impetrationis immediate aliquam solutionem ex satisfactionibus Christi alicui defuncto applicare possimus, etsi non potest quidem certo negari, tamen valde dubium est.

5. *Justis baptizatis* in purgatorio exsistentibus praeter modos hîc allatos *satisfactione ex opere operato* etiam levamen afferri posse certum est. Hoc autem multum deprimitur, si existimatur, *impetrationem* addi debere, ut satisfactio Christi vi Missae ex opere operato exhibita certae et determinatae animae applicetur. Quare illam non requiri puto, sed applicationem immediate fieri, *modo ne sit in illa anima aliquod obstaculum*[1]. Idem dicendum videtur quoad satisfactiones personales (suffragia) et indulgentias.

181 6. At quamquam *impetratio* proprie dicta non videtur requiri, saepe requiri videtur aliqua *propitiatio* similis illi, quam supra quoad poenas spirituales tanti momenti esse diximus pro vivis. Sicut enim propter certa peccata Deus ex justitia moveri potest ad gratias uberiores et efficaces denegandas: ita propter certa peccata et negligentias defunctorum justitia divina id statuere potuit, atque revera statuisse censenda est, ut *in poenam* suffragia vivorum, sive satisfactiones personales, sive indulgentiae sive Missarum satisfactiones hunc et illum defunctum non possint attingere et sublevare, nisi haec ira Dei justa sedata divinaque justitia placata sit sive per poenas ab anima defuncti toleratas, sive operibus bonis a vivis ad placandum Deum exhibitis: inter quae praecipuum locum occupat sine dubio SS. Missae sacrificium.

Quod si ita est, nihil mirum, si aliquando multae Missae requirantur, neque sufficiat offerre Deo indulgentias, ut anima certa e purgatorio liberetur. Nam obvoluta quasi jacet in densissimis tenebris divinae irae atque justitiae: quae tenebrae multâ diuturnâve *propitiatione* (per sacrificium Missae potissimum efficiendâ) prius dispellendae sunt, donec tandem suffragia vivorum, indulgentiae, Missarum satisfactiones tamquam radii pacificae lucis et tamquam ros lenissimus ad animam defuncti recreandam descendant eamque *solutione* poenarum liberare possint.

Quae confirmari videntur tum privatis quibusdam Sanctorum revelationibus, tum praxi et sensu Ecclesiae. Interrogata enim S. C. Indulg., quid intelligeretur indulgentia altaris privilegiati, 28. Julii 1840 (v. Decreta authentica n. 283) ita respondit: „Per indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis: si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam, cujus mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptioni respondet.“ Sc. propter propitiationem, de qua supra dixi, nondum completam fieri non raro potest, ut applicationis effectus aut man-

[1] Suarez disp. 79 sect. 10 cum S. Thoma, Bellarm. pluribusque aliis dicit, defunctos baptizatos probabilius juvari ex opere operato stricte sumpto, seu infallibiliter; idem docet, ex opere operato autem latius accepto, seu quod applicetur mediante intercessione et recursu ad divinam liberalitatem fallibili, etiam juvari posse defunctos non-baptizatos sive catechumenos: atque ex eo ipso, quod SS. Patres, ut Chrysostomus et Augustinus, doceant, sacrificium Missae non ita pro catechumenis defunctis offerri posse, sicut pro baptizatis, valde probabiliter colligit, defunctis baptizatis Missam prodesse infallibiliter ex opere operato stricte sumpto. Addiderim: nisi obex adsit, qui alia propitiatione indigeat.

cus aut nullus sit, etsi in concedenda indulgentia atque causae sufficientia — ut verbis scholae utar — clavis non erraverit.

At simul intelligitur, indulgentiam altaris privilegiati, quamquam in se ab alia indulgentia plenaria non distinguitur, non raro animae defuncti multo plus prodesse, quam ordinarias plenarias indulgentias: quum enim cum Missae sacrificio eidem animae applicato conjungatur, per hoc propitiatione et impetratione via paratur ad applicationem efficaciter obtinendam.

§ 2.

De valore Missae applicationis sive finito sive infinito.

I. Sacrificium Missae *ratione victimae* infiniti valoris esse, imo 182
etiam quatenus moraliter *actio Christi* est, infinitae esse dignitatis, nemo est, qui dubitet. At hoc idem de sacramentis, praecipue de Eucharistia qua sacramento dici debet.

II. Item apud omnes in confesso est, *effectum* Missae non undequaque limitatum esse, ita ut non possit pro majore dispositione hominis major semper fructus inde percipi: quare quoad *intensitatem* sui effectûs hanc habet illimitationem. Sed id etiam de sacramentis iisque omnibus valet, ut pro majore subjecti dispositione majorem semper gratiam producant. Qua vero proportione hoc augmentum fiat, plane cognoscere non valemus.

III. Relinquitur igitur in medio haec quaestio, num Missa *extensive infiniti valoris* sit ita, ut ex multis unicuique tantum prosit, quantum ex paucis. At ne sic quidem quaestio est satis determinata, sed distinctione opus est pro diversa fructuum causalitate. Si enim *plures* assistentes sunt seu coofferentes, non est dubium, quin omnes, quotquot sunt et quantumvis eorum numerus augeatur, eundem fructum atque omnis generis fructum sive satisfactionis vel propitiationis, sive impetrationis percipiant, ac si unus tantum assistat. Nam proxima causalitas est ipsa actio coofferentium, quae aut immediate causat aut quasi instrumentum est, quo ex inexhausto fonte meritorum et satisfactionum Christi secundum mensuram divinae dispositionis portio quaedam hauriatur. Consortium multorum non impedit alios neque infinitum thesaurum unquam exhaurit aut diminuit; imo facile accidere potest, ut ex multorum consortio accidentale fructuum augmentum, aucto fervore et intercessione, proveniat.

Haec valoris seu applicationis extensio comparari potest cum celebratione plurium simul, quando — ut in Oriente quandoque fit — in uno altari eundem panem et idem vinum plures sacerdotes consecrant. Nam tum tot Missas dici, quot sint sacerdotes, et toties Missae fructum multiplicari, extra dubium est, siquidem, approbante Ecclesia, singuli sacerdotes stipendium Missae licite accipiunt. V. Ben. XIV. *de sacrif. M.* l. 3 c. 16 n. 10.

IV. E contrario facile omnes concedunt, extensionem indefinitam et non-diminutam admitti non posse relate ad fructus Missae, qua-

tenus respondeant impetrationi *Ecclesiae.* Illi enim fructus accidentales sunt, neque illa impetratio, cujus valor certe finitus est, tantum valet ceteris paribus communis pro omnibus, quam particularis pro singulis.

183 V. Substantialis Missae fructus ille est, qui ex parte Christi oritur: de *hoc* ergo *ministeriali fructu* quaeritur, num ejus applicatio sit *extensive indefinita,* ita ut, causâ proximâ applicativâ — quae est ipsa celebratio — non multiplicatâ, tamen tantum valeat pro singulis ex millibus, si pro iis sacerdos offerre intendat, ac si pro *uno tantum* Missam dicat.

Affirmavit Cajetan., Vasquez aliique ex antiquioribus theologis — quamquam complures ex iis revera non *universim* id affirmant, sed non satis distinguentes intelligere videntur fructum respondentem iis, qui coofferunt, non vero effectum respondentem iis, pro quibus offertur[1]. Adstipulantur autem huic sententiae *universim affirmanti* non pauci recentiores theologi, quos videre est apud S. Alph. l. 6 n. 312[2], quam sententiam S. Alph. ipse ibi secutus est.

At universim id dici posse, potissimum de fructu satisfactorio, alii theologi veteres longe communius negaverunt, atque etiam hodie complures ab affirmante sententia recedunt (v. Gihr *das hl. Messopfer* § 17, ed. 3 pag. 123, ed. 6 pag. 121).

Lugo l. c. dicit: „Sententia communior et verior simpliciter negat hanc infinitatem in Missae sacrificio"; Tamb. l. 3 cap. 1 § 3 n. 11 dicit: „Negat Suarez *cum communi,* et merito." Atque sic cum S. Thoma, S. Bonaventura, Soto aliisque innumeris prorsus negandum esse puto; nam sententia affirmans universim infinitam illam applicationem **1.** non videtur cohaerere cum praxi Ecclesiae, **2.** neque cum praxi communi sacerdotum, **3.** neque cum analogia eorum, quae alias in oeconomia supernaturali divinitus constituta sunt. Cf. etiam Bened. XIV. *de syn. dioec.* l. 5 cap. 8 n. 6 et cap. 9 n. 4, qui illum infinitum valorem applicationis prorsus rejicit.

Nam ad **1.** Praxis Ecclesiae est et ab omni tempore fuit, ut commendaretur oblatio Missae pro singulis hominibus, atque summopere ei curae semper fuit, ut pro singulis defunctis Sacra celebrarentur. Porro si adversariorum sententia vera est, haec praxis aut inutilis aut crudelis est: inutilis, si ex eo, quod pro uno Missa dicatur, alii re ipsa nullatenus a consortio excluduntur, sed semper omnes Missae pro omnibus re ipsa offeruntur; crudelis, si per ministrum celebrantem excluduntur a pleno consortio, siquidem melius esset, semper Missam pro omnibus ex aequo dicere.

---

[1] V. Lugo *de Euch.* d. 19 n. 245.

[2] Fallitur autem S. Doctor, quando Suarez inter eos, qui ab hac parte stent, recenset: nam satis clare contrarium docet disp. 79 sect. 12 conclus. 2: „Effectus sacrificii respondens oblationi sacerdotis ut sic, quem ipse potest pro aliis proferre, finitus est et unus tantum. Unde si pro multis offertur, sive diversis intentionibus specialibus, sive una tantum communi, ut pro populo vel pro communitate, minuetur fructus in singulis tantoque magis, quanto major eorum numerus fuerit, supposita uniformi applicatione . . . Ut existimo, non repugnant Cajetanus . . . et alii supra citati, qui non tractant de hoc effectu, sed de illo, qui respondet *offerentibus, ut offerentes sunt.*" Loquitur vero Suarez praecipue de fructu satisfactionis; nam relate ad impetrationem aliquatenus indefinitam applicationem defendit. — S. Alph. autem videtur postea in libris asceticis sententiam mutasse.

Insuper Romani Pontifices quasi praemio quodam proposito invitant et alliciunt, ut Missae pro *singulis* dicantur. Nam saepe tamquam singularem favorem privilegium altaris concedunt, *plerumque tamen ea conditione*, ut indulgentia altaris *illi* animae detur, pro *qua* Missa applicetur. At vere in sententia adversariorum multo melius esset, missam facere indulgentiam, et Sacrum applicare pro omnibus defunctis et vivis.

Ad **2.** Si sententia adversariorum vera vel probabilissima esset, nihil 184
impediret, quominus sacerdos una Missa multiplici obligationi satisfaceret: et quamquam, ne pluribus *stipendiis* satisfiat, lege ecclesiastica et naturali justitia merito vetari dixeris, eo quod titulus sustentationis pro secundo et tertio stipendio vix possit allegari; tamen unica Missa exstingueret debita contracta ex uno stipendio, ex voto, ex obedientia etc., „quae" — ait Lugo l. c. — „omnia aeque absurda reputantur in praxi, ac si acciperetur stipendium ab utroque".

Etiam sequeretur, sacerdotem, qui, pluribus stipendiis acceptis, secundum intentionem plurium v. g. decem Missas dicere debeat, non tantum *posse* decies Missam offerre pro omnibus iis decem in communi, sed eum valde delinquere contra decentiam caritatis, nisi ita faceret; nam sine ullo negotio omnibus decuplo plus prodesse posset, quam si pro singulis singulas Missas diceret. At haec praxis, licet singularis non dicatur, tamen si ex hoc motivo fieret, sane singulare aliquid redoleret[1].

Imo S. Alph. l. 6 n. 335 loquens de applicatione, quam sacerdos facere possit, si a decem personis stipendia accepit, approbat, decies posse dici Missam pro omnibus decem et singulis applicari decimam partem uniuscujusque Missae, atque haec addit: „quum nemo dubitet, quin fructus sacrificii sit divisibilis, et ideo tribuitur unicuique quod debetur". At si nemo dubitat, fructum Missae esse divisibilem, id in sola hac sententia verum est, quae dicit, illum fructum finitum esse atque ex consortio multorum diminui.

Ad **3.** Non est ratio, cur de effectu sacrificii aliter judicemus, atque de effectu sacramentorum. Utraque enim continent in se infinitum meritorum Christi thesaurum. At nihilominus sacramentis certus *et limitatus* effectus adnectitur non solum propter dispositionem subjecti, quae semper finita est et finitam capacitatem infert, sed etiam effectus aliquo sensu finitus et limitatus est ex ipsa Dei voluntate et lege. Alias sacramenta multiplicata et iterata nihil operarentur, nisi dispositio subjecti melior facta esset: quod plane falsum et catholicae doctrinae contrarium est. An forte aliquis dixerit, infantem baptizatum non accipere augmentum gratiae, si confirmetur aut secundum praxim pristinam SS. Eucharistiâ reficiatur? Dispositio infantis immutata manet. An homo moribundus sensibus destitutus, si Sacrâ Eucharistiâ refectus sit, jam sine novo augmento gratiae ungitur, quum dispositio ejus mutata non sit, atque ideo Sacra Eucharistia jam omnem effectum possibilem produxerit? Fateamur ergo oportet, sacramentorum, etiam SS. Eucharistiae Sacramenti, effectum non tantum esse,

---

[1] Ballerini in not. ad Gury II. 352 et 356 etiam sententiam, quae Cajetano adscribitur, prorsus assumit, et in hoc vere sibi constat, quod omnes sequelas supra indicatas ad 2. admittit. At id negari nequit, ex singularitate et novitate talis praxis, quae certe communis non est, oriri gravissimum praejudicium contra eam opinionem, quae ad illam praxim legitime ducit. Idque jam egregie evolverat Lugo l. c. n. 250.

quantus *possibilis sit* pro hominis capacitate, sed secundum certos limites a Christi et Dei voluntate praefixos. Quod si ita est, etiam pronum est concludere, id ipsum a Deo servatum esse in Missae sacrificio, ut voluerit quidem, per illud merita Christi quam maxime applicari, at secundum certos limites a se statutos, praesertim quum illud excellentissimum sacrificium non semel, sed quam frequentissime et in innumeris locis offerri voluerit.

185 Haec, ut supra jam indicavi, de effectu satisfactionis, qui ex opere operato presse sumpto producitur, potissimum intelliguntur, et pro suo modo etiam de aliqua propitiatione. Si vero de *impetratione* loquimur, non prorsus eodem modo ratiocinari licet. Nam quum impetrationis effectus re ipsa nondum habeatur per ipsam Missae oblationem, sed ille, mediante recursu ad divinam benignitatem et liberalitatem libere exercendam, tandem obtineatur: fieri prorsus potest, ut secundus, tertius etc., qui adjungitur in Missae applicatione, tantum quantum primus recipiat, imo et plus obtineat quam ille. Nihilominus, ceteris paribus, etiam in hoc genere effectuum videtur ille, cui primo loco sacerdos Missam applicat, facilius et plus per impetrationem recipere, quam posteriores: at *hîc* diversitas conditionum, quum non in sola hominis dispositione, sed etiam in occulta Dei providentia sita esse possit, multo facilius et saepius in favorem posteriorum inclinare sese potest.

186 Scholion. Hinc jam apparet, quid sibi velit *secunda vel tertia intentio* in Missae applicatione. Haec enim 1) *conditionata* est sub conditione, si alter, pro quo Missam offero, fructu non indigeat aut incapax sit; 2) *ratione impetrationis absoluta* esse potest, ut videlicet, non obstante fructu ei conferendo, pro quo primarie Missam offero, velit Deus simul ei quem secundo vel tertio loco intendo, intuitu Missae sacrificii certam gratiam concedere.

Illa autem *conditionata* intentio applicandi fructûs satisfactionis raro videtur ad libitum sacerdotis fieri posse, quando pro stipendio Missam dicere debet: quia intentio dantis stipendium sine dubio est, ut, si ille, cui primo intendit Missam applicari, incapax sit, sibi alterive sibi amico fructus totus quantus applicetur. Ita etiam recte sentit Scav. t. III. n. 196 cum Elbel, Sporer, Marchant, aliis. Quare neque tum plane libera manebit sacerdoti applicatio Missae, si debet ex stipendio applicare pro defuncto, qui re ipsa non amplius indiget: nam semper debet omnes Missae fructus applicare secundum intentionem dantis stipendium; aliis verbis *secundam* intentionem formare debet „salva in omnem sensum intentione prima".

Ex hoc aliquo modo conjici potest, quid sit utilius et fructuosius, Missam audire, an Missam dicendam sibique applicandam curare. Quod universim decidi vix potest. At fortasse non errat, qui cum Tambur. putat (v. *method. celebr.* l. 2 cap. 2 § 14), fructum impetrationis facilius et uberius percipi ab eo, qui Missae devote *assistit,* fructum satisfactionis vero ampliorem haberi ex Missae *applicatione.* Quare *per se* si de utilitate pro defunctis sermo est, videtur praeferendum omnino esse, ut Missa pro iis applicanda curetur, quam ut aliquis pro defunctis Missae assistat, quamquam divina misericordia etiam hîc supplere et compensare potest. Pro vivis vero facile fructuosius esse potest Missae assistere, quam Missam dicendam curare, nisi forte impetrationi efficaci poenae spiritualis reatus obstet, qui propitiatione delendus sit: nam illam propitiationem existimo prorsus majorem esse ex oblato sacrificio, quam ex sola assistentia.

§ 3.

Quomodo applicatio Missae sacerdoti facienda sit.

I. Solus fructus ministerialis aliqua applicatione indiget: reliqui 187
enim effectus per se ex Missa hauriuntur.

II. Sacerdotis autem celebrantis est, fructus ministerialis applicationem facere. Nam sicut Christus non personaliter consecrat et sacrificat, sed id agit per ministerium sacerdotis, sui deputati, ita etiam sacerdoti applicationem faciendam commisit.

III. Aliqua autem applicatio fieri debet, ne fructus, qui hauriri potest, effectu frustretur et in thesauro Ecclesiae relinquatur.

IV. Applicatio vero ita facienda est, ut saltem ante secundam consecrationem exstiterit, et ut circa certam personam certumve finem determinata exsistat.

Explicatio. Ad III. nota: In praxi non videtur unquam abesse applicatio. Videtur enim sacerdos celebrans semper hanc voluntatem habitualem gerere, ut, si omnis applicatio desit aut impossibilis facta sit, sibi ipsi omnis fructus applicetur. Vide Laymann tr. 5 cap. 2 n. 11 et Lugo l. c. n. 226 et sq. Melius tamen est, expresse id intendere: imo praeterea multum juvat etiam alias intentiones expresse facere, quum ratione impetrationis et fortasse etiam propitiationis, quo expressior et ferventior fuerit intentio circa plures, sive a sacerdote ipso facta, sive ab iis, ad quorum intentionem ipse celebrat, eo abundantior effectus hauriri possit.

Ad IV. 1. Cur applicatio saltem ante secundam consecrationem facta 188
esse debeat, ratio ea est, quia sacrificium secundâ consecratione essentialiter completur. At completo essentialiter sacrificio, effectus non suspenditur, sed producitur secundum intentionem ministri tunc exsistentem: nam nulla est ratio fundata de hac re aliter judicandi in sacrificio, quam in sacramentis, circa illum fructum, qui ex opere operato producitur.

2. Sufficit secundum communem doctrinam applicatio habitualis: vide S. Alph. n. 335. Paucorum opinio contraria non potest obligare, ut in praxi aliquis virtualem vel actualem intentionem applicandi habere debeat. Propterea autem habitualis voluntas sufficit, quia applicatio fit per modum donationis, quae ex voluntate habita et non retractata valida evadit. Ad tempus quidem nimis diuturnum non videtur extendenda esse applicatio; initio autem mensis pro toto mense applicationem determinare sane sine ullo scrupulo licebit. Ceterum communiter habetur plus quam habitualis voluntas circa applicationem, quum circa tempus celebrationis *implicite* sacerdos resumere consueverit voluntatem antea habitam. At ex eo, quod sufficit habitualis voluntas, solvitur quaestio, quaenam applicatio valeat, si sacerdos diversas applicationes inter se contrarias fecerit, ut si heri intenderit hodiernam Missam dicere pro Paulo, hodie vero intendat Petro eam applicare.

Resp. a) Si sacerdos prioris intentionis memor aliam facit, posterior intentio certo praevalet; b) si vero immemor prioris intentionis eam in aliam mutat, *per se* quidem idem dicendum est, etsi, illius memor, mutationem non fecisset; c) at si priorem intentionem ita fecit, ut *voluerit* eam *prorsus* valere, etsi forte ex oblivione eam mutaturus sit, prior praevalebit; d) quod

si non constet, nihil restat, nisi ut sequenti die pro illa ex duabus intentionibus Missam dicat, quam Deus sciat invalidam mansisse, alterutra enim — etsi sacerdos ipse id dijudicare nequeat — valida certo erat.

189 3. Intentio *in se* seu objective determinata omnino esse debet; at necesse non est, ut sacerdos eam explicite cognoverit. Sufficit igitur prorsus ex parte sacerdotis, si vult celebrare ad eam intentionem, quam Superior determinaverit, modo ille vere determinationem fecerit, aut ad eam intentionem, quam sibi pro hac die in suo libello notaverit etc.

Si vero cumulum stipendiorum collectum habet, neque scit, a quibus et quo ordine data fuerint, sufficit facere intentionem secundum ordinem eorum, qui stipendia contulerunt: Deus enim hunc ordinem scit. Quodsi non ipse collegit, sed alter, qui diversis sacerdotibus ex eo cumulo distribuit, per se distributoris est secundum ordinem temporis distributionem facere, et sacerdotum, Missas dicere secundum ordinem sibi datum. At potest aliquis etiam ita facere, ut quamlibet Missam dicat ad intentiones omnes seu omnium, pro quibus propter accepta stipendia Missam dicere debet, seu ad intentionem omnium, qui haec stipendia dederunt. Vel potest sic facere: intendo Missam dicere secundum ordinem, quem accepi seu qui praestitutus est a distributore stipendiorum; quodsi certum ordinem non praestituit, intendo quamlibet Missam pro omnibus, qui haec stipendia contulerunt, celebrare. Completo igitur numero Missarum, neminem defraudavit, quum fructus cujuslibet Missae, utpote divisibilis, secundum partem debitam singulis applicatus sit. — Certum si intentio *confusa* mansisset, ut e. g. celebrandi unam ex *decem diversis*, ita ut neutiquam determinatum fuerit, quotam ex decem sacerdos intellexerit: applicatio *nulli* ex illis decem facta, ac proin determinata applicatio repetenda esset.

190 Appendix.

Peccata gravia, quae circa materiam hîc expositam occurrere facilius possint, haec fere sunt:

1. applicare Missam pro excommunicato vitando;
2. Missam publice dicere pro aliquo, qui extra unionem cum externa seu visibili Ecclesia defunctus est;
3. stipendium accipere ad dicendam Missam pro fine peccaminoso, aut utcunque talem finem in celebranda Missa intendere.

Caput II.

De obligatione SS. Missae sacrificium celebrandi.

191 Christus Dominus, quum S. Eucharistiam ut sacramentum et sacrificium instituerat, atque Apostolos suos sacerdotes faceret, dicens: „Hoc facite in meam commemorationem“, ex perpetuo sensu et praxi Ecclesiae non consilium tantum dedisse censetur, sed mandatum et praeceptum imposuisse, ut hoc divinum sacrificium in altari Deo mactaretur, neque unquam in Ecclesia deficeret. V. Trid. sess. 22 cap. 1.

Sacerdotes igitur, quum ordinantur, in publico munere constituti, ut publicae utilitatis curam gerant, obligationem contrahunt pro potestate accepta publicae utilitati inserviendi, ne tantum thesaurum sibi

concreditum quasi in terra defossum abscondant. At strictior saepe obligatio accedit ex alio munere vel officio, quod sacerdos in se assumpsit.

Quare obligatio Missae celebrandae vel etiam ad certam intentionem applicandae adesse potest ratione sacerdotii, ratione officii curam animarum habentis, ratione stipendii accepti, ratione obedientiae impositae.

§ 1.

Obligatio celebrandi ratione sacerdotii.

I. Sententia practice omnino tenenda est, sacerdotem, si possit, aliquoties sub gravi teneri ad celebrandum.

II. Ut peccatum mortale caveatur, sufficit, ut ter quaterve in anno diversis temporibus (praecipue si fiat in solemnioribus festis) Missa celebretur.

III. A culpa vero veniali vix immunem S. Alph. merito censet eum sacerdotem, qui, quum possit se ad quotidie celebrandum disponere, sine justa causa, tantum ob desidiam id omittat, nisi forte aliquoties (una die in hebdomada, ut putat S. Doctor) reverentiae servandae vel augendae causa abstineat.

Explicatio. Ad I. Plerique scriptores ut Suarez, Laym., Vasquez 192
Elbel, Collet cum S. Thoma obligationem aliquoties celebrandi ex jure divino probabilius repetunt, quum ille, qui non celebrat, potestate sacerdotali ad honorem Deo praecipuum exhibendum hominibusque tam necessariam opem ferendam non utatur eamque fine suo prorsus frustret: quam non levem esse inordinationem censent.

Alii vero cum S. Bonav., Lugo gravem obligationem ex jure divino sequi negantes, id tamen affirmant, *ratione scandali* sacerdotem graviter peccare, si per tempus adeo diuturnum sine manifesta causa abstineat, quum „signum malae conscientiae“ vel cujusdam contemptûs edat. (Cf. S. Alph. n. 313.)

Quum nihilominus exercitium sacerdotii semper subjectum sit regimini Ecclesiae, consequens est, ut S. Pontifex sive in poenam, sive ob aliam gravem causam sacerdotem possit pro externo foro ad statum laicalem redigere, interdicta ipsi in perpetuum Missae celebratione.

Ad II. Lex divina tempus non determinavit, neque Ecclesia positivam legem condidit: quare nihil relinquitur, nisi ut ex natura rei id conjiciatur, quandonam dilatio celebrationis *notabiliter* sive divino juri repugnet sive in procreandum scandalum influere censeatur. Quod quum a morali aestimatione dependeat, non melius quam communi doctorum et probatorum virorum judicio definitur. Cum S. Alph. l. c. ita communiter enuntiant, grave esse peccatum, 1) si celebratio differatur *ultra sex menses,* 2) si in decursu totius anni non saltem *ter quaterve* celebretur.

Ad III. 1. Desidia seu pigritia quidem *in sese* est peccatum, etiamsi de re in se non praecepta agitur. At haec, ne peccatum committatur, per se superanda non est exercitio determinatae actionis bonae vel religiosae: ac proin ad superandam desidiam non necessaria est Missae celebratio. Verum in omittenda celebratione *ipsa res,* quae omittitur, videtur venialem deordinationem omnino inducere: nimia enim incuria est, Deum tanto ho-

nore, hominem tantis bonis privare, quae tanta facilitate praestari possunt ab eo, qui a Deo hoc speciale munus accepit. Nam recte S. Bonav. *de praeparatione ad Missam* c. 5 ait: „Sacerdos, qui non celebrat, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloria, Angelos laetitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in purgatorio exsistentes refrigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, seipsum medicina et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates."

193 2. At si quis comparatione facta cum ea animi puritate, quam supra diximus requiri, ut aliquis ad quotidianam Communionem admittatur, putat, se ab ea longe distare ac propterea sibi melius esse, non quotidie celebrare; haec observari juvat praeter ea, quae dicta sunt n. 157:

1) Verum quidem est, sanctissimi sacrificii celebrationem per se non minorem, imo potius majorem animi puritatem et perfectionem requirere, quam SS. Sacramenti sumptionem: quare sacerdos, qui se imperfectiorem reperit iis, quos ad quotidianam Communionem admittere possit, justam causam habet dolendi, sese humiliandi et positivi defectûs sese accusandi, at nondum novi irreverentiae peccati.

2) Sacerdos scil. (v. Lugo *de Euchar.* disp. 17 n. 45) cum pari dispositione potest frequentius celebrare, quam laicus communicare, quia defectus personalis puritatis compensatur publico munere et majore obligatione, quam ex officio habet, offerendi sacrificium; puritas et sanctitas Ecclesiae, cujus minister deputatus est, ejus defectum quodammodo compensat atque ipsum Deo reddit magis acceptum.

3) At sacerdos communiter facilius etiam vincere potest dispositionis defectum, quum ex statu suo et quotidianis laboribus separatus sit a saecularibus curis et spiritualibus rebus intentus.

4) Si vero nihilominus idem periculum irreverentiae et negligentiae ex frequenti celebratione oriatur, optimum est consilium, ut per complurium dierum secessum, seposita etiam celebratione, sacerdos sese colligat et ad majorem reverentiam et devotionem disponat.

§ 2.

Obligatio celebrandi ratione officii curam animarum annexam habentis.

194 I. Post institutum S. Missae sacrificium pro Ecclesia ejusque membris, ii, qui officium pastorale susceperunt, lege naturali-divina etiam *pro populo sacrificare* debent, quia haec est pars officii pastoralis, v. Hebr. 5, 1: „Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*"; Trid. sess. 23 *de ref.* cap. 1: „Quum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre etc.*"

II. At ex jure divino absoluto stricta obligatio soli Episcopo incumbit, ut pro suae ecclesiae populo sacrificium offerre debeat seu applicare.

III. Inferioris ordinis pastores, quorum munus ecclesiasticae institutionis est, et qui ab Ecclesia *ad partem* pastoralis officii assumpti sunt, eatenus tenentur pro populo sacrificium offerre, quatenus Ecclesia iis hanc partem concredidit: quare post officium cum hac cura insti-

tutum jure divino-naturali quidem etiam tenentur, at jure divino *hypothetico*, videlicet quamdiu Ecclesia hanc obligatoriam curam illis relinquat; sed S. Pontifex illis dispensationem concedere *potest*[1].

IV. De facto lege ab Ecclesia statuta, nisi dispensatio aliqua habetur, omnes, qui in Episcopatu vel in parochia canonice erecta sive ex ordinario munere sive tamquam vices gerentes curam animarum exercent, debent diebus Dominicis et de praecepto festivis (etiam suppressis) Missam pro populo applicare (v. praecipue Ben. XIV. Const. *„Cum semper oblatas“* et Pii IX. Const. *„Amantissimi“* 3. Maji 1858).

V. Qui vero in regionibus aliis, ubi districtus canonice erecti non sunt, curam animarum exercent, ut missionarii, vel qui ex caritate, non ex munere sibi ad tempus collato parochiae derelictae assistunt, non tenentur ex justitia pro populo applicare; S. Congr. quum antea dixisset, „missionarios teneri ex caritate“, id postea correxit, scilicet 23. Martii 1863 C. de Prop. F. respondit: „Vitandam esse locutionem ‚teneri ex caritate‘, dicendum autem esse: *‚decere ex caritate‘*, idque ita, ut nulla proprie dictae obligationis significatio appareat.“

VI. Praelati regulares praecepto ecclesiastico qualibet die Dominica et festiva applicandi pro subditis non subjacent; at ex jure divino tenentur utique pro subditis orare et sacrificium offerre: verum et temporis et modi determinatio eorum tandem aestimationi relinquitur, quum neque quoties id facere debeant, neque ipsumne ministerialem fructum prima intentione pro subditis applicare teneantur, extra controversiam sit.

Explicatio. Nota ad II. et III. Episcopale munus juris divini est, 195
atque ex jure divino plenitudinem pastoralis officii habet, ita ut Ecclesia hanc plenam curam pastoralem ab Episcopatu auferre nequeat. Cui vero plena cura pastoralis competit, ille pro parte gregis sibi commissâ sacrificia offerre *absolute* debet. Parochi vero institutionis ecclesiasticae sunt; quare illam pastoralis curae partem exercendam habent, quam Ecclesia cum parochatu conjunxit, et tam diu, quamdiu non sejungit. Revera autem plenam curam contulit exceptis iis, quae externam jurisdictionem vel altiorem ordinem requirunt. Igitur, ut instituti sunt, lege divino-naturali ad offerendum sacrificium tenentur, seu jure divino; sed quia semper dependenter ab ecclesiastica institutione obligationem illam sustinent, recte dicuntur jure divino *hypothetico* teneri. Quo fit, ut facilius aliquam dispensationem a Summo Pontifice accipere possint, quam Episcopi. Cf. Const. Leon. XIII. *„In suprema“* 10. Junii 1882.

Ad IV. 1. Obligatio extenditur ad omnes dies festos, qui secun- 196
dum catalogum Urbani VIII. festivi erant, quibus additur festum Immacul. Concept. B. M. V. et festum Patroni loci.

Quare etsi *solemnitas festi*, ut in Gallia, saepe transfertur in proximam Dominicam diem, sacerdotes tamen ipso die, quo officium festi habetur, applicare debent: si vero festum cum officio in Dominicam

---

[1] Cf. hac de re tract. Card. Tarquini in „Acta S. Sedis“ vol. I. p. 389 sqq.

transfertur, ut in compluribus dioecesibus Germaniae fit quoad festum Assumptionis et Nativitatis B. V., sufficit, die Dominica celebrare et applicare. Cf. Const. Pii IX. *„Amantissimi“*. Ut autem aliqua reductio locum habere possit, non quaelibet consuetudo, sed specialis dispensatio S. Sedis requiritur, quae aliquando, raro tamen, datur (v. ib.). Cf. Müller l. c. § 21, 6.

2. Obligatio vero est a) realis, b) personalis, c) localis, d) pro ipsis diebus; seu obligatio est, ut a) Missa celebretur, idque b) ab ipso parocho, c) in ecclesia parochiali, d) ipso die assignato; et si b), c), d) observari non potuerit vel observatum non sit, nihilominus onus ad applicandam Missam maneat.

Quare: a) si ipso die *Missa celebrata non est,* suppleri debet alio die. V. S. Alph. n. 326 et S. Congr. de Prop. F. 11. Martii 1843. Concessit id unum Ben. XIV., ut Episcopus parocho valde pauperi permittere possit, ut, si die Dominica majus stipendium pro Missa tunc dicenda offeratur, id faciat, suppleturus aliqua die intra hebdomadam pro parochia.

b) *Parochus ipse* Missam pro populo dicere debet, sed non obligatur ad Sacrum solemne; quod alteri celebrandum committere potest. S. C. C. 25. Sept. 1847 et alias saepius ut 26. Jan. 1771, 18. Julii 1789; cf. Müller l. c., Gassner op. cit. pag. 514 sqq.

c) Missa per se dici debet *in ecclesia parochiali,* ut populus interesse possit: at si propter speciale festum in aliquo sacello vel ecclesia filiali intra limites parochiae concursus populi fiat, licite ibi celebratur. V. ibid.

d) Si parochus impeditus est, quominus *die obligato* celebret, curare debet, ut per alterum in parochia Missa pro populo applicetur, etiam collato stipendio: quodsi tantum impeditur legitime, quominus *in parochia* celebret, potest *pro suo arbitrio* aut ipse in alio loco pro parochia sua applicare, aut alteri sacerdoti committere, ut in proprio loco pro parochia celebret, modo semper populus habeat in parochia opportunitatem audiendi Missam. Ita S. Congr. 14. Dec. 1872, v. Acta S. Sedis vol. VII. pag. 191.

3. Obligatio realis semper *gravis* est; obligationem aliarum circumstantiarum *raro* omnino transgredi, non videtur grave peccatum; aliud dicendum, si saepius fit.

Ad V. Vicarii Apostolici, Apostolici Delegati, si mittuntur in eas regiones, ubi sedes episcopales vel parochiae canonice erectae non sunt, ad Missae applicationem *non tenentur;* si vero in sedis vacantis vel suspensae administrationem mittuntur, obligationem applicandae Missae habent, quia jam vices gerunt ejus, qui pro illa parte gregis Dominici Missam applicare deberet, si adesset vel impeditus non esset. Imo si parocho duarum parochiarum administratio committitur, debet aut per se aut per alterum curare, ut pro singulis parochiis singulae Missae applicentur. S. C. C. 11. Mart. 1774, v. Müller l. c. § 21. 3 et Gassner l. c. — Non tenentur Episcopi tantum titulares (cf. Constit. Leonis XIII. *„In suprema“*);

quamquam decet, interdum celebrari pro illa titulari ecclesia. — Immunes igitur etiam sunt per se ab hac obligatione applicandi capellani seu cooperatores, capellani monialium, capellani nosocomiorum aliorumve hujusmodi locorum (v. S. C. C. 3. Junii 1860). Relate ad capellanos militares leges particulares et modus institutionis eorum attendi debent: v. Gassner p. 515.

Ad VI. Ut melius intelligatur dubium, num praelati regulares ad Missae applicationem teneantur, recolendum est, quod ad n. II. et III. notavi. Plenitudinem pastoralis officii ex jure divino non habent in suos subditos, ut Episcopi in suos populos. Quare videndum est, qualem curam Ecclesia illis commiserit. Sub lege qualibet die Dominica et festiva celebrandi eos non comprehendit, legislatore de iis tacente: at non videtur minorem partem pastoralis curae Ecclesia iis commisisse, quam parochis, imo ampliorem potius, quia externam jurisdictionem ut Episcopi exercent; quare concludendum videtur, eos omnino jure divino hypothetico obligari, ut *aliquoties* pro suis Missam dicant, neque satis consultum videtur, ad solam commemorationem seu secundam intentionem officium illud restringere. (Cf. hac de re Gassner pag. 513, Mühlbauer *thesaurum resolut.* t. I. p. 1017.)

§ 3.

Obligatio celebrandi ratione contractûs initi seu stipendii accepti.

Quum qui altari serviant, ab altari vivere debeant secundum 197
Apostolum, fideles pro sacro ministerio, quod sacerdotes agebant, illorum sustentationem in se susceperunt. Atque quum frequentius adirentur sacerdotes, ut pro privata et peculiari causa Sacris operarentur, nihil aequius videbatur, quam ut ii, in quorum peculiarem utilitatem spiritualem operam suam impenderent, speciali modo ad illorum sustentationem conferrent. Quare a diuturno jam tempore pro Missa dicenda stipendium titulo sustentationis offerebatur[1]. Quam praxim Ecclesia comprobavit.

Abusus vero, quum aliquando irreperent, Ecclesia sedulo eliminandos curavit. Summa capita, quae circa Missarum stipendia atque obligationes inde oriunda notanda sunt, hisce comprehenduntur:

I. Licitum est accipere stipendium consuetum aut sponte oblatum pro Missa, quae ex nullo alio titulo est debita, non tamen ut pretium, sed ex titulo sustentationis: quod a plurimis Concil. partic. recentioribus pro axiomate statutum vides Coll. Lac. III. col. 497, 835; IV. 826; V. 851.

[1] Scil. primitus fideles, quum ad Sacra peragenda conveniebant, ad clericorum et ecclesiae sustentationem panem, vinum, fructus etc. conferebant, vel etiam pecunias in gazophylacium conjectas pro ecclesiae, cleri, pauperum communi usu tradebant. At quum labente tempore communis vita clericorum cessasset, singulorum sacerdotum sustentationi aut ex communibus ecclesiae bonis certa parte detracta aut ex donis fidelium in singulos collatis subveniendum erat. Quare a saec. 8. vel 12. ille mos invectus est, ut, quando sacerdotem rogarent, ut sibi speciatim Missa applicaretur, fideles speciatim stipem ei conferrent (v. fusius hac de re Ben. XIV. *de syn.* l. 5 cap. 8, Binterim *Denkwürdigkeiten* Bd. 4 Th. 3 a pag. 376, Geyer *de Missar. stipendiis* Mogunt. 1864).

II. Stipendio accepto seu stipendii contractu inito, sacerdos ex justitia tenetur Missam promissam applicare idque cum iis circumstantiis, quae a dante stipendium impositae sunt. Cf. Coll. Lac. III. col. 208. 498; V. 161 etc.; Reuter p. IV. n. 233, 2.

III. Sedulo servandae sunt leges ecclesiasticae in hac re latae sive abusum prohibentes, sive periculum abusûs praecaventes: praecipue vero 1) ut *tot* Missae dicantur, quot stipendia fuerint accepta; 2) ne ullum mercimonium Missae stipendiis instituatur neve ulla pars stipendii detrahatur, si cui alteri sacerdoti Missae celebratio committatur, modo pro sola Missa celebranda stipendium a donatore collatum sit.

198 **Uberior explicatio.** Ad I. 1. Justum stipendium censetur illud, quod ab Episcopo taxatum est, aut, hac determinatione deficiente, a consuetudine. Quare tantum stipendium *exigi potest.* Majus vero stipendium sive expresse sive implicite *exigi nequit,* accipi tamen potest *liberaliter oblatum.* S. Alph. 319 et 320.

2. Ita etiam per se stipendium minus sumi potest, condonando offerenti taxam ejusve partem: attamen nisi sacerdos id expresse pro eleemosyna se dare exprimat, idque pro conditione offerentis verum esse possit, Episcopus ex justa causa prohibere potest, quominus stipendium taxa *minus* sumatur, ne videlicet alii sacerdotes aut justa sustentatione, aut meliore fama priventur. S. Alph. ibidem. Cf. Concil. Baltim. II., Cassil., Pragense in Coll. Lac. III. 498. 835; V. 465.

3. Plus exigi potest, si Missa dicenda ratione loci, temporis etc. cum majore incommodo non consueto conjuncta est; nequit *exigi* pro Missa in altari privilegiato, in loco miraculoso etc. dicenda, quum ille excessus revera pro circumstantia *spiritualis favoris,* ac proin simoniace postuletur.

4. Ceterum sacerdos etiam dives a percipiendo stipendio non prohibetur. Sicut enim patrimonio parcere et beneficii fructus in sustentationem suam impendere potest; ita etiam, quando ultra id quod ratione officii — cui beneficium annexum est — amplius *laborat,* ex hoc labore titulum sustentationis habet: simili igitur modo ex Missa libere oblata honorarium accipere potest. S. Alph. n. 317, Gobat tr. 3 n. 569.

5. Peccatum simoniae utique est, mente simoniaca stipendium pro *pretio* Missae aut pro pretio laboris Missae intrinseci accipere.

At *intuitu* stipendii celebrare sacerdotem alias non celebraturum, laudabile quidem multum non est, a simoniae tamen peccato est alienum: qui enim ita agit, stipendio utitur pro motivo impellente, quo socordiam expellat, sed permutationem Missae cum pecunia non facit. S. Alph. ib.

199 Ad II. 1. Quamquam collatio et acceptio stipendii nullatenus permutationis contractum continet, tamen justitiae titulus ad celebrandam Missam intercedit, sive illum contractum innominatum „do ut facias“ nominare vis, sive *onerosam* promissionem celebrandi Missam, quae propter onus ab altero praestitum *justitiae speciem* induit. Quare etiam hujus contractûs violatio num gravis (i. e. mortale peccatum involvens) sit, non dijudicatur ex quantitate stipendii dati, sed ex valore rei per onerosum contractum promissae: quae quum sit summi momenti, inde fit, ut omissio Missae *ex stipendio debitae* grave peccatum sit, omissio Missae ex mera liberalitate et fidelitate promissae veniale peccatum.

2. At non solum plena omissio gravis habenda est, sed etiam *diuturna dilatio.* Quaenam vero sit dilatio diuturna, gravem reatum inducens, ex *sese* non ita facile determinatur. Exstant decreta cum declaratione S. C. C. (v. decr. 21. Jun. 1625 confirm. ab Urb. VIII. et Const. Innoc. XII. „*Nuper*“, declar. S. C. C. 17. Julii 1655 apud Ben. XIV. *notific.* 56 n. 14. — Cf. Lacr. l. 6 p. 2 n. 63 sqq. et S. Alph. l. 6 n. 317 Q. II.), quae vetabant nova onera Missarum assumi, nisi omnibus oneribus *infra mensem* satisfieri posset. At videtur hujus legis *specialis ratio* fuisse.

Alias ex multorum scriptorum sententia diuturna dilatio non censetur, quae duos menses non excedat: nisi forte de defunctis, maxime recenter defunctis agatur, circa quos multi iique alioqui sat benigni auctores dilationem breviorem, v. g. unius mensis, gravem habent: v. Gobat tr. 3 n. 597, Reuter l. c., S. Alph. l. c. Quamquam pleraque Concilia recentiora, si hac de re loquuntur, solum dicunt „infra modicum tempus“, Viennense dicit „infra bimestre“: Coll. Lac. tom. V. col. 166. Et quum similis causa coram S. C. C. ageretur, ille, qui ex officio animadversiones fecit, haec dixit: „Quod quidem breve tempus in Missis manualibus cum S. Alph. morales theologi ad duos menses coarctare, si agatur de singulis sacerdotibus, quibus celebratio committatur; si de ecclesiis vel sanctuariis, quae aliis Missarum oneribus gravantur, unum mensem non egredi ad statutum per S. C. C. die 17. Julii 1755.“

Quando vero circa quaslibet Missas dilatio sine consensu eorum, qui stipendium dant, *notabiliter* ultra duos menses excedat, communiter censent grave peccatum adesse.

NB. Attamen S. Sedes majorem dilationem concedere potest, quum 200
Summus Pontifex, si ex gravi causa id facit, detrimentum, quod hac dilatione vivis vel defunctis Missarum fructus exspectantibus oriri possit, ex thesauro Ecclesiae supplere valeat. Ex eadem ratione, orta necessitate, Missarum obligationem reducere vel exstinguere potest [1]. Re ipsa a tempore Pii IX. missionariis aliisque, qui omnibus Missarum oneribus tam cito satisfacere posse sibi non videbantur, speciale privilegium jam saepius concessum est „pro gratia dilationis spectatis peculiaribus circumstantiis, non tamen ultra sex menses“ (cf. Acta S. Sedis vol. 8 p. 660).

3. Qui pro sublevanda necessitate *urgente* stipendium accepit, sine dubio peccare potest etiam unius alteriusve diei dilatione: imo ad restitutionem

[1] Videlicet satisfactiones Christi et Sanctorum potest S. Pontifex ex justa causa, ut fit in indulgentiis, sive pro vivis sive pro defunctis applicare, atque etiam supplicationes, quae nomine Ecclesiae ad Deum fiunt, ad certos fines certasque sublevandas necessitates per modum impetrationis dirigere. — Bened. XIV. *de syn. dioec.* l. 13 cap. 25 n. 15 aperte de hac re dicit: „ex spirituali thesauro Ecclesiae supplendo“. — Eodem modo Leo XIII., quum per S. C. C. d. 16. Julii 1883 concederet Epo Engolismensi, ut quoad applicationem Missae pro populo dispensationem impertiri posset, praeteritas quasdam omissiones condonavit, *supplendo in reliquis de thesauro Ecclesiae:* Nouv. Revue théolog. t. 18 p. 240.

tenetur, si brevi illa dilatione finis a stipendii datore intentus attingi amplius non potest.

4. Quamquam principalis obligatio qualibet Missa exstinguitur, tamen obligatio reliqua accidentalis aliquando sat magni momenti esse potest:

a) Circumstantia altaris privilegiati, si omissa est aut culpa celebrantis (eo quod, quando per Rubricas licuit, Missam de Requiem non dixit) inefficax facta est, obligat saltem ad quaerendam aequivalentem compensationem per indulgentiam plenariam alio titulo animae defuncti applicandam, quod e. g. fieri potest visitando stationes viae crucis.

201 b) Circumstantia qualitatis Missae ex se levem obligationem tantum afferre videtur, nisi forte eum, qui stipendium dedit, propter peculiarem causam graviter offensum iri praevideatur. Ceterum nisi contrarium expresse petitur vel aliunde absolute a stipendii datore intendi cognoscitur, Missa de Sancto dici potest loco Missae de Requiem pro defuncto (nisi ratio privilegii altaris lucrandi obstat), et e contrario Missa de Requiem, si Missa applicanda est pro vivis. Ita quoad primum expresse S. Congreg. Rit. 12. Sept. 1840 Brugen. ad 7; quoad secundum De Herdt ed. 5. t. I. p. I. n. 67 nititur decreto S. R. C. 29. Nov. 1856; verum hoc in Coll. Decretorum omissum est.

Multo severius S. Sedes semper urgebat, ut, si Missa peteretur „in honorem alicujus Sancti", ex obligatione dicenda esset Missa votiva, neque satisfieret per Missam diei currentis, modo supponi posset, intentionem petentis ad Missam votivam dirigi, et modo exstaret dies legitimus.

Sc. S. Sedes circa Missas *in honorem alicujus Sancti* fundatas (cf. De Herdt tom. I. p. I. n. 66 IV) constanter voluit, ut, si dies impeditus esset, Missa transferretur potius in alium diem, quam ut Missa de die currente celebraretur cum intentione alterum Sanctum honorandi; atque etiam circa Missas manuales noluit, obligationi Missae votivae satisfieri in festo ritûs semiduplicis celebrando Missam de festo occurrente. — At recentius 15. Apr. 1876 literae privatae S. R. C. mentem aperientes et communicatae in folio periodico pro unione sacerdotum Oenipontana, si, qui dedit stipendium, solum in genere petierit Missam sive in honorem alicujus Sancti sive pro defunctis non intendens ipsam votivam Missam aut Missam de Requiem, in *utroque* casu satisfieri per Missam diei currentis, etiam in ritu sd., dicunt.

Quare videtur ratio habenda esse diversarum regionum, in qua Missa in honorem certi Sancti petitur. Si fideles norint communiter, quid sit Missa votiva, atque eam communiter intendant, si in honorem certi Sancti Missam postulant: aut Missa votiva dicenda est, aut qui dat stipendium, monendus est de impedimento, si quod forte exsistit; si vero fideles Missarum discrimen non norunt, sed sacerdotis arbitrio sese committunt, dici potest Missa diei eaque in honorem Sancti solummodo *applicari*.

202 Ad III. Occurrunt hîc plura decreta S. Pontificum.

A. 1. Theses ab Alex. VII. damn. 10: „Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, juramento promissione etiam firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram."

2. Damnata est thesis 8: „Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructûs ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII."

3. Constitutio Innoc. XII. *„Nuper“* inter alia etiam decretum S. C. C. confirmat, quo „sub obtestatione divini judicii mandat, ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, quantumcunque exigua stipendia . . . collata fuerint“ [1].

4. Facultas reducendi numerum Missarum a Trid. Conc. Episcopis collata fuit transitoria, atque omnino exspiravit, ita ut *speciali* facultate a S. Sede impetranda indigeant, qua, exsistente necessitate, id valide efficere possint. V. Const. Innoc. XII. supra cit. et Ben. XIV. *de synod. dioec.* l. 13 c. ult. n. 19: „Episcopo nullam hodie relictam esse facultatem reducendi Missas, excepta tantum ea facti specie, qua testator ipse hanc facultatem tribuisse dignoscatur“; imo proposita quaestione: „An Episcopus possit *onera Missarum nondum acceptata* reducere absque beneplacito Sedis Apostolicae sive hujus S. Congr., quoties (ob tenuitatem legati) reductionem necessariam esse judicaverit ex eo, quod locus pius legatum acceptare recuset, non diminuto onere“, responsum est 20. Junii 1682: „Negative“; vide *de synod. dioec.* l. 5 c. 10 n. 2. Nihilominus Savini t. III. n. 307 in ea opinione est, Episcopum propria auctoritate posse Missarum numerum reducere, si legatum acceptatum nondum sit, et *ita tenue*, ut ne consuetum quidem stipendium manuale pro singulis Missis assignatum sit: in quo casu Episcopum putat posse ad consueti stipendii manualis normam Missas reducere.

B. 1. In iisdem decr. Urb. VIII. et Innoc. XII. (in bulla Innocentii 203
§ V.): Omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens prohibet sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat. — Cf. etiam thes. ab Alex. VII. damn. 9.

---

[1] Ratione stipendiorum manualium, et ratione omnium Missarum, quarum *numerus* assignatus est, haec omnino valent. At si quis ratione fundationis vel beneficii ecclesiastici onus habet annexum „quotidie celebrandi (et applicandi) Missam“: res non cum tanto rigore sumitur. Ex ipsa scil. fundatione videndum est, utrum quotidiana Missa *ut onus reale*, non ut personale, an personale tantum impositum sit. Si onus imponitur ut reale, vel si expresse sive aequivalenter substitutio alterius sacerdotis postulatur pro beneficiato (vel legatario) forte impedito: onus Missarum omnino exacte implendum est. Si vero haec non exprimuntur, et celebrandi onus (quod obligationem pro fundatore applicandi communiter et ex sese secum trahit) sine alia clausula potius ut personale tantum onus impositum est, communi sententiâ (v. S. Alph. l. c. n. 332) haec admittuntur:

a) Sacerdotem non peccare, si reverentiae causa semel in hebdomada Sacrum intermittat, aut si alias *aliquando* ex legitima causa omittat.

b) Neque substitui debere alterum, si accidat infirmitas non diuturna. Non diuturna censetur ex S. Congr. C. in *„Romana“* 25. Sept. 1695 „quae non excedit *quindecim dies*“. — Alii, teste S. Alph. n. 333, id ad *mensem* extendunt et ultra: quod S. Alph. admisit. — Si vero diuturnior sit infirmitas, substitutio procuranda est, etiam collato stipendio.

c) Diebus vero, quibus secundum modo dicta (sub lit. a) sacerdos licite vacare potest a Missa, nullatenus licet *pro stipendio accepto* Missam celebrare; nam sola ratio, cur applicationem Missae possit omittere, est, quod ipse a Missa dicenda vacat. V. S. Alph. l. c. et expressam declarationem S. Congr. C. 18. Sept. 1683. (Acta S. Sed. vol. VII. pag. 179.)

d) Posse vero raro in anno (4—6) diebus, quibus alias licite vacet, sacerdotem pro se vel amicis gratis celebrare, S. Alph. l. c. admittit; at S. Congr. C. modo cit. etiam ad id respondit „Negative“.

2. Imo Ben. XIV. in Const. „*Quanta cura*“ 30. Junii 1741 declarat: „A quolibet sacerdote stipendio majoris pretii pro celebratione Missae accepto, non posse alteri stipendium minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti celebranti et consentienti se majoris pretii eleemosynam accepisse indicasset.“

3. Neque hujus stipendii diminutio ex eo licita evadit, quod pars illa detracta in aliam causam piam impendatur, nisi forte, qui dedit stipendium, in id consentiat. Ita 9. Sept. 1874 (vide infra ex Actis S. Sedis vol. VIII. p. 108).

4. Id ne ad hunc quidem finem licet, ut sacerdotes extranei ad ecclesiam, in qua eleemosynae pro Missis collectae sunt, confluentes aliquid solvant pro necessariis expensis, nisi ecclesia utpote pauper nihil habeat, quo illas expensas sustineat. Vide Innoc. XII. § 22: „Permittendum non esse, ut ecclesiae ac loca pia, seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum, ullam utcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt pro Missarum celebratione, nisi quum ecclesia et loca pia alios non habent reditus, quos in usum earundem expensarum licite erogare possint, et tunc portionem, quam retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae sacrificio necessario sunt subeundae, et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, *absolute tot Missae celebrentur,* quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.“

204 C. Ergo concluditur e contrario, licite partem accepti stipendii detrahi, modo ne minuatur numerus Missarum:

1. si cum consensu donatorum aliquid detrahitur pro altera causa pia (modo pro circumstantiis res cum Episcopo tractetur);

2. si alter sacerdos, cui Missa dicenda committitur, *non rogatus* libere omnino partem aliquam cedit, siquidem id pro puro dono tum habetur;

3. si excessus super stipendium consuetum datus est, habita peculiari ratione personae, amicitiae, necessitatis: quod si factum est, ille excessus jam non habet rationem stipendii, sed rationem doni seu eleemosynae superadditae. S. C. C. 25. Jul. 1874 integrum stipendium reddendum esse dixit, *„nisi morali certitudine constet, excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu parochi“;*

4. si agitur non de stipendiis manualibus et obligatione Missarum *inde* exorta, sed de oneribus Missarum, quae *alio modo alicui fundationi,* ut capellaniae etc. inhaerent, aut quae honoraria pars sunt annuorum redituum parochi, loci pii etc.; aut si agitur de Missa, cujus celebratio ad jura parochialia pertinet et quacum certa „jura stolae“ connexa sunt. Cf. Scavini (ed. 10) tom. I. n. 692, ubi dicit: „Si enim potest, parochus (die Dominica occurrente funere) Missam pro populo applicet, et alii sacerdoti Missam pro defuncto decantandam committat, cui quidem tribuat eleemosynam, quae solet pro manualibus, et aliquid amplius pro incommodo. Non enim stricto jure totum quod accepit, tenetur dare parochus“; et tom. III. n. 179: „Testator reliquit certae ecclesiae 500 scutata, ut ex reditibus Missae celebrarentur, taxato stipendio cujuslibet Missae 3 juliorum. Quaeritur, utrum illa ecclesia celebranti dare possit *consuetum stipendium unius*

julii, et reliquum sibi retinere. S. Congr. Conc. 3. Aug. 1658 respondit: „Affirmative, et reliquum cedere ad commodum ecclesiae.“ Quibus concordat recens resp. S. C. C. 11. Maji 1888 in *Trevir.*: cf. Archiv für k. K.-R. vol. 62 pag. 172 sqq.

NB. Attamen si testator certam summam sive semel sive quotannis distribuendam reliquit in stipendia Missarum, adeoque fundatio exsistit solum ad celebrandum quotannis certum numerum Missarum, taxato quidem stipendio, sed non assignato sacerdote vel ecclesiâ, cui favere testator voluerit: nulla stipendii pars retineri potest, ut videre licet in Actis S. Sedis vol. IV. pag. 39—41: „*Manualia* autem censeri ea Missarum stipendia, quae ipsimet legatarii teneantur tradere ad Missas celebrandas.“ Sic etiam responsum est Archiepiscopo Coloniensi 25. Julii 1873.

5. Si quis in procurandis seu colligendis Missarum stipendiis pro aliis quasi ex munere destinatus est, adeoque non accepit stipendia, ut a se Missae celebrarentur, potest moderatam mercedem sui laboris exigere, „si ad hoc munus destinatus sit, et labor vere mercedem mereatur“: S. Alph. n. 322 dub. 3.

Quum omnis negotiatio clericis, saltem majorum ordinum, interdicta 205
est, tum maxime quaelibet mercatura circa Missarum stipendia cuilibet est prohibita. Hac de re Ben. XIV. in Constit. „*Apostolicae*“ et in altera Const. „*Quanta cura*“ loquitur; Pius IX. in Constitutione „*Apostolicae Sedis*“ excommunicationem Romano Pontifici reservatam (§ 12) tulit in „colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis et ex iis lucrum captantes faciendo eas celebrari etc.“: de quo cf. infra n. 960.

At non solum ejusmodi turpe lucrum, sed alia etiam, quae alicujus turpis quaestus periculum inducere possint, S. Sedes interdixit.

Operae pretium est, hîc notare S. Congr. resolutiones 13. Aug. 1874 a Pio IX. confirmatas et Episcopis transmissas:

„Sanctitas sua resolutiones S. C. C. Apostolica sua auctoritate approbavit et confirmavit, easque ad Episcopos transmitti jussit, ut ipsi eas . . . exsequendas perpetuoque et inviolabiliter servandas curarent: contrariis non obstantibus quibuscunque.“

I. „An turpe mercimonium sapiat . . . eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocunque modo Missarum stipendia colligunt et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros et alias merces rependunt?“

Ad I. „Affirmative.“

II. „An haec agendi ratio cohonestari valeat ideo, vel quia nulla facta imminutione, tot Missae a collectoribus celebrandae committuntur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosyna Missarum carentibus subvenitur.“

R. „Negative.“

III. „An hujusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandae sint . . . quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione percipitur . . ., in piarum institutionum et bonorum operum usum et incrementum impenditur?“

R. „Affirmative.“

IV. „An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coërcendi sint ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem praemii nomine?“

R. „Affirmative.“

V. „An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coërcendi, ut supra, sint ii, qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro Missis celebrandis libros, aliasve merces, harum pretio sive imminuto, sive integro?“

R. „Affirmative.“

Nihilominus VI. „An illicite agant ii, qui pro Missis celebratis recipiunt stipendii loco libros vel alias merces [1], *seclusa quavis negotiationis vel turpis lucri specie.*“

R. „Negative.“

VII. An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis Missarum, quas fideles celebrioribus sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea propriis reditibus careant?“

R. „Negative, nisi de consensu oblatorum.“

VIII. „An et quid agendum ab Episcopis, ne in iisdem sanctuariis plures Missarum elcemosynae congerantur, quam quae ibi intra praescriptum, seu breve tempus absolvi queant?“

et IX. „An et quid agendum ab Episcopis, ut Missae, sive quae singulis sacerdotibus, sive quae ecclesiis et locis piis a fidelibus celebrandae committuntur, accurate et fideliter persolvantur?

R. ad VIII. et IX. „Standum constitutionibus Apostolicis et decretis alias datis.“

Cf. Acta S. Sedis vol. 8 pag. 107—109.

Dein novis excitatis dubiis eadem S. C. C. 24. April. 1875 haec respondit (omissis iis, quae specialia continent indulta et sanationes):

VI. „An et quomodo sustineatur decretum Episcopi C . . . (qui circa leges severius a se statutas interrogaverat): 1. ‚An illicite agant ii, quum non sint bibliopolae nec mercatores, vel aliter Missarum celebrandarum quaesitores, verum ecclesiastici viri, quibus sponte a fidelibus Missarum celebrandarum eleemosynae traduntur, quique ad bonos libros vel diaria religiosa evulganda eas celebrandas offerunt sacerdotibus, ut inde hi accipiant stipendii loco libros vel ephemerides?“

2. „An illicite agant hujusmodi sacerdotes, qui vel iis oblatas a supradictis ecclesiasticis Missas acceptant, vel ipsi eas petunt celebrandas, ut inde queant pro Missis jam celebratis (intellige: *post Missas celebratas*) earum stipendii loco libros vel diaria acceptare vel petere, quum ipsi aliunde sciant aut sibi persuadeant aliter se non obtenturos easdem Missas pro effectiva eleemosyna celebrandas.“

R. „Reformato dubio ‚An et quomodo *respondendum* sit Episcopo C. in casu‘, Negative in omnibus ad utrumque.“

VII. „An et quomodo improbandi sint moderatores vel administratores diariorum religiosorum, qui sacerdotibus Missas celebrandas committunt, retento ex earum eleemosynis pretio diariis ipsis respondente in casu.“

---

[1] Quod igitur prohibetur, est 1) illa studiosa multarum eleemosynarum collectio, quae fit negotiandi causa, sive Missarum stipendia objectum negotiationis sunt, sive negotiationis instrumentum. Quando ergo negotiatio proprie dicta plane abest, loco pecuniae alias merces pro stipendio Missae dare illicitum nullo modo est.

Prohibitum 2) est, ne copiosa stipendiorum collectione et transmissione voluntas donatorum vel fundatorum circa tempus, locum, circumstantias Missarum celebrandarum fallatur. Quare si ejusmodi collectio causa est — ut plerumque est — cur diutius differantur Missae vel non celebrentur in loco, ubi eas celebratum iri donatores per se exspectant, eorum consensus accedere debet: quodsi ex fundatione Missae dicendae sunt, constare debet, mentem seu assensum fundatorum non repugnare transmissioni et dilationi Missarum.

Ceterum etiam S. Poenitentiaria 6. Oct. 1862 jam responderat moderatori cujusdam religiosi diarii quaerenti „utrum tuta conscientia suum diarium dare possit sacerdotibus ea conditione, ut celebrent numerum Missarum respondentem pretio, quod ab aliis pro diario solvitur?“

R.: „Praefato dubio mature perpenso, respondit: Affirmative, dummodo Missae celebrentur.“

R. „Negative, dummodo nihil detrahatur fundatorum vel oblatorum voluntati circa stipendii quantitatem, locum ac tempus celebrationis Missarum, exclusa quacunque collectione Missarum et docto cui de jure de secuta Missarum celebratione, *facto verbo cum Sanctissimo.*" (Antea dicebatur „*studiosa* collectione", sed haec vox deest in authentico decreto: cf. Acta S. Sedis vol. 26, p. 537.)

§ 4.

Obligatio celebrandi ex obedientia imposita.

Obligationem S. Missae sacrificii celebrandi atque pro certo fine 206
illud applicandi, de qua hucusque actum est, non vidimus, nisi aut in jure divino fundatam, aut ex libera promissione vel contractu libere inito exortam. Ecclesia quidem, ut vidimus, pastoribus legem celebrandi et applicandi imposuit, sed ipsam rem juris divini esse cognovimus, modum et mensuram ab Ecclesia definitam.

At potestne Superior etiam in aliis rerum conditionibus idem lege vel praecepto imponere?

Celebrationem Missae praescribi *posse* ex justa causa, nemo est, qui dubitet; *applicationem* ad certum finem imperari posse, aliqui negarunt ex eo, quod haec res sit mere interna, actus vero mere internus ab auctoritate humana, etiam ecclesiastica, praecipi non possit. Verum quid sit de illa generali doctrina sentiendum, quae potestatem jubendi actus internos universim negat, vol. I. n. 128—132 visum est. Insuper prorsus negari debet, hîc agi de actu mere interno, sed agitur de actu interno, qui complementum est alterius actionis mixtae, puta Missae celebrationis, quae *applicatione* tandem completur. V. Suarez *de leg.* l. 3 cap. 29 n. 10.

Quamquam in *usu* hujus potestatis ratio habenda est justitiae, ne sacerdoti, qui aliter stipendium recipere posset, damnum gravius oriatur. Quo fit, ut raro ab Episcopis utendum videatur tali praecepto, quum ipse S. Pontifex, etsi possit, re ipsa non consueverit talem applicationem injungere; cujus rei exemplum habemus in lege, quae occasione Concilii Vaticani lata erat celebrandi quidem in ecclesiis cathedralibus et collegiatis quaque fer. V. Missam de Spiritu Sancto, libera tamen manente Missae applicatione.

At si a Superiore ecclesiastico generatim sumpto oculos conver- 207
timus ad Superiores regularium, et quaerimus, *quo titulo* illi suis subditis Missas celebrandas et ad certam intentionem *applicandas* injungere possint, haec statuenda sunt: nam eos id *aliquo modo* posse, extra dubitationem est. Potest igitur Superior regularis injungere

1. titulo justitiae erga eos, qui stipendia dederunt: stipendia enim a religione seu a domo religiosa per Superiorem accepta religiosam domum ligant ex justitia, ut Missae dicendae curentur: quae obligatio ex determinatione Superioris ad singula communitatis membra transit, quum id oneris seu potius illius oneris possibilitatem in professione assumpserint.

2. Possibile est, ut Superior hanc injungendi facultatem habeat titulo voti specialis, quo subditus voverit aut votum obedientiae ita

fecerit, ut etiam actus internos comprehenderet. Obligationem illam sic oriri posse omnes admittere debent et admittunt, etiam ii, qui contendant Missae applicationem esse actum mere internum. Ex sese autem votum cujuscunque religiosae obedientiae ad actus internos extendi, a pluribus quidem, qui id de obedientia jurisdictionis potestati debita negant, conceditur, ab aliquibus similiter negatur. Igitur

3. utrum sine tali speciali voto vel speciali sensu obedientiae solo titulo communis obedientiae religiosae, et

4. titulo jurisdictionis Superiores id jubere possint, necne, pendet ab iis, quae supra dixi, scil. ab eo a) utrum Missae applicatio sit res mere interna annon; b) utrum potestas ecclesiasticae jurisdictionis aut potestas dominativa religiosa sese ad actus mere internos extendat an ad externos tantum.

Utramque vero quaestionem in favorem potestatis religiosi Superioris solvendam esse existimo, priorem sc. negando, alterum potius affirmando. Imo etiam ex iis — ut dixi — qui jurisdictioni ecclesiasticae facultatem *interna jubendi* denegant, sunt tamen, qui potestati religiosae dominativae id concedant. Cf. Laym. et Suarez *de leg.* l. c., et quae diximus vol. I. n. 131.

De facto autem id fieri, etiam non solo titulo justitiae ex acceptis stipendiis, patet ex diversorum ordinum constitutionibus, in quibus quandoque Missae ad certas intentiones imponuntur. Et quamquam Constitutiones illae non semper sub peccato, sed solum ut *regula* obligant: tamen nihil sub obligatione regulae praescribitur, quod stricte sub peccato praescribi non possit.

Appendix.

208 Praecipue igitur grave peccatum committit:

1. sacerdos, qui negligit aliquoties saltem in anno Missam celebrare;
2. qui, pastorali munere suscepto, diebus Dominicis et festivis pro populo Missam non applicat; aut qui saepius sine causa necessaria vel alteri id committit vel extra parochialem ecclesiam id facit;
3. qui onus dicendae Missae vel applicandae ex fundatione sibi impositum non implet;
4. qui, accepto stipendio Missae, ad dantis intentionem non celebrat, aut id diu differt;
5. qui pro una Missa celebranda plura sumit stipendia;
6. qui Missam alteri committit, retenta stipendii parte (saltem si res gravis evasit in materia justitiae: alioqui jam antea, si agit mente simoniaca);
7. qui stipendium ultra taxam *exigit*, idque generatim loquendo, etsi excessus non est gravis in materia justitiae;
8. qui Missarum stipendiis mercimonium instituit.

Caput III.

De praeceptis liturgicis in celebranda Missa servandis.

In omnibus quidem sacris actionibus sacerdotalibus Ecclesia ad 209
servandam et augendam devotionem et reverentiam summa cura adlaboravit, ut sacrae actiones certo quodam rituum et precum splendore circumdarentur: maxime vero id in sacrosancto Missae sacrificio Apostolicae traditionis sequens vestigia providit.

Si quae vero humanâ incuriâ vel fragilitate irrepserant, quae decori et reverentiae minus congruere viderentur, id pastorum vigilantiam iterum atque iterum excitabat, ut emendatione adhibita pristinus decor restitueretur. Quod suo tempore Concil. Trid. sess. 22 *„de observandis et evitandis in celebratione Missae“* fecit, atque posteriore tempore speciali curae et vigilantiae S. C. Rit. commissum est.

Praecipua autem praecepta, quae tum in Rubricis tum in aliis SS. Pontificum et S. R. Congregationis decretis continentur, referuntur 1) ad externas circumstantias temporis et loci, 2) ad sacra utensilia pro Missae celebratione necessaria, 3) ad ipsas preces et ritus sacros in celebratione observandos.

Articulus I.

De tempore et loco celebrationis.

Circa tempus et locum celebrationis summatim haec statuuntur:

I. Licet quotidie semel sacerdoti celebrare, et communiter semel tantum. Excipitur festum Nativitatis Domini, quo in occidentali Ecclesia sacerdotibus singulis tres Missas dicere licet; et ex altera parte triduum sacrum majoris hebdomadae, in qua Fer. V. in Coena Domini et Sabbato Sancto solam Missam conventualem celebrari licet, Fer. VI. in Parasceve sola Missa praesanctificatorum permittitur, privatis Missis exclusis.

II. Ex necessitate datur aliquando facultas aliis diebus bis Missam celebrandi: aut in Coena Domini ex speciali ratione permittitur, ut a pluribus Missa dicatur.

III. Tempus celebrandae Missae est, nisi privilegium aliud quid permittit, ab aurora usque ad meridiem: excepta prima Missa in nocte Nativitatis Domini.

IV. Tempus vero, quod in celebranda Missa privata impendendum est, ut cum decore et devotione fieri possit, spatio dimidiae horae circiter concluditur.

V. Pro loco celebrationis communis juris praescripto habenda est ecclesia, vel publicum oratorium, benedicta vel consecrata non polluta neque exsecrata aut interdicta.

VI. Episcopis ipsis atque variis religiosorum familiis latius extenditur facultas celebrandi: ut vero in domibus privatis privatisque oratoriis Missa dicatur, privilegium a S. Pontifice datum requiritur. Episcopi id in sola necessitate pro singulis vicibus permittere possunt.

VII. Locus proximus, ubi S. Missae sacrificium offeratur oportet, altare lapideum est, consecratum sive quoad totam mensam, sive quoad lapidem per modum portatilis altaris insertum.

Quae singula accuratius definienda sunt:

§ 1.

Quibus diebus liceat sive non liceat celebrare.

210 1. In festo Nativitatis Domini sacerdoti licet tres Missas celebrare, si modo jejunium laesum non est. At Missae speciales in Missali notatae dicendae sunt: quare qui ob defectum visûs ex privilegio quotidie Missam votivam de Beata dicat, non possit in festo Natalitio ter illam Missam votivam dicere (v. Decr. S. R. C. 11. April. 1840 *in Barcinon.* Decr. auth. n. 2802 ad 3).

2. Si quis pro sacerdote, qui post consecrationem defecerit, Sacrum perficere debeat, non jam possit celebrare: quod quum aliquando in dubium vocaretur, re in S. R. C. discussa, Leo XII. jussit decretum prohibens expediri 16. Dec. 1823 *in Carpen.* v. Decr. auth. n. 2630. — In festo Nativitatis Domini, recte addit collector decr., posse hanc Missam pro una ex tribus permissis computari, ita ut sacerdoti supplenti liceat praeterea duas, non autem tres celebrare.

3. In triduo hebdomadae majoris ante Pascha per se sacrae functiones peragi debent *solemniter*, non per Missam sine sacris ministris cantatam vel tantummodo lectam. Verum propter defectum ministrorum functiones minus solemnes conceduntur maxime in ecclesiis parochialibus, secundum normam sequentem:

a) In ecclesiis parochialibus sacrae functiones peragi debent *omnibus* illis diebus, i. e. non solum Fer. V. in Coena Domini, sed etiam Fer. VI. in Parasceve et Sabbato Sancto, idque, si sufficiens numerus ministrorum adest, secundum Missale et decreta solemniter; alioquin secundum parvum Rituale Benedicti XIII.

b) In ecclesiis non parochialibus vel publicis oratoriis, ut minus solemniter, secundum dictum Rituale seu Memoriale, functiones fiant, expetenda est facultas, quam Episcopus concedat; ita tamen ut omitti quidem possint functiones Sabbati Sancti, non vero Feriae VI. in Parasceve. — Quam facultatem vi indulti ab Apostolica Sede ad tempus concessi aliquando Episcopi dare possunt etiam pro ecclesiis seu oratoriis monialium sub clausura viventium.

c) In oratoriis regularium veri nominis potest, si necesse fuerit, Missa celebrari Fer. V., etsi functiones Feria VI. et Sabbato Sancto sint omittendae, eaque cantata vel simpliciter lecta. Quod ut liceat in aliis oratoriis, piarum Communitatum, seminariorum etc., requiritur indultum Apostolicum.

Ita in omnibus decr. S. R. C. d. d. 9. Dec. 1899 (Decr. auth. n. 4049)[1].

[1] Videlicet: „Dub. I. An Feria V. in Coena Domini in ecclesiis parochialibus aliisque non parochialibus celebrari possit Missa lecta vel cum cantu, quin peragantur functiones Feriae VI. in Parasceve et Sabbati Sancti? Dub. II. An praedicta Missa legi vel decantari possit in ecclesiis vel oratoriis spectantibus ad Regulares, ad seminaria et ad pias Communitates?“ Ad quae S. R. C. rescripsit: „Ad I. In ecclesiis parochialibus, ubi adest fons baptismalis, serventur Rubricae Missalis et Decreta, adhibito Memoriali Rituum Benedicti PP. XIII. pro functionibus praescriptis, si exstet defectus sacrorum ministrorum et clericorum. In aliis vero ecclesiis non parochialibus omitti *potest* functio Sabbati Sancti, non tamen illa Feriae VI. in Parasceve;

4. Si in Fer. V. in Coena Domini incidit festum de praecepto, ut Annuntiatio B. M. V., S. Josephi, Patroni particularis, Episcopus curare debet, ut *tot Missae in ecclesiis dicantur*, quot sufficiant, ut populus praecepto audiendae Missae satisfacere possit: neque transfertur festum pro foro. Si autem festa illa alicubi non amplius *de praecepto* in foro celebrantur, etiam locum non esse dispositioni, qua plures Missas celebrari liceat, S. R. C. 27. Sept. 1868 *in Viglevan.* declaravit: Decr. auth. n. 3179.

Si autem in Feriam VI. vel Sabbatum hebdomadae sacrae incidit festum Annuntiationis B. M. V., totum festum cum obligatione chori et fori transfertur in Fer. II. post Dominicam in Albis: si vero aliud festum de praecepto (quod tantum particulare esse potest) in eos dies inciderit, obligatio *fori* non transfertur, sed temperatur: sc. manet integrum praeceptum non assumendi labores serviles; obligatio audiendae Missae Feria VI. prorsus cessat, neque *obligatio* est assistendi Missae praesanctificatorum, Sabbato Sancto obligatio Missae cessat pro iis, qui nequeunt unicae Missae parochiali seu conventuali interesse.

NB. In compluribus Germaniae regionibus mos transferendi festum cum obligatione feriandi observatur; quare legitimae consuetudini standum est.

5. Sententia, quam antea gravissimi scriptores tuebantur, tum Feria V., 211
tum Sabbato Sancto privatas Missas non absolute interdici, nunc post plura S. R. C. decreta prorsus relinquenda est, neque tuta conscientia pro norma practica potest haberi. Vide S. Alph. l. 6 n. 350, Ben. XIV. *Instit. eccles.* 38 n. 9 et edictum Clem. XI. 15. Maji 1712.

Attamen Sabbato Sancto aliquando ex specialissimo privilegio Missa privata *a S. Sede* permittitur: quae sine dubio sine lectione prophetiarum et omnium, quae subsequuntur, ab „ordine Missae“ incipit. Imo in necessitate conficiendi Viatici etiam Feria VI. in Parasceve celebrandum est: quod si contingit, celebranda est Missa, quae magis convenit, scilicet *de Passione Domini.*

6. S. Communionis distributio sola Feria VI. sacrae hebdomadae prohibetur (excipitur Viaticum, si nondum antea receptum est), idque, nisi aliunde specialis facultas sumendae S. Eucharistiae illo die habeatur, *sub gravi.* Vide Innoc. XI. *decr. de Communione frequenti et quotidiana,* S. Alph. 6 n. 349. Sabbato Sancto post expletam Missam S. Communio distribui potest: in ipsa Missa id faciendum non esse S. R. C. respondit, nisi adsit consuetudo (23. Sept. 1837 *in Mutin.* ad II. Gard. n. 4815 — omittitur in D. auth.). Ex quo inferri potest, distributionem S. Communionis intra Missam haberi pro re minus convenienti, sed nullatenus graviter prohibita.

§ 2.

De facultate binandi.

Jus commune, ut supra dictum est, devotionis causa in sacer- 212
dotum et fidelium gratiam in solo festo Nativitatis Domini plures Missas celebrandas concedit, neque ulla lege prohibetur, quominus sa-

---

et fiat sepulcrum: expetita facultate pro usu dicti Memorialis, si idem sacrorum ministrorum et clericorum defectus exsistat. — Ad II. *Affirmative* quoad Regulares proprie dictos, juxta Decretum sub n. 2799 d. 31. Aug. 1839; *Negative* quoad seminaria et pias Communitates, nisi habeatur Apostolicum indultum.“ *(Ita Decr. auth. n. 4049.) Decr. auth. n. 2799 ad 2m* ita habet: „Superior celebret in privato oratorio ad ministrandam religiosis Communionem; et si desit oratorium, fiat in ecclesia januis clausis.“

cerdos pro singulis *illis* Missis stipendium accipiat. Cf. Lacroix l. 6. p. 2 n. 142, Gury ed. Ratisb. II. 383 not. c, Const. Ben. XIV. „*Quod expensis*“ 26. Aug. 1748, Scav. t. III. n. 320 c: imo id evidenter colligitur ex cit. Const. et op. „*de sacrif. Miss.*“ l. 3. cap. 4. Quidquid igitur aliis diebus conceditur, id aut speciali privilegio aut necessitati innititur. Re ipsa

1. pro regnis Hispaniae et Lusitaniae antiquus usus erat certis quibusdam locis pluries celebrandi die commemorationis omnium defunctorum. Post repulsas aliquoties latas duo illa regna a Ben. XIV. tandem universim acceperunt privilegium, ut omnes sacerdotes sive regulares sive saeculares *ter* Missam dicere possent, idque etiam duabus horis post meridiem (vide Ben. XIV. *de sacrif. Missae* l. 3 c. 4 n. 11 et *de syn. dioec.* l. 13 c. ult. n. 14), ita tamen, ut, nisi antiquum privilegium jam exsisteret, sed de Missis *vi novi privilegii permissis* ageretur, illae, i. e. duae quae vi novi privilegii addendae permittebantur, *sine stipendio* atque *pro omnibus fidelibus defunctis* dicendae essent, una Missa pro stipendio quidem, sed *consueto tantum.*

Quod privilegium sane valet pro omnibus locis, quae tum temporis sub ditione regni Hispan. vel Lusitan. erant.

2. Aliae causae eodem die Missam iterandi sunt solius necessitatis. Jure autem communi sine speciali facultate a S. Sede impetranda conceditur, ut bis Missa celebretur:

1) pro necessitate Viatici, si sacerdos post sumptam S. Hostiam de ea necessitate monetur neque sunt particulae consecratae: si enim ante sumptam S. Hostiam monetur, ex illa particulam detrahere debet; num vero, si post sumptam ablutionem monetur, secundo celebrare possit aut debeat, infer ex iis, quae de celebranda Missa post laesum jejunium supra (de disposit. ad S. Comm.) dicta sunt n. 161.

2) Si unus sacerdos duas parochias canonice erectas administrandas habet, neque adest alter sacerdos, qui celebrare possit, parochus diebus Dominicis et de praecepto festivis duas Missas celebrare potest *et debet,* ut populus utriusque parochiae Missae possit assistere (nisi forte ita provisum est, ut in eandem ecclesiam uterque populus facile convenire possit). Imo obligatio Missam iterandi ea videtur esse, ut, si tribus parochiis inter se distantibus unus tantum sacerdos praesit, ille *ter* Sacrum dicere debeat, et sic porro, pro qualibet etiam parochia singulas Missas applicaturus (cf. Instruct. S. C. de Prop. F. 24. Maji 1870, Acta S. Sedis vol. VI. pag. 546—566 et Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 6 c. 8 n. 2)[1].

3) Si populus ejusdem parochiae canonice erectae in eandem ecclesiam „insimul“ convenire non potest, licite Missa *secundo* ab eodem sacerdote celebratur, quando alter sacerdos deest.

[1] Nimirum *Missae iterandae* facultatem et *obligationem* adesse, quamquam semper ex judicio Ordinarii, quando unus sacerdos duas parochias regere debeat, habetur expresse in ipsa ista „Instructione“: unde Editor Act. S. Sedis pag. 568 deducit: „Opus non est facultate Apostolica . . . quando unus presbyter praesidet pluribus populis; quo in casu toties repeti Missa debet, quot sunt populi: unde si sunt tres vel quatuor, ter vel quater item presbyter Missam iterare debet.“

NB. In casu sub n. 2) et 3) pro conditione quidem necessaria habetur, 213
ut Ordinarius causam recognoverit. Quod certo in *tertio* casu omnino requiritur, ut vid. Episcopus de sufficientia causae et de defectu alterius sacerdotis judicaverit, neque haec recognitio, nisi expresse sacerdoti communicata est, praesumi potest: imo etiam in secundo casu Episcopi est videre, utrum parochus duas parochias habens duas Missas celebrare cogatur, an aliter utrique populo provideri possit. At quum jure communi concedatur Missae iteratio, Episcopus *privilegio* S. Sedis non indiget, ut sacerdoti Missae iterationem committat. Quare operae pretium est fusius videre, quomodo casus n. 3) allatus intelligendus sit, ut, quam late pateat concessio juris communis, rite sciatur.

In „instructione“ supra laudata dicitur „quando una tantum sit ecclesia, in qua Missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest“: quod quo sensu sumatur, videndum est, vid. utrum eum tantum casum indicet, quo templum propter loci angustias totum populum capere non possit, an similes etiam casus comprehendat, in quibus ob quascunque causas non omnes uni Missae assistere possint.

Complures sunt, qui ad angustiam loci id restringant: at sine causa. Verum quidem est, aliquos textus S. Pontificum epistolarum, quibus facultas binandi exprimitur, angustiam loci efferre, ut effert epistola S. Leonis: cf. eandem „instructionem“ ut supra, Act. S. Sedis l. c. p. 568; at inde non sequitur, alios casus excludi. Imo Bened. XIV in Constitutione „*Declarasti*“ 16. Martii 1746 Concilia particularia approbans commemorat, quae *sensu latiore* hanc licentiam bis celebrandi intelligunt. Ex Concilio Nemaucensi anni 1284 haec affert: „Si omnes parochiani ad unam Missam simul convenire non possint, eo quod in diversis locis habitant distantibus ab ecclesia et remotis, sicut est in montanis ... poterit tum sacerdos aliam (Missam) celebrare.“ Quibus Ben. XIV addit: „Ea potissimum verba diligenter observari debent: ‚ubi non est nisi unus sacerdos, ...‘; ex quibus clare perspicimus, non licere parocho, si alius sacerdos praesto est, duo Sacra perficere diebus festis, ut populus Missae sacrificio intersit, sive Missa celebranda sit in duabus ecclesiis distantibus, ut in supra citata synodo Limana, sive una tantum sit ecclesia, in qua Missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest, ut in Concilo Nemaucensi. *Hi quippe duo casus eodem jure censendi sunt.*“ [1]

Ergo sensus evidens, in quo Ben. XIV communi jure licere dicit bis Missam celebrare, non restringitur ad solam loci angustiam, sed ad alias etiam causas, ob quas totus populus ad eandem Missam simul convenire non possit. — Accedit ad hanc sententiam latioris facultatis opinio veterum theologorum, qui (v. Lugo *de Euch.* disp. 20 n. 46) concedunt Missae iterationem, si propter *habituale* impedimentum seu *permanentem* necessitatem unâ Missâ toti communitati satisfieri non possit.

Id solum declaravit S. C. C. d. 10 Maji 1897, non licere Ordinario *absque facultate S. Sedis* concedere licentiam binandi, quando in loco complures sunt sacerdotes, qui in diversis loci ecclesiis oratoriisve celebrent: cf. Anal. eccl. 5, 452.

---

[1] Si ejusmodi causa *dubia* est, convenit consulere S. Sedem, quae in danda licentia non ita difficilem se praebet: sic S. C. C. d. 20 Febr. 1886 in causa Aprutina concessit ad quinquennium, ut parochus secundo celebrare posset pro parte aliqua suorum parochianorum in oratorio publico trans torrentem sito. Acta S. Sedis vol. 18 p. 557.

214 3. Haec valent de jure communi. Quare in illis casibus sub n. 2) et 3) indicatis Episcopus non indiget speciali privilegio a S. Sede accepto, sed ordinaria sua potestate id statuere et sacerdoti permittere potest, ut, deficiente altero sacerdote, bis celebret: imo ille Episcopi interventus non tam est licentia sacerdoti data, quam potius causae recognitio et necessitatis declaratio. Quare facultas tunc binandi non pro personali facultate *huic* sacerdoti data habenda est, sed pro reali: igitur, si ex inopinato casu ille sacerdos impeditur, atque alter advocatur, qui ejus vices suppleat, huic quoque sacerdoti, etsi Episcopus interrogari non potuit, bis celebrare licet.

Aliud est, si facultas binandi non secundum jus commune, sed secundum privilegium a S. Sede acceptum alicui sacerdoti communicata fuit. Haec facultas non potest sine nova licentia ab altero usurpari, etsi eadem causa eademque necessitas adsit.

Verum, quum in facultatibus diversis Episcopis vi privilegii datis vel dandis jussu Alexandri VII. apposita fuerit clausula severis verbis concepta: „Caveat vero, ne praedicta facultate seu dispensatione bis celebrandi in die aliter quam ex gravissimis causis (et rarissime) utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur“: sane mirandum non est, quod Episcopi complures putaverint, se vix illo privilegio uti posse. — At huic dubio S. Sedes et Congreg. de Prop. Fide occurrit. Videri licet de toto hoc negotio ipsa illa „Instructio S. Congr. de Prop. Fide super Missae iteratione“ 24. Maji 1870 in Acta S. Sedis l. c.

Jam 13. Martii 1828 Leo XII. literis ad Episcopum S. Ludovici in America Septentrionali datis haec scribi jusserat: „Omnem te anxietatem animi deponere debere, et quin commovearis verborum rigore, se (sc. Sanctitatem Suam) conscientiae ac prudentiae tuae committere, ut judices, quibus in casibus ratione habita adjunctorum dioecesis tuae graves adesse causae censendae sint facultatem, de qua sermo est, sacerdotibus impertiendi. Ubi vero has graves causas secundum conscientiam prudentiamque tuam arbitratus fueris, Sanctitas Sua, posse te absque ulla dubitatione ea facultate uti, benigne declaravit.“

215 Quas autem causas S. Congr. ipsa pro satis gravibus habuerit, juvat aliquot exemplis declarare:

1) Anno 1851 Vicario Apostol. Limburg. respondit, videri posse sufficientem necessitatem, si magna pars parochiae aliter careat Missa, *etsi vicina parochia non distet ultra mediam leucam.*

2) Ipsa Instructio expresse effert, „articulum formularum, quum sit facultativus, protendi *ad alios quoque casus necessitatis* in jure communi non comprehensos; secus enim evaderet inutilis saltem pro iis locis, in quibus paroeciae sunt canonice erectae, ipso jure communi pro his paroeciis disponente“: ergo sufficit *similis* necessitas; et sufficit etiam pro iis locis, ubi parochia canonice erecta non est.

3) Anno 1688 S. Inquis. quidem judicavit, non sufficere numerum 15—20 personarum, quae aliter Missa carerent. — At eodem anno, paucis mensibus postea Congreg. de Prop. Fide judicavit, sufficere numerum 10—12 *servorum*, qui aliter Missa carerent. Quare non ex solo numero, sed etiam ex hominum conditione et necessitate ratio desumenda est.

4) In literis supra citatis anni 1828 pro sufficienti causa habetur, si 30—50 fideles periculo exponantur Missam de praecepto non audiendi.

5) S. Inquisit. 20. Junii 1860 respondit pro regionibus infidelium, desiderium neophytorum bis vel ter in anno SS. Eucharistiam sumere volentium, *per se* non esse urgentissimam causam, propter quam bis Missa celebranda esset (idque etiam diebus non festivis): attamen pensatis locorum et personarum circumstantiis, id relinquendum esse arbitrio Vicarii Apostolici. — Ex quo patet, hanc causam pro gravi non haberi, si neophyti cum aliquo mediocri incommodo, ut itineris unius leucae vel ultra, desiderio suo aliter satisfacere possint; at si id nequeant, aut cum gravi omnino incommodo tandem possint, eam causam satis gravem videri.

4. Constans autem est prohibitio pro secunda Missa, quae sic ex 216
necessitatis causa celebratur, ullum stipendium accipiendi; neque obligatio ulla justitiae vel quasi-justitiae, v. g. obligatio parochi, quâ pro populo applicare debet, eâ Missâ potest exstingui. — Aliquando tamen, etsi raro, conceditur, idque ex speciali omnino privilegio, vel propter missionariorum paupertatem vel in favorem piae causae etiam pro secunda Missa stipendium accipere. Cf. Acta S. Sedis vol. I. pag. 9 sqq., vol. VI. pag. 545 sqq. Sine tali privilegio S. Sedis nequaquam permittitur stipendium pro secunda Missa, etsi causae piae applicetur. Cf. Gury (ed. Ratisb.) II. n. 383 not.; S. C. C. 25. Sept. 1858 *in una Galliarum*, et 21. Martii 1863 ad Archiep. Colon. *„firma semper manente prohibitione accipiendi stipendium pro secunda Missa“* [1].

At si cum secunda Missa specialis labor atque defatigatio conjungitur, sicut fit, quando in loco dissito secunda Missa celebranda est, *ratione hujus laboris* compensationem accipere illicitum non est. Acta S. Sed. ib.

Etiam licet, secunda illa Missa aliquam quasi-obligationem, quae solius caritatis est, exstinguere. Ita S. Congreg. C. 14. Sept. 1878 respondit, ut refertur Act. S. Sedis vol. XI. p. 284 [2].

5. Ante complures annos singulari indulto a Leone XIII. concessum est propter necessitatem populi in regno Mexicano, ut etiam tres Missae a singulis sacerdotibus diebus Dominicis et de praecepto festivis in diversis locis celebrarentur: cf. Acta S. Sedis vol. 13 p. 340, 29 p. 96.

---

[1] Exemplum dispensationis in favorem piae causae habes in causa Trevirensi, in qua Episcopus d. 15. Febr. 1886 accepit ad quinquennium facultatem concedendi presbyteris, ut pro secunda Missa eleemosynam recipiant ea lege, ut eam Episcopo tradant in auxilium adolescentium, qui ad sacerdotium adspirant; item ad praedictum finem dispensandi cum parochis circa applicationem Missae pro parochia in festis suppressis.

[2] Episcopus N. in Gallia exposuit, ab anno 1842 institutam fuisse in sua dioecesi sacerdotum congregationem S. Josephi, indulgentiâ a S. Sede ditatam, cujus sodales semel pro unoquoque sacerdote confratre defuncto Missam celebrare deberent. Sacerdotes, quibus binare concessum esset diebus dominicis et festis, secundam Missam celebrasse pro defunctis confratribus. . . . Ordinarius, exorto dubio, quaerit, an Missa binationis offerri possit, ut in casu, pro defunctis confratribus.

S. Congr. C., visis videndis, respondendum censuit: „Licere“.

§ 3.

De hora, qua celebrari liceat.

217 1. Tempus „ab aurora ad meridiem usque“ quod a rubrica pro legitimo praescribitur, sic intelligendum est, approbantibus S. Pontificibus Ben. XIII. et Clem. XII., ut Missa non sit *finienda* ante auroram, neque *incipienda* post meridiem. S. Alph. n. 341. Quare fere duabus horis ante ortum solis licet incipere; imo in regionibus septentrionalibus aurora diutius producitur, ita ut in hieme plus quam duabus horis ante ortum solis incipere liceat.

2. In Nocte Nativitatis Domini non licet omnes tres Missas ante auroram dicere, ut ex diversis decretis contra multos veteres scriptores nunc decisum est: imo media nocte non est celebranda nisi una Missa, eaque solemnis, vel si lecta, quasi conventualis, assistente legitima consuetudine; Missae stricte privatae nondum celebrari possunt. Cf. S. R. C. in *Senon.* 23. Martii 1686: Gardell. n. 3105, pluraque alia decreta collecta habes apud De Herdt t. III. n. 5. Id tamen videtur licere, ut illa prima Missa, etsi privata celebratur, media fere hora ante auroram *finiatur.*

3. Generatim, qui sine privilegio multum ante aut post tempus statutum celebrat, per se graviter peccat. Materia gravis autem non est, nisi tota hora tempus legitimum antevertitur aut postponitur S. Alph. n. 346. Ex causa vero mediocriter gravi etiam id sine peccato fit, ut:

1) ratione Viatici conficiendi prorsus celebrari debebit, etiam statim post mediam noctem;

2) ubi mos rationabilis est opificibus praebendi opportunitatem pro Missa audienda, licebit, quando ad id necesse est, etiam hora tempus antevertere;

3) si die festivo solemne Sacrum protrahitur ultra meridiem hora et amplius, et consuevit post Sacrum solemne Missa privata celebrari, licebit etiam tum id facere pro populi commoditate, cujus notabilis pars aliter facile Missâ careret;

4) si sacerdos die Dominico vel festo ex itinere impeditur, potest hora sive ante auroram sive post meridiem celebrare;

5) ex rationabili causa in casu particulari Episcopus dispensationem concedere potest (hinc etiam sibi ipsi id potest concedere), ut hora ante aut post legitimum tempus celebretur. Cf. de his omnibus S. Alph. n. 343 et 344.

218 4. Privilegia regularibus ante Tridentinum concessa pro revocatis habenda sunt, S. Alph. 342; atque ex sola oblivione S. Doctor hanc revocationem pro dubia posuisse videtur in tr. de privilegiis n. 122. — At hodie facile accipiunt privilegium celebrandi *hora* ante auroram et hora post meridiem. — Imo refertur privilegium ab Alex. VI. monasterio Benedictino Montis Serrati datum, et a Clem. VIII. ad totum ordinem atque ita per communicationem privilegiorum ad omnes regularium ecclesias

extensum, secundum quod ex justa causa horâ secundâ post mediam noctem quovis anni tempore liceat celebrari. Verum haec privilegii indicati extensio aliud non est, nisi generalis extensio gratiarum monasterio Montis Serrati datarum ad totum ordinem Benedictinorum; quare ut hoc speciale privilegium, concessum ante Trident., a Clemente VIII. dici possit confirmatum et extensum, requiritur, ut probetur, illud illaesum mansisse neque per Trident. Concilium fuisse sublatum: quod non videtur probari posse. Ut igitur tempore adeo maturo celebrare liceat, habendum est privilegium recentius.

5. In regionibus vero, ubi aurora non habetur, tempus legitimum, quo Missam incipere liceat, illud reputatur, quo homines communiter surgere consueverunt, v. Decr. auth. n. 614, aut etiam ex decr. *„Poli Arctici"* 6. Febr. 1858 permittitur, ut in persolvendis divinis laudibus (celebratio Missae videtur includi) sequantur methodum Romanam, i. e. ut retenta distributione horarum secundum Romanam methodum, *determinetur meridies* per transitum solis in meridiano locali; quod si tempus medium sequi placeat, adjiciatur consueta aequatio temporis medii. Transitus autem solis per meridianum — observabatur ab astronomo consultore — semper dignosci posse tempore aestivo per maximam solis altitudinem, hiemali tempore ex stellarum observatione. Cf. Acta S. Sedis vol. III. pag. 602 sqq. et vol. VII. pag. 400.

6. Si in regionibus septentrionalibus aestivo tempore aurora vix cessat, non convenit ante horam secundam matutinam celebrare, quum illa hora ab Ecclesia pro ultimo termino habeatur, ultra quem vix unquam conceditur facultas celebrationem Missae anticipandi: at in rigore id illicitum esse, si justa causa subsit, non putem; qui enim hiemali tempore cogitur diutius differre Missam, aestivo tempore meretur frui favore eam celebrandi maturius.

7. Discutitur tandem quaestio, num Missam celebrandam praecedere 219
debeat recitatio divini officii Matutini cum Laudibus. In qua

1) extra dubium est, tempus relativum seu ordinem inter officium divinum et Missam a rubrica assignatum afficere eos, qui choro addicti sint: ita communius statuitur, et pro *gravi* disordinatione habetur, si sine justa causa eaque gravi Missa conventualis celebretur, antequam in choro officium nocturnum persolutum sit. S. Alph. n. 348.

2) Pro iis vero, qui privatim divinum officium recitant, jam practice certum est, nostro saltem tempore *gravem* obligationem non esse, ut, antequam Missa celebretur, officium nocturnum persolutum sit. (S. Alph. n. 347.) Quare etiam posthaberi potest opinio Ben. XIV. (*de sacr. Missae* l. 3 c. 13 n. 4), putantis, eum, qui sine causa semper ante officium nocturnum persolutum celebret, quasi ex contemptu agere atque mortaliter peccare.

3) Hinc etiam certum est, accedente mediocri causa, sacerdotem omni culpa vacare, qui tandem post Missam Matutinum cum Laudibus dicat.

4) Sine ulla vero causa id facere, communius pro veniali culpa habetur. Aliqui ne ullam quidem veram culpam per se in illius rubricae violatione agnoscere volunt, quam pro mere directiva habent (S. Alph. l. c.). Attamen quum *pluries* rubrica de celebratione Missae ante Matutinum ut de *defectu* loquatur, atque graves auctores, ut S. Antonin., sint, qui illum defectum pro adeo peccaminoso habeant, ut gravem culpam committi dicant: *omnem* culpam in illius rubricae violatione abesse dici vix potest.

220 Scholion. Cum tempore et hora celebrationis nonnihil cohaeret tempus, quod in celebranda Missa impendendum sit. Igitur:

1. Communis sententia est, eum gravis peccati irreverentiae et scandali reum esse, qui Missam, etsi breviorem, infra quadrantem absolvat. S. Alph. l. 6 n. 400 cum Roncaglia, Quarti etc.

2. A culpa vero indecentis accelerationis per se immunis ille est, qui tempus $^1/_3$—$^1/_2$ horae in celebranda Missa impendat: nihilominus alii a veniali peccato vel potius a venialibus peccatis aut saltem a pluribus defectibus vix excusant eum, qui notabiliter infra semihoram Sacrum absolvat, nisi alia causa accedat; siquidem voluntarie impedimentum ponit, quominus eam devotionem per singulas Missae partes retineat, quae tantum mysterium summopere decet. Cf. Lacroix l. 6 p. 2 n. 559, Rogacci *de uno necessario* append. cap. 10 n. 13, ubi vitio vertitur, non explere semihoram in faciendo Sacro, etsi Missa sit ex brevioribus.

3. Notabiliter semihoram excedere in celebranda Missa privata non convenit, ne adstantes taedio afficiantur, nisi forte sacerdos non publice, sed privatim celebrans suae privatae devotioni satisfacere velit.

4. Neque abs re erit monere, ut post Sacrum notabile tempus in gratiarum actionem impendatur, tum ne sacerdos ipse se privet tantis gratiis, quas colligendi eo tempore summam habet opportunitatem, tum ut bono exemplo reliquos fideles praeeat, quos aliquando conspicimus statim post sumptam S. Eucharistiam templo exeuntes atque ita eucharisticae gratiae *copiam* sibi prorsus intercludentes. Cf. de hac re monitum S. Alph. *prax. conf.* ante n. 156, et quae supra dicta sunt de Communione. Gravioris etiam irreverentiae reus est, qui nulla urgente causa ne tam diu quidem cum Christo eucharistico pie conversari vult, donec species eucharisticae consumptae et corruptae sint.

§ 4.

De loco celebrationis.

221 1. Loco sacro, in quo solo, excepto privilegio, celebrare licet, opponitur: locus profanus, interdictus, exsecratus, pollutus. *Profanum* voco, qui nullam consecrationem aut benedictionem unquam accepit.

2. Quid sit locum, etsi alias sacrum, *interdicere,* ita ut non liceat amplius in eo celebrare, postea in tractatu de censuris explicabitur. Id unum addendum est, celebrationem prohiberi sive vera censura interdicti lata fuerit, sive sola ‚cessatio a divinis' indicta.

3. Sacellum vel ecclesia sive benedicta sive consecrata *exsecrantur,* si parietes ex magna parte corruunt, ita ut suae destinationi apta non amplius sint, non vero, si solum tectum corruit; neque exsecrantur, si crustae interioris major pars simul ablata est (cf. S. R. C. 19. Maji 1896, *Decr. auth.* n. 3906); minus etiam, si *successive* renovetur integra.

222 4. *Polluuntur* vero loca sacra: 1) vulneratione seu sanguinis humani effusione, 2) homicidio, 3) effusione humani seminis, 4) sepultura

hominis infidelis, i. e. non baptizati, 5) sepultura hominis excommunicati vitandi.

Explicandi causa noto quoad loci sacri pollutionem.

Ad 1): Requiritur a) *effusio* non aliquarum guttarum, sed notabilis sanguinis eaque b) *graviter injuriosa*: quare si ex naribus tantum fluat, nisi constet de *gravi* injuria — quae certe inter pueros rixantes non assumitur — non polluitur ecclesia; at c) sufficit vulneratio in ecclesia facta, etsi forte sanguis tandem extra ecclesiam effunditur: e contrario vero non polluitur ecclesia per sanguinem, qui effunditur e vulnere extra ecclesiam inflicto.

Ad 2): Ut ratione homicidii facti ecclesia polluatur, debet *actio letalis* sive contra personam sive contra immunitatem loci graviter peccaminosa completa esse, seu complementum suum habuisse in ecclesia: quare qui extra ecclesiam exsistens aliquem in ecclesia versantem sclopeto occidit, polluit ecclesiam, aut qui in ecclesia venenum alicui propinat; non vero polluitur ecclesia ab eo, qui in ecclesia exsistens dirigit sclopetum in aliquem, qui extra ecclesiam est, neque polluitur, si quis, letaliter vulneratus, in ecclesiam confugiat ibique moriatur.

Ad 3): Intelligitur quilibet actus luxuriae completus et sive ratione luxuriae sive ratione solius sacrilegii graviter peccaminosus, sive est viri sive feminae pollutio, sive extra copulam sive in copula facta seminis effusio. Copula igitur conjugalis, quando ex circumstantiis sacrilega non est, ecclesiam non polluit. Cf. vol. I. 384.

Ad 4) et 5): Excipiuntur catechumeni, atque etiam proles parentum vel alterutrius parentis baptizati.

Cf. de his omnibus Mazzotta *de Euch.* quaest. II. cap. 3 § 2.

Notandum est: a) Omnia illa facta seu peccata debent esse *notoria,* antequam ecclesia vel oratorium pollutum censeatur. V. Mazz. l. c., S. Alph. n. 364 sqq.

b) Polluta ecclesia, omnia loca annexa polluta sunt; non vice versa: quare crimina illa patrata debent esse in ipsa ecclesia, non in sacristia, neque supra tectum etc.

c) Oratoria privata, quae benedictione non donantur, non polluuntur.

d) Ecclesia polluta reconciliari debet, idque vel solemni modo per Episcopum, vel minus solemniter per sacerdotem delegatum, prout consecrata fuit aut solum benedicta: at etiam consecrata ecclesia „ad interim" per sacerdotem delegatum reconciliari potest.

e) Quamquam per se ecclesia non polluitur per hoc, quod pro stabulo erat, atque animalia et homines spurcitias (non luxuriosas) exercuerunt: tamen S. R. C. „*Tolentina*" 27. Febr. 1847 ecclesiam, „quae militaribus stationibus et excubiis per biduum inservivit" censuit „ad cautelam esse reconciliandam" (*Decr. auth.* n. 2938.)

223 5. Locus igitur stricto sensu sacer non sunt oratoria privata, quae post usum sacrum etiam diuturnum pro arbitrio possessoris ad usum profanum redire possunt. Ut in iis, imo etiam in oratoriis benedictis non publicis celebrari liceat, necessarium est privilegium, de quo haec:

1) Ante Tridentinum variis religiosis familiis amplissima facultas data erat celebrandi quolibet loco honesto ac decenti, ubicunque essent, in altari portatili.

2) Trident. vero sess. 22 *de observandis in Missae celebr.* statuit, ne Episcopi paterentur celebrari Missam in domibus privatis atque omnino extra ecclesiam et oratoria ad divinum tantum cultum deputata . . ., non obstantibus privilegiis quibuscunque, data etiam Episcopis facultate procedendi ex munere Delegati Apostolici. Quare magna contentio inter theologos exarsit, utrum vere privilegia regularium hac in re revocata essent necne, aliis affirmantibus, aliis negantibus propterea quod facultas illa regularibus data in corpore juris clauso inserta esset, nec ut *privilegium*, sed ut *lex* revocanda fuisset. Atque ita fiebat, ut complures pergerent celebrare in privatarum domorum oratoriis, in suis cellulis, neque ab Episcopis impedirentur.

3) At Clemens XI. Constitutione sua 15. Dec. 1703 stricte vetuit, ne Episcopi aut regulares in privatorum aedibus celebrare praesumerent, atque quoad usum altaris portatilis in locis, ubi regulares degerent, in eoque celebrandi absque licentia Episcopi, privilegia priora revocata esse per Conc. Trid. — Innoc. XIII. in Bulla *„Apostolici Ministerii“* idem fere repetit, atque addit expresse prohibitionem, ne regulares in suis cellulis privatis altare erigant ibique celebrent: quam Constitutionem Ben. XIII. confirmavit atque promulgavit. Ex se universalis quidem non est, at vix aliud quidquam statuit, nisi quod universali Constitutione Clemens XI. decreverat: nisi excipias facultatem celebrandi in cubiculo infirmi, qui commode exire nequeat; quam facultatem utpote Tridentino *posteriorem*, a Pio IV. 18. Maji 1565 datam Canonicis S. Salvatoris, Clem. XI. non revocavit, *limitasse* videtur Innoc. XIII. Constitutione allata, et Bened. XIII. in Rom. Conc. 1725 pro iis locis, ubi illae leges vim habeant. Cf. etiam Ben. XIV. Constit. *„Magno cum animi“* ad Episcopos Poloniae 2. Junii 1751.

4) Quare facultas celebrandi sive in privatis cubiculis sive in oratoriis legitimis domorum privatarum ultra numerum Missarum a S. Sede domino privilegiato concessum prorsus exstincta est, et solummodo ex speciali aliquo privilegio, si post Conc. Trid. aliquod datum est, exsistere potest: — cf. de oratoriis privatis quae dicta sunt vol. I n. 562; at in monasteriis vere dictis oratoria divino tantum cultui dedicata habere regularibus vetitum non est per Trid., quum monasteria communi auctorum sententia non censeantur loca profana et privata, in quibus synodus Tridentina Missam celebrari noluit. Ita Mazz., Reuter aliique.

Insuper Greg. XIII. Societati Jesu concessit, „ut in domibus et collegiis, et in aliis locis, ubi aliqui ex Societate residebunt, in oratoriis, quae Provincialis per se approbaverit, Missam celebrare etc. possint“: quod per communicationem privilegiorum ad alios regulares transiit. Habetur autem duplex discrimen inter hoc privilegium et eam facultatem, quam Concilium Tridentinum intactam reliquit; sc. 1) secundum pristinam facultatem approbatio personalis a Provinciali facienda necessaria non erat; quae requiritur, quatenus privilegium Gregorii XIII. in usum deducitur; at 2) pristina facultas erigendi oratoria relicta est pro solis illis domibus, quae vere sunt domus religiosae seu monasteria; facultas Gregorii XIII. autem etiam omnes eas domos respicit, quas aliqui religiosi pro aliquo tempore locum habitualis habitationis legitime fecerunt.

5) Praeterea Episcopis facultas inest, in quibuslibet monasteriis, aliisve 224
locis piis et publicis oratorium erigendi.

6) Pro ipsorum Episcoporum, etiam *titularium*, commoditate facultas antiquitus data intacta remansit — ut Summi Pontifices pluries declaraverunt (v. Constit. supra relatas) — quâ scil. non solum in sua domo episcopali oratorium habere ibique aliis etiam sacerdotibus celebrationem permittere possint (immo quilibet in illis oratoriis sive Missam dicere sive praecepto ecclesiastico satisfacturus Missam audire potest: v. Ben. XIV. *de sacrif. Missae* l. 5 c. 6 n. 1); sed etiam in itinere liceat in illis aedibus, in quibus ut hospites commorantur, transitorie oratorium erigere, ibique et ipsi Episcopo liceat celebrare et *aliam Missam in sui commodum* celebrari facere: quarum alterutri qui assistat, satisfaciat Ecclesiae praecepto. Leo XIII. d. 10. Jun. 1896 v. *Anal. eccl.* IV. 271. Id autem prohibetur, quominus e suo hospitio egressi in aliam domum se conferant, ut amicitiae causa ibi Sacrum faciant. Cf. Ben. XIV. Const. *„Magno“*, ut supra.

7) Etsi Episcopi generalem facultatem celebrandi in loco profano concedere nequeunt, ut in domibus privatis vel in locis ad cultum divinum non destinatis: id tamen ex causa gravi *per modum actûs*, i. e. non habitualiter, sed pro singulis vicibus seu una alterave vice concedere possunt. Cf. S. Alph. n. 357 et 359; Gury-Baller. II. n. 386.

8) Immo si subitanea urget necessitas neque recursus ad Episcopum patet, licet per modum epikiae celebrare, ut: si subito ecclesia corruit atque dies festiva vel Dominica instat, si exercitus in castris est neque Episcopi consensus inquiri amplius potest, urgente praecepto celebrandi sive propter diem Dominicam etc., sive propter Eucharistiam necessario ministrandam etc.

§ 5.

De altari ejusque consecratione et exsecratione.

1. Distinguitur inter altare *portatile et fixum*. At haec, quae fit 225
inter altaria distinctio, alia est sensu *canonico*, alia sensu *liturgico*. Sensu canonico, quando prohibetur usus altaris portatilis loco celebrationis in ecclesia vel publico oratorio, altare *portatile* id tantum intelligitur, quod secundum totam structuram seu mensam facile de loco in locum movetur, vel pro solo tempore celebrationis, maxime in loco per se profano [1], exstruitur; *fixum* vel ad modum altaris fixi illud altare dicitur, quod aut nullatenus de loco in locum moveri potest, aut difficulter tantum, atque ita communiter constructum est, ut mensa parieti conjuncta vel saltem ad eum inclinata sit et quodammodo cum illo cohaereat, sive tota mensa lapidea est consecrata, sive solum lapis consecratus mensae ligneae insertus est.

---

[1] Immo *prohibitio* altaris portatilis intelligitur per se de celebratione in loco non sacro. Hinc est, quod Prickartz *Theol. mor.* tom. 7 tr. 4 n. 356 dicit: „Quilibet sacerdos potest etiam sine privilegio vel licentia celebrare in altari portatili, si illud positum est in ecclesia vel in loco privilegiato; quia id nullibi prohibitum, immo usus quotidianus demonstrat esse licitum.“ Item Manigart *manipul. th. mor.* p. 1 cap. 4 n. XXV „in ecclesia consecrata seu benedicta sine privilegio quivis celebrare potest cum solo altari portatili“; immo licentiam Episcopi necessariam esse *negat.*

Sensu vero *liturgico,* scilicet relate ad altarium consecrationem et exsecrationem, altare *fixum* id solum dicitur, cujus mensa tota consecrata est atque cum stipite cohaeret; *portatile* omne id intelligitur, quod in solo lapide consecrato consistit, qui mensae inseri vel imponi potest atque adeo ab una mensa ad alteram transferri.

2. *Exsecratur* igitur *altare quodlibet:*

1) defectu aut spoliatione reliquiarum. Cf. quam plurima decr. S. R. C. in *Decr. auth.* n. 2876. 2880. 2941.

2) laesione seu fractione sepulchri, i. e. loculi, ubi reliquiae reconduntur;

3) fractione sigilli, i. e. illius lapilli seu operculi, quo sepulchrum reliquiarum tegitur; aut etiam sola hujus sepulchri apertione, quae fit removendo operculum, etsi statim reponitur et clauditur [1];

4) enormi fractura qualibet. At non omnes conveniunt, quaenam praeter fracturas supra indicatas enormis sit. Editor Gardell. collectionis decret. S. R. C. ad n. 4577 (2612) putat, enormem fracturam esse omnem eam, qua aliqua ex crucibus lateralibus a reliquo lapide separetur. Verum quum haec non sit authentica declaratio, sed doctrinalis opinio, licebit aliorum, ut Mazzott. et Tamb. l. 1 cap. 5 § 1 n. 14 *de meth. celebr. Miss.,* opinionem sequi, qui unius crucis lateralis fractionem non habent pro tanta fractura, nisi forte notabilem partem reliqui lapidis secum traxerit, aut — id quod in parvo altari portatili accidere potest — lapis ita diminutus sit, ut hostiam et majorem partem calicis non amplius capiat;

5) *altare fixum etiam exsecratur,* si mensa a stipite separatur, quia amittit formam, sub qua consecratum fuit. V. *Decr. auth.* n. 2599.

226 3. Quoad ipsam *altarium portatilium consecrationem,* ut rite secundum Pontificale et praxim Romanam fiat et exsecratio facilius praecaveatur, id observandum est, ut sepulchrum reliquiarum excavetur in medio superioris partis ipsius lapidis consecrandi; atque reconditis reliquiis, sepulchro etiam aperto, apponitur episcopale sigillum, quo constet de authenticitate reliquiarum atque integritate; postea ab Episcopo consecrante sepulchrum lapillo adaptato clauditur et caemento coagmentatur. Neque postea sigillum episcopale opus est exterius in consecrato lapide apponatur; ejusmodi enim signum in altaribus Romano more consecratis nullibi apparet, sed tota portatilis altaris consecratio fit ad eundem modum, sicuti altaris fixi consecratio, quando reliquiae in superiore mensa ipsa reconduntur.

---

[1] Id saltem dicendum est, si illud operculum *invenitur non coagmentatum cum reliquo lapide.* Videlicet altare fixum defectu laborabat, quo lapis sepulchralis, propter calcem qua conglutinabatur solutam, sepulchro amplius non haerebat. Episcopus, ut rem melius exploraret, lapidem sua manu movit, sublevavit, reposuit, reliquiis nullo modo tactis: S. R. C. *(Decr. auth. n. 3106)* dixit, altare indigere nova consecratione. Cf. etiam *Decr. auth.* n. 3162 ad V. — Verum quando in altari lapis sepulchri firmus non invenitur, sed certo constat, nunquam eum fuisse amotum, Episcopus potest per se ipsum firmare lapidem novo addito caemento, ita ut lapis non amoveatur, neque altare alia indiget consecratione denuo facienda. Cf. *Decr. auth.* n. 3575 ad X.

Recenti etiam tempore pro exsecratis declarata sunt altaria, quorum sepulchrum consisteret in cavea partim in inferiore lapidis parte, partim in ligneo illius operculo facta, quod coagmentari cum lapide utique non potuit. Scil. 31. Aug. 1867 in una Sancti Hippolyti ad II. *Decr. auth.* n. 3162: „Altaria portatilia plerumque talia sunt, ut ex duabus partibus constent, et quidem pars superior est lapis, pars inferior est lignum, et inter lapidem et lignum in quodam concavo spatiolo positae sunt reliquiae Sanctorum, quae proinde ex una parte lapidem, ex altera parte lignum tangunt, adeo ut sepulchrum pro dimidia parte ex lapide, pro altera dimidia parte ex ligno formetur. Quaeritur, an haec altaria in usu retineri possint?“ R. ad II.: „Altaria portatilia, ut describuntur in dubio, admitti nequeunt, sed reliquiae recondendae sunt in sepulchro intra lapidem effosso, et claudendae cum parvo operculo ex lapide etiam confecto.“

Memoratu digna est etiam Quaestio III.: „Aliqua etiam altaria portatilia licet nec sepulchrum fuerit violatum, nec enormis fractura adsit, tenui scissura laborant, quae per medium integrum lapidem decurrit. Quaeritur, an per ejusmodi tenuem scissuram ad instar fili altare exsecratum censendum sit?“ R. ad III.: „Affirmative.“ — Nimirum Em. Cardinales hanc pro fractura enormi habuerunt, siquidem, hac scissura per medium lapidem integrum decurrente, lapis revera in duas partes fractus erat.

Similiter S. R. C. interrogata saepius declaravit, ea altaria nova consecratione indigere, quorum sepulchrum non lapillo, sed sola cera sigillari vel lithocollo vel gypso etc. clausum esset, cum facultate tamen a. S. Pontifice impetrata, ut data opportunitate per delegatos presbyteros consecratio perfici posset solâ illâ caerimoniâ, quae in *sepulchri* consecratione adhiberi solet; neque ea altaria portatilia esse admittenda, quorum sepulchrum in fronte scilicet non in superiore parte, sed in parte transversali exsistat, quum praescriptis Pontificalis Rom. non essent conformia (ex decr. 24. Nov. 1885, de quo cf. *Nouv. Revue théol.* t. 18 p. 368), postea tamen declaravit, his altaribus usque ad novam consecrationem, si qua commode fieri possit, uti licere (cf. *Decr. auth.* n. 4032 ad III.).

4. *Exsecratâ ecclesiâ, altaria per se non exsecrari,* patet; verum celebratio non jam potest fieri, nisi secundum superius dicta n. 224, quia locus sacer jam non censetur. — *Pollutâ autem ecclesiâ, omnia censentur polluta,* ita ut reconciliatio, quae ex praescripto Ritualis vel Pontificalis fieri debeat, censeatur ad omnia etiam altaria fixa sese extendere. Sufficit autem pro plena reconciliatione, ut ea observentur, quae in Rituali seu Pontificali ad hunc finem ordinata sunt.

Articulus II.

Sacra utensilia ad Missae celebrationem necessaria.

Antequam particularia notem, praemittam brevem conspectum earum 227
rerum, quibus ad celebrandam Missam sacerdos indiget.

I. *Vasa sacra,* quae S. Sacramentum immediate continere debent vel in ejus usu necessaria sunt, requiruntur:

1. calix cum patena, consecrata, idque sub gravi;

2. corporale ex lino vel cannabe, legitime benedictum, etiam sub gravi;

3. palla benedicta et purificatorium ex lino vel cannabe confecta;

4. velum calicis et bursa pro corporali (ex serico confecta secundum modum paramentorum sacerdotalium): *gravis* vero obligatio, modo irreverentia caveatur, pro rebus n. 3 et 4 notatis non potest ostendi;

5. ampullae vini et aquae, et manutergium: in quibus gravis obligatio solum respicit materiam aptam pro sacrificio et usu sacerdotis praebendam.

II. *Ornatum sacerdotis* necessarium constituunt *paramenta sacra* ab Episcopo vel ab eo, qui facultatem habet, benedicta, sc.: Amictus, alba, cingulum, manipulum, stola, casula: quorum aliquod si omittitur aut benedictum non est, peccatur; gravis vero materia non in qualibet sacra veste habetur, sed in alba, casula atque etiam in stola saltem cum manipulo simul.

III. *Altare* instrui debet:

1. mappa triplici benedicta, ita tamen ut, modo aliqua mappa habeatur, *gravis* defectus non adsit (S. Alph. n. 375 dub. 1 et 2);

2. missali cum cussino (vel ex consuetudine cum pulpito), idque per se sub gravi;

3. tabella secretarum in medio altaris appellata: quae, quia in rubricis *de defect.* non enumeratur, ex sola decentia videtur requiri, S. Alph. n. 390—: similiter dicendum videtur de pallio seu antependio altaris, quod consuetudo non ubique servat, modo aliter decentiae altaris satis provisum sit;

4. candelabra cum duobus cereis accensis, ita ut *omnis* luminis defectus omnino gravis materia sit;

5. cruce seu potius crucifixo in medio candelabrorum, quamquam sub veniali tantum;

6. campanula, qua signum detur — etsi per se sub veniali tantum.

IV. In sacris utensilibus et paramentis, postquam rite perfecta et benedicta vel consecrata sunt, gravis defectus superveniens oriri potest tum propter exsecrationem, tum propter munditiae neglectum.

De sacris utensilibus et legibus circa ea latis dicturus, praevie noto, exsistere aliquando pro Missionibus amplissima privilegia, quorum hîc rationem habere nequeo: cf. *Collectan. S. C. de Pr. F.* n. 848 sqq.

§ 1.

De vasis sacris.

228 1. Praescribitur, ut patena et cuppa calicis sit aurea, vel argentea intus deaurata, vel saltem stannea intus deaurata.

2. Pius IX. permisit etiam, ut sacra vasa ex *aluminio* conficerentur, attamen 1) ex aluminio certae mixtionis (10 % Al, 90 % Cu), quod dein 2) certam deargentationem reciperet, vid. 3 gramm. pro superficie 1 decim. □, tandem 3) certa deauratione donaretur, vid. 0,25 auri pro 1 decim. □ (v. Acta Sanctae Sedis vol. 2 pag. 232 et vol. 6 pag. 589 — Decr. 11. Sept. et 6. Dec. 1866).

3. Nunc pro certo haberi debet, calicem vel patenam, si denuo deaurentur, etiam denuo consecranda esse. Vide S. R. C. 14. Junii 1845:

Vasa vel vestimenta sacra, si ante consecrationem vel benedictionem sive bona sive mala fide sacrificio Missae servierint, pro jam consecratis haberi posse: admisit S. R. C. pro *„vasis sacris jam adhibitis“*, quae a sacerdote illegitime delegato consecrata erant; reprobavit pro paramentis 22. Sept. 1703 in *Fuldensi* Gardell. n. 3663 ad 3: quod omissum est in *Decr. auth.* n. 2119.

4. Secundum S. Alph. autem 1) gravis culpa non esset, adhibere calicem deauratum, etsi ex aere, aurichalco confectus esset; imo ne veram quidem culpam videtur admittere, si Episcopus eum tandem, licet cum veniali peccato, consecraverit; 2) si calicis cuppa sit argentea vel stannea, deaurationem requiri quidem censet, at sub veniali peccato; haec enim n. 370 dub. 3 habet: „Alii vero dicunt, non eximi a culpa veniali consecrantem in calice non inaurato, nisi paupertas excuset. Et hoc videtur probabilius etc“.

Sed quum hodie S. Congr. et S. Pontificum edicta semper insistant in servanda materia sacrorum vasorum a rubricis assignata, atque in deauratione facienda: ea sine culpa, saltem veniali, negligi nequeunt. Mitius tamen sentiendum: 1) si diuturno usu deauratio calicis jam videatur evanuisse; 2) si forte in paupere ecclesia non calix quidem, sed pyxis vel lunula ostensorii inveniatur non deaurata; 3) si in paupere ecclesia pyxis et lunula ex cupro deaurato habeatur: quod ultimum S. R. C. positive approbavit[1]. Cf. supra n. 132 II not. 2.

5. Corporale, sicut benedictum esse debet, ita etiam ex lino vel can- 229
nabe necessario conficiendum est: quare pro *gravi peccato* alteruter defectus haberi debet: in gravi vero necessitate licebit, sine eo celebrare. S. Alph. 387.

6. Praeter corporalia etiam pallae et purificatoria, quae ex lino vel cannabe non sint, omnino rejiciuntur; v. *decret. universale* S. R. C. 18 Maji 1819, *D. auth.* n. 2600: mappae, albae etc., quae ex gossypio confecta erant, permittebantur, donec essent consumpta, sed in posterum etiam ea omnia ex lino vel cannabe esse conficienda; similiter *„nipis“*, materia in insulis Philippinis usitata, admittitur solum pro *albis, mappis, humeralibus,* idque *donec consumantur:* S. R. C. 13 Aug. 1895 (*Decr. auth.* n. 3868).

Pallae, quamquam per se et ex usu Romano integrae ex lino consistere debent, tamen ut panno serico coopertae vel auro in superiore parte contextae essent — quod antea S. R. C. rejecerat — postea permisit 10 Jan. 1852. (Annal. Juris Pont. ser. I cl. 1429 etc.)

7. Ampullae per se quidem non adhibentur aureae vel argenteae, nisi pro Episcopo, sed vitreae: attamen 28 Apr. 1866 in una *Sancti Jacobi de Chile* S. R. C. interrogata, „an liceat uti in Missa ampullis aureis vel argenteis“, respondit: „tolerandam esse consuetudinem“.

8. Aliqui multum negotium facessunt de usu parvi cochlearis, quasi sit prohibitus, allegantes responsum S. R. C. de hac re, „servandam esse rubricam“. At perperam id ex tali responso eruitur, quasi id sit contra rubricas, de quo rubrica silet. Et revera in *Briocensi* 6 Febr. 1858 ad IV. S. R. C. interrogata, „utrum verba, ‚servandam esse rubricam‘, intelligenda sint eo sensu, ut usus cochlearis prohibeatur“, respondit: „Negative, seu usum parvi cochlearis non esse prohibitum“.

---

[1] Exstat resp. S. R. C. in una *S. Hippolyti* 31 Aug. 1867 dub. VI: An permitti possit calix vel patena pro Ss. Missae sacrificio ex cupro bene deaurato pro ecclesiis pauperibus? dub. VII: An saltem permitti possit *ciborium* ex cupro deaurato? item monstrantia et *lunula?* S. Congr. rescripsit: „ad VI serventur rubricae; ad VII affirmative.“ Et in *Rom.* 16 Mart. 1876 de calicibus ex cupro vel aurichalco dixit, „abusum esse interdicendum, congruo tamen assignato tempore, ut de aliis calicibus provideatur“.

§ 2.

De ornatu sacerdotis.

230 1. Casulam, stolam, manipulum, etsi certa materia pro iis non est praescripta, ex serico tamen aliave materia pretiosa decet esse confecta; saltem debet esse subserica vel tramoserica. Imo a S. R. C. positive reprobatur materia vilis, ex qua communiter vestes profanae conficiantur, eaque ne pauperioribus quidem ecclesiis petentibus conceditur, „donec s. vestes consumentur". Decretum vel potius literae encycl. ad Episcopos datae sunt ex secretaria S. R. C. 28. Julii 1881 (v. Revue des sciences eccl. Ambiens. t. 45 pag. 92): „De casulis ex *gossypio, lino, lana* saepe illicitum declaravit (S. R. C.) usum harum casularum aliorumque paramentorum. . . . Ad tollendam in re tam gravi falsam opinionem, moneantur R. Ordinarii, decreta jam emanata in sua plena vi manere. . . ."

Cingulum etsi convenientius ex lino fit, tamen neque alia materia, neque varius color prohibetur [1].

2. Defectus casulae vel albae tantus censetur, ut fere ne ad Viaticum quidem conficiendum liceat sine illis celebrare: S. Alph. n. 377; reliquae vestes, etsi, quando plures simul desunt, materiam gravis praecepti constituunt, tamen ex necessitate Viatici consecrandi aut scandali evitandi (e. g. si cum scandalo populi diebus festivis Sacrum futurum non esset) licite omittuntur.

3. Color paramentorum praeceptum grave *per se* non constituit, sed solum per accidens, ut si cum scandalo in magna festivitate niger color adhibeatur. Veniale autem praeceptum circa colorem servandum adesse, videtur dici debere. Nam etsi plures auctores (v. S. Alph. n. 378 dub. 5) iique graves hanc rubricam pro directiva tantum habuerint, posteriora S. R. C. decreta usum coloris praescripti inculcando severioribus verbis, ut „servari mandarunt", „esse abusum, qui sit eliminandus" et similibus utuntur, quae praecipiendi vim continere videntur. — Imo pro rerum adjunctis Episcopum posse strictam coloris debiti observationem etiam *sub gravi* urgere, colligitur ex decr. in *Pisana* 19. Dec. 1829 Gard. n. 4653.

Paramenta vero, in quibus omnes colores permixtim habentur, *per se* pro solo colore praedominante servire possunt; attamen S. R. C. in *Decr. auth.* n. 2675 „confusionem colorum" reprobavit quidem, sed „facta potestate Episcopo indulgendi, ut in ecclesiis pauperibus permittat illis uti, donec consumantur". — Ita alias n. 2682 ad 50 prohibuit, quominus paramenta vel flavi vel mixti coloris pro albo, rubro, viridi et violaceo adhiberentur; immo n. 2704 ad 4 reprobavit omnem usum flavi vel caerulei coloris: „Utrum liceat uti colore flavo vel caeruleo in sacrificio Missae et expositione SS. Sacramenti?" R. „Negative". Quod intellige quoad obligationis gravitatem et excusationem secundum prius dicta. — Multo magis autem plene reprobata sunt paramenta *cum textura vitrea* propter periculum, quod creare possint, ne videlicet minutissima fragmenta talis texturae solvantur et in corporale atque sacrum calicem — non sine sacerdotis celebrantis periculo — decidant: *Decr. auth.* n. 2949.

---

[1] Ex S. R. C. *Decr. auth.* n. 2067 ad 7 cingulum potest esse *sericum*, sed congruentius *lineum;* potest esse ex *lana* (*Decr. auth.* n. 3118), coloris paramentorum (*Decr. auth.* n. 2194 ad 3). — Neque supra illud *illicitum* de paramentis statim pro *graviter illicito* sumi debet.

Nihilominus paramenta pretiosa aureis filis contexta usui sacro aptissima sunt, eaque pro colore tum albo, tum rubro adhiberi possunt, imo etiam pro viridi, non autem pro violaceo. Decr. 29. Martii 1851 ad 5. in una *Adriensi, D. auth.* n. 2986, negavit usum *coloris aurei* pro coloribus diversis; at n. 3191 ad V in una *Syren.* dixit: quoad paramenta *ex auro contexta, affirmative,* non tamen pro colore violaceo.

4. Dixi ex sententia S. Alph. n. 377, sine ulla veste sacra, vel etiam 231
sine casula vel alba ex nulla causa celebrari licere (excipiunt, secluso odio sive contemptu religionis, complures — id quod practice vix unquam eveniet — si necesse sit ad vitandam *extremam* necessitatem sive propriam sive alienam). Attamen si ex aliis vestibus sacris etiam aliqua desint, quorum defectus per se certo gravis est, ex gravi omnino necessitate celebrare licere, ut: a) ad Viaticum conficiendum, etsi necessitas *non* sit *extrema,* b) ne *cum scandalo populi,* si oriturum sit, Missa diebus praeceptis omittatur.

Utrum vero propter necessitatem sub a) et b) liceat cum casula vel alba non benedicta celebrare, dubium est, at negare non ausim. Quamquam enim per se eadem prohibitio est celebrandi sine vestibus sacris atque cum vestibus non benedictis (v. Tamb. *meth. celebr.* l. 1 cap. 3 § 2), nihilominus quum sine dubio gravior causa requiratur, ut liceat omnem ornatum omittere, quam cum vestibus non benedictis celebrare, propter longe majorem externi decoris defectum: vestibus non benedictis uti prorsus licere debet, si aliter moribundo sensibus destituto subveniri non possit, sc. si neque sacrum oleum pro unctione adest, neque absolutio propter defectum doloris externe manifestati satis certa est; imo Reuter t. 4 n. 217 *tantam* necessitatem non requirit, sed dicit: „si parochus die festo nullam possit habere albam benedictam, posset celebrare in non benedicta."

5. Rubrica praescribit, ut sacerdos, antequam sacras vestes induat, *veste talari* indutus sit: quare si ob certas causas extra sacras functiones veste talari indutus non est, debet in sacristia vestis talaris pro sacerdotis opportunitate parata esse. Defectus autem per se veniale peccatum nullatenus excedere videtur, ita ut rationabilis causa seu difficultas talarem vestem habendi ab omni peccato excuset.

§ 3.

De ornatu altaris.

1. *Benedictionem* mapparum complures Auctores censent non ex prae- 232
cepto, sed ex decentia fieri; quae opinio S° Alph. (l. c. n. 375 dub. 2) „non videtur improbabilis": quamquam magis inclinat in eam sententiam, quae praeceptum quidem, sed leve esse existimat.

2. Defectus missalis communiter pro gravi habetur propter errandi periculum: attamen si quis moraliter certus est, se omnia ex memoria recitare posse, sine missali pro uno alterove casu, quo inveniri non possit, etiam ex sola devotione licite celebrat; admirationis vero vitandae causa alterum librum ante se habeat. Ita cum Lugo, Tamb. etc. S. Alph. l. c. n. 390 vocans eam „sententiam communissimam". — Nota, missalia sicut reliquos libros liturgicos debere omnino approbationem Episcopi insertam habere cum attestatione, ea in nihilo discrepare ab authentico exemplari: et 26. Apr. 1834 (cf. etiam 27. Febr. 1847 *in Brixiensi*) decreto gen. id solum concessum est, ut libros sine approbatione impressos Episcopus revidendos curet et dein suo clero usum concedat. — Verum ex Bulla

Officiorum ac munerum d. d. 25. Jan. 1897 videntur libri illi permissi esse, si re ipsa in nulla re discrepant ab authenticis. Nam n. 18 *ibid.* dicitur: „In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Epp., Pontificalis romani aliorumque librorum liturgicorum a S. Sede approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat: si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur."

233 3. Sine ullo lumine celebrari tam stricte prohibetur, ut 1) ante consecrationem, si lumen deficiat neque aliud haberi possit, a sacrificio cessari debeat; si vero post consecrationem inceptam, sacrificium prorsus perfici, neque diu (ut per $^1/_2$ horam vel etiam $^1/_4$) interrumpi debet.

2) Ad conficiendum Viaticum plerique etiam censent, sacerdotem sine ullo lumine celebrare non posse: S. Alph. n. 394, Tamb. l. c. cap. 5 § 4; at si agatur de summa necessitate moribundi sensibus destituti, non video, cur non possimus cum Lacroix l. 6 p. 2 n. 392 contrariam opinionem „probabilem", immo valde probabilem dicere, in quam etiam Gobat, Sporer (*de Euch.* n. 381) etc. inclinant. — Sed ex mox dicendis videtur vix non semper defectus *omnis luminis* imaginaria potius necessitas esse.

3) Si *unus cereus* adest, defectus secundi cerei a S. Alph. l. c. ex sese pro defectu *veniali* habetur, a quo quaelibet rationabilis causa excuset, idque sive addatur lumen ex alia materia, sive non.

4) Sine ullo autem cereo, cum solo lumine ex alia materia, ut oleo, sebo, celebrare, *per se* secundum communem sententiam grave peccatum censetur esse; attamen non ita grave, ut non causa mediocriter gravis prorsus excuset: v. S. Alph. l. c. n. 394 dub. 1; immo Gobat, Suarez aliique id pro uno alterove casu ex sola devotione concedunt licite fieri, si cereus haberi non possit [1].

Immo S. R. Congreg. *ex speciali privilegio* propter specialem difficultatem habendi *cereos* permisit in missione Oceaniae usum candelarum ex adipe ceti confectarum (ita 7. Sept. 1850, *Decr. auth.* n. 2985): quod tamen sine facultate expresse accepta ad alios extendi nequit.

5) Plures quam duos cereos accensos habere *in Missa stricte privata* non permittitur nisi solis Episcopis, non aliis, ne *usum quidem Pontificalium* habentibus (S. R. Congr. 7. Aug. 1627): cf. Const. Pii VII. *„Decet Romanos Pontifices"* 4. Julii 1823 et Decr. inserta n. 24; neque in Missa parochiali id permittitur, 7. Sept. 1850 in *„Tiburtina"*. *Decr. auth.* n. 2984. 441. 2624.

---

[1] Adverte etiam responsum S. R. C. anno 1879 datum, quo sacerdoti, qui illarum rerum curam injunctam non habeat, sollicitudo circa defectus occurrentes aufertur. Est autem hoc: „R. D. X. . . . sacerdos exposuit, quae sequuntur S. R. Congregationi ab eaque opportunum responsum implorat, nimirum:

1. „Usus sat generalis in Gallia viget, quod candelae pro Missa non sint ex cera nisi pro minima parte, v. g. quinta vel sexta parte.

2. Item in multis ecclesiis albae pro celebratione Missae adhibentur ex lino quidem ex parte superiore et manicis, sed ex bombacio, vulgo cottone, in tota reliqua et multo majore parte. . . .

„Itaque supplex quaesivit orator, utrum in casu, quo sibi extra ecclesiam, qua *solet* celebrare, necessitas incumbit adeundi, ob confessiones audiendas etc., *sibi liceat* ibi Missam celebrare cum praedictis cereis vel alba, an debeat in praedictis locis a celebratione Missae abstinere?

„S. Congr. . . . in casu rescribendum censuit: ‚Orator acquiescat sententiae sui Episcopi.' Atque ita rescripsit die 8. Martii 1879."

At si Missa, etsi lecta, non est *stricte privata,* sed v. g. pro conventuali Missa, seu coram magistratu etc., haec prohibitio non urget; neque si ratione *solemnitatis* vel *festi* plures candelae accendantur; neque si propter specialem honorem alicujus Sancti *coram ejus imagine,* in medio altaris collocata lumina plura ardeant.

Verum id prohibetur, quominus supra mensam altaris, aut eidem quomodocunque imminentia accendantur lumina *nisi cerea.* Ita *decr. gen.* S. C. R. a Pio VII. confirmatum 3. Apr. 1821: quo prospicere voluit potissimum S. C., ne mappae altaris oleo aliâve materiâ macularentur. — Quare, si alia quam cerea lumina adhibentur, ea aut ad latus extra mensam altaris collocentur, aut in conspectu altaris lampades pensiles appendantur. Gard. n. 4578 ad 7.

4. Crucifixi imago requiritur. Si vero in altari est statua crucifixi, sive pictura Christi e cruce pendentis habetur, altera crucifixi effigies non necessario requiritur.

Crucifixi effigies debet inter candelabra *eminere,* ita ut non a celebrante tantum, sed ab aliis quoque facile conspici possit; neque sufficit parva crux tabernaculo praefixa, quae oculos contuentium fere effugiat: quem usum Bened. XIV. ut abusum eliminandum prohibuit in Constit. *„Accepimus“* 16. Julii 1746.

In SS. Sacramenti expositione sive apponi sive omitti potest crucifixi effigies pro consuetudine. Ita S. C. R. 2. Sept. 1741 in *Aquen.* ad 1, *Decr. auth.* n. 2365.

§ 4.

De interdictione vel exsecratione, et benedictione sacrorum utensilium.

1. *Interdicuntur* sine exsecratione utensilia, quae decenter adhiberi non 234
possunt, praecipue propter sordes: quare tum ante usum ea purgari oportet.

Sufficit hac in re attulisse verba Pii VI. in decr. 5. Dec. 1775: „Una est auctorum omnium sententia, culpae mortalis reos esse, qui cum ornatu sacerdotali notabiliter immundo et lacero Missam celebrant, nulla admissa necessitatis causa.“ Quod idem etiam magis dicendum est de corporali et sacro calice.

2. Concedunt tamen scriptores,

1) necessitatem, ex qua in defectu aliarum rerum liceat uti ita immundis — etsi sit ipsum corporale — esse eam, ne die praecepto populus vel sacerdos Missa careat: S. Alph. n. 376;

2) illud „valde immundum esse“, quo peccatum grave constituatur, non facile occurrere;

3) eos, quibus cura earum rerum non incumbat, neque facile sit habere utensilia nitidiora, multo facilius excusari ab omni peccato, maxime si immundities non sit valde notabilis. Gobat, quem S. Alph. l. c. cum aliis approbans citat, haec habet, *de sacram.* n. 389, ex sua aliorumque doctrina: „Qui praesunt sacristiae, mortaliter peccant, si eorum culpâ fiat, ut vestes et paramenta valde immunda non mundentur, priusquam in iis sacrificatur. Qui vero utitur talibus paramentis, non peccat — ut ait Suarez disp. 81 sect. 3 — si videlicet non possit facile habere munda.“ — Quandonam vero utensilia ‚valde immunda‘ dicenda sint, pro diversitate diversarum rerum juxta prudentem aestimationem judicandum est. — Laymann ita dicit: „Quare plures arbitrantur, peccatum mortale esse, in vestibus aut vasis immundis celebrare. Interdum tamen sacerdos subditus, si Superiorem,

ut vasa mundari vel munda servari curet, admonuerit, nihilque effecerit, excusatur propter sacrificandi necessitatem." *De sacrif. Missae* cap. 6 n. 15.

235 3. *Exsecrantur* vasa vel paramenta sacra, si amittunt formam suam, sub qua benedicta sunt, vel si facta sunt inepta ad usum, pro quo destinantur, aut si nova materia ex magna parte additur: quare post refectionem iterum benedicenda vel consecranda sunt; levior autem reparatio novae consecrationis necessitatem non inducit.

Quare calix exsecratur, si *in fundo* fissuram etiam tenuissimam habet, non vero, si id accidit in *superiore* parte cuppae; si notabiliter contusus est; si laeso pede consistere non amplius potest, vel si pes a cuppa frangitur — nisi forte, ut in calice tornatili, pes a cuppa separabilis est atque sola cuppa consecrationem recepit.

Corporale exsecratur, si propter notabilem lacerationem S. Hostiam cum calice convenienter continere non amplius potest.

Cingulum exsecratur, si ita rumpitur, ut nulla pars tantae magnitudinis sit, ut ad cingendum sufficiat; si absolute sufficit, nihil impedit, quominus ad majorem commoditatem alia pars connectatur.

Alba exsecratur, si manica separatur etc.; casula, si in duas partes dissolvitur, nisi forte duae partes separabiles sunt, solis chordulis connexae (quod si est, haec ipsa est forma casulae, sub qua est benedicta); si notabili ruptione ad suum usum prorsus inepta evasit. Cf. Scav. t. IV. n. 327, qui de stola et planeta loquens satis late extendit integritatem quoad benedictionem, quum tum tandem eas vestes *propter reparationem* denuo benedicendas esse dicat, si novi panni assuti superent reliquam partem, quae manserat; at ne tum quidem, si haec renovatio *paulatim* facta sit. Quae rectissime dicuntur, nisi tamen in reparatione forma dissoluta fuerit.

236 4. *Benedictionem* earum rerum sacrarum, quae solum benedicuntur, quamquam ex sese Episcopus simplici sacerdoti committere nequit, tamen saepe ex privilegio a S. Sede accepto potest.

Regularium Superiores praeterea ex variis privilegiis etiam hanc benedictionem impertire possunt, at per se pro suis ecclesiis tantum; idque post Alex. VII. indubium est: v. S. Alph. n. 378. Si vero pro alienis ecclesiis benedixerunt, illicite quidem egerunt, at num sacra utensilia nova benedictione indigeant, magis dubium est. Imo quando benedictio data est a sacerdote, qui nullatenus hanc benedicendi facultatem habeat: sunt quidem qui putent, benedictionem non esse iterandam; at id satis probabile non videtur, ut colligere licet ex S. R. C. *D. auth.* n. 2119. Cf. Hartmann (*repertor. rituum* ed. 5 § 131), qui opinatur, si res usui sacro jam fuerit atque de ea benedictione agatur, quae delegari soleat, illam iterandam non esse; imo eam vestes sacras benedicendi facultatem in necessitate a parocho praesumi posse (*op. laud.* ed. 5 § 203): puto tamen, haec benignius esse dicta.

5. Inter sacra utensilia sic benedicenda probabiliter etiam collocanda est pyxis seu ciborium, et lunula ostensorii; idque extra necessitatem practice faciendum est. At quum multorum opinio sit (Suarez, Lugo, Vasquez, Sylvius, Sporer), quam S. Alph. (l. c. n. 385) dicit „non videri improbabilem", benedictionem non ex praecepto, sed ex decentia tantum requiri, aliquando mitius agere licet.

237 Scholion. Pauca notanda supersunt de cultu sacris vasibus debito.

1) Vasa sacra, quum sacras species continent, citra peccatum mortale tangi non possunt ab eo, qui non sit saltem in ordine diaconatûs constitutus.

2) Vasa sacra, dum S. Eucharistiam non continent, extra necessitatem a laicis tangi, veniale peccatum est: scil. calicem, patenam, ciborium, lunulam ostensorii; item corporale, pallam, purificatorium post usum sacrum nondum lota.

3) Permittitur tactus harum rerum sacrarum tum ex consuetudine tum ex privilegiis: a) omnibus clericis tonsuratis, b) laicis regularibus sacristis, c) monialibus sacristis. S. Alph. n. 382.

4) De lotione fere idem dicendum est ac de tactu, exclusis tamen monialibus atque laicis sacristis: imo decentius fit a personis in ordine *sacro,* saltem subdiaconatûs, constitutis; quamquam probabile est, etiam primam lotionem a solo clerico tonsurato fieri posse (S. Alph. n. 387); a laico vero eam fieri, nisi justa causa excuset, *veniale peccatum* est (ib.) — Aqua lotionis in sacrarium mittenda est. Quae si in alium locum decentem mittitur, mortale peccatum quidem non est, at veniale (S. Alph. ib., Reuter l. c. n. 211), nisi necessitas quaedam excusat. (Cf. Lacroix l. c. n. 334 etiam mitius sentientem.)

Articulus III.

Praescripta ipsum ritum sacrum celebrandi spectantia.

§ 1.

De rubricis generatim.

I. Rubricae, quae disponunt circa ea, quae ante vel post Missam 238
agenda sint, probabiliter non pro praeceptivis, sed pro directivis tantum haberi possunt; i. e. earum violatio per se veri nominis peccatum non est, minorem tamen convenientiam redolet, nisi forte justa causa aliter agendi adsit, aut rubrica aequivalenter impleatur. S. Alph. n. 399. Quae recenti tempore pro severiore interpretatione congeruntur, nova non sunt, sed jam a veteribus auctoribus expensa, neque tamen pro concludentibus sunt existimata.

II. Rubricae, quae res intra Missam servandas disponunt, generatim praeceptivae sunt, idque graviter aut leviter pro subjecta materia; attamen multi scriptores inter has ipsas rubricas quasdam esse censent, quae mere directivae sint, ut ex infra dicendis patebit.

III. Quod de rubricis dictum est, etiam observari potest de S. R. C. responsis: ex quibus, nisi praecipiendi seu sub peccato obligandi vis exprimatur, strictam obligationem non semper eruere licet.

IV. Utrum vero defectus, qui sive in actionibus sive in precibus praescriptis committatur, gravis sit an levis, multum pendet ab eo,

1. utrum reverentia S. Sacramento ex sese, an ex lege solum humana debita laesa sit;

2. utrum defectus occurrat in nobiliore Missae parte, vel in ea re, quam Ecclesia propter mysticam significationem maximi aestimet, an in alia;

3. utrum defectus materialiter notabilis seu in magna quantitate sit, necne.

Ceterum opinio communis DD. respicienda est.

Quare 1. Orationes, quae pro praeparatione ad Missam vel gratiarum actione in missali et breviario habentur, non inferunt *praeceptum,* siquidem *pro opportunitate sacerdotis* dicenda dicuntur: modo alia ratione fiat praeparatio et gratiarum actio.

2 Orationes in recessu ab altari dicendae, i. e. „Benedicite“ cum precibus, verene ex praecepto imponantur, non constat: quare qui alias preces devotius recitat, hac commutatione non peccat. — Preces, quae in induendis vestibus dicendae sunt, communius habentur pro praeceptis sub veniali; quamquam etiam de hoc alii, ut Suarez, dubitant.

Intra Missam stricte sumptam, quae a rubricis praescripta inveniuntur, referri possunt sive ad qualitatem Missae, sive ad singulas partes et orationes recitandas, sive ad rituales actiones exercendas.

§ 2.

De qualitate Missae particularia quaedam.

239 1. Qualitas Missae de praecepto quidem est, at non de gravi, secluso scandalo et contemptu, vel nisi frequenter diebus vetitis Missae diei non convenientes dicantur. Cf. S. Alph. n. 420 cum innumeris auctoribus.

2. Missa in aliena ecclesia debet hujus ritui esse conformis, idque ita quidem, ut qui, habens officium ritus duplicis, celebret in ecclesia habente ritum inferiorem, possit celebrare Missam votivam vel de Requie. Decretum S. R. C. d. d. 9 Julii 1895, approb. a Leone XIII d. 9 Dec., abrogatis suprema auctoritate Rescriptis seu Decretis tum particularibus tum generalibus contrariis, hoc est:

„Omnes et singuli sacerdotes, tam saeculares quam regulares, ad ecclesiam confluentes vel ad oratorium publicum,[1] Missas quum Sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent officio ejusdem ecclesiae vel oratorii conformes, sive illae in Romano, sive in Regularium Missali contineantur: exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis.

„Si vero in dicta ecclesia vel oratorio officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex celebrantibus liberum sit, Missam de Requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria: iis tamen exceptis diebus, in quibus praefatas Missas Rubricae Missalis Romani vel S. R. C. decreta prohibent.“

NB. Si celebratur in sacellis privatis — idque etiam intellige de secundariis sacellis regularium vel monialium —, celebrans *suum* calendarium prorsus sequi debet: imo etiamsi officium est de *Beato*, cujus Missam in aliena ecclesia dicere non potest. (Decr. 16 Apr. 1853 Gard. n. 5183 ad 14.)

240 3. Quaenam orationes in diversis Missis *de Requie*, dicendae sint, v. rubricas, easque reformatas decr. S. R. C. d. 30 Junii 1896 videlicet:

„I. Unam tantum esse dicendam orationem in Missis omnibus, quae celebrantur in commemoratione OO. fidelium def., *die* et *pro die* obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis permittente ritu diebus III, VII, XXX, et die anniversaria, necnon quandocunque pro defunctis Missa *solemniter* celebratur, nempe sub ritu, qui duplici respondeat, uti in Officio, quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in anniversariis late sumptis.

„II. In Missis quotidianis quibuscunque, sive lectis sive cum cantu, plures esse dicendas orationes, quarum *prima* sit pro defuncto vel defunctis certo designatis, pro quibus sacrificium offertur, ex iis quae inscribuntur in Missali, *secunda* ad libitum, *ultima* pro omnibus defunctis.

„III. Si vero pro defunctis in genere Missa celebretur, orationes esse dicendas, quae pro Missis quotidianis in Missali prostant; eodemque ordine, quo sunt inscriptae.

---

[1] Oratoriis publicis hac in re accensentur sacella piarum communitatum, collegiorum, hospitalium etc., dummodo agatur de sacello *principali:* S. R. C. 22 Maji 1896.

„IV. Quodsi in iisdem quotidianis Missis plures addere orationes celebranti placuerit, uti rubricae potestatem faciunt, id fieri posse tantum in Missis lectis, impari cum aliis praescriptis numero, et orationi pro omnibus defunctis loco assignato.

„V. Quod denique ad Sequentiam attinet, semper illam esse dicendam in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis, quae diebus ut supra privilegiatis fiunt: in reliquis vel recitari posse vel omitti ad libitum celebrantis juxta rubricas. Contrariis non obstantibus quibuscunque."

NB. Ex speciali igitur diversorum Regularium Missali licet nunc speciales Missas Regularibus concessas cuilibet in eorum ecclesiis celebranti sumere, ritum tamen quibusdam Ordinibus proprium adhibere non licet. Quare supervacaneum est, enumerare ea Regularium Missalia, quibus per speciale indultum jam antea uti licebat omnibus sacerdotibus extraneis apud Regulares celebraturis.

§ 3.

De singulis Missae partibus atque orationibus.

Quamquam summâ curâ omnia secundum rubricarum normam 241
recitanda sunt: tamen non omnis omissio materiam gravis peccati constituit. Pro dijudicanda gravitate maxime videndum est, 1) in quanam Missae parte verseris, utrum in Canone, an in partibus accessoriis; 2) utrum, quod omittitur, sit pars quaedam, quae in qualibet Missa occurrat, annon. Nam partem seu orationem, quae in qualibet Missa occurrat, omittere multo facilius grave peccatum est, quam partes extraordinarias; dein in Canone aliquam orationem omittere multo facilius gravis materia est, quam extra Canonem.

Quare communiter sic statuitur (vide S. Alph. n. 403 etc.):

1. Quamlibet orationem Canonis in se aliquo modo completam omittere, aut notabiliter mutare, ita ut sensus plane desit, grave peccatum est. — Utrum autem solum „Agnus Dei" vel similia omittere grave peccatum ratione materiae sit, vere non videtur satis constare.

S. Alphonsus etiam pro gravi habet, omittere circiter decem nomina Sanctorum in Canone.

2. Omittere purificationem patenae (nisi forte inspexeris et nullam adesse sacram particulam videris) vel calicis, certe peccatum grave est propter gravem irreverentiam SS. Sacramento illatam.

3. Grave etiam est, omittere fractionem et commixtionem hostiae cum S. Sanguine, quia haec caerimonia semper pro gravissima habita est propter mysticas significationes, imo gravior quam infusio modicae aquae in vinum consecrandum, de cujus gravi obligatione dubium non est.

4. Extra Canonem omittere alias partes integras, quae in omni Missa occurrant, etiam pro gravi habetur, ut:

omissio confessionis cum omnibus, quae in principio Missae occurrunt;

omissio epistolae cum sequentibus tractu, graduali etc.;

omissio evangelii — non vero omissio ultimi evangelii; neque censetur gravis omissio, si in Sacro solemni sacerdos epistolam et evangelium, quae cantantur a subdiacono et diacono, privatim non recitet, siquidem potior pars hujus Missae est epistola et evangelium cantatum: at ne veniale quidem peccatum esse, non satis probabiliter dicitur, quum rubrica et decreta S. R. C. haec omnia a sacerdote submissa voce dici jubeant. S. Alph. n. 410 dub. 4;

omissio collectarum, quae sunt ipsius Missae propriae, aut etiam duas,

i. e. primam orationem cum ejus secreta sive cum ejus postcommunione omittere: omissio autem orationum, quae solum *commemorantur* vel ut *imperatae* dicuntur, non est *gravis*, licet materia omissa longe amplior sit[1]; omissio *complurium precum*, quae ab Offertorio usque ad Canonem secretae dicuntur, gravis est, non tamen singularum omissio.

5. E contrario *veniale* peccatum est, omittere Gloria, Credo; specialia, quae occurrunt festivis temporibus in Canone; neque censetur grave unam alteramve epistolam superadditam vel secundum Spörer omnes supernumerarias in Missis Quatuor-temporum omittere, aut sequentias certorum festorum. — Non plane constat esse peccatum grave in hebdomada sacra Passionem omittere, recitando solam ultimam partem, quae pro evangelio sumitur: verum si quis fortuito impedimento detineatur, quominus Missam tam longam dicere possit, devotione tamen aliave causa ad celebrandum impellatur, praestet aliam Missam, ut votivam de Passione, sumere, quam ex Missa illorum dierum Passionis historiam omittere. Nam illam votivam Missam sumere, etsi per se peccatum sit contra rubricas, at certe veniale tantum, et ex causa mediocriter gravi licebit sine ulla culpa id facere.

242 6. Addere aliquid in Missa ex mente inducendi novum ritum, *grave* peccatum est.

7. Ex importuna devotione aliquid addere, quod a forma Missae non discrepet, ut aliquam collectam, peccatum veniale non excedit. Imo S. Alph. putat n. 411, ex aliqua causa licere unam collectam in Missa addere, attamen satius esse rubricam servare.

8. In Sacro solemni, dum a choro cantatur, a ministris alias preces e. g. officium divinum recitari, S. R. C. reprobat: at si est urgens ratio id faciendi, non videtur ullum peccatum esse.

9. Devotionis causa per modum suspirii oratiunculam jaculatoriam a sacerdote celebrante interponi, quando propter actiones a prosequendis

---

[1] Non raro opinionum diversitas invenitur, quando quaerunt, num oratio *imperata* dici debeat vel possit in festis I. et II. cl. — Tempore Conc. Vatic. orationem de Spiritu S. ita praescriptam fuisse, ut deberet in *quolibet* festo addi, notum est. Verum haec regula pro communi haberi nequit, quum *suprema* auctoritas, quae hoc praescripsit, communibus regulis non subjaceat.

Quod autem aliqui dicunt, Episcopos posse orationes imperare etiam pro diebus I. et II. cl., id, si de singulari aliqua necessitate, et de oratione non habitualiter, sed uno alterove certo die dicenda dicitur, id verum esse poterat antea ex responso quod dederat S. R. C. in *Tuden.* 7. Sept. 1816 ad 22 et 23: „Si oratio praecepta sit pro re gravi, dicenda erit in dupl. I. cl. sub unica conclusione, et in dupl. II. cl. sub *sua* conclusione; si non sit pro re gravi, omittenda in dupl. I. cl., in dupl. II. cl. arbitrio sacerdotis.“ — Verum hoc decretum, quod refertur in collectione Gardelliniana n. 4526, atque etiam decretum in *Namurcensi* d. d. 23. Maji 1835 (Gardell. n. 4746) expuncta sunt ex nova collectione *Decr. auth.* Ubi relicta sunt sola decreta in *Assisiensi* d. d. 15. Maji 1819 et *Ord. Minorum* d. d. 16. Apr. 1853 (Decr. auth. n. 2597 ad 2 et n. 3009 ad 3); quorum posterius ita habet: „Collecta pro re gravi imperata potestne dici in dupl. I. cl. et in Missis, quae unicam orationem (tantum) admittunt.“ . . . Resp. „Negative in omnibus.“ Decr. n. 3009 habet haec: „Negative in dupl. I. cl., ut alias responsum fuit; quoad dupl. vero II. cl. ad libitum celebrantis legi vel omitti poterit collecta imperata in Missis privatis tantum, in conventuali et solemni omittenda.“ Decret. illud in Gardell. invenitur sub n. 4526 ad 2. notis illustrata, quibus ostenditur, etsi S. Pontifex jubeat dici collectam pro re gravi, in festis I. cl. eam non esse dicendam, nisi scil. id *expresse insuper* mandatum sit.

liturgicis precibus impediatur — ut in elevatione, post sacrarum specierum sumptionem, vel dum finem cantûs exspectat — minus quidem convenire videtur, ita ut praestet, sola mente affectus divinos ciere, attamen pro peccato, etiam veniali tantum, id ducere non possumus.

10. Si quis ex errore et oblivione aliquid omisit: quando ex ipsa materia leve est, ne repetendo resumat. Aliter, si quid notabile est, atque sine offensione aliorum (uti fit, quando ex iis, quae secreto recitantur, aliquid omisit) omissa resumere potest; id enim pro gravitate materiae tunc facere debet, quando *brevi* post, seu post pauca verba, errorem advertit.

Quare Gloria, Credo et similia ne unquam sacerdos resumat; neque epistolam, evangelium etc., si unum pro altero sumpserit, nisi forte ab initio falsae epistolae etc. errorem animadvertat.

11. Illa, quae alta voce recitanda praescribuntur, voce omnino sub- 243
missa recitare per modum *secretae* recitationis, a peccato veniali non excusatur, nisi forte justa causa infirmitatis etc. adsit; at deprimere vocem, relicta tamen aliqua distinctione inter hanc et inter secretam recitationem, ex qualibet rationabili causa licet, imo si alii sacerdotes in propinquo celebrent, ipsa rubrica omnino monet, ut celebrans ita vocem moderetur, ne alios perturbet.

E contrario ea, quae secreto dicenda sunt, tam alta voce dicere, ut in magna distantia a populo audiantur, censetur tum grave peccatum, quando notabilem partem, praesertim Canonis, vel sola verba consecrationis sacerdos ita pronuntiet. (S. Alph. n. 416 dicit, si ad 40 passus audiri possit sacerdos, sibi grave peccatum videri; sed, ait, „quis nisi mente captus hoc facturus est? deberet enim tunc toto conatu vocem elevare".) Alias peccatum quidem est, sed veniale tantum; imo si sacerdos a solis ministris auditur, nullum peccatum est, quum vere sic recitando modum secretae recitationis non necessario excedat. Insuper quis vitio vertat sacerdoti in sacellulo angusto celebranti, si submissa quidem voce utens, non tanto conatu eam deprimat, ut non cuilibet ex praesentibus, qui erectis auribus audiat, vox imperceptibilis maneat?

Imo nimis secreto verba proferre periculosius est, quam paulo altius. Qui enim ita submisse loquitur, ut ne se ipse quidem audire possit — secluso strepitu forte excitato — si de verbis consecrationis agitur, facile graviter peccat, eo quod consecrationem facile *dubiam* facit. (Ita recte S. Alph. n. 414.) Nam sacramenti forma sensibili et audibili modo omnino dici debet, ut *sit* forma. Si vero de reliquis precibus agitur, grave peccatum non est, modo voces vere proferantur et efformentur syllabae; at a veniali id non videtur excusari posse, quum contra claram rubricarum dispositionem sit . . . — Similiter dic, si ex praecipitantia quaedam verborum mutilatio fiat, salvo tamen sensu et secluso scandalo.

12. Cum voluntaria distractione Sacrum peragere ita censent peccaminosum, ut auctores etiam benigniores, e. g. Tamb. *meth. celebr. Missam*, l. 2. c. 3 n. 9, quem S. Alph. n. 410 dub. 5. approbans affert, dicant, mortale peccatum esse, *per notabile tempus intra Canonem Missae* plena voluntate alienas res, ut quaestionem philosophicam, negotia domestica mente tractare; S. Alph. idem tenet de solo tempore consecrationis, quum pars omnium nobilissima sit, compluribus aliis scriptoribus, ut Lacroix, Mazzotta, durius videtur, pro *mortali* peccato id habere. Voluntaria igitur distractio extra Canonem, etiamsi diutius producatur, pro *mortali* peccato statui non potest, at certo pro aliquo peccato inter venialia graviore.

§ 4.

Actiones rituales speciatim consideratae.

244 1. Ante omnia notandum est, sacerdotem non debere solum celebrare, sed requiri ministrum masculum, ita ut gravis peccati defectus sit aut *nullum ministrum* haberi, aut feminam ministrare *ad altare*. Permitti tamen potest, ut, *alio ministro deficiente*, femina, praesertim sanctimonialis, respondeat e longinquo, atque sacerdos solus sibi in altari omnia subministret, idque sive ex necessitate, sive vi consuetudinis ex rationabili causa. S. Alph. n. 392, Reuter p. IV. n. 216. — Imo quoniam ratione rei grave peccatum non sit, mulierem sic e longinquo vice ministri fungi, etiam ubique causa ex devotione celebrandi sufficere potest, ut omne peccatum exsulet. Cf. Craisson *Manuale* n. 3687. — Ad altare autem ministrare feminam nunquam permittitur, sed potius sine ullo ministro, si sit necessitas, Sacrum peragi debet.

Licet igitur sine ministro celebrare, approbante S. Alph. l. c.:

a) ob conficiendum Viaticum; b) ut populus audiat Missam diebus praeceptis: verum tum saltem aliquis accedere potest, qui porrigat urceolos et similia, etsi nequeat respondere; c) ut ipse sacerdos diebus praeceptis satisfaciat obligationi audiendi Sacri: quamquam si minister deest, sese etiam pro excusato habere potest, quando aliam Missam audire nequit; d) si minister, postquam sacerdos jam notabiliter processit in Missa, abscedat, neque brevi reversurus sit (Craisson n. 3683 approbans refert sententiam „maxime, si *facta oblatione* minister abscesserit").

Cum ministro, qui nesciat respondere, celebrare, ex minore necessitate licet, quam sine ullo ministro. Dein notant passim scriptores, ne sacerdos sibi scrupulum faciat, si minister male pronuntiet; sed ut tunc, si commode fieri possit, ipse suppleat, si non possit, abstineat ab omni correctione, ne se aliosve turbet. Reuter l. c. n. 216, S. Alph. n. 391.

245 2. Benedictiones, genuflexiones, inclinationes in rubricis notatae sub peccato fieri debent; harum igitur omissione vel nimia in iis acceleratione *venialiter* per se peccetur, nisi notabilis deordinatio a scandalo vel contemptu vix immunis mortale peccatum efficiat.

Qui vero ex infirmitate vel simili causa non omnia haec ad amussim servare possit, nihilominus licite celebrat, maxime in loco privato, aut etiam publico praevia populi monitione vel notitia infirmitatis jam aliunde habita. — Si autem notabilis defectus externi decoris inde oriturus est, petenda est venia Ordinarii vel pro rei gravitate Summi Pontificis, ut: si celebrans indiget assistentia alterius, quo sustentetur, aut si tantum sedendo celebrare potest, aut habitualiter capite pileolo cooperto celebrare debet, aut si, carente manu, solâ manu arte confecta uti neque aliter sacras species tangere potest.

3. Capite igitur cooperto celebrare non licet, sicque *totam* Missam peragere *sub gravi* sacerdos vetatur sine dispensatione Sedis Apostolicae, quae tamen consuevit in facultate danda tempus Canonis excipere: Ben. XIV. *de sacrif. Missae* l. 1 c. 9 n. 3, S. Alph. n. 397 ex decreto Urb. VIII. et S. R. C. At extra Canonem pileolo uti, grave non censetur (ib.); quare ex rationabili causa repentinae infirmitatis id una alterave vice facere illicitum non est (v. Ben. XIV. *de sacrif. Missae* l. c.). — Uti vero capillis ficticiis (perruque), Innoc. XI. quondam sub poena suspensionis prohibuit

atque vetuit, ne Episcopi aut Nuntii Apostolici hanc licentiam concederent: attamen in aliquibus regionibus consuetudo contraria hanc severitatem temperavit.

4. Rubrica praescribit, ut purificatio calicis *vino* fiat et sequens digitorum ablutio vino et aqua — in qua, ut recte De Herdt advertit, plus aquae quam vini sumendum est, quo certius omnis species vini consecrati desinat. Quare aut sola aqua uti, aut pro digitorum ablutione solo vino, *per se* aliquod peccatum *veniale* est; attamen neutra laesio rubricae plus quam veniale peccatum est: v. Lacroix l. 6 p. 2 n. 423, Gobat n. 852. Rationabilis autem causa casualis omnino excusat, ita ut propter defectum vini licite aliquis pro purificatione sola aqua uti possit. — Si quis vero habitualiter vini nauseam patiatur, ac propterea optet pro utraque ablutione semper aqua sola uti, saltem expediat a S. Sede facultatem petere; quam ob eam causam datam esse constat.

5. Quod maximi momenti est in sacris actionibus liturgicis, id 216
est, quod respicit reverentiam S. Sacramento lege naturali debitam et ipsius sacrificii essentiam et integritatem, vel actiones, quae specialem mysticam significationem continent. Ut praecipua hoc loco simul commemorem, repeto: 1) Omittere purificationem patenae vel calicis — peccatum grave irreverentiae est propter certam profanationem reliquiarum S. speciei, vel saltem ejus profanationis grave periculum, nisi forte, *inspecta patena*, sacerdos certo conspexerit, nullam particulam adesse.

2) Omittere mixtionem aquae ante consecrationem, *grave* peccatum censetur.

3) Idem a fortiori dicendum de omittenda fractione hostiae, ejusve particulae cum S. Sanguine commixtione. Addo:

4) Missam abrumpere, praecipue si sacrificium ipsum imperfectum relinquitur, nisi gravissima ratio urget, peccatum omnino grave est.

Sc.: a) Si incursus hostium imminet, aut alias periculum mortis aut Ss. Sacramenti profanationis adsit, sacerdos, sive unam sive duplicem consecrationem perfecerit, S. Sacramentum aut statim debet consumere aut fugiendo secum auferre, ut in loco tuto consumat, modo periculum sit in mora.

b) Quando, incepta consecratione, eâque aut certo aut dubie factâ, sacerdos deficit: si post aliquod tempus, etsi paulo longius, vires resumpturus videtur, etsi jejunus manere nequit, exspectandum est, ut ipse sacerdos Sacrum suum postea perficiat. Si vero ipse perficere illud nequit, alter sacerdos inquirendus est, qui perficiat, resumendo ea, quae dubie tantum a priore perfecta sunt; atque si jejunus adest, ille Sacrum perficere debet, alioquin etiam non jejunus; imo in alterius defectu etiam sacerdos irregularis, excommunicatus etc. *debet* omnino Sacrum perficere, praemissa tamen contritione: quae quum semper, adstante divina gratia, suo tempore elici possit, non datur excusatio pro sacerdote excommunicato, qua declinet novum peccatum grave, nisi Sacrum illud perficiat, siquidem *legis divinae* est, ne sacrificium mancum relinquatur.

Qui vero sic perfecit alienum sacrificium, eum non posse eodem die aliud Sacrum celebrare, jam supra dictum est n. 210. Neque ita rem componere licet, ut secundus sacerdos sacras species ab altero consecratas secum afferat atque in Sacro a se tum incipiendo simul consumat. Sic enim vere imperfectum relinquitur sacrificium.

Si vero intra horam circiter compleri sacrificium non potuit: *obligatio* perficiendi non videtur amplius adesse (S. Alph. n. 355), quia non jam certo est moralis unio; at *licebit* etiam *post plures horas* (Tamb. putat etiam post 7 horas id faciendum esse), imo si idem sacerdos, qui incepit, vires resumpsit, videtur id prorsus decere, ut fiat.

247 c) Si necessitas aliena acciderit, eaque forte omnino gravis (v. g. si agitur de moribundo baptizando, absolvendo, aut sensibus destituto ungendo), sacerdos etiam post consecrationem Missam interrumpere debeat, atque sacris speciebus reverenter inclusis, vel custoditis, postea — etsi post aliquot horas — Missam prosequatur. Si vero consecrationem nondum inceperit, et diuturna interruptio, ut horae unius, fiat, potius Missam ab initio resumere debeat: panem et vinum oblatum postea sumpturus. V. S. Alph. l. c. cum aliis.

Quando autem necessitas ita gravis non est: Missa, saltem post consecrationem, interrumpi non debet, e. g. pro solo Viatico dando aegrotis, qui sufficienter adjuti sint per absolutionem neque putari possint relapsi esse in aliquod peccatum, nisi forte aegrotus ita vicinus sit, ut sacerdos, vestibus sacris non depositis, eum adire possit. — Si vero pro sola devotione aegrotus Viaticum iterato sumere velit, aut si periculum in mora non sit: etiamsi agatur de consueto tempore pro Communionis distributione intra Missam, ad aegrotum accedere sacerdoti non licet, nisi ipse *in conspectu altaris* maneat. Ita S. R. C. 19. Dec. 1829: *D. auth.* n. 2672 [1].

d) Ante offertorium ex causa mediocriter gravi licebit Missam interrumpere, eamque pro subortis causis postea aut prosequi, aut denuo incipere. V. g. si nuntius affertur, sacerdotem, quem postea Sacrum solemne celebraturum esse putaverunt, impedimento detineri: licebit Missam inceptam relinquere et postea Sacrum solemne facere. Ita 3. Julii 1869 in *Marianopol.* „dummodo adstantes moneantur" — neque tunc expedire, ab eodem sacerdote potius bis celebrari: ita ibid. Gard. n. 5440.

Appendix.

248 Praecipua gravia peccata, quae in celebratione occurrere possunt, sunt haec:

---

[1] Verum hoc videtur prohibitum esse eo sensu, ut non liceat Missam *interpositis aliis precibus* interrumpere; liceat tamen solum Communionem administrare. Nam d. 7. Febr. 1874 (*D. auth.* n. 3322) S. R. C. interrogata de Communione *infra Missam:* „An recitato ad altare *Confiteor . . . Domine non sum dignus,* possit permitti, quod sacerdos cum pyxide sine velo humerali deferat ad infirmos Sacram Communionem saltem a duobus candelas deferentibus comitatus, . . . [idque] non solum in toto valetudinario sive a parte ant. sive a parte post. altaris, sed etiam in aliquibus cubiculis, ex quibus, etsi altare non videatur, tamen vox sacerdotis celebrantis auditur?" Resp. *„Nihil obstat, dummodo tamen in delatione SS. Sacramenti umbella omnino adhibeatur."*

1. Bis in die sine legitima facultate celebrare.
2. Sine legitima facultate hora ante tempus celebrare.
3. In dicenda Missa scandalose properare, ut si Missa, etsi brevior, infra horae quadrantem absolvitur.
4. Sine legitima facultate extra ecclesiam vel oratorium publicum celebrare.
5. Sine legitima facultate altari exsecrato uti.
6. In ecclesia vel altari polluto celebrare.
7. Sine sacris vestibus iisque benedictis, aut sine aliqua earum notabiliore, aut cum vestibus *valde* immundis vel laceris celebrare.
8. In calice non consecrato celebrare.
9. Excepta necessitate gravi, sine corporali ex lino vel cannabe, eoque benedicto, aut cum notabiliter immundo celebrare.
10. Sine ulla mappa altaris, aut — nisi gravissimam necessitatem excipias — sine lumine celebrare.
11. Seclusa gravi necessitate, sine ministro celebrare.
12. In Missa caerimonias aut orationes notabiliter negligere: quae notabilis materia intra Canonem facillime aderit.
13. Notabilem partem eorum, quae secreto dicenda sunt, *omnino alta* voce dicere.
14. Intra Canonem per notabile tempus distractionem omnino voluntariam fovere.
15. Post notabilem Missae partem absolutam Missam prorsus interrumpere sine necessitate.
16. Facta consecratione, etsi prima tantum, sacrificium, nisi perficere impossibile sit, imperfectum relinquere.

Tractatus V.

Sacramentum Poenitentiae.

Cf. S. Thom. III. q. 84—90 et Suppl. q. 1—28, S. Alph. l. 6 n. 425—705, Lugo *de poenit.*, Suarez *in III S. Thom. disp^es 38 de poenit.*, Sporer *theol. sacramental.* p. 3, Elbel *theol. sacramental.* p. 2, Gobat *experiment. theol.* tr. 6 et 7, Stoz *tribunal poenit.*, Tamburini *meth. confess.*, Navarrus (Azpilcueta) *manuale confess.* (maxime cap. 1—10 et 26 seqq.). — Alios scriptores vide infra ad singula capita.

Sacramentis baptismi, confirmationis, Eucharistiae ea completa 249
sunt, quae per se ad christianam perfectionem personalem pertinent. Nam sacramenta matrimonii et ordinis primarie socialem utilitatem et perfectionem respiciunt, quamquam eos, qui in sociali vita statum alterutri sacramento correspondentem eligunt, vere personaliter etiam sanctificant; sacramentum vero poenitentiae cum extrema unctione, suo complemento, medium sanctificationis non per se, sed per accidens necessarium est, etsi re ipsa illius necessitas atque utilitas quam latis-

sime patet. Necessitas enim ex voluntario lapsu hominum oritur, quo fidei in baptismo datae tam facile obliti, gratiam et amicitiam divinam abjiciunt atque in miserrimo statu peccati, ex quo per misericordiam Dei erepti atque per priora sacramenta ad divinam excellentiam et quasi cognationem evecti erant, sese denuo libere collocare audent.

Nam „si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in baptismo ipsius beneficio et gratiâ susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitae remedium contulit, qui se postea in peccati servitutem et daemonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet poenitentiae, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur". Trid. sess. 14 cap. 1.

Atque in hoc ipso sacramento mira potestas hominibus a Deo collata elucet, quae sacerdotalis dignitatis complementum est. Ut enim in S. Eucharistiae sacramento Christus Deus-homo se ipsum sacerdoti subjecit, ut per eum eucharisticam exsistentiam et praesentiam acciperet, conservaret, amitteret: ita in sacramento poenitentiae membra sua mystica, quotquot per fidem et baptismum Ecclesiae aggregati sunt, sacerdotis potestati subjecit, ut ejus opem ejusque judicialem sententiam adire deberent ad peccatorum remissionem consequendam et ad jus eucharisticae dapis peccato amissum sibi denuo restaurandum.

250 Verum etiam labor sacerdotum et confessariorum maximus in poenitentiae sacramento rite administrando consistit, quo impigre pro Domino suo obeundo fidelitatem et amorem imprimis probent, eique quodammodo vices reddant, peccatores pretiosissimo Christi Domini sanguine redemptos Redemptori suo reducendo atque ab infernali hoste vindicando.

Laborem hunc sacerdos rite subire nequit, nisi scientia et prudentia necessarium subsidium sibi comparaverit. Quanta autem scientia ad munus confessarii rite obeundum opus sit, ex multiplici officio ostenditur, quo in hujus sacramenti administratione sacerdos fungitur; quam gravis vero hujus scientiae acquirendae sit obligatio, ex illius sacramenti necessitate ac frequentissimo usu elucet. Bonus enim confessarius et peccatores lapsos ad divinam amicitiam reducit, et qui restaurati sunt, in divina gratia conservat; qui autem perfunctorie illo munere fungitur, fideles quam plurimos maxima parte saluberrimorum sacramenti fructuum privat.

Gravissima autem munera atque multiplex officium, quod sacerdoti in confessionali incumbit, ex singulari hujus sacramenti natura petuntur. Non enim hoc tantum — quod in quibuslibet sacramentis administrandis occurrit —

1) quibus sacramentum constet quaeque ad valorem illius pertineant, probe debet tenere, sed judicium etiam de peccatis exercere debet.

2) Propterea scire debet diversorum peccatorum rationes et species: quibus modis contra diversas leges homo peccare possit — quanam

malitia et gravitate. Praeterea dispositionem internam poenitentis dijudicare debet ejusque voluntatem divina mandata in posterum servandi.

3) Perspectas igitur habere debet diversas obligationes, quae tum in communi, tum ex singulari statu hominibus oriuntur, ut et poenitentis sinceram voluntatem probet, et ignaros doceat vel pro diversis adjunctis prudenter quaedam dissimulet.

4) Debet saepe poenitentem indispositum disponere adeoque dexteritate pollere eum flectendi, remedia apta et poenitentias aptas imponere.

5) Insuper — id quod non levem difficultatem creat — in multis iisque diversis opinionibus, quae praxim spectant, apprime versatus esse debet. Multa enim in iis, quae ad mores attinent, non adeo certa et definita sunt: quare in sanis doctrinis et sententiis eligendis prudens esse debet, ne in nimium rigorem neve in laxitatem ejus agendi ratio degeneret.

Tota quidem theologia moralis magis minusve propinque confessarium erudiendi curam suscipit, quum tota in iis versetur, quae in dijudicandis variorum hominum obligationibus atque peccatis et virtutibus scitu necessaria atque utilia sunt: proxime tamen in explanando poenitentiae sacramento ea tradenda sunt, quae tum poenitentem ejusque instructionem, tum confessarium ejusque munus respiciunt.

Omnia autem, quae notanda occurrunt, in tres vel quatuor partes facile dividere possumus, ita ut prima sectione tractemus ea, quae *naturam poenitentiae,* et ut virtus et ut sacramentum est, explanant; secunda sectione ea, quae *subjectum poenitentiae ejusque actus* spectant; tertia sectione, quae ad *ministrum ejusque potestatem atque officium* pertinent; quartam sectionem appendicem addemus *de indulgentiis et jubilaeo.*

Sectio I.

De natura Poenitentiae, qua virtus et qua sacramentum est.

Caput I.

Notio virtutis Poenitentiae.

I. Poenitentia omni quidem tempore necessaria fuit, ut homo, post- 251
quam peccaverit, cum Deo reconciliaretur; sed a Christo ad sacramenti dignitatem est evecta. Quare quum solemne sit, inter virtutem et sacramentum poenitentiae distinguere, quid utrique conveniat, videndum est. Distinctio illa non sic concipi debet, quasi aliud omnino sacramentum sit, aliud virtus: nam virtus poenitentiae in sacramento poenitentiae includitur, at per sacramentum majoris fit efficaciae et energiae.

Poenitentia igitur latissimo sensu concepta est dolor animi de actu commisso. Hoc autem sensu nondum necessario virtus est, v. g. si doleam de re indifferenti vel bona.

Pressius est dolor de actu peccaminoso. Neque tamen sic jam habes, quo virtus constituatur. Dolor videlicet est de eo, quod aliquis

pro malo considerat. In peccata autem plura mala occurrunt, quae considerari et fugi possunt. Quorum fuga tum tandem est virtus, si est fuga illius mali *rationalis,* quod in peccato inest, seu si dolor et detestatio fundatur in amore *boni moralis* vel rationalis, cui peccatum opponitur. Si vero inferioris ordinis mala tantum considerantur atque ad detestationem movent, *virtus* poenitentiae non est.

II. Quapropter virtus poenitentiae communiter dicitur detestatio et dolor de peccato commisso cum relatione ad Deum, seu quatenus peccatum consideratur ut violatio divinae legis Deique offensa.

Neque sic in poenitentia habemus virtutem aliquam singularem et specialem ab aliis virtutibus distinctam, sed potius actum, qui ad diversas virtutes pertinere possit: et revera *virtus poenitentiae* hoc sensu, quo illa vox diversas specificas virtutes dicere potest, — id quod postea explanabitur — ad justificationem sufficit. Videlicet in peccatis multiplex malum rationale atque multiplex oppositio ad Deum divinaque bona invenitur, quorum singula sufficiunt ad dolorem peccati concipiendum: quod si fit, dolor ad illam virtutem specificam proxime spectat, cujus boni amor dolorem de peccato opposito generavit. Hinc peccatum luxuriae ex virtute castitatis, ebrietatem ex virtute temperantiae, superbiam ex virtute humilitatis homo detestari potest, maxime vero quodlibet peccatum ex illis virtutibus, quibus malitiae „transcendentales" peccati opponuntur, i. e. ex gratitudine, justitia, religione, amore etc. erga Deum.

252 Nihilominus praeter illam virtutem poenitentiae *generalem*, theologi communi sententia aliquam poenitentiae virtutem *specialem* statuunt, quae speciale motivum seu objectum formale habeat: in quo assignando inter se dissident. Celebres prae aliis sunt opiniones, quas sive cum Suarez sive cum Lugo defendunt. Quorum prior poenitentiam pro rigorosa justitia erga Deum habet, qua homo moveatur ad *jus* divinum illaesum servandum, laesumque pro viribus reparandum; posterior hoc pro speciali motivo seu formali objecto statuit, quod quaeratur *pax atque concordia cum Deo* habenda: id ipsum enim, hominem cum Deo non in inimicitiis, sed in pace vivere, speciale bonum rationale esse, quod appeti possit et debeat. — Nobis autem haec dissensio ad voces potius pertinere debere, quam ad ipsam rem videtur; quum actus secundum utramlibet sententiam efformatus certae alicujus virtutis sit; cuinam autem congruentius nomen poenitentiae detur, vere dici nequit atque lis de nomine est. Qui vero possibilitatem actûs secundum alterutram sententiam efformati neget, videtur re ipsa cum vero non consentire.

Virtus igitur poenitentiae pro quolibet, qui grave peccatum commisit, necessaria est necessitate medii, eaque diversa, prout sacramentum simul suscipitur, aut non suscipitur.

Christus enim poenitentiam ad rationem sacramenti evexit, idque ita, ut vis et energia virtutis poenitentiae sacramento compleretur atque virtus imperfecta de se ad justificationem inefficax per sacramentum justificandi vim acciperet.

Caput II.

Institutio Sacramenti Poenitentiae a Christo facta.

Quum hujus disciplinae non sit, sed potius dogmaticae theologiae, 253
hanc sacramenti institutionem et naturam evolvere, nos id unum faciendum esse duximus, ut summa capita hujus doctrinae fidei recenseremus et indicaremus.

I. Christus dedit Ecclesiae, i. e. Apostolis et eorum in hujus potestatis participatione successoribus, presbyteros intellige, potestatem remittendi et retinendi peccata post baptismum commissa.

Hanc potestatem datam esse, clarissimis verbis narrat S. Joan. 20, 22 et 23: „Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt" — eamque a potestate baptismi distinctam esse, tum locorum S. Scripturae collatio (Matth. 28, 19 et Marc. 16, 14), tum verborum nativa vis, quae etiam potestatem retinendi sive ligandi — id quod in baptismo nullatenus fit — clare enuntiat, tum Ecclesiae perpetua traditio indubie demonstrat.

II. Haec potestas judicialis est, seu per modum judicii exercenda. Quam veritatem, ut heterodoxi ipsi fatentur, summi momenti est stabilivisse. In ea enim, ut in cardine, tota doctrina catholica de sacramento poenitentiae vertitur. Verissime autem judicialem potestatem *in peccata* Apostolis collatam esse, non solum aperta Patrum testimonia a primis saeculis testantur — quae videre licet obvia apud dogmaticos[1] — sed etiam ipse naturalis sensus verborum Joan. 20 evincit:

a) Ipsa formalis notio potestatis remittendi peccata jam juridicam aliquam potestatem exprimit, siquidem exstinguit jus divinum peccatorem odio habendi novamque juridicam relationem inter Deum et hominem ex se formaliter constituit. (In sacramento baptismi *re* idem habetur, sed non per eandem potestatem *formaliter* sumptam. Baptizandi potestas et baptismi effectus per se et directe tendit in regenerationem seu in constituendum filium Dei adoptivum; quare consequenter seu indirecte etiam in remissionem peccatorum — siquidem peccatorum remissio et adoptio divina in hoc ordine re non distinguuntur: secundum formalem suam notionem tamen longissime dissident.)

b) Maxime vero verbum „retinendi" seu κρατεῖν hanc *judicialem* potestatem ostendit. Id enim potestatem *contra* poenitentem in causa peccatorum exprimit. Et revera pro causarum diversitate peccata tum quoad culpam ligantur, ita ut denuo deferri debeant ad tribunal

[1] V. Hurter *theol. dogm.* comp. t. III. n. 482, ubi afferuntur et indicantur: Tertull. *apolog.* c. 39 n. 129; Chrysost. *de sacerd.* l. 3 n. 5; Hieron. *ep. 14* n. 8; Innoc. I. *ep. 25 (ad Decent.)*; Ambros. *in Ps. 38, 14*; Greg. M. *hom. 26 in Joan. 20* etc.

ecclesiasticum, tum quoad reatum poenae homini quodammodo imponuntur: siquidem legitime novum vinculum certae cujusdam poenae (quae quidem eluit poenas alioqui Deo in altera vita solvendas) homini imponi potest et debet.

254 III. Exercitium hujus potestatis sacramentum est.

Finis enim principalis in hujus potestatis exercitio est, ut homo Deo reconcilietur. Quamquam enim bipartita potestas Apostolis data est et remittendi et retinendi: tamen retinendi potestas transitorie exercetur, sola remissione peccatorum usus potestatis completur. Et licet cum remissione peccatorum simul vindicandi seu puniendi potestas exerceatur — aequissimum enim fuit, eum qui post baptismum in peccata laberetur, suae infidelitatis etiam poenas luere debere — tamen misericordia divina divinam justitiam vindicem circumdat et undique quasi adstringit.

Porro remissio peccatorum — ut fide certum est, — in hoc ordine necessario fit infusione gratiae sanctificantis. Quare in hujus judicii exercitio omnia elementa habentur, quae ad sacramentum constituendum requiruntur: 1) *signum externum,* videlicet externa judicialis actionis prosecutio,

2) *internae gratiae efficax,* nam reconciliatio per divinae gratiae infusionem habetur, quae per ultimam hujus judicii sententiam inducitur,

3) *lege stabili a Christo institutum:* sc. haec potestas ejusque exercitium eadem cum Ecclesia stabilitate viget et divino jure exercenda est.

255 IV. Sacramentum poenitentiae omnibus post baptismum graviter lapsis necessarium est necessitate medii.

Trid. sess. 14 cap. 2 solemniter definivit: „Est autem hoc sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.“

Et revera id ex bipartita illa potestate remittendi et *retinendi,* seu ligandi vel puniendi peccata prorsus sequitur. Nisi enim illi, qui causam cum Deo necessario componendam habent, i e. qui grave peccatum commiserunt, ad hoc tribunal pro remissione se sistere *deberent,* sed si sine ullo recursu ad judices ecclesiasticos sese cum Deo reconciliare possent, de illa potestatis parte, quae *contra* peccatorem est, esset actum, suoque fine ea prorsus careret et sine exercitio relinqueretur. Quod non ita esse, universa traditio et praxis catholica monstrat.

V. Partes vero hujus sacramenti sunt tum ex parte poenitentis: dolor, confessio, satisfactio; tum ex parte sacerdotis: causae poenitentis exceptio et discussio, et absolutio. Quum vero illa causae exceptio et discussio re coincidat cum poenitentis confessione, satis est enumerare ut partes sacramenti poenitentiae:

1. dolorem, 2. confessionem, 3. satisfactionem, 4. absolutionem. Trid. sess. 14 cap. 3 doctrinam catholicam explanat, atque absolu-

tionem *formam* sacramenti esse dicit, „in qua praecipue ipsius (sacramenti) vis sita est“. — „Sunt autem *quasi materia* hujus sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio, satisfactio. Qui quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione poenitentiae partes dicuntur“ [1].

Caput III.

De partibus constitutivis Sacramenti poenitentiae.

Fusiorem singularum partium explicationem postea singillatim eas tractantes daturi sumus. Hîc tantum ea, quae ad notionem sacramenti necessaria sunt, notamus.

---

[1] Nota. Breviter indicandum esse duxi discrimen 1) inter sacramentum poenitentiae et reliqua sacramenta, 2) inter judicium sacramentale et judicium humanum.

I. 1. Ab aliis sacramentis poenitentia distinguitur per ipsam suam formam judicialem. Quo fit, ut non idem plane dici possit de materia et forma sicut in aliis sacramentis, quae in aliqua consecratione consistant. — Ceterum etiam matrimonii sacramentum consistit in actu quodam juridico; propterea inter sacramenta poenitentiae et matrimonii major quaedam similitudo intercedit, si *modi essentiales* sacramentorum considerantur.

2. Consequens est, Ecclesiam, etsi directe in sacramentis eorumque essentia mutandis potestatem nullam habeat, nihilominus indirecte potestatem suam exercere posse et debere in sacramentorum poenitentiae et matrimonii valorem, siquidem juridicorum actuum sacrorum valor a suprema potestate religiosa independens non est.

II. Sacramentum poenitentiae, etsi per modum judicii exercetur, differt tamen multum ab aliis causis judicialibus atque earum judiciali actione. Nam:

1. Finis et intentio judicii in aliis causis est ordinem recti publicum per delicta laesum delinquentis punitione aliquo modo reparare: quare principalis finis est punire delicta, secundarius innocentes liberare; et secundum meritum causae eorumque, quae commissa sunt, sententia profertur. Finis vero et intentio sacramentalis judicii est, ordinem divinum inter Deum et peccatorem reparare non tam punitione, quam reconciliatione; quare bonum privatum proxime spectat, atque princeps intentio fertur in eum, qui vere reus est, innocentem efficiendum et a culpa absolutione eximendum, quamquam haec ipsa absolutio et reconciliatio per modum alicujus poenae infligendae — idque pro merito culpae — fieri per se debet.

In Sacramento igitur poenitentiae ultra finem cum humano judicio communem, per vindictam sc. ordinem recti aliquo modo reparandi, — quamquam etiam in hoc ipso ordine recti reparando humani judicii finis multo inferior est minusque late patet — insuper alius multo nobilior finis pro principali fine statuitur.

2. Inde etiam fit, ut ultima sententia in sacramentali judicio, qua causa compleatur, sit absolutoria, et ut locus sit intermediae cuidam sententiae, quae in humano judicio analogiam vix habet, sc. sententiae non-absolvendi, seu denegandi absolutionem, qua reus judicialiter declaretur non-absolutus, seu quoad absolutionem ad posterum tempus remissus.

3. In humano judicio differt accusator a reo; in judicio sacramentali necessario idem est accusator et reus. Ad prius illud reus communiter invitus trahitur; in posteriore nemo nisi volens potest judicari, quia nemo nisi volens Deo iterum reconciliatur.

§ 1.

Quo sensu materia hujus Sacramenti sumatur.

256 1. Quum actus poenitentis, qui circa peccata commissa versantur, a Tridentino „quasi materia“ vocentur, solemne est distinguere inter materiam proximam et remotam. Proxima materia dicuntur illi ipsi actus poenitentis, remota materia vocantur *peccata commissa,* circa quae poenitens illos actus exercet.

2. Theologorum autem non concors opinio est, utrum actus poenitentis sint vere materia intrinsecus sacramentum constituens, ad eam rationem, qua ablutio aquae intrinsecus elementum baptismi est, an latiore sensu ad sacramentum pertineant; aliis verbis, utrum actus poenitentis sint materia *ex qua* sacramenti, an solum materia sacramenti *circa quam* (sc. circa quam sacramentum versetur).

Scotistae videlicet totam *sacramenti* rationem in absolutione collocant, actus poenitentis dicunt materiam circa quam et conditionem sine qua non, ita tamen, ut sine illis ne absolutio quidem ullo modo sacramentalis esse possit. Vide Sporer t. 3 n. 18 sqq. — Quare *partes essentiales* eas vocare non dubitant.

Thomistae vero atque longe maxima pars reliquorum theologorum actus poenitentis sumunt pro materia ex qua, quia vere ad signum externum, quod internae gratiae efficax est, plene constituendum essentialiter pertineant. Idque videtur prorsus praeferendum esse, nisi forte „materiam ex qua“ dicere velis actus poenitentis, non ut a poenitente exercentur, sed ut a confessario judicialiter excipiuntur: de quo nullatenus contendere volo; *requiri* enim actus poenitentis, dolorem et accusationem, eo modo positos, extra controversiam est.

257 Cur autem actus poenitentis aliquo sensu materiam sacramenti constitutivam seu „ex qua“ potius dicamus, rationes sunt hae:

1) Generatim sacramenta dicuntur a Conciliis constare materia et forma idque hoc sensu, ut in ipsius signi externi ratione, quod effectum sacramentalem significat, unum sit elementum minus determinate significans (per modum materiae nondum plene determinatae), alterum magis determinatum sive per modum formae, quod materiae pleniorem determinationem et significationem tribuat, et simul cum materia signum a Christo institutum complendo gratiam producat. Porro nisi actus poenitentis sint „materia ex qua“, in sacramento poenitentiae nullam materiam sensu explicato assignare possumus, sed totum sacramentum in sola forma consistit. Nam quod Maldonato tribuunt, absolutionem esse materiam, quatenus significet sanctificationem hominis, quatenus autem eam efficiat, eandem ipsam esse formam: nihil confert ad propositam quaestionem; hac enim explicatione „materia et forma“ ad alium prorsus sensum transferuntur, qui praeter priorem sensum vocibus subjici quidem potest, et quoad omnia sacramenta etiam a theologis quam plurimis subjicitur, ita ut totum signum (constans ex elemento et ex verbis) qua significans gratiam vocent τὸ materiale, qua efficiens gratiam τὸ formale sacramenti; attamen praeter illum sensum „materia et forma“ etiam in priori sensu omnino ut constitutivae sacramenti partes admittendae sunt.

2) Sacramentum poenitentiae est per modum judicii institutum; ergo id ad intrinsecam hujus sacramenti rationem pertinere dicendum est, quod intrinsecus ad ipsum judicium pertinet. Porro actus poenitentis, saltem aliquo sensu, ad ipsum *judicium* intrinsecus pertinere, indubitatum est.

3. At *non* omnes actus *eodem modo* materia sacramenti sunt. 258

Satisfactio solum eatenus ad sacramentum pertinet, ut sacramentum integritatem suam atque effectum completum habeat: pars *integralis*, non essentialis dicitur. Potestas quidem, qua confessarius poenitentiam congruam imponere potest, vel debet, potestati, quae in hoc sacramento exercetur, prorsus essentialis est: quapropter, ut postea fusius explicabitur, poenitens convenienti poenae sacramentali necessario sese subjicere atque ad eam solvendam se paratum declarare debet; realis autem solutio ad principalem sacramenti effectum producendum non pertinet.

Confessio seu accusatio sacerdoti facta principaliter materia sacramenti est: haec enim in se et per se ad judicium efformandum atque ita etiam ad hoc sacramentum constituendum est necessaria.

Dolor in se quidem pars est summopere necessaria: verum ad sacramentum intrinsecus constituendum *in se* quidem concurrit, attamen non *per se* ipsum, sed per accusationem seu externam sui manifestationem: siquidem dolor per se sensibile elementum non est, sed per aliquid aliud manifestari et sensibile fieri debet.

Summopere necessarius dolor est, quia non solum pars materialis sacramenti in eo collocatur, sed *etiam* rationem necessariae *dispositionis* habet. Qua dispositio necessaria internus dolor sufficit, qua sacramenti materia externus fieri debet. Ergo *non sub eadem prorsus ratione* materia est ac dispositio. Utrum autem re idem dolor esse debeat atque iisdem conditionibus vestitus, qui sit et materia ad validum sacramentum requisita et dispositio ad justificationem consequendam essentialiter necessaria, Vasquez aliique theologi affirmant; Suarez, Lugo atque bene multi auctores cum iis negant. In praxi ab ea distinctione dependet 1) solutio illius quaestionis, num esse possit sacramentum poenitentiae validum, sed informe; 2) explicatio probabilis alicujus modi, quo possibile esse ostendatur, ut moribundus sensibus destitutus absolutione sacramentali donetur. Quare suis locis plura de hac re.

§ 2.

Quam late pateat materia sacramenti Poenitentiae.

Materia, circa quam et actus poenitentis et judicialis actio sacer- 259
dotis versatur, sunt, ut supra dictum est, peccata post baptismum commissa, eaque materia remota vocatur.

I. Distinguitur autem 1) materia necessaria et libera, 2) materia certa et dubia, 3) materia sufficiens et insufficiens — quamquam haec non proprie dici potest materia.

Porro si materia *necessaria* dicitur, non ea per se intelligitur necessitas, quae in essentia sacramenti fundetur, ita ut, ea materia defi-

ciente, sacramenti valor non possit subsistere, sed necessitas, quae in divino nititur praecepto, secundum quod quaedam materia remota ab homine necessario subjici debeat judicio sacramentali seu clavibus Ecclesiae: quamquam inde sequitur, eum, qui voluntarie id omittat, sacramentum poenitentiae valide suscipere non posse.

Libera materia ea dicitur, quae clavibus Ecclesiae subjici, et circa quam poenitens absolutionem sacramentalem recipere possit, sed quam neque ex necessitate medii, neque ex necessitate praecepti clavibus submittere debeat.

Certa materia dicitur, quae si adest, certo absolutio valida datur: *dubia*, si absolutio non certo circa eam dari potest.

Sufficiens materia est, quae ad essentiam sacramenti constituendam atque absolutionem valide recipiendam sufficiat, sive necessaria materia est, sive libera; *insufficiens*, quae absolutionis sacramentalis causa esse non possit.

260 II. *Materia necessaria* sunt omnia et sola peccata gravia post baptismum commissa nondum directe vi clavium remissa, ita quidem, ut omnia et singula a poenitente accusanda sint.

Videlicet omnis et quaelibet peccati causa cum Deo necessario componenda ad hoc tribunal sacramentale deferatur oportet, atque ita deferatur necesse est, ut potestas, prout a Christo collata est, plene in peccata possit exerceri (v. supra n. 255). Atqui quodlibet peccatum grave eaque singula post baptismum commissa sunt ejusmodi causa; ergo omnia et singula declarari *debent;* nec potestas a Christo collata plene in illa peccata exerceri *potest*, scilicet proportionatâ poenâ ea vindicando et retinendo, nisi singula peccata gravia secundum numerum et species declarentur, quae nondum declarata sunt in hoc judicio. — Id autem de solis peccatis post baptismum commissis valet, quia de non-baptizatis, utpote qui foris sint, Ecclesia non judicat, eorum vero peccata non judiciali sententia, sed ablutione et regeneratione plene purgantur.

261 III. *Materia sufficiens libera* sunt peccata post baptismum commissa venialia, et gravia sive levia jam directe per potestatem clavium remissa, etsi non secundum numerum infimasve species accusantur. — Haec certo omnino constant ex perpetua praxi fidelium, quam Ecclesia non tantum non reprimit, sed promovet: quod propter Ecclesiae sanctitatem et infallibilitatem in doctrina morum non posset fieri, nisi haec praxis veritate niteretur. De constanti doctrina theologorum in hac re v. S. Alph. n. 427 post S. Thom. aliosque doctores. (Cf. mox n. 263.)

IV. *Materia insufficiens* sunt omnes illi morales defectus, qui ad rationem peccati non pertingunt.

Quare de neglectu operis melioris, de neglectu divinae inspirationis circa opus supererogatorium dolorem quidem concipere possum, de eoque poenitere et Deum etiam placare, siquidem talis neglectus Deo ratio esse potest diminuendi actuales gratias et protectionem, nisi placatur, at causa absolutionis sacramentalis nunquam esse potest.

Verum tamen est, saepe in committendo ejusmodi defectu vel imperfectione latere aliquod peccatum veniale intentionis seu finis leviter mali: at si id obtinet, illa intentio, non ipsa omissio vel operis exsecutio, quae in se solam imperfectionem dicit, materia tum accusationis, tum absolutionis est.

V. Ut autem quodlibet peccatum veniale *in actu secundo sit materia sufficiens,* seu ut re ipsa materia proxima, quae circa peccata levia concipitur, sufficiens evadat, necesse est, ut *verus dolor* de iis eliciatur: quod in confessione peccatorum levium tum poenitenti, tum confessario observandum est, ne quamlibet materiam, quae sufficere *possit* pro absolutione, etiam re ipsa pro sufficienti in concreto habeat.

Uberior explicatio. Nota ad II. **De Materia necessaria.** 1. Difficul- 262
tatem facit peccatum sacrilegii, si quod commissum est ab homine adulto, qui baptismum sciens et volens sine debita dispositione, ideoque valide quidem, sed informiter suscepit. Quaerunt enim theologi, sitne hoc peccatum *fictionis* materia confessionis et absolutionis: *si* materia est, sine dubio est necessaria. Si vero non est, quomodo hoc peccatum, quod baptismo jam deleri non potest, delebitur? at absolutione id deleri, propterea difficile videtur, quod commissum sit quoad substantiam ante baptismum potius, quam in baptismo.

Practice respondendum est cum Lugo, illud peccatum declarari debere in sequenti confessione, in qua si poenitens rite dolet, illud peccatum cum aliis, quae forte commisit, delebitur, quamquam partim vi baptismi, partim vi sacramentalis absolutionis. Quatenus enim peccatum illud *fictionis* praecessit, postea, recedente fictione, vi baptismi remittetur; quatenus vero — id quod non fieri practice vix possibile est — perseveravit et sustentum est a peccatore etiam proximo saltem instanti post baptismum, necessaria est omnino sacramentalis absolutio. Quodsi contigerit, ut homo ille in ipso baptismo malae suae voluntatis non amplius recordaretur, primo autem momento, quo post baptismum susceptum recordatio rediret, detestatione eam prosequeretur, videtur, si aliud peccatum grave non intercesserit, sola attritio sufficere, ut justificationis gratiam consequatur.

2. Altera difficultas proponitur circa peccata ejus, qui non satis certo baptizatus sit, sed propter dubium sui baptismi sub conditione iterum baptizetur, num scil. omnia et singula peccata clavibus Ecclesiae subjicienda sint. At hujus quaestionis solutio melius dabitur, quando speciatim de confessione atque de confessione peccati dubii agetur. Materia enim sacramenti dubia est: sed utrum eodem jure dubia sit obligatio confitendi, an secus, infra examinabimus n. 320 sqq.

Ad III. **De Materia certo sufficienti et libera.** 1. Venialia peccata vi clavium *remitti posse,* ideo materiam absolutionis sufficientem esse, aperte docet Trid. sess. 14 c. 5: „Venialia . . . recte et utiliter . . . in confessione dicuntur . . . tamen multis aliis remediis expiari possunt"; ergo *etiam hoc* remedio *possunt* expiari.

2. Peccata jam directe remissa posse denuo accusari et materiam ab- 263
solutionis esse, non solum universalis praxis fidelium et theologorum concors sententia ostendit, sed etiam satis exprimitur in ipsa Constitutione R. Pontificis; nam Ben. XI. (*Extrav. com.* l. 5 tit. 7 *[de privileg.]* c. 1) Const. „*Inter cunctas*" haec habet: „Ceterum licet de necessitate non sit, iterum eadem confiteri peccata: tamen . . . propter erubescentiam, quae

magna est poenitentiae pars, ut eorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus salutare" etc. Et quamquam pro causa utilitatis erubescentiam tantum affert, nihilominus etiam iteratam absolutionem includi, prorsus consequens est; nam confessio, de qua S. Pontifex loquitur, omnino dirigitur ad *absolutionem* sacramentalem, neque potuisset Ben. XI. doctrinam suam sine aliqua necessaria declaratione relinquere, qua sola abusum et profanationem sacramenti cavisset, necessario orituram, si peccatorum *iterata* confessio pro absolutione servire non posset. — Idem pro omnino explorato tradit S. C. Epp. et Reg. in *Bajocensi* d. 1. Oct. 1839 apud Bizzarri *Collectanea* pag. 94.

3. Quomodo autem salvetur verus conceptus „absolutionis", quae *re* cum infusione augmenti gratiae sanctificantis identificatur, theologorum dogmaticorum est accuratius explicare. Hîc satis est breviter attulisse explanationem ex Lugo *de poenit.* d. 13 n. 73: sicut denuo me possum obligare ad eandem rem praestandam, ut in renovatione votorum, quae per se et independenter a prima emissione habeat vim me obligandi; ita Deus denuo juri suo contra peccata renuntiare atque denuo quodammodo se obligare potest homini, ne propter peccata commissa velit ipsi succensere, atque haec iterata juris divini renuntiatio ex se tam efficax est quam prima, fitque in hoc ordine semper per gratiae sanctificantis novam collationem.

4. Necessarium autem non esse accurate declarare numerum et speciem peccatorum, si solam materiam *liberam* poenitens afferendam habet, ex ipsa notione *liberae* materiae consequitur. Nam ut *omnis haec causa* afferatur, juris divini non est, nec juris divini est, ut in ea causa *plene* potestas judicialis contra poenitentem in peccatorum vindictam proportionatam exerceatur, vel pro arbitrio judicis exerceri possit. At hae solae rationes sunt, cur alias, scilicet in peccatis mortalibus nondum accusatis, integra confessio quoad numerum et infimam speciem requiratur. Ergo in materia libera ea peccatorum determinata explicatio essentialiter sufficit, quae satis est, ut *aliquo modo* judicialis potestas possit exerceri. Hoc autem fieri *posse* in magis generica peccatorum declaratione, tum aliis exemplis probatur, tum maxime eo casu, in quo aliquis obligatus esse potest ad quaerendam sacramentalem absolutionem circa peccatum non plene specifice declaratum. Qui enim sciret se semel graviter peccasse aliquo luxuriae peccato, oblitus esset infimae speciei, aut qui sciret se semel graviter peccasse, speciei vero prorsus non recordaretur: *deberet,* fatentibus omnibus, aut peccatum contra castitatem, aut peccatum sub generico conceptu *gravis peccati* confiteri, ut a reatu culpae absolveretur; imo multi etiam id extendunt ad peccatum dubie grave, cujus speciem poenitens in memoriam revocare non possit, et quod solum sit, quod ejus conscientiam gravet.

Haec, ut essentia sacramenti servetur. Quid vero *in praxi* faciendum sit, ex seqq. et ex sect. II. cap. II. colliges.

264 Ad III. et IV. **De Peccato generice accusato ut materia sufficiente.** Accuratius videndum est, quo sensu et ambitu peccatum generice accusatum sit valida et licita materia absolutionis, et possitne id etiam contingere, si *necessaria* materia seu gravia peccata adsint. Sunt enim diversi gradus in illa *generica* peccatorum accusatione.

1) Latissime sumitur, si poenitens dumtaxat dicat: „Peccavi, accuso me de peccatis totius vitae" (neque confessarius aliunde notitiam jam hauserit), et similia: ad quod refertur merum signum doloris sine ulla peccati expressione.

2) Si poenitens dicat: „Peccavi graviter", vel: „Accuso me de meis peccatis mortalibus".

3) Si dicat: „Accuso me de mendaciis, de peccatis contra castitatem, contra caritatem, virtutem religionis, contra hoc et illud praeceptum", indicando speciem virtutis vel legis, contra quam deliquerit, non tamen infimam speciem peccati.

4) Si poenitens etiam infimam aliquam malitiam exprimat, at non ipsum actum peccaminosum, neque omnes circumstantias specificas, neque numerum.

Dico igitur: 1. *In accusatione materiae liberae* quartus, tertius, et aliquo modo secundus modus sufficit, sive agitur de tota confessione sic peragenda, sive de confessione, quae cautelae causa additur in altera confessione leviorum peccatorum, circa quae facilius justus dolor deficere possit: attamen *totam* confessionem *secundo* modo concludere, sic resumendo peccata jam accusata nec quidquam addendo in specie quoad peccata venialia recentia, minime convenit, neque facile absolutio denuo conferenda est, nisi quaedam necessitas urgeat.

Verum post declarata accuratius peccata recentia *cautelae causa* accusationem secundi modi addere, habeo pro satis tuto tum quoad valorem, tum quoad liceitatem. Nam *mortaliter* peccasse non est materia prorsus indeterminata, sed malitia plane determinata, circa quam judicialis sententia absolutoria bene versari possit, imo aliquando *debeat.* (Ex J. Rossell O. Carth. *prax. depon. scrup.* c. 32 n. 17, „certum apud omnes doctores".)

2. Accusatio *omnino* indeterminata, etsi adest materia necessaria, *in casu summae necessitatis*, scil. quando nulla determinata accusatio quidem fieri potest, absolutionis autem recipiendae necessitas urget, pro sufficienti censeri debet. Quod obtinet 1) in articulo mortis, quando moribundus jam loqui non potest, aut etiam sensibus destitutus jacet, postquam desiderium absolutionis ostendit. Secundum doctrinam enim Ritualis R. ejusmodi moribundus „absolvendus est", ne mentione quidem facta conditionis adjiciendae; 2) ex paritate causae illa generica accusatio, quae continetur in quolibet signo desideratae absolutionis, sufficit in alio mortis periculo, v. g. naufragio, ubi tempus non suppetit aliud exigendi; 3) videtur etiam sufficere, quando ob poenitentis ruditatem labilemque memoriam nullius specifici peccati confessio extorqueri potest, ita ut saltem absolutio, si diu poenitenti data non est, aliquoties ei concedatur. V. Reuter *neoconf.* n. 117 cum Lugo et aliis.

3. Si autem de libera venialium confessione agitur, quam poenitens peragere possit, practice id admittendum nullo modo est, ut post accusationem omnino genericam absolutio detur.

Ea enim 1) non est extra casum necessitatis *plane certa* materia, quum 265
ex eo, quod in articulo mortis valeat et liceat, non plane necessario ad valorem extra illam necessitatem concludere possimus: quod patet ex confessione per nuntium facta, quam in articulo mortis, ubi sacerdos moribundum invenerit sensibus destitutum, per modum genericae accusationis valere, dubitandum non est; at talem confessionem per nuntium factam alias

nullo unquam casu *licere* pro sacramentali haberi, ex thesi a Clem. VIII. et Paulo V. proscripta (Denzinger 962 et 963) constat, atque eam ne validam quidem esse, communi suffragio theologi ex universali prohibitione deducunt. Quare qui facili negotio certiorem materiam praebere possit, id facere debet, si vult sacramentaliter absolvi.

2) Et revera, qui materiam determinatam praebere quum possit, non facit, aperte declarat, se venialiter tantum peccasse: quum e contra desiderium moribundi, quo ostenderat se absolutionem postulare, sumi potest pro accusatione sive certa sive dubia *gravis* peccati. In gravis autem peccati declaratione habetur, ut dixi, materia aliquo sensu prorsus determinata; non autem in peccati venialis generica declaratione: siquidem peccatum mortale infert notionem offensae Dei secundum respectum privativum plane determinatae et definitae, peccatum veniale non ita. Quare causa judicialis videtur manere prorsus incognita: sed de causa prorsus incognita et indeterminata sententia non fertur.

3) Prorsus etiam alienum est a praxi Ecclesiae, confessionem sic instituí: „Mortale peccatum non habeo, doleo de venialibus et peto absolutionem“. Qui igitur, etsi possit, omnem majorem declarationem se daturum esse negaverit, merito ab absolutione repellitur, ad quam sola consueta accusatione jus acquirit. Cf. Laymann *de poenit.* cap. 5 n. 14. Quare recte monet Suarez (disp. 23 sect. 1 n. 10) de valore talis accusationis disputans: „Fortasse speculative tantum loquendo posse hoc defendi . . . Nihilominus tamen practice negandum hoc est propter incertitudinem materiae. Dico ergo, licet homo absolute non teneatur species peccatorum venialium confiteri, tamen supposito, quod vult confiteri [et absolvi], eum teneri ad exhibendam materiam omnino certam, si potest, et ideo debere aliquod peccatum veniale in particulari suo arbitrio confiteri: adjuncta vero *necessitate* seu *impotentia* aliud dicendi [sc. quam omnino generica illa moribundi confessio est], sine dubio illa materia sufficiens erit.“

266 4. Quum ergo extra casum necessitatis et impossibilitatis confessio omnino generica, quando ex adjunctis venialia peccata tantum exprimit, non sit materia *omnino certa,* eam cautelae causa adjungere, ut in ea *certius* nitatur absolutio, quam in accusatione peccatorum leviorum recentium, satis non est ad finem, ob quem fit, obtinendum: nisi confessarius ex prioribus confessionibus poenitentis conscientiam noverit, quae propterea *ipsi* materiam satis certam et determinatam subministret.

5. Practica conclusio. 1) Curandum est, ut accusatio ex praeterita vita, si cautelae causa adjungenda est, fiat declarata specie saltem superiore alicujus peccati, aut declarata specie contrariae virtutis vel legis violatae: ita tamen, ut vere fiat circa peccatum aliquod gravius, neque ex mera consuetudine, sed cum vero dolore denuo concepto. Sed quoniam etiam recentius complures scriptores pro sufficientia accusationis omnino genericae stant, si de libera accusatione agitur: haec opinio aliquando id efficere potest, ut confessarius, si nequit determinatam materiam extundere, facilius acquiescat, siquidem in tali necessitate positus securiora sequi non ita tenetur. V. Ballerini notam ad Gury II. n. 421. — Circa peccata autem venialia, ut conveniens fructus ex eorum confessione hauriatur, tum a nimia prolixitate, tum a nimia generalitate cavendum est: saltem unum alterumve peccatum,

quod gravius conscientiam premat, accuratiore dolore et accusatione clavibus subministretur: alias enim sicut accusatio, ita dolor et propositum facile nimis vagum manet et prorsus deficere potest. Sed de his plura, quando de dolore et proposito agetur.

2) Si vero poenitentes adeo rudes sunt, ut nullius peccati in specie 267
mentionem faciant, confessarius indagare debet, utrum id oriatur vere ex defectu gravioris peccati, an ex nimia ignorantia vel etiam ex inveterata peccandi consuetudine, quae tantam mentis hebetudinem et salutis incuriam creaverit. Si prior causa est, proponat quasdam leviores peccatorum species et interroget poenitentem, utrum neque post ultimam confessionem, neque antea in hac et hac materia peccaverit[1]: proximum offenderit, iratus fuerit, inobediens, negligens in orando etc. Quod si annuit, excitato dolore et proposito cum reliquis actibus prout opus fuerit, absolvat; si vero nihil recordatur poenitens neque sponte aliquid ex praeterita vita addere potest, confessarius potius quam multum inquirat, statim dicat absolute: eliciamus igitur dolorem de omnibus peccatis totius vitae, maxime contra caritatem proximi, de inobedientia etc. commissis, et veniam a Deo petamus; quando poenitens annuit, etsi antea dixerat, se peccati non recordari, confessarius postquam in dolore etc. eliciendis poenitentem praeiverit, sub conditione absolvat, modo a diuturniore tempore poenitens absolutus non fuerit.

Si causam deprehenderis esse ignorantiam veritatum maxime necessariarum, sine dubio aut nunc — id quod saepe praestat fieri — aut postea instruendus est poenitens; si inveteratam peccandi consuetudinem et hebetudinem mentis, magna patientia, sed etiam strenua severitate gravissimae peccati sequelae proponendae sunt atque in reliquis ad sacramentum necessariis poenitens juvandus est, ut ad absolutionem aut nunc, si tamen capax reddi potest, aut post meliorem praeparationem recipiendam disponatur. Cf. quae optime notat in hac re Reuter *neoconfess.* n. 117, et quae postea dicturi sumus n. 481 et 482.

§ 3.

De forma sacramenti Poenitentiae.

Forma sacramenti poenitentiae, in qua potissimum ejus vis con- 268
sistit, sunt verba absolutionis. Circa quae haec pauca nota:

I. Forma ex natura judicialis sententiae non merum deprecatorium sensum, sed assertorium habere debet, seu indicativum.

II. Essentialia verba, ut certo constet de valore, sunt: „Absolvo te a peccatis tuis.“

---

[1] Videlicet potius ipse confessarius statim proponat certa quaedam peccatorum genera, quae pro conditione personae et regionis probabiliter commissa sunt, sed quorum inquisitio non offendit; si enim a poenitente petat peccata praeteritae vitae, saepe oleum et operam perdet, quod se omnia jam dixisse et se accusasse respondebit.

Ut autem confessarius extra casum summae necessitatis, ita ut convenit, procedat, debet formam Ritualis observare, quod in brevioribus et frequentioribus confessionibus satis esse dicit pronuntiare haec:

„Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis (suspensionis — quod omittitur in confessione laici —) et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde [1] ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris † et Filii et Spiritûs S. Amen.“

Plenam autem formam, saltem in longioribus confessionibus, sic exhibet:

„Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam. Amen.“

Deinde dextera versus poenitentem elevata dicit: „Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.“

„Dominus noster etc.“ ut supra.

„Passio Domini nostri Jesu Christi, merita beatae Mariae Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.“

Quam ultimam orationem etiam in frequentioribus confessionibus expedit non omittere.

III. Haec absolutio verbis concepta *in praesentem* proferri debet.

IV. Quamquam per se sensu absoluto danda est, tamen propter gravem causam etiam conditionate dari potest vel debet.

V. Generalis autem regula de *conditionata* absolutione haec est, ut conditionate detur, si 1) gravis ratio est putandi, eam valide proferri non posse, sed tamen 2) propter quandam necessitatem aut notabilem utilitatem probabilem etiam cum dubio securiora tentanda sunt.

269 **Uberior explicatio.** Ad I. Quamquam verba absolutionis sensu indicativo, i. e. cum intentione absolutionis sententiam proferendi seu conferendi, non eam a Deo mere implorandi, enuntianda sunt: tamen forma verborum, saltem si fit approbante Ecclesia, potest speciem deprecationis prae se ferre, modo *alia mente* proferatur. Nam quum Deus ipse principalis judex sit, qui absolvat, sacerdos ministerialiter tantum agat, forma „Deus te absolvat etc.“ potest hunc sensum habere: „A Deo per meum ministerium absolvitor a peccatis tuis.“ [2]

---

[1] Verbulum „deinde“ in ipsis editionibus Ritualis a S. C. R. recognitis et approbatis modo pro rubrica habetur (quippe rubro charactere impressum), modo pro voce ad *formam* pertinente, ut videre licet in editione Romae ex typogr. Prop. anno 1876 profecta coll. cum edit. Ratisbon. 1881 specialiter a S. C. R. recognita. Unde concludo, parum interesse, utrum confessarius verbum „deinde“ dicat an omittat; melius tamen illud addi, quum sit conforme *typicae* editioni anni 1884.

[2] Late per Ecclesiam in usu fuisse formam deprecatoriam, Morinus in opere suo *de poenitent.* et post eum Frank *Disciplina poenitent. (Bussdisciplin etc.)* l. 5. cap. 5 cum aliis ostendunt — quamquam argumentum ex solis Patrum dictis petitum, quod asserant sacerdotis *supplicationibus* vel *orationibus* peccata dimitti, sane

At sine auctoritate Ecclesiae hac forma uti, grave peccatum omnino esset: imo quando publica auctoritas sensum illum indicativum tali formulae non affixisset, facile aliqua dubitandi ratio de valore oriri posset non solum propter defectum intentionis et sensûs necessarii ex parte loquentis, sed etiam propter defectum sensûs objective verbis illis inhaerentis. Cf. S. Thom. III. q. 84 art. 3.

Ad II. 1. Probabile quidem est, ad essentiam sufficere: „absolvo te“, 270
vel „absolvo a peccatis tuis“, attamen non certum; quare nullatenus hac forma manca uti licet, imo si factum sit, forma certa conditionate repetenda est.

2. Verba „in nomine Patris etc.“ ad essentiam non pertinent; sed citra peccatum veniale omitti nequeunt.

3. Similiter complures dicunt de omissione „Dominus noster etc.“, etsi nullum peccatum, quod censurae subjaceat, accusatum sit. Ex praescripto enim Ecclesiae haec a censuris absolutio *ad cautelam* semper praemittenda est; imo in summa necessitate brevissima formula debet esse: „Ego te absolvo ab omnibus *censuris* et peccatis in nomine Patris etc.“ Ita Rituale. Attamen approbante S. Alphonso n. 430 dub. 3, *plerique* scriptores docent, si poenitens nullam suspicionem censurae contractae praebeat, *peccatum proprie non esse*, etiam illa verba „Dominus noster etc.“ omittere, modo reliqua dicantur cum intentione ab omni vinculo a peccatis orto, si quod forte adsit, absolvendi, eo quod Trid. sess. 14 c. 3 dicat tantum, „eas preces laudabiliter adjungi“.

4. Si quis poenitens vero censuram re ipsa incurrisset, eum prius a peccatis quam a censuris absolvere velle, esset deordinatio graviter peccaminosa, modo agatur de excommunicatione (vel aliquando de interdicto): quamquam, si haec est absolventis intentio, verba: „absolvo te a peccatis tuis“ possunt simul de absolutione censurarum, utpote de vinculis a peccato ortis et cum illo connexis, intelligi.

5. Omissio elevationis manûs, et efformationis signi crucis veniale peccatum nullatenus excedit, imo cum quavis rationabili causa omni peccato vacat.

Ad III. 1. Nutu, signo, literis invalida omnino fieret absolutio sacra- 271
mentalis. Haec enim secundum normam divinae, non humanae institutionis omnino fieri debet[1]. Aliud est de absolutione a censuris, in qua, utpote

---

infirmius esse, ut jam recte notaverat Binterim *memorabilia (Denkw.)* t. 5 p. 1 cap. 6 § 3, ultro conceditur. Hujus vero deprecatoriae formae sensum plane fuisse non mere deprecatorium, insigne testimonium habes in responso Armenorum, quo in negotio unionis *suae* formae sensum et intentionem explicavere. V. Binterim ib. et Frank l. c. in fine. Formae igitur consuetae fere sic efferebantur: „Deus tibi condonet peccata tua“, „gratia Spiritûs S. habeat condonata peccata tua“, „sis absolutus, esto absolutus a tuis peccatis“ etc. Hodiernam autem formam multum ante 13. saeculum in latina Ecclesia introduci coeptam esse, v. Bint. l. c. p. 244, ubi jam ex 10. saeculo indicia hujus usûs profert; exclusivus ejus usus atque praeceptus invaluit circa tempus S. Thom. Aquinatis.

[1] Cf. hac in re thesim a Clemente VIII. proscriptam, sc.: „SS. Dominus N. propositionem, ‚licere per literas, seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere‘ ad minus ut falsam, temerariam et scandalosam damnavit ac prohibuit praecepitque, ne deinceps ista propositio publicis privatisque lectionibus etc. doceatur, neve unquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur.“

humani juris, plus non requiritur, quam id quod ex natura cujuslibet judicialis actûs necessario colligitur.

2. Ex necessitate absolutionem verbis proferendi, necessitas *praesentiae* poenitentis jam consequitur. Eam videlicet requiri, certissimum est apud omnes: at *qualis* debeat esse praesentia, non ita clarum est. Ea sine dubio debet esse, ut moraliter loquendo poenitens sit coram confessario, ita ut *ad eum* verba dirigi dici possint.

Quare, 1) ut certo constet de valore, confessarius et poenitens a) non debent esse in diversis cubiculis, quae nullo modo inter se communicent; b) neque, si in eodem loco versantur, nimia distantia ab invicem separati; S° Alph. distantia 20 passuum nimia videtur; at si notabiliter minor est distantia, valori non obest[1], S. Alph. n. 429; c) si praesentia talis, qualem explicavi, adest, non requiritur, ut confessarius re ipsa poenitentem videat vel sensu aliquo percipiat, dummodo eum praesentem esse sciat: S. Alphonsus ibidem.

2) Ut vero probabilis sit absolutionis valor, eaque in necessitate hypothetice tentanda, sufficit talis praesentia, ut, si impedimentum non esset, poenitentem aliquo modo percipere possem: ergo absolvere deberem, etsi *e longinquo* viderem aliquem labentem in undas et periclitantem, ruentem de tecto etc. Ib. cum Tamb. *de sacr. poenit.* (l. 5) c. 2 n. 13.

272 Ad IV. et V. Conditionatae absolutioni nullatenus obstat — ut aliqui putavere — specialis ratio *hujus* sacramenti, quod sit judicium. Nam neque judicio generice sumpto, neque *huic* judicio repugnat conditionata sententiae prolatio.

Videlicet in humano judicio non repugnat, judicem v. g. hîc et nunc sententiam solvendae mulctae infligere, „nisi infra diem certa solutio facta fuerit“[2], aut alicui causam addicere, „si in ejus scrinio sit hoc vel illud documentum“, quod statim a fidis hominibus inquiri jubeat. — Imo sententia etiam humani judicii et in re criminali et in re civili aliquo modo hanc conditionem implicite non raro habet, „si modo testimonium testium verum fuerit“: nisi enim hac existimatione atque conditione, quae tamen aliquando falli potest, nitatur, injusta, atque ita *nulla* sit sententia; idque maxime, quum non a suprema auctoritate dicitur.

A pari, sententia sacramentalis semper nititur in hac suppositione, poenitentem verum dicere et vere dolere: quae hypothesis aliquando fallere potest confessarium, etsi putat, se habere certitudinem. Id eo magis,

---

— Paulus V. 14. Julii 1605 in Congreg. S. Officii declaravit, thesim illam damnatam etiam esse in sensu diviso, i. e. de confessione vel de absolutione seorsim. — Declaraverat tamen ipse Clemens VIII., se non intendere prohibere absolutionem *moribundi sensibus destituti*, de cujus poenitentia per solos testes confessario constaret. Atque revera ejusmodi homo, ut Rituale Rom. monet in *ordine ministrandi sacramentum poenit.* n. 24, „absolvendus est“.

[1] Si vero in casu necessitatis tota aliqua multitudo simul absolvitur, certe distantia illa non obstat, quominus valida absolutio fiat, etiam in homines remotiores cum tota turba conjunctos. Nam si omnes alloquerer, nemo negaret, omnes illos ex turba mihi moraliter praesentes esse, ad quos naturaliter vox mea pertingeret: nimirum tunc videndum est, non tantone distent remotiores, sed sitne multitudo ut unum aliquod a me tantopere separata.

[2] Cur tamen sacramentali sententiae absolutionis conditio *huic* similis, i. e. *de futuro*, repugnet, v.supra n. 28; sententiae, prout poenitentiam sacramentalem imponit, ne talis quidem conditio repugnat.

quod sententia sacramentalis semper ministerialiter a confessario profertur, atque ut vere efficax sit, divino judicio re ipsa debet esse conformis. At hoc non impedit, quominus plerumque *formâ absolutâ* et intentione absolutâ sententia sacramentalis dicatur: id enim tamdiu practice faciendum est, quamdiu ex gravi ratione metuere non potest confessarius, ne forte suum a divino judicio discrepet: conditio enim, quae in sola possibilitate seu in levi suspicione nititur, practice negligitur, neque explicite mente concipienda est; re ipsa enim semper implicite, quantum sufficit, latet.

Si vero gravis ratio est timendi, ne forte sententia confessarii a divina sententia discrepet; at propter dubium et propter necessitatem vel utilitatem poenitentis etiam dubia tentanda sunt: conditio *propter reverentiam sacramenti* aut verbis, aut saltem mente *expresse* additur, ut scil. confessarius protestetur, se, conditione illa deficiente, ne intendere quidem verba illa sacra in persona Christi proferre.

Praecipuae autem occasiones, in quibus absolutio conditionate dari 273
potest, aut pro necessitate poenitentis dari debet, hae sunt:

1. si dubium versatur circa vitam et mortem poenitentis — quamdiu non constat de incapacitate;

2. in dubio de sufficienti usu rationis in pueris et semifatuis — quando afferunt materiam *probabiliter gravem,* aut etiam aliquoties alias, quia forte subjective graviter peccaverunt;

3. in dubio de morali praesentia poenitentis;

4. in dubio de absolutione rite data pro ratione dubii et necessitatis *repetenda* est absolutio;

5. in dubio de jurisdictione confessarii, quando nihilominus occurrit gravis ratio dubie absolvendi;

6. in dubio de sufficienti materia sive remota, sive tantum proxima propter dubium justi doloris circa leviora peccata — quando difficulter alia materia certa haberi potest: vid. tunc *aliquoties* (S. Alph. putat, si dubium non de justo dolore, sed de materia remota sit, semel in mense id fieri posse) absolutio conditionate dari potest; *debet,* si simul prudens dubium est de materia necessaria, seu si adest peccatum dubie grave, quod poenitens nunc satis certo detestatur.

7. Imo in dubio de sufficienti dispositione *necessaria* circa mortalia peccata, non semper quidem, sed aliquando conditionata absolutio dari potest, vel pro graviore causa dari debet: a) in periculo mortis, undecunque oritur; b) si poenitens bona fide putat, se satis esse dispositum, et confessarius graviter timet, ne, negata aut dilata absolutione, poenitens in pejus ruat et ab omni sacramentorum frequentatione absterreatur, aut alterius sacramenti (ut matrimonii, confirmationis) *certa profanatione* delinquat.

Qua ratione si confessarius *quemlibet* poenitentem vere dubie dispositum absolvere velit, gravis laxitatis notam non effugiat ac falsa misericordia in poenitentem moveatur, quia per se culpa poenitentis est, si sufficientia doloris argumenta non praebet; at si peculiaris causa justi timoris est, nequaquam laxitatis reatus contrahitur. Cf. S. Alph. n. 432, IV.

Ceterum complura ex iis, quae hîc breviter tacta sunt, infra fusius exponentur.

Sectio II.

De subjecto Sacramenti Poenitentiae seu de poenitentis actibus singillatim consideratis, qui quasi-materiam proximam constituunt.

274 Subjectum poenitentiae est quilibet homo baptizatus, qui post baptismum peccatum commisit. Qui ergo aut baptizatus non est, aut post baptismum nihil peccavit, absolutionis incapax est. Incapaces igitur sunt omnes infantes ante rationis usum.

Ut autem homo proxime capax sit sacramentalem absolutionem ejusque effectum recipiendi, actus quosdam, jam supra indicatos, exercere debet, quibus non solum sese ad sacramentum disponat, sed etiam — quod in hoc sacramento peculiare est — materiam sacramenti proximam praebeat. De singulis igitur poenitentis actibus, tum ut dispositio sunt justificationis, tum ut materia sacramenti sunt, tractemus oportet.

Caput I.

De Contritione.

§ 1.

De natura et efficacia contritionis.

De contritione id potissimum valet, quod dictum est, considerandam esse rationem necessariae dispositionis, et rationem materiae sacramentalis. Quare recte dicitur pars poenitentiae prae reliquis maxime necessaria.

I. Contritio generice definitur „dolor animi ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero“. Trid. sess. 14 cap. 4.

II. Contritio alia dicitur perfecta (sive simpliciter *contritio,* presse et specifice sumpta), alia imperfecta, seu *attritio,* prout dolor et detestatio ex motivo perfectae caritatis concipitur, aut ex alio motivo quocunque, quod sit inferius caritate.

III. Contritio generice sumpta est absolute necessaria necessitate medii illi, qui grave peccatum (sive ante sive post baptismum) unquam commisit: necessitas vero praecepti inde consequitur. V. Trid. sess. 14 cap. 4: „Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.“

IV. Effectus vero contritionis ille est, ut contritio perfecta hominem justificet etiam ante sacramentum re susceptum; attritio vero extra sacramentum re susceptum ad justificationem non sufficiat, sufficiat cum sacramento.

Ita, ut omittam textus S. Scripturae, Trid. sess. 14 cap. 4, theses Bajanae a Pio V., Greg. XIII., Urbano VIII. damnatae 31. 70. 71. (Denzinger *enchir.* n. 911. 950. 951.)

V. Ut autem attritio cum sacramento poenitentiae justificet, debet aliquo modo cum eo conjungi atque ex voluntate recipiendae absolutionis procedere.

Uberior singulorum explanatio. Ad I. **De singulis contritionis elementis.** 275 Propositum circa vitam futuram aliquo modo in detestatione continetur, modo vera et efficax sit peccati detestatio. Qui enim in peccato commisso rationem peccati detestatur, hanc detestationem ad omne id extendit, in quo eadem ratio invenitur: porro in peccato futuro eadem ratio malitiae est, atque in praeterito. Utrum autem explicite et formaliter propositum concipi debeat necne, infra discutiendum erit.

Dolor vero et detestatio etiam in se motus diversi sunt, attamen ita cohaerent pro homine in hac vita, ut, ubi detestatio sit, necessario etiam dolor sequatur, et dolor verus et efficax peccati qua peccati adesse nequeat sine ejus detestatione: v. Suarez *de poenit.* disp. 3 s. 2, Lugo disp. 4 sect. 1, Reuter *theol. mor.* p. IV. n. 243. Detestatio igitur radix est et principalis affectus, qui per se tamen latius patet quam dolor. (Deus enim etiam detestatur peccata hominum, dolere non potest; imo peccata propria olim commissa detestantur Beati, non possunt autem amplius dolere.) Eo quod *dolor* additur, detestatio contrahitur ad certam speciem: quare etiam recte dici potest, *praecipue seu potius* attendendum esse, ut adsit dolor. Si enim dolor pro *dolorosa detestatione* sumitur, id verissimum est, siquidem habes detestationem *cum* suo complemento. Attamen si pro affectione distincta sumitur, non videtur satis recte praecipua vis in illo complemento poni, sed potius in ejus fundamento, unde vis et efficacia peccato contraria oriatur, detestationem dico et aversionem animi a peccato, est collocanda.

Ad II. **De perfectae contritionis motivo.** 1. Quaerebant aliqui ex 276 veteribus theologis, utrum ad contritionem, quae justificet, necessarium sit motivum ipsius perfectae caritatis, an etiam aliarum virtutum, quae proxime Deum spectant, ut religionis, gratitudinis etc. motivum sufficiat. Vide Lugo *de poenit.* disp. 5 n. 10 sqq. Attamen prorsus dicendum est, requiri motivum perfectae caritatis, quum: 1) Sacra Scriptura ad perfectam seu *totius cordis* conversionem ad Deum remissionem peccatorum restringat (Deut. 4, 29; Jer. 29, 13); totius cordis *conversio ad Deum* autem non habeatur nisi in ipsa caritate; et 2) Trid. sess. 14 c. 4 ab attritione, quae per se sola ad justificationem non sufficiat, tantum eam contritionem, quae *caritate* perfecta sit, distinguat.

2. Quale autem *caritatis* motivum esse debeat, discendum est ex iis, 277 quae de virtutibus theologicis disputata sunt, videlicet sufficere quodlibet divinum attributum, modo *ut divinum*, i. e. *summe* perfectum concipiatur.

Ad III. **De necessitate contritionis.** 1. Re ipsa peccatum grave non remitti hominemque Deo non reconciliari sine aliqua retractatione a peccatore facta seu sine ulla poenitentia, fide certum est, ut praeter alia fidei docu-

menta Trid. sess. 14 l. c. demonstrat, ideoque poenitentia necessaria est necessitate medii[1]. At quamquam Deus in hoc ordine nunquam peccatorem in gratiam et amicitiam iterum recipit, nisi de peccatis doluerit, inde non sequitur, Deum absolute non posse aliter agere, quasi internam repugnantiam id involvat. Posse enim id absolute fieri, antiquiores scriptores ex schola S. Thomae communiter docuerunt (v. Suarez *de poenit.* disp. 9 sect. 4 n. 3 sqq.), atque cum illis docent ipse Suarez, Bellarm., Bonav., Scotus cum sua schola, Lugo (*de poenit.* disp. 7 n. 108) aliique quam plurimi. Rationes autem, quae rem plane evincere videantur, l. c. legere licet.

Nihilominus convenientissimum esse, Deum noluisse id facere eumque plane statuisse, ut homo ipse etiam sese a peccato positive avertat atque Deo invitanti atque excitanti obviam eat, probatione non eget.

2. Hinc sequitur, necesse esse homini, post peccatum patratum de eo dolere, imo ita dolere, ut re ipsa veniam consequatur — aliter enim finem suum ultimum projiceret. Ergo debet aut perfecta contritione dolere, aut cum debita praeparatione sacramentum poenitentiae recipere: eaque obligatio, quia est circa medium salutis necessarium, saltem in probabili mortis periculo urget.

278 3. At videndum est, num aliunde fortasse etiam obligatio contritionis exsistat, sive propter Deum, cui offensa illata est, sive propter ipsum hominem, qui quovis momento mori possit et qui graviter semel lapsus difficilius alia gravia peccata vitaturus sit.

R. 1. Offensa Dei sive injuria quaedam ei per peccatum illata ratio quidem esse *poterat*, cur Deus *statim* retractationem peccati exigeret; at de facto non exegit neque jus suum cum illo rigore urget, idque convenienter, ne peccata infinities multiplicentur. Attamen qui per *tempus valde diuturnum* reconciliationem cum Deo prorsus negligat, divinam amicitiam atque divinum jus quodammodo despicere videtur, atque ita novâ *injuriâ* Deum afficere. Quale tempus adeo notabile sit, accurate definiri nequit: spatium aliquot annorum certo notabile est; qui vero tempore ab Ecclesia confessioni assignato reconciliationem cum Deo facit, ab hoc novo injuriae peccato immunis per se videtur.

R. 2. Illa possibilitas moriendi ante reconciliationem cum Deo factam urgentissimum quidem motivum est, ut homo semper sibi provideat: at si speciale periculum mortis non adest, illa communis possibilitas non sufficit, ut dilatio poenitentiae pro novo peccato gravi habeatur. Quare ille, qui fortasse morte praeventus fuerit inopinata, poenas quidem aeternas pro peccato non deleto luiturus est; at novi peccati gravis dilatae poenitentiae reus non erit.

R. 3. Nihilominus obligatio conversionem vel ipsam *contritionem* post peccatum grave *non diu differendi* videtur prorsus asserenda esse ex *alia* causa, quod homo in statu peccati proximam facultatem superandi alias graves tentationes non habeat ita expeditam, ut re ipsa non

---

[1] Venialia autem peccata non eandem formalem retractationem semper necessario requirere, ut remittantur, virtute sacramentorum accedente, satis probabile est. Cf. infra de dolore et confessione ad remissionem peccatorum venialium necessariis.

lapsurus sit. Nam lex divina in distribuendis gratiis ea est, ut solis amicis suis efficaces illas gratias dare Deus consueverit. Quare, ut in alia quaestione de obligatione actus caritatis eliciendi diximus, ita in hac consimili re S. Alph. prudenter dicit, videri esse in se gravem obligationem contritionem vel reconciliationem cum Deo non ultra mensem differendi: l. 2 n. 8 et l. 6 n. 437. Cf. quae habes vol. I. n. 322.

Ceterum quum peccatum subjectivum a morali aestimatione hominis dependeat, neque multi sint, qui id attendant, confessarius quoad praeteritam vitam poenitentis non debet sollicitus esse in deprehendendis illis peccatis, neque quoad futuram vitam in docenda hac determinata obligatione: sollicitus autem multum esse debet, ut — peccati novi per omissionem committendi mentione quidem non facta — aliunde stimulos adjiciat poenitenti, ut quam primum post graves lapsus saltem per perfectam contritionem, aut etiam data occasione per confessionem veniam quaerat. Tristis enim experientia docet, post primum lapsum, nisi citissime reparetur, innumeros lapsus sequi consuevisse.

Ad IV. **De contr. efficacia.** 1. Quamquam contritio caritate per- 279
fecta hominem justificat, antequam sacramentum poenitentiae (vel baptismi) re suscipiat, ut Trid. docet l. c., tamen idem Concil. eodem loco docet, „reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse abscribendam“.

Votum vero sacramenti 1) non necessario continet propositum, illud quam primum suscipiendi, 2) neque necesse est votum seu desiderium explicite concipi, ut ex doctrina theologorum et Ecclesiae satis certum est. Sufficit igitur illud votum sacramenti, quod *eo ipso exsistit,* quod aliquis actum perfectae contritionis seu caritatis elicit. — Ceterum quomodo id explicandum sit, quod dicitur, reconciliationem cum Deo *voto sacramenti* adscribendam esse, sume ex Lugo *de Euchar.* disp. 3 n. 24 sqq., et ex iis, quae supra dixi de *sacram. baptismi* n. 55 et 57.

2. In remissione peccatorum venialium illam relationem ad sacramentum, seu sacramenti votum non esse necessarium, ex eo evidens est, quod peccata venialia non indigent secundum divinam institutionem remissione vi sacramenti quaerenda, quia non solum sacramentali absolutione, sed docente Trid. Conc. (sess. 14 c. 5) „multis aliis remediis expiari possunt“. Quare eorum reatus culpae 1) certo deletur contritione perfecta, quae et quatenus etiam ad venialia peccata sese porrigit; 2) etiam extra sacramentum perfecta contritio non videtur requiri, sed sufficere videtur imperfectior dolor, qui ad attritionem pertineat; 3) attamen non quamlibet attritionem, etsi afficiat peccata venialia, ad quaelibet venialia peccata extra sacramentum remittenda sufficere dixerim — aliter enim nunquam per sacramentalem absolutionem primo delerentur, nisi in eo, qui simul mortalia peccata accusanda haberet: quod vix probabile videtur.

Quare non sine gravi fundamento Lugo (disp. 9 n. 32 et 33) ita opinatur: „Ut per solum actum attritionis peccatum veniale quoad culpam tollatur, Deus non exigit eandem dispositionem pro omnibus venialibus,

sed pro gravioribus perfectiorem attritionem, pro levioribus minus perfectam . . . Qualis autem et quanta dispositio exigatur a Deo ad remissionem singulorum venialium, nos scire non possumus. . . . Fateamur, non semper remitti peccata venialia quacunque attritione, *nisi per fervorem vel alia pia opera adjuvetur.*" Igitur ut extra sacramentum attritio peccata venialia remittat, videtur exigi pro eorum majore minoreve gravitate aut certus attritionis fervor, aut aliorum piorum operum adjumentum. Quodsi verum est, facile intelligitur, quomodo *alia multa remedia* sint, quibus peccata venialia remittantur. Imo opinari licet, quotiescunque per augmentum gratiae quomodocunque causatum Deus animam justam ad novum amplexum et osculum pacis in Spiritu Sancto admittat, toties aliquid venialis culpae, cujus affectum homo deposuerit, deleri, ut sic magis magisque sine ruga et macula coram Deo appareat.

280 Ad V. **De intentione in dolore necessaria.** 1. Secundum doctrinam n[1] 256 actus poenitentis non solum ejus dispositio interna sit, sed etiam materia „ex qua" sacramenti. Quae si vera est, ad sacramentum poenitentiae non solum ea intentio poenitentis requiritur, qua susceptio fiat voluntaria, sed etiam ille actus, *quo dolorem voluntarie dirigat ad sacramentum.* Quoniam autem re vera illa opinio probabilis saltem, imo communior est, practice ejusmodi directio ex parte poenitentis — saltem ante factum — prorsus est procuranda.

Igitur 1) dolor, qui conceptus quidem est de peccatis, sed nullam relationem ad sacramentalem absolutionem recipiendam habuit aut habet, *dubium* efficit valorem absolutionis.

2) Neque tamen id necessario requirendum est, ut ex voluntate confitendi prius habita poenitens dolorem eliciat; sed sufficit, ut a) aut hoc ipsum egerit (qui modus utique plane communis est); aut b) ut dolore concepto ad confessionem faciendam moveatur, et dolorem adhuc aliquo modo perseverantem et coexsistentem cum confessione re ipsa conjungat; aut c) ut tempore intermedio inter confessionem peractam et absolutionem dandam dolorem eliciat — id quod per se periculosum est, quia facile accidere potest, ut absolutio pronuntietur, antequam verus dolor conceptus sit[1].

---

[1] Totius igitur nodus quaestionis in eo est, ut explicetur, *non utrum* aliqua ordinatio doloris ad sacramentum recipiendum requiratur, sed *quaenam* ordinatio dicenda sit necessaria. Nam neque omnem ejusmodi ordinationem excludi vel negligi posse, cum probabilitate defenditur, neque omnimodam ordinationem vel intentionem sacramenti praehabitam requirere, utpote quod etiam sine ratione postularetur, veritati et prudentiae consentaneum est.

Aliquam igitur ordinationem doloris ad sacramentum dixi necessariam videri. Nam dolor non est tantum dispositio ad justificationem in sacramento poenitentiae recipiendam, sed est etiam hujus sacramenti quasi partialis materia. Ex qua catholica doctrina in Tridentino tradita, immerito tamen concluditur, ipsam doloris excitationem sive dolorem *in fieri,* ut ajunt, constituere materiam proximam sacramenti, quum potius dicendum sit, dolorem *excitatum* sive *„in facto esse"* constituere sacramenti materiam eamque non in se et per se proximam, sed illam proximam evadere per confessionem et in conjunctione cum illa. Dolor enim confessionem quasi informare seu accusationem dolorosam et reconciliationi cum Deo ineundae aptam

2. Dolorem vero, dum ex desiderio reconciliationis cum Deo ortus sit, aut ad quaerendam confessionem fugamque peccati ejusque

---

reddere debet. Quum primum igitur dolor ad confessionem aliquo modo coexsistens refertur, habetur dolor qui proxime materiam sacramenti constituit, neque necesse est, ut jam ante dolorem excitandum confitendi voluntas hominem occupaverit. Simili fere modo aqua est materia baptismi; at inde non efficitur, aquam debere ex intentione sacramenti esse praeparatam. Sufficit omnino eam exsistentem adhibere et hoc modo ad sacramentum ordinare. Posse autem etiam eum dolorem, qui non *ex praevia* sacramenti suscipiendi voluntate conceptus est, adhuc aliquo modo exsistere, ita ut *dolor perseverans* ad sacramentum ordinetur: non est, cur dubium videatur. Qui enim e. g. dolore permotus confitendi occasionem quaerit, aut ea oblata utitur, certe dolorem de peccatis non deposuit, sed in illo perseverat, etsi neque tunc hujus doloris actualis reflexam conscientiam, neque postea certam illius memoriam habet. Quare sine sufficienti ratione Lacroix l. 6 p. 2 n. 687 pro necessitate dolorem ex intentione confessionis eliciendi dimicans „alias, ait, non est actio sacramentalis, sicut ablutio facta sine intentione baptizandi, quamvis immediate post referretur ad baptismum et adderetur forma, non esset actio sacramentalis . . . et si ordinandus poneret contactum materiarum sine intentione sacramenti, non ordinaretur valide". Nam ut omittam illam dissimilitudinem nostrae quaestionis, quod, ut supra dixi, dolor non est in se et per se proxima materia sacramenti, ut ablutio et traditio instrumentorum est baptismi et ordinis proxima materia: certe si quis ex alia prorsus intentione instrumenta tangere coepisset et *tangere pergens* intentionem recipiendi ordinem haberet, nemo diceret, tali tactu sacramentum valide conferri propterea non posse, quia actio tangendi non *suscepta* est ex intentione sacramenti; nam sufficit eam cum vel *ex illa intentione continuatam* esse. Ergo idem dic de dolore quoad sacramentum poenitentiae. Concludamus ergo: eum dolorem sufficere, qui *cum* voluntate sacramenti aliquo modo coëxsistat. Ceteroquin alia quoque animadversione patebit, ea, quae ab adversariis postulari possunt, adesse in omni dolore, ex quo homo postea ad recipiendum sacramentum procedit, modo ne — id quod nulla ratio suadet — hanc intentionem expressam et reflexam requirant. Nam praeterquam quod *continuatus* ille dolor et aliquo modo usque ad confessionem *perseverans* tum ex vel cum confessionis intentione fiat, hanc intentionem videmur ab initio, quando actus elici coeptus est, modo conditiones a Trid. sess. 14 cap. 4 recensitas habeat, ex ipsis illis conditionibus colligere posse. Nam considerate Patres Tridentini attritionem, si *cum spe veniae* et voto praestandi reliqua conjuncta sit, esse praeparationem sive dispositionem ad justificationem in sacramento recipiendam dixerunt. Spes enim illa veniae, ne temeraria sit, non in sola attritione fundatur, quippe quam per se insufficientem esse ad remissionem peccatorum accipiendam non ignoretur, sed necessario includit voluntatem id addendi, quo attritio *compleri debet.* Compleri autem ex divina institutione debet sacramento poenitentiae. Quilibet ergo, qui attritionem cum spe veniae concipit atque necessitatem eam per sacramentum complendi plane novit, eo ipso implicite voluntatem habet adhibendi sacramentum poenitentiae, quo omnia, quae ad remissionem necessaria sunt, compleantur atque justificatio recipiatur. Sicut igitur ille, qui statuit accedere ad sacramentum poenitentiae, de spe veniae actualiter concepta sollicitus esse non debet, ut sq. § dicetur — etsi optimum est etiam illum actum cum majore mora et reflexione elicere —: ita e contrario, qui spem veniae elicuit, vix dubitare potest de ea voluntate seu intentione sacramenti, quae in vel cum dolore requiritur.

Necessaria igitur doloris ad sacramentum ordinatio atque confessionis cum dolore necessaria unio adest in sequentibus:

1. Si quis post peccatorum suorum enarrationem ante absolutionem dolorem elicit, vel a confessario ad contritionem perducitur. (Attende tamen, dolorem eo usque differre, propter periculum in tam brevi tempore deficiendi postea in dolore, ex se non licere.) Quamquam enim sola illa enarratio peccatorum dolorosa (prout

occasionum efficaciter hominem promoverit illique voluntati coëxstiterit, posse per unum alterumve diem perseverare, ita, ut pro absolutione sufficiat, S° Alph. dubium non est (*H. Ap.* tr. 16 n. 20): secus vero, si quis ex mera devotione aut ob implendum votum similemque causam confiteretur.

231 3. Ceterum practice insistendum est in eo, ut fideles assuescant in ipsa immediata praeparatione ad confessionem justum tempus in considerandis motivis ad dolorem excitantibus, in eoque ferventer concipiendo impendere: quia ab ea ipsa praeparatione major fructus sacramentalis absolutionis dependet.

E contrario autem, post factum ob defectum necessariae connexionis doloris cum confessione, modo de dolore habito constet, non est imponendum onus confessionis iterandae, tum ob contrariam opinionem de materia sacramenti, tum maxime quia vix accidet, ut dolor antea utcunque elicitus, quum quis postea confiteri vult, non aliquo modo renovetur atque cum confessione ejusve intentione satis coëxsistat. Solummodo si de periculo mortis agitur, seu de periculo, ne poenitens ante absolutionem iterum susceptam moriatur: securiora, quantum fieri potest, sectanda sunt, siquidem in illa necessitate leviora etiam dubia attendere, ne ullum aeternae salutis periculum remaneat, prudentiae est.

4. Dolorem non amplius perseverare, sed necessario denuo concipiendum esse, si intercesserit novum peccatum mortale, evidens est. At non ita certe solvitur quaestio circa dolorem de venialibus peccatis, utrum scil. dolor universali motivo circa venialia peccata conceptus revocetur per quodlibet peccatum veniale, an possit perseverare. Quodsi primum affirmatur, non raro scrupuli excitari possunt, nisi dolor immediate ante confessionem renovetur. At quamquam id est optimum, tamen necessarium non est, si peccatum novum *certo levius* est, quam ea, quae poenitens, quum dolorem eliceret, confiteri intendit: cf. Tamburini *meth. conf.* lib. 1 cap. 3 § 4.

---

esse debet) dici nequit, tamen de valore sacramenti dubitandum non est. Nam si post confessionem ante absolutionem verus dolor sequitur, ipsa absolutionis humilis exspectatio accusationem priorem quasi resumit atque perficit, imo fit ipsa accusatio dolorosa externe manifestata, quae proxime sit materia sacramenti.

2. Si quis ex proposito confitendi se disponit, et excussa conscientia dolorem elicit —; qui modus communior et planior est et esse debet.

3. Si quis occasione aliqua ad veram peccatorum detestationem et dolorem et ad efficax reconciliationis cum Deo perficiendae desiderium movetur, atque propterea voluntatem confitendi concipit, vel confessionem facit.

Quodsi dolor neque ex voluntate confitendi ortus est, neque ad propositum confitendi hominem permovit: dubitari potest, num actus a confessione adeo separatus cum illa in materiam sacramenti coalescat. Cum tali igitur probabili defectu voluntario petere absolutionem non licet. Attamen practice de hoc defectu vix ita constabit, ut postea confessio injungatur iteranda, nisi forte aliae rationes accedant, cur necessarium sit, ut poenitentis saluti per novam aliqualem confessionem et absolutionem securius provideatur.

5. Alia causa discutienda restat, quae cum ea, quam modo n. 2 tetigi, 282
cohaeret, vid. num dolor semel elicitus isque universalis, qui sese extendebat ad peccata tum memoriae obversantia, tum oblivioni tradita, etiam sufficiat ad absolutionem denuo recipiendam, dolore non renovato.

Si latius quaestionis sensus sumitur, quaeri potest, *utrum unus idemque doloris actus pro pluribus absolutionibus sacramentalibus sufficiat, necne.*

R. 1. Auctores non pauci indiscriminatim id affirmant, sive secunda vel tertia vice alia quoque, sive eadem tantum peccata confessus fueris, ita, ut de iisdem peccatis aliquis pluries absolvi possit, dolore neque renovato neque revocato, sed habitualiter et virtualiter permanente. — Verum, si hoc ita intelligunt, quasi post hebdomades et menses iterata fieri possit absolutio, id sane valde dubium est: 1) quia illa virtualis perseverantia doloris, quae requiritur, non de sola habituali animi dispositione intelligi debet, sed de ea virtuali persistentia, quae connectat dolorem intentionaliter cum absolutione (cf. Tamb. l. c. 1 c. 2 § 5); 2) quia gravis ratio contra hanc opinionem ex eo petitur, quod totum judicium sacramentale finitum atque perfectum sit; ergo ut novum inchoëtur, non solum nova accusatio, sed etiam nova peccatorum detestatio prorsus requiri videtur (ita Henriquez, Vasquez, Bonacina *de poenit.* disp. 5 q. 4 punct. 4 n. 1: ubi complures alios scriptores invenies allegatos).

R. 2. Si vero poenitens post absolutionem receptam recordatur peccati ex oblivione omissi, idque nunc confessario declarat: non erit necessaria doloris renovatio, si modo dolor antea conceptus sese extenderit ad omnia peccata etiam forte memoriae non occurrentia. Nam in hoc casu judicium nondum objective completum erat. Dolor et intentio implicita recipiendi absolutionem fuerat circa omnia peccata sive accusata, sive inculpabiliter omissa: et sicut renovatio doloris nullatenus necessaria fuisset, si poenitens peccati illius post dolorem universalem habitum tandem recordatus fuisset et immediate ante absolutionem primo datam declarasset, ita neque nunc necessaria est; nam perinde est, aut plures particulares absolutiones, aut unam generalem et omnia peccata respicientem accipere. Quamquam igitur conveniat et consultum sit, in tali casu breviter renovare dolorem, id quod facillime fit et certo auget gratiam vi secundae absolutionis recipiendam: — tamen ad valorem et essentiam secundae absolutionis non requiritur. Vide Baller. notam ad Gury II. n. 448.

NB. Quamquam aliquot scriptores, leviore ratione innixi contradicunt, atque semper doloris actum repeti omnino volunt, eorum opinio tamen obligationem securiora eligendi inducere nequit, quum poenitens semper supponatur jam satis certo justificatus esse; ut autem juri divino, quod omnium peccatorum directam absolutionem postulat, satisfactum esse censeatur, sufficit illi satisfieri secundum sententiam solida ratione fundatam, etsi ab aliquibus leviter impugnatam.

§ 2.

De dotibus contritionis.

De dotibus contritionis acturi, contritionem generice sumimus, 283
prout et perfectam contritionem et attritionem sub se continet: nam proprietates, quae requiruntur, ut homo vi contritionis sive perfectae extra sacramentum, sive imperfectae cum sacramento veniam pecca-

torum consequatur, communes sunt. Revocantur doctrinâ in omnes fere catechismos receptâ ad quatuor.

I. Contritio debet esse interna et *vera,* eaque *formalis;* ergo non sufficit contritio vel attritio existimata. Neque sufficit dolor in altero actu fortasse implicite contentus: ita ut, si possibile sit, aliquem solum caritatis actum elicere atque, illo solo elicito, peccata sua accusare, is justificetur quidem vi caritatis, absolutionem tamen valide accipere non possit.

II. Contritio debet esse *appretiative summa,* ita ut poenitens peccatum supra omnia alia mala detestetur atque *absolute* sub quavis hypothesi paratus sit non amplius peccare. Dummodo vero homo *absolute* sese avertat a peccato, comparatio cum aliis malis expresse fieri non debet, imo id imprudentissimum et periculosum est atque aptum ad exstinguendum dolorem et propositum antea rite conceptum. — Quare plerumque ejusmodi comparationes, si menti sese obtrudunt, potius positiva fuga excludendae sunt et generali illa voluntate superandae cogitando: gratia divina suo tempore mihi aderit, cum illâ statuo absolute non peccare.

III. Contritio debet esse *supernaturalis,* i. e. tum ope supernaturalis auxilii divini, tum ex motivo supernaturali fide noto a poenitente concepta. Posterius elementum potioris momenti est, quum, homine faciente quod suum est, Deus in supernaturali ope ferenda non sit defuturus.

IV. Contritio *universalis* esse debet, si de peccatis *mortalibus* agitur, ita ut aut singularibus motivis singula et omnia peccata commissa, aut uno motivo universali omnia peccata sive nota sive ignota comprehendantur.

284 **Uberior explicatio. Ad I. Dolor verus et formalis.** 1. Antiquitus plures scriptores in oppositione ad contritionem omnem illum dolorem vocaverunt attritionem, qui utcunque a perfecta contritione deficeret sive propter motivum inferius, sive propter defectum firmi propositi et voluntatis, sive propter defectum detestationis super omnia.

Aliqui dein putaverunt, pro absolutione sacramentali requiri et sufficere contritionem existimatam eo sensu, ut 1) poenitens debeat conari et se pervenisse putare ad actum perfectae contritionis, 2) sufficiat vero haec *putativa* contritio, *utcunque* tandem a vera ratione contritionis dolor re ipsa deficiat.

At utrumque falsum est. Nam 1) non sufficit, si attritio eo defectu laborat, ut sit velleitas tantum vel non detestatio super omnia; neque eam jam genuinam attritionem vocamus; 2) sufficit vero, ut homo etiam sciens in attritione haereat, modo quatuor illae dotes enumeratae adsint, utcunque motivum doloris super omnia firmi caritate inferius sit. Cf. Busenb. tr. IV. *(de sacr. poen.)* c. 1 d. II. resolv. 1 et 2.

2. *Formalem* dolorem requiri, ut *vi sacramenti* remittantur peccata, est communis et prorsus tenenda sententia: Lacr. l. 6 p. 2 n. 666. Sufficere contritionem virtualem in amore aut in proposito formali inclusam (si tamen virtualis seu implicita manere potest), docuere ut probabile Vega, Vict.,

Tamb. etc.: quam sententiam Suarez vocat temerariam, imo Vasquez erroneam, alii tamen ejusmodi censuram severiorem esse putant.

Ceterum notatu digna sunt verba Reuter *theol. mor.* p. IV. n. 247: „Quamquam qui *memor peccatorum* elicit actum perfectae caritatis, angi non debet de defectu doloris formalis. Est enim moraliter impossibile, ut memor peccatorum amet Deum super omnia, quin sua peccata detestetur. Et idem est de proposito de vitandis amore Dei peccatis; neque enim hoc sine formali dolore esse moraliter potest." Idem autem videtur dicendum esse de quocunque proposito efficaci ex peccati odio propter supernaturale motivum oriundo. Etsi enim odium non dicat ex se formaliter detestationem et dolorem *praeteriti* peccati, attamen moraliter necessario illam etiam producit in eo, qui se peccasse recordatur. (Cf. etiam Vasquez *de poenit.* quaest. 86 dub. 4 *de proposito.*)

Ad II. **Dolor appretiative summus.** 1. Adverte, non dici *intensive* summum. 285
Sc. intensio actûs ejus substantiam non mutat, et quamquam quo intensior, eo melior est, tamen certa aliqua intensitas requiri nequit, nisi omnia in dubium vocare et perpetuos scrupulos ciere velis, neque illa intensitas ullo argumento ut necessaria probatur. — Imo id quoque fidelibus sciendum est, dolorem intensiorem et magis sensibilem, qui sentiatur propter temporalia damna, amicorum et cognatorum mortem, nullatenus impedire, quominus dolor appretiative major de peccato concipiatur: cujus rei certum argumentum est, quando homo ita sese disponit, ut, si per peccatum posset, tamen damno illi temporali remedium afferre nollet.

2. Est difficultas a theologis proposita, attritionem ex metu gehennae conceptam non videri esse super omnia, quum poenam plus quam peccatum detestetur.

Ad hanc difficultatem et intelligendam et solvendam notandum est, esse duplicem timorem poenarum, unum serviliter servilem, alterum simpliciter servilem: (distinguitur ab illo timor *filialis,* qui ad caritatem pertinet). Timor serviliter servilis poenam timet, peccatum nullo modo, sed relinquit in homine affectum praesentem ad peccatum, quum ita dispositus sit, ut peccare velit, atque peccaret, si poena non esset: ille affectus ipse peccaminosus est, et non tantum poenam plus timet quam peccatum, sed peccatum potius amat quam timet. — Timor simpliciter servilis propter poenam peccatum timet et detestatur ejusque affectum excludit; qui timor bonus est, et, si reliquae conditiones adsunt, ad justificationem in sacramento accipiendam proxime disponit, ut Trid. sess. 14 docet. Si ergo aliquis dicit, hanc attritionem plus seu potius timere poenam quam peccatum, respondendum est distinctione: Si illud *potius* (nam illud *plus* nullatenus recte dicitur) indicet rationem causalitatis, id concedo, siquidem *tota* ratio motiva detestandi peccati est; si illud *potius* indicat rationem praeelectionis, id omnino negandum est. Nam qui propter poenam peccatum odit et fugit, non eligit prae peccati fuga fugam poenae, seu non vult *peccando* poenam effugere, sed *non-peccando* poenam effugere vult; neque unquam poena et peccatum erunt objecta, inter quae electio facienda sit: quare ut homo peccatum absolute et in omni casu vitet, necesse non est fugiat peccatum *supra* poenam gehennae, sed *eadem fuga cum* gehenna, at supra omnia mala, quorum perpessio ad vitandum peccatum possibilis fieri valeat.

Quare id concedendum est, attritionem ex metu gehennae *satis* quidem, etsi *non perfecte* super omnia peccatum detestari: hoc fit per contritionem

perfectam, quae id in peccato considerat et super omnia detestatur, quod vere summam rationem mali in peccato habet, sc. oppositionem ad Deum ejusque beneplacitum, seu quod peccatum aliquo modo malum Dei sit.

3. Sicut nulla certa actûs intensitas in contritione requiritur, ita neque certa temporis diuturnitas, quum uno momento sive attritio sive contritio concipi possit: at practice fideles in eliciendo dolore ante confessionem aliquod tempus insumere tenentur, neque consuetâ formulâ superficie tenus recitandâ contenti esse debent: secus aut nullus aut valde debilis dolor concipitur.

286 Ad III. **Dolor supernaturaliter ortus et conceptus.** 1. Genesim doloris, qui ad justificationem praeparat, descriptam habes in Trid. sess. 6. cap. 6: et quamquam non omnes et singuli actus, qui ibi enumerantur, formaliter adesse debent, tamen quodlibet motivum, quo moveri possimus ad dolendum de peccatis, ut oportet ad salutem, ex fide concipi debet.

Unde etiam fere solvitur quaestio, quam theologi aliqui scrupulosius movent, utrum ante sacramentum poenitentiae *actus fidei et spei* explicite concipi oporteat, an satis sit implicite.

Ut enim ab actu fidei ordiamur, si exigas, ut poenitens *ante seu praeter doloris actum* concipere debuerit expresse et reflexe actum fidei cum sua ratione motiva seu objecto formali, id sine causa requiras, nisi ab eo, qui contra fidem peccans fidem amiserit: at si assensum in aliquam veritatem *ut fide notam* ab habitu fidei oriundum intelligas, ille sine dubio requiritur, quum secus impossibile sit, ex supernaturali motivo dolorem concipere.

Quare sine dubio formalis actus fidei et explicitus requiritur, sed ille etiam sine dubio adest seu adfuit, si modo de dolore necessario constiterit.

Rectissime igitur S. Alph. n. 439 secundum Lugo et Escobar diversas theologorum opiniones, si sane intelligantur, conciliari posse dicit, quum homo formaliter quidem credere debeat, sed non reflexe et ex *distincta* motivorum fidei apprehensione. Similiter fere de spe dicitur, „quum quis accedit ad confessionem vere poenitens . . . ad remissionem suorum peccatorum recipiendam . . ., explicite (non jam reflexe, sed exercite) sperat, per sacramentum Deum remissurum sibi peccata propter merita Christi“. Haec utique valent de homine fideli, qui de rebus ad salutem necessariis instructus sit. Consentit Reuter *theol. mor.* p. II. n. 36 et p. IV. n. 247. Confer, quae de *sacram. in gener.* cap. V. § 2 n. 51 dixi.

2. Multa autem et diversa motiva doloris a fide nobis subministrantur, quae tamen, nisi habeas caritatem, ad metum poenarum et ad odium turpitudinis peccati revocantur. Haec enim turpitudo multiplex est, quum et generales illas malitias, quas in tomo I. de peccatis agens memoravi, et specialem singulis peccatis propriam malitiam et oppositionem ad proprias virtutes complectatur. Adde passionem Christi (quam ad motivum caritatis referre licet), et foeditatem animae, quae per privationem gratiae sanctificantis etc. incurritur. Haec omnia

motiva *aeterna* vocari licet: imo non immerito ipsas poenas purgatorii motivis aeternis adnumeramus, quum illae poenae hanc vitam ejusque mala transscendant et tum locum habeant, quando humana anima jam a vita temporali ad vitam aeternitatis translata est. Sufficere autem quodlibet horum motivorum ad attritionem rite concipiendam, certum est, neque necessarium est tale motivum concipere, quod fide nobis *primo* revelatum sit — sunt enim multa, quae *et* fide *et* ratione tenemus — dummodo ne per solam rationem, sed per fidem re ipsa menti obversetur. At si quando ex motivo *particulari* (sc. ex particulari alicujus peccati foeditate, quamquam ut fide nota) dolor concipitur, praestat aliquod motivum universale sive timoris, sive odii illius foeditatis, quae in *omni* peccato (mortali) est, adjungere, ne forte propter peccatum aliud latens e memoria elapsum dolor insufficiens reddatur vel dubius.

3. *Supernaturalis* quidem dolor etiam esse potest, qui ex considera- 237
tione poenarum hujus vitae, ut a Deo inflictarum, oritur, non tamen ita certo *absolutus*. Nam revera non sola ratione, sed fide etiam docemur, Deum res ita ordinasse, ut ex peccato diversa mala sequerentur, eumque consuevisse propter peccata tum privata tum communia mala et flagella in homines immittere. Suntne igitur haec mala sufficiens motivum attritionis, quae cum sacramento veniam peccatorum consequatur? Sunt qui negent, sunt qui affirment. Sed etiam ex magno numero eorum, qui pro affirmante sententia afferuntur, si recte eorum doctrina inspicitur, minime omnes simpliciter affirmant. Unus Suarez sufficiat. Ejus doctrina colligitur ex disp. 20 sect. 2 n. 10 et disp. 5 sect. 2 n. 15. Priore loco ita dicit: „Unde ulterius colligo, hujusmodi attritionem debere esse ex aliquo motivo divino et supernaturali. Et imprimis, quod non sufficiat motivum temporale et humanum, satis colligitur ex Conc. Trid. . .: deinde est aperta ratio, quia tale motivum revera *non avertit voluntatem ab affectu peccati* . . . Quod autem hoc motivum debeat esse supernaturale, probandum est ex generali principio horum actuum supernaturalium . . .“ — Altero loco (disp. 5) haec habentur: „Vega l. 13 in Tridentinum c. 14 concedit, detestationem ob metum aliarum poenarum (praeter gehennam) esse attritionem (sc. sufficientem). Quae sententia vera erit, si intelligamus, illum timorem non esse mere humanum et naturalem, sed divinum et supernaturalem. Itaque, quamvis poenae temporales sint, si tamen considerantur *ut inflictae a Deo et ut nobis indicant iram ejus et quodammodo inchoant divinum supplicium*, nisi emendemur: sub ea ratione possunt movere ad supernaturalem attritionem, quae optime reducitur ad illam, quae est ex metu gehennae, sicut sperare a Deo bona temporalia sub aliqua habitudine ad vitam aeternam, seu ad specialem vel supernaturalem Dei providentiam, ad virtutem spei pertinet.“

Cui doctrinae subscribendum esse censeo. At facile patet, eum, qui *ita* poenas temporales consideret, non in illis solis haerere, sed ab illis occasionem sumere, ut transeat ad considerandam divinam justitiam, quae in gravioribus et aeternis poenis infligendis compleatur; quae consideratio generat — ut Lugo *de poenit.* d. 5 n. 141 suam sententiam exponit — „timorem Dei potentis illas *et alias* poenas infligere.“ Quodsi quis ad *eam* considerationem transit, sine dubio moveri potest ad voluntatem absolutam

super omnia vitandorum peccatorum, quae tantam castigationem facile omnia alia mala cum peccatorum fuga forte conjuncta superantem mereantur; aut etiam ex poena ut a Deo infligenda colligit peccati indignitatem, quod a Deo utcunque puniri mereatur, etiam illa temporali poena hujus vitae: quae punibilitas — ut hac voce utar — vere altiorem mali rationem habet quam poena ipsa, et propterea super omnia mala physica odio haberi potest[1].

Sed si quis in solis malis temporalibus, quae re ipsa pro peccatis inflicta sint vel in hac vita infligantur, haeret, non videtur hisce solis moveri posse ad firmam voluntatem super omnia et prae omnibus aliis malis peccatum vitandi; possibile enim est, ut cum peccati fuga majora mala hujus vitae conjuncta sint, quam quae nunc ut sequelas peccati timet. Porro impossibile est, ut fuga minoris mali efficaciter hominem determinet ad ferenda mala majora. Nihilominus dolor et propositum, ut pro justificatione consequenda sufficiat, ita esse debet, ut implicite et in radice hominem determinet ad ferenda potius omnia mala hujus vitae possibilia, quam ullum committat peccatum; et quamquam id explicite cogitare non debet, *motivum* doloris et propositi tantum esse debet, ut, *si* motivum illud in animo servetur, ad omnia potius mala ferenda exstimulet et stimulare possit.

Quare solum cum limitatione a Suarez et aliis scriptoribus additâ mala hujus vitae motivum doloris sufficiens subministrant. Utilissimum tamen esse potest, ab illo motivo ut magis sensibili incipere, quum confessarius poenitentem peccatis deditum ad dolorem permovere studet, et ab illo ad altiora et securiora ascendere.

288 4. Ex iis, quae hîc et pluries antea dicta sunt de sufficientia attritionis, jam patet, sententiam eorum esse prorsus rejiciendam, qui ad dispositionem pro suscipiendo sacramento poenitentiae actum perfectae caritatis *postulent.* — Si enim de sola meliore dispositione quaeritur, aut quid optandum sit, et ad quid confessarius conari debeat poenitentem propellere, facile omnes consentiunt, melius et consultius esse caritatem et contritionem perfectam adhibere. — Perfectam autem caritatem *exigi,* a doctrina Concilii Tridentini alienum esse (sess. 14 cap. 4) censeo. Cf. S. Alph. n. 440 et sq.

Si igitur nihilominus Trid. sess. 6 cap. 6 inter actus justificationi praevios recenset etiam eum, quo homo „Deum diligere incipiat" — quod utique de omni justificatione dicitur, quam homo dein per sacramenta sive baptismi, cujus Tridentinum specialem mentionem facit, sive poenitentiae consequatur —: illud dilectionis initium nequit esse perfectus actus caritatis, quo homo Deum propter se dilectum absolute super omnia ita prosequatur, ut ex hoc motivo efficaciter determinetur ad evitanda peccata et divinam amicitiam conservandam. Nam dummodo quocunque supernaturali motivo, etsi inferioris virtutis, ad id absolute determinetur, id sufficit.

---

[1] Ita etiam videtur intelligi posse, quod Lugo in *resp. moral.* l. 1 dub. 29 dicit de poena temporali, ex qua unum peccatum *veniale* prae aliarum specierum peccatis sufficienti attritione detestari aliquando possimus: de quo cf. § sq. Nam si latiore sensu *etiam solam poenam hujus vitae* sufficiens motivum detestationis peccati *hoc loco* dicere vult, praeferendum omnino est, quod priore loco dixerat, et quod Suarez bene exposuit.

Quid vero sit illud dilectionis initium, quod postulatur, complures 289
theologi hoc ad amorem spei referunt, quo homo Deum amet non tam Dei, quam sua causa. Spem enim requiri, certissimum est ex ipso Trident. sess. 6 cap. 6 et sess. 14 cap. 4, quum eam demum attritionem ut dispositionem admittat, quae voluntatem peccandi excludat, *cum spe veniae.* Et vere, qui speret Dei veniam ejusque reconciliationem et in altera vita beatificam possessionem (ut homo sine dubio sperare debet, si vult peccatorum remissionem consequi), Deum amore concupiscentiae amat; imo qui velit deinceps vitam sanctam agere, atque justitiam supernaturalem habere desideret, quod sola Dei ope se consecuturum esse scit et sperat, hanc sanctitatem et justitiam et consequenter Deum „ut omnis justitiae fontem", ut Trident. dicit, necessario amat. Haec igitur explicatio probabilis est, eaque ostendit, in omni supernaturali attritione, quae affectum peccati excludat et cum spe veniae conjungatur, aliquem Dei diligendi actum contineri.

At quum vox „diligere" communius non illum concupiscentiae amorem, sed affectum, quo aliquis erga Deum in se moveatur, significet: etiam ejusmodi affectum in poenitentis dispositione quaerendum esse, probabile est. Et sane talem affectum, qui ad speciem caritatis quidem pertineat, sed actus perfectus non sit, vid. non efficax in Deum ut in se dilectum absoluta et super omnia firma prosecutio atque voluntas, sed hujus voluntatis *inchoatio* et in Deo complacentia, talem affectum dico exsistere posse, nemo dubitare potest. Neque magis potest negari, ejusmodi affectionem erga Deum morali et psychologica quadam necessitate sequi ex aliis actibus, qui ad debitam attritionem necessarii sunt. Qui enim a Deo veniam speret, qui cum Deo amicitiam inire desideret: quomodo ab ejus animo omnis affectio erga Deum ipsum in se spectatum exsulare possit? Illius autem affectus initium a Deo rationabiliter exigi posse, inde efficitur, quod remissio peccatorum sit amicitiae Dei cum homine redintegratio; hujus autem amicitiae statûs redintegratio, quae ab homine voluntarie quaeri et suscipi debeat, optime praeparatur per aliquem, quamvis inchoatum tantum, amicitiae affectum. Ceterum quia ille affectus psychologica quadam necessitate cum aliis conjungitur, eum, quem constat veram attritionem habuisse, etiam hoc dilectionis initium habuisse constabit.

Ad IV. **Doloris universalitas.** 1. Etsi dolor ad omnia peccata mor- 290
talia commissa extendi debet, non necessario supponit singulorum peccatorum considerationem, ita ut de singulis dolor concipiatur. V. S. Alph. n. 438. Hoc tum tantum requiritur, quando quis haeret in motivis solum particularibus, quae ex natura sua ad alia quaelibet mortalia peccata non extenduntur. Quare si quis ex motivo universali, quod practice nunquam omittendum est, de omnibus peccatis suis saltem gravibus doluit, et postea adhuc aliquorum peccatorum recordatur, ea cum aliis confiteri eorumque absolutionem recipere potest, etsi novum dolorem non elicuerit. Ceterum cum nova aliorum peccatorum recordatione naturaliter doloris renovatio conjungitur, eumque denuo concipere pro perfectiore praeparatione optimum est, de necessitate vero non est.

2. In hoc observandum est discrimen inter universalitatem doloris et universalitatem propositi, quod haec ultima latius patet, i. e. pec-

cata omnia gravia sive antea commissa sive nunquam commissa debet comprehendere, dolor vero circa peccata commissa tantum potest versari.

3. In confessione peccatorum tantum *venialium* dolor non debet ex necessitate universalis esse; reliquas autem dotes habere debet. Ratio est, quia ex peccatis venialibus, quae divinam amicitiam non solvant, unum sine altero remitti potest: quare etiam praeparatio ad unius vel aliquorum peccatorum venialium remissionem recipiendam in rigore sufficere debet. Neque repugnat, hominem efficaciter detestari unum veniale peccatum, maxime quod ceteris gravius est, reliqua non item. Cf. quae infra de proposito dicentur.

291 4. Ceterum poenitenti conandum est, ut omnium peccatorum venialium, *quae accusat,* etiam dolorem concipiat. At ea sine sufficienti dolore confessario exponere, non est peccatum, modo alia materia sufficiens cum vero dolore clavibus subjiciatur, siquidem ab iis, quae sine sufficienti dolore accusantur, neque poenitens censetur absolutionem velle recipere, neque confessarius dare, atque aliae causae justae adesse possunt, cur horum quoque peccatorum mentio fiat, ut major humilitas, melior directio etc.

Et quamquam Suarez *de poenitent.* disp. 20 sect. 6 n. 7 et Lugo disp. 14 n. 48 putant, eum, qui indiscriminatim peccata de quibus non doleat cum reliquis confiteatur, defectum doloris certo cognitum non indicando, *venialiter peccare,* eo quod materiam partialem ineptam cum materia apta misceat: alii tamen etiam hoc negant. Mazzotta q. 3 c. 1 § 2 versus finem dicit: „Ex praxi et sensu communi fidelium intelligitur poenitens in confessione venialium exercite dicere, se dolere *de aliquibus* eorum et ab eis velle absolvi, reliqua vero confiteri ad sui humilitatem et confusionem vel ad manifestandam magis suam conscientiam, ut a confessario dirigatur, ut etiam manifestantur pravi habitus et inclinationes inordinatae, quae non sunt peccata . . . Ex dictis infers, quod, si solum doleas de venialibus gravioribus, etsi in fine dicas ‚De his et omnibus aliis meis peccatis doleo', neque mentiris, quia ex communi sensu aliud non vis significare, quam quod doleas de illis, a quibus vis *et potes* absolvi . . . . Ceterum si advertas, te non dolere de aliquo veniali, melius tibi consulis omittendo ejus confessionem" (vel, ut addere liceat, manifestando hunc doloris defectum).

§ 3.

De elemento dolorem consequente seu de proposito.

292 Propositum non peccandi de cetero ad contritionem tamquam necessariam poenitentis dispositionem pertinere, supra ex Trid. retulimus. At quale esse debeat, paulo fusius explicandum est.

I. Propositum circa peccata gravia debet esse omnino *universale;* circa venialia peccata sufficit particulare propositum, sicut de dolore dictum est.

II. Propositum debet esse absolutum seu *firmum,* ita ut respondeat dolori super omnia concepto, nec sub ulla conditione homo a

peccati fuga recedere velit: brevi, debet esse non velleitas, sed voluntas absoluta non amplius peccandi.

Ad firmitatem accedit alia conditio propositi, quod dicunt communiter debere esse *efficax,* sed id in absoluta voluntate, quae non sit sola velleitas, includitur. Dicitur autem *affectu efficax* debere esse, quo indicetur, ex defectu efficacis *exsecutionis* nondum posse inferri, verum et sufficiens propositum defuisse, etsi contra ejus firmitatem praejudicium aliquod creatur. Affectu igitur efficax dicitur propositum, quo homo velit revera illud exsecutioni mandare, atque media necessaria adhibere, occasionesque peccatorum liberas evitare.

III. In praeparatione sacramenti poenitentiae suscipiendi practice quidem apprime in proposito formali et *explicito* concipiendo insistendum est. Attamen ad necessitatem sacramenti ejusque essentialem effectum propositum implicitum sufficere, modo dolor ex *universali* motivo conceptus sit, moraliter satis certum videtur: ita ut ex defectu *expliciti* propositi neque obligatio peccata accusata iterum accusandi, neque obligatio certioris justificationis ante S. Communionem quaerendae oriatur, nisi forte in mortis periculo, in quo homo rationabiliter leviora etiam suae salutis dubia removere debet.

Explicatio uberior singularum propositi dotum. Nota ad I. 293
Circa peccata *venialia,* quum de iis propositum non necessario latius patere debeat, quam dolor, in confessione haec notanda sunt:

1) Sufficit circa unum aliquod peccatum gravius dolorem et propositum concipere, etsi non extendatur ad omnia peccata minora ejusdem speciei: quia quo graviora sunt peccata, eo magis displicent Deo, offendunt Deum, poenam graviorem merentur. Potest autem homo vere detestari *hunc gradum* malitiae, divinae offensae et displicentiae etc., etsi non omnem gradum minoris displicentiae etc. detestetur.
2) Sufficit a fortiori circa certam aliquam speciem vel genus, vel circa peccata certae virtuti contraria dolorem et propositum efficax concepisse, praecipue insistendo in iis, quae cum majore consideratione et malitia patrata fuerint [1].

---

[1] Quum ipsa illa explicatio difficultate non careat, quomodo scil. possit dolor efficax et sufficiens concipi circa unam peccati speciem, non circa alias, consultum esse duxi doctrinam ex Lugo *resp. mor.* l. 1 dub. 29 afferre:

1. Auctor ille monet, si universalis et generica ratio offensae Dei sit motivum doloris, necessario omnia omnino peccata debere dolore illo comprehendi, quia in omnibus haec ratio inveniatur. — Quod verum est de quolibet motivo universali, v. g. quod causaverint peccata mortem Christi Domini etc.: siquidem haec motiva *ita generice concepta* omnibus omnino peccatis applicantur. Quare si vere haec motiva *in illa generalitate* hominem ad dolorem movent, necessario eum ad omnium peccatorum detestationem movent: quod si non fit, illa motiva eum vere et efficaciter ita non moverunt.

2. Prout Lugo porro monet, ejusmodi motiva — quod probe notandum est in peccatis venialibus — possunt *cum aliqua restrictione* movere. Quo graviora enim peccata sunt, eo magis Deo displicent, Deum offendunt, mortem et dolorem Christo

3) Sufficit per se a fortiori, concepisse dolorem et propositum circa omnia peccata plene deliberata, quum majoris malitiae

---

Domino causaverunt: quare possum talem gradum displicentiae divinae etc. detestari. Quod si fit — ut communiter fieri videtur, quando homo motiva universalia detestandi peccata ad venialia peccata applicat, diversimode nimirum pro diversa peccatorum gravitate —: tunc valet, quod Lugo dicit: „tunc motivum detestationis non est offensa Dei ut sic, sed *talis gravitas* offensae, qualis non reperitur in aliis peccatis venialibus levioribus.“ Pergit dein scriptor doctissimus:

„Unde rursus sequitur, si dolor sit de uno peccato veniali propter talem gradum gravitatis, quo displicet Deo, vel Deum ita graviter offendit, non posse dolorem illum non extendi virtualiter ad alia venialia, *quae sunt aeque gravia*, quum in illis etiam reperiatur malitia et gravitas talis, quam formaliter odio habet poenitens in dolore de tali peccato particulari.

„Imo intra eandem speciem contingere posse, quod poenitens doleat de aliquo veniali propter peculiarem ejus malitiam et gravitatem, quin doleat virtualiter de omnibus aliis venialibus ejusdem speciei, quae non habent talem gradum malitiae et gravitatis, sed leviora sunt intra eandem speciem, et dolor ille sufficienter disponere posset ad remissionem illius peccati venialis in sacramento poenitentiae, ut olim cum aliis dixi disp. 14 *de poenit.* n. 141.

3. „His suppositis, difficultas videtur solum restare, quando aliquis poenitens dolet v. g. de peccato veniali mendacii officiosi, an debeat virtualiter saltem dolere de peccatis aliis venialibus aliarum specierum, quae sunt graviora vel saltem aeque gravia ac mendacium illud, de quo dolet, an vero possit habere dolorem de illo peccato mendacii sufficientem ad absolutionem sacramentalem, quin doleat virtualiter de peccatis venialibus aliarum specierum aeque gravibus vel gravioribus. Et quidem si vera esset sententia, quam retuli disp. 5 *de poenit.* sect. 9 n. 142 affirmantem, esse sufficientem attritionem cum sacramento poenitentiae, qua sine ullo respectu explicito ad Deum dolemus de peccato propter oppositionem, quam habet cum regula rationis seu cum natura rationali: tunc consequenter dici deberet, posse aliquem dolere de mendacio officioso propter oppositionem, quam habet cum veracitate et cum dictamine rationis prohibente mendacium, quin doleat de peccato veniali gulae vel furti, quamvis haec supponerentur graviora: quia nimirum haec peccata non habent oppositionem cum virtute veracitatis, sed cum temperantia vel justitia, atque adeo amor veracitatis non inclinat ad detestationem gulae vel furti, sed mendacii. Quare posset haberi attritio de mendacio et propositum non mentiendi sufficiens ad sacramentum, absque dolore et proposito circa alia peccata graviora.

„Quia tamen in eodem loco diximus, attritionem sufficientem cum sacramento debere habere semper aliquem respectum explicitum ad Deum, vel tamquam ad punitorem peccatorum, si ex timore poenae, vel tamquam ad offensum, si ex motivo [specialis virtutis] poenitentiae, vel tamquam ad Superiorem, si ex motivo obedientiae, vel tamquam ad excellentem, si ex motivo religionis, et sic de aliis virtutibus: ideo oportet nunc explicare, an, supposita hac nostra sententia, adhuc possit concipi dolor de uno peccato veniali, quin sit virtualis dolor de aliis gravioribus vel aeque gravibus aliarum specierum.

„Respondi itaque, posse hoc contingere, quoties motivum formale detestationis est diversum, prout aliquando esse potest. Fateor non posse facile id contingere, quando dolor est ex motivo poenitentiae . . . quum non possimus odio habere offensam Dei, quia offensa est Dei, et simul velle aliam offensam Dei graviorem vel aeque gravem. Idem est, si ex odio vel metu purgatorii poenae doleamus efficaciter. . . .

„Potest tamen aliquando motivum detestationis esse diversum, ut, si doleas de irreverentia erga Deum, quia opponitur cultui debito divinae excellentiae, quod est motivum religionis, non est necesse ut doleas etiam virtualiter de quolibet peccato veniali alterius speciei graviori vel aeque gravi, nisi in illo inveniatur etiam aequalis irreverentia opposita religioni . . .“

sint, modo tamen in tam generali dolore et proposito firma et efficax voluntas inveniatur: atque circa peccata semideliberata seu subreptitia sufficit pro proposito concipere seriam voluntatem majoris diligentiae in eis evitandis adhibendae. — Ceterum ne tam generalis voluntas nimis langueat, practice omnino suadendum est, ut ex illo genere omnium peccatorum certa species singillatim sumatur, circa quam cum majore consideratione dolor et propositum exerceatur.

4) Passim etiam dicitur, per se sufficere dolorem et propositum habere de *frequentia* peccatorum, ita ut poenitens firmiter statuat, talem frequentiam saltem diminuere: in quo tamen a laxiore praxi caveri debet.

Nimirum etsi hoc de quibuslibet peccatis, etiam plene deliberatis, di- 294
catur et in rigore quidem defendi possit, practice id non ab omni periculo est immune. Quo S. Alph. in *praxi confessarii* n. 71 permotus esse videtur, ut id efferret „non sufficere dolere de multitudine seu de numero excessivo talium culparum, quin dolor habeatur de aliqua in particulari“: attamen in *theol. mor.* l. 6 n. 449 opinionem negantium et affirmantium sufficientiam talis doloris et propositi concilians dixerat: „quum impossibile sit, dolere de multitudine et non dolere saltem de illis posterioribus culpis, per quas constituitur multitudo, quia circumstantia haec *excessûs* abstrahi non potest ab ipsis culpis: tunc enim in obliquo saltem doleres de culpis (particularibus), et in recto et principaliter de excessu“: qui utique specialem et majorem turpitudinem et ingratitudinem erga Deum continet. Comprobat id S. Auctor doctrinâ S. Thomae III. q. 87 a. 1 dicentis „sufficere propositum se praeparandi ad venialia minuenda“. Haec igitur doctrina conferre potest ad sedandos scrupulos circa confessiones *peractas*, quas poenitens, qui in gravia peccata labi non consuevit, timet, ne sine sufficienti dolore et proposito fecerit. Verum *ante factum* in praxi restringenda potius haec doctrina est ad dolorem et propositum circa peccata semideliberata et subreptionis: in illis enim culpa ipsa proxime consistit in ea *negligentia*, quod homo non conatur melius sibi attendere et motus inordinatos, quantum possit, supprimere et praevenire. Neque tamen ab omnibus ejusmodi peccatis sese immunem servabit. Quare tunc plane sufficit, *majore diligentia* eorum numerum velle diminuere.

Ceterum qui ita puram conservat conscientiam, ut solas semideliberatas culpas contrahat, facili negotio dolorem maximum et sufficientissimum de culpis commissis concipit. Qui autem sine emendatione semper in easdem culpas deliberatas relabitur, satis ostendit, se dolorem et propositum nimis infirmum habuisse: quare aut melius sibi caveat de concipiendo do-

---

Deinde idem praeclare exponit, probabile videri idem fieri posse, si quis doleat de certa peccati specie, ut mendacii, non propter communem inobedientiam in quolibet peccato contentam, sed propter *specialem* inobedientiam, quatenus *haec* specialis lex divina violatur, seu potius propter oppositionem cum *speciali hac* lege divina, qua prohibemur, ne veracitatem laedamus; et sic de aliis similibus motivis.

Imo admittit, id fieri posse propter speciales poenas temporales, quas Deus infligendas comminatus est certis quibusdam peccatorum speciebus, v. g. irreverentiae erga parentes. Verum quo sensu haec doctrina admitti restringique debeat, v. supra praec. §.

lore et proposito circa unum alterumve peccatum notabilius, aut peccatum gravius praeteritae vitae subjungat, de quo *sincerum* dolorem et propositum concipiat; aliter absolutionem recipere nequit. Cf. S. Alphons. l. c. *in praxi confessarii.*

295 Ad II. **Propositi firmitas et efficacia.** 1. Haec ea esse debet, ut, *manente hac voluntate,* omnes contrarias difficultates superet. At nequaquam sequitur, propositum, nisi maneat immutabile, fuisse non verum neque pro sacramento reconciliationis sufficiens. — Imo saepe confessarius pro prudentia cavet, ne ipsas difficultates, quae fortasse postea re ipsa occurrent, aut obligationes, quas poenitens bona fide ignorat, ipsi declaret, ne difficultatibus concretis territus a bono proposito suo recedat. Nam per se sufficit, ut poenitens in confuso firmam voluntatem conceperit nullatenus amplius peccandi: haec autem firma voluntas, exorta gravi tentatione ex consideratione peculiaris difficultatis, facile succumbere et mutari potest. Quare tunc frequenter et firmiter renovare debet generalem illam voluntatem non peccandi: quo facto, si, exorta difficultate, orat, sperandum est, fore ut vincat difficultatem re ipsa sibi occurrentem. Firmioris autem animi est, difficultates ipsas fixis oculis intueri, idque ad spiritualis pugnae exercitationem utilissimum est, nisi agatur de illis rebus, quae gravius animum sollicitant; de his enim fugâ et ipsâ cogitationum cohibitione victoria est reportanda; minus etiam convenit omnibus, imaginarias difficultates mente volvere, quae timida ingenia perplexitatibus et tentationibus involvere possunt. Cf. quae postea dicturi sumus sect. III. cap. IV. art. III. n. 498 et quae dicta sunt tom. I. *de scrupulis.*

296 2. Firmitati propositi videtur obstare ipsius poenitentis timor, quo se putet nihilominus relapsurum esse.

Qua in re id notandum est: 1) solos rigoristas esse, qui ad absolutionem sacramentalem requirant firmam poenitentis persuasionem, qua credat, se non esse relapsurum.

2) Qui vero adeo timet vel sibi persuadet, se relapsurum esse, ut de emendatione sua desperet, non est absolvendus, nisi antea de hac ipsa desperatione doluerit et firmiorem spem in divina gratia conceperit. Cf. Lacroix l. 6 p. 3 n. 1822, quem S. Alph. se sequi fatetur n. 451.

3) Qui autem non adeo timet, quamquam multum timet relapsum propter tristem suam experientiam, non ideo pro indisposito habendus est: sed hîc et nunc firmam voluntatem non peccandi debet concipere, et animandus est, ut fiduciam suam in divinae gratiae auxilio collocet, qui omnem infirmitatem possit superare; quare si tandem sperat, et se in tentationibus oraturum esse promittit, potius absolvendus et ad frequentem confessionem inducendus est, quam ad aliud tempus remittendus.

Haec cum communi theologorum doctrina conveniunt. Quare si qui dicunt, dispositioni debitae non absolute obstare, si poenitens *credat,* se relapsurum esse, id non intelligunt de firma persuasione et emendationis desperatione, sed potius de magno timore, quocum simul firma spes divini

auxilii et actualis voluntas firma consistere potest; ceterum illa vox „si credat" moderatione indiget, ita ut debeat sumi potius pro timida aliqua opinione; quamquam etiam ab ipsa illa timida opinione poenitens conari debet mentem avertere. Lacr. ib.

A fortiori, dispositioni necessariae non obstat persuasio, quam confessarius habet, qua vid. judicat, vix fore ut contingat, ut poenitens revera ab omni relapsu sese immunem servet. Id enim aliquando ex iis, quae communiter contingunt, cum morali quadam certitudine judicare vel multum suspicari potest: nihilominus autem de poenitentis sufficienti dispositione actuali satis certo potest constare.

Ad III. **Propositi expliciti quae sit necessitas.** 1. Vix non certum 297
est, tunc requiri propositum explicite ad dolorem addendum, quando poenitens de peccatis mortalibus ex solo particulari motivo dolet: aliter enim *nullo modo universale* est, i. e. neque explicite, quia explicite non exsistere propositum ullum sumimus, neque implicite, seu ut est in dolore contentum, quia dolor ipse ex particulari motivo conceptus non est plane et absolute universalis. Verum propositum aliquo modo universale esse omnino debere constat.

Pauci quidem scriptores extenuant necessitatem *universalis* propositi, putantes sufficere propositum particulare, i. e. de omnibus peccatis commissis, *si modo absit* omnis affectus ad alia peccata (ita Aversa, Hurtado, Platell.; Reuter p. IV. n. 290 id pro speculative probabili habet): attamen alii iique longe plurimi hanc opinionem plane rejiciunt, eam vocantes *aperte falsam*, contrariam vero sententiam, quae stat pro necessitate propositi absolute universalis, *exploratam* et *veram:* v. S. Alph. n. 451. II, Lugo disp. 14 n. 51 sq., Suarez, Lacroix l. c. n. 898, Laym., Stoz lib. 1 p. 2 n. 91.

2. Num vero praeter dolorem conceptum ex universali motivo, 298
quod cuilibet peccato mortali opponitur, explicitum propositum requiratur, non extra omnem quidem controversiam est, at illud *ex necessitate sacramenti* requiri, communissimâ sententiâ negatur.

Vid. quam plurimi id simpliciter negant, alii distinguendo dicunt, necessarium esse, propositum explicitum elici ab eo, qui de futura vita cogitet, si vero immemor sit, illud non requiri. At hi etiam potius adnumerandi sunt negantibus necessitatem. Simile quid Suarez loquens de contritione perfecta dicit, quando quaerit, utrum ad justificationem requiratur solus actus caritatis, an etiam doloris de peccato. Dicit enim, per se utrumque actum requiri, per accidens tamen solum actum caritatis sufficere. Scil. qui actum caritatis posuerit, sine dubio statim vi illius actus justificabitur; nihilominus qui sibi conscius est peccati, naturali quodam officio suam tendentiam erga Deum sic complere debet, ut formaliter et explicite actum displicentiae et odii peccati eliciat: quod nisi faceret, se vera caritate carere probaret. Similiter qui de peccatis commissis super omnia dolet, non ex naturali aliquo motivo, sed ex motivo supernaturali et aeterno, naturali quadam necessitate fertur in propositum cavendi a peccatis in posterum, ita ut voluntaria propositi omissio dolorem ipsum merito suspectum reddat.

3. Quando ergo de dolore constat, propter defectum propositi expliciti post factum poenitentes communiter angi non debent. Attamen ante factum propterea etiam summopere insistendum est in eliciendo proposito, quia aliter fructus ex sacramento poenitentiae valde mancus et incompletus percipitur. Propterea enim frequens usus sacramenti poenitentiae aliquando necessarius est contra relapsum, quia voluntas indiget frequenti excitatione, ut firma evadat in odio peccati committendi; sed eo firmior fit, quo magis explicite hanc voluntatem seu propositum concepit. Et revera causa relapsûs in debili proposito maxima ex parte reponenda est. Cf. etiam Stoz l. c. n. 92.

299 **Scholion.** Complementi causa hîc quaeri solet, *num sacramentum poenitentiae possit esse validum, sed informe.*

In hac quaestione solvenda excludere debemus eum casum, in quo poenitens tantummodo existimatam attritionem habuit. Quamquam enim antiqui auctores non pauci etiam tum sacramentum validum esse, at informe dixerunt: tamen post Conc. Trid. pro certo esse debet, tum ne validum quidem esse.

Solus ille casus in discussionem venire potest, quando dolor bona fide non fuit universalis; quum vid. poenitens aliquod peccatum ex particulari motivo detestatur, immemor alîus peccati, quod in confessione omittit, in dolore et retractatione nullatenus includit.

Alii igitur negant, tunc sacramentum validum, sed informe esse, at alii alio sensu. Quidam, ut Elbel *de poenit.* n. 82 et Vasquez *de poenit.* q. 92 a. 2, et validum et fructuosum esse putant: quidam, ut Holzmann aliique, et informe et invalidum esse existimant: alii vero iique summae auctoritatis theologi probabilius judicant, sacramentum validum quidem esse, sed informe, ita passim theologi ex schola S. Thom. (ad suppl. q. 9 a. 2) et Tolet., Suarez (disp. 20 sect. 5 dicit: „quod sit talis confessio *valida,* videtur satis certa, utrum informis, non ita"), Lugo disp. 14 sect. 6 et 7, Lacroix, S. Alph. n. 444, Bonacina *de poenit.* disp. 5 q. 6 sect. 1 p. 5.

Ratio vid., cur dicatur confessio et absolutio valida, est, quod 1) adfuit omne id, quod ad validum sacramentum communiter requiritur, materia *per se* sufficiens et forma rite pronuntiata; 2) *hujus* sacramenti specialis ratio servata est, i. e. judicium circa peccatum accusatum: — ergo judicium illud valide exercitum esse dicendum est. Attamen ratio, cur dicatur, mansisse sacramentum informe, haec est, quia poenitens non habuit sufficientem dispositionem ad justificantem gratiam recipiendam: deerat enim retractatio peccati omissi, sed nullum peccatum grave sine aliqua retractatione remittitur. At si illud peccatum omissum non remittitur, gratia sanctificans, utpote quae *omnia* peccata gravia deleat, infusa esse nequit: quod nihil est aliud, nisi sacramentum mansisse informe. — Formatum autem seu cum gratiae sanctificantis effectu conjunctum fieri *videtur,* si postea attritio sufficiens etiam in peccatum omissum accedat vel extendatur: quodsi aliquod mortale peccatum interea commissum sit, aut contritio perfecta requiritur, aut nova confessio cum fructuosa absolutione.

Maxime autem id commodi habetur ex opinione eorum omnino probabili, qui putant, informem, at validam fuisse confessionem, ut supplenda confessio, non ex integro repetenda sit: nam si invalida esset, confessio peccati etiam jam accusati certo esset repetenda. Cf. Suarez l. c. n. 14.

Caput II.

Confessio.

Praeter scriptores supra laudatos v. Lacroix l. 6 p. 2 n. 915—1228; Mazzotta tr. 6 disp. 1 q. 4; Reuter p. 4 n. 297—333.

De confessione acturis, quae est praecipua pars materiae poeniten- 300
tiae ut sensibilis, missis aliis dotibus, vix aliud nobis restat, nisi ut de sola *integritate* agamus. Nam etsi multae dotes passim afferantur, illae aut secundariae tantum sunt nec essentiales, aut ad dolorem et integritatem quodammodo revocantur. De dolore autem in cap. I. actum est. Quae dixi quam vera sint, ex sola enumeratione variarum confessionis dotum patebit, quas habes collectas in versiculis parum quidem cultis, at memoriam juvantibus:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, et discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, et lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et sit parere parata.

1. *Simplex,* i. e. ut omittantur superflua et quae ad confessionem nihil pertineant;
2. *humilis* in externo etiam habitu: quare nisi rationabilis causa pro contrario adsit, facienda est genibus flexis et capite discooperto;
3. *pura,* i. e. recta intentione instituenda;
4. *fidelis,* i. e. verax et sincera, ut neque peccatum grave commissum taceatur, neque non commissum accusetur; ut certa pro certis, dubia pro dubiis accusentur;
5. *frequens,* idque ex consilio, ut qui frequenter peccet, frequenter etiam confiteatur;
6. *nuda,* cf. 4, ne vid. verbis palliatis peccata eorumque gravitas tegatur;
7. *discreta,* ut pudor et fama proximi, quantum fieri possit, illaesa maneant;
8. *libens,* sc. ut sponte peccata confitearis, non quasi fortuita interrogatione confessarii adactus: cf. 4;
9. *verecunda,* i. e. cum rubore, non cum jactantia peccata narrari debent: cf. 2;
10. *integra,* saltem quoad mortalia peccata: cf. 4. 6. 7. 8;
11. *secreta,* ita ut publica nullo modo de praecepto sit;
12. *lacrymabilis,* sc. eo sensu, ut dolor cordis fiat sensibilis et ita reddatur sacramenti materia: quod fit per quamlibet accusationem in ordine ad absolutionem factam;
13. *accelerata,* i. e. ne post peccatum commissum diu differatur: v. supra de obligatione contritionis;
14. *fortis,* ne respectus humanus sinceritatem vincat: cf. 10;
15. *accusans,* sc. ut poenitens peccata *accuset,* non ultra veritatem excuset;
16. *parere parata,* i. e. ut confessario poenitens obsecundet, in imponenda convenienti poenitentia et in aliis obligationibus explicandis pro officio agenti: de quibus *infra* dicetur.

Quae igitur majore explicatione indigeant, ad tria capita revocare possumus, distinctis articulis tractanda. Agemus:

1. de necessitate integrae confessionis ejusque ambitu;
2. de causis ab integritate excusantibus;
3. de mediis ad integritatem procurandam necessariis, sc. de examine conscientiae, et de confessionum praeteritarum suppletione et repetitione.

Articulus I.

De confessionis integrae necessitate et ambitu.

§ 1.

De necessitate et integritate generatim.

301 I. Confessio eaque integra omnium peccatorum mortalium post baptisma commissorum est jure divino necessaria.

II. Integritas necessaria restringitur ad species infimas et numerum peccatorum, quantum morali aestimatione et diligentia fieri potest.

III. Jure divino confessio omnibus graviter lapsis necessaria est aliquoties in vita, praecipue in mortis periculo.

IV. Jure ecclesiastico praescribitur confessio annua, qua per se obligatio juris divini etiam impletur: attamen suadenda est confessio frequentior, eaque aliquando per accidens fit necessaria. Cf. I. n. 1202 sq.

302 **Explicatio.** Sc. noto ad I. 1. Necessitas confessionis ex notione judicialis potestatis in peccata exercendae sequitur. Nam Christus Dominus sacerdotes constituit judices cum potestate peccata remittendi et retinendi, delendi et castigandi, ad quorum tribunal omnis causa peccati cum Deo componenda deferri debeat. Atqui causa necessario cum Deo componenda est quodlibet peccatum mortale, neque deferri potest ad illud tribunal, nisi per confessionem ipsius poenitentis. Ergo omnia et singula peccata mortalia confessione ad tribunal sacramentale deferri debent. — Videlicet incognitâ causâ, judicium non fit: neque ulla cognitio aliunde fortasse habita sufficit, sed judicialis sit oportet; porro judicialem notitiam in hoc tribunali, ubi libere et voluntarie ipse reus sententiam in se ferendam rogare debet, nemo dare potest, nisi reus ipse sui accusator exsistit. Cf. quae dicta sunt n. 255 et 260.

2. Accedit quod huic potestati judiciali *essentialis* est facultas puniendi peccata: haec autem facultas convenienter exerceri nequit, nisi integra fit peccatorum declaratio. Et quamquam aliquando neque conveniens neque possibile est, pro proportione peccatorum poenam imponere, id per accidens est, neque ad reum, sed ad judicem pertinet cognoscere. Quare ex parte rei semper, *quantum fieri potest,* integra confessio fieri debet, quum lex et jus divinum non id, quod per accidens fit, sed quod per se contingit, respiciat. Christum autem contulisse Ecclesiae potestatem, peccata pro demerito puniendi, praxis tot

saeculorum ostendit, qua certae et definitae poenitentiae pro certis peccatis statutae erant. Quum igitur juris divini sit, ut *possit* Ecclesia pro merito punire, juris etiam divini est, ut reus *debeat* id Ecclesiae possibile reddere integrâ omnium peccatorum gravium confessione.

3. Concordem vero in hac re esse omnium temporum doctrinam[303] Ecclesiae, Patrum et theologorum, dogmaticae est fusius probare. Trident. Concilium rem nostram plane his verbis exposuit sess. 14 cap. 5: „Constat enim, sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ exercere non potuisse, nec aequitatem quidem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat et non potius in specie ac singillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima decalogi praecepta commissa ... Quum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines irae filios et Dei inimicos reddant, necesse est, omnium etiam veniam cum aperta et verecunda confessione a Deo quaerere."

Ad II. Haec integra et distincta confessio secundum numerum et[304] gravitatem peccatorum *humana* esse debet. Quare etsi ex princ. I. aliquis concludere possit, diversam gravitatem secundum speciem non solum, sed etiam circumstantias esse exponendam, id tamen non sequitur. Nam plene accuratam notitiam diversae malitiae confessarius prorsus accipere nequit, quum tot sint circumstantiae, quae hominem omnino lateant, neque omnia peccata secundum relativam gravitatem explicari possint, ut intensitatem, majorem malitiae cognitionem, expeditam deliberationem etc. Quare ne in perpetuis dubiis versemur, quando quaeritur, quousque necesse sit, ut accusatio producatur: in certis et definitis limitibus nos sistere prorsus convenit.

Melior vero norma assignari nequit nisi ea, qua Concil. Trid. obligationem conclusit: „Colligitur praeterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quae speciem mutant, quod sine illis peccata ipsa neque a poenitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant." Hanc accusationem per se esse sufficientem, v. S. Alph. n. 468, S. Thom. in IV. dist. 16 q. 3 a. 2, S. Antonin., S. Bern., S. Bonav., Tolet. (*instructio sacerd.* l. 3 cap. 7 n. 3—5), Vasquez q. 91 a. 1 dub. 2, Navarr. *Manuale* c. 2 n. 11, Lugo d. 16 n. 106.

Hinc: 1. Etsi aliquando aliqua alia circumstantia multum juvat ad peccatum melius cognoscendum, id nimis per accidens est, quam ut generali lege ejus confessio *imponatur:* sufficit suasisse ejus confessionem.

2. Qui nescit infimam peccati speciem quod commisit, superiorem, quantum recordatur, explicare debet, e. g. contra quam virtutem peccaverit; qui vero ne id quidem amplius recordetur, sciat tamen se graviter peccasse, id ipsum omnino confiteri debeat. Haec communis est et certa doctrina: v. Gury II. n. 471. Quid vero in illo casu directe remittatur sacramentali absolutione, vide apud Lugo *de poenit.* disp. 17 n. 14 sqq.

305 3. Qui nescit numerum certum, debet numerum verisimiliorem, addendo *„circiter“* exponere, idque, si frequentes lapsus, maxime si in peccata interna erant, quoties circiter in mense, hebdomade, die, a quonam tempore: S. Alph. n. 466 cum communi sent. — Imo in consuetudinario, qui *valde frequenter* peccaverit, saepe sufficit, indicare temporis spatium, per quod consuevit quotidie quavis occasione in peccatum consentire: vid. id tum sufficit, si numeri determinatio adeo dubia esset, ut semper magnum periculum errandi in eo determinando committeretur[1]. Confessarius enim, audito temporis spatio, facile conjiciet, eum, qui habitualiter manserit in peccandi voluntate, peccatum numero idem non produxisse ultra unam alteramve horam, eumque circiter toties quotidie peccasse, quot interruptiones necessario sequi debuerint.

In casibus Ben. XIV. pro anno 1744 mens. Jun. cas. III. ita habetur: „Confitetur poenitens, se per unum mensem gravia mala ex corde imprecatum esse Francisco et per idem tempus turpiter concupivisse puellam. Quaeritur, an talis confessio sit sufficienter distincta? Resp. distinguendo: 1) Si poenitens aliquando retractavit inimicitias aut concupiscentiam, nec nimis frequenter lapsus sit, *negative*; 2) si vero nunquam retractavit et quolibet die valde frequenter in illa peccata lapsus est, *affirmative*.“

4. Qui igitur numerum approximativum enuntiavit dicendo „circiter“, etsi postea accuratius numerum cognovit, non tenetur quidquam repetere, nisi notabilem excessum peccatorum supra id, quod dixit, se commisisse reperit. Ita communis theologorum doctrina, de qua cf. S. Alph. l. c., Reuter, Lugo d. 16 sect. 2 etc. — Quapropter sciendum est, quandonam ille excessus censeatur adesse, quando non, seu: qualis numerus vel excessus censeatur aliquo modo, etsi dubie, in approximativo numero comprehendi. Dicunt igitur, si dicatur *„circiter quinquies“*, intelligi 4—6; *„circiter decies“*, intelligi 8—12; *„circiter trigesies, quadragies“*, intelligi 25—35, vel 35—45; *„circiter centies“*, ad summum 90—110 intelligi posse: ita ut, crescente numero, non cum eadem proportione excessus comprehendi possit, sed cum proportione minore. Ceterum si numerus ad 100 accedit, plerumque consultius est quaerere, quoties peccatum sit in die, hebdomada etc.

306 5. Quamquam peccatorum diversis *speciebus* accuratior fieri potest et proin debet accusatio, quam de *numero* frequenti: nihilominus etiam in specierum distinctione cavendum est praesertim doctioribus confessariis, ne quid nimium postuletur. Nam recte notat Lugo, sicut a confessariis minus instructis per defectum hac in re peccari possit, ita etiam per excessum a doctis posse peccari. Nimirum species peccatorum accusandae a poenitente et inquirendae a confessario sunt pro captu poenitentis ejusque conscientiâ, quam peccando habuit; malitia enim ignorata non contrahitur: attamen sufficit confusa gravioris malitiae cognitio seu apprehensio. Aliquando autem in confessione longi omnino temporis a poenitentibus peragenda, qui in certo peccatorum genere quaslibet species easque implicitas commiserunt, juvat notasse, quod pro tali casu inter alios censent Lugo disp. 16 a n. 573, Gobat tr. VI. n. 400 cas. XVI., Navarrus *manuale* c. 6 n. 15, Reiffenstuel *theol. moral.* tract. 14 dist. 7 n. 34: quod Reuter, *theol. moral.*

[1] Segneri *confessarius instructus* cap. 2 loquens de peccatis internis hujusmodi consuetudinariorum sola temporis indicatione determinandis comparationem affert cum agricola, qui copiam frumenti non numero singulorum granorum, sed modio metitur.

p. IV. n. 313, ita exponit: „Meretrix satisfacit dicendo: Tot annos in statu meretricii perseveravi, et quoties occasio fuit, quibusvis sive conjugatis, sive liberis, sive voto obstrictis copiam mei corporis feci. — Exprimere tamen debet species peccatorum, saltem principales, quantum potest, imo et numerum aliquem, si posset, saltem in mense, hebdomada.“ [1]

„Item qui solitus est concupiscere obvias quascunque mulieres, satisfacit dicendo suam consuetudinem *et species saltem principales,* an conjugatas, cognatas, sacras.“ [2]

„Si tales postea magis distincte recordentur numeri et specierum peccatorum, non teneri eos illas distinctius confiteri, quia in illa confusa narratione a confessario (peccata illa) sufficienter fuerunt intellecta.“ Ita Reuter, aliique cum eo. Et revera gravissimum onus poenitenti imponeretur, atque vix non necessaria fieret frequentior peccatorum repetitio, quia singulorum factorum recordatio in prima confessione humano modo impossibilis est, neque unquam satis tranquillus reddi posset poenitens, si semper timendum esset, ne forte ad accuratiorem confessionem postea faciendam teneretur.

„Excipe“ — addit Reuter recte — „nisi tanta multitudo peccatorum postea in mentem veniret, ut notabiliter excederet numerum antea in confuso dictum. Quodsi quis numerum bona fide nimis magnum dixisset, non tenetur denuo confiteri, quia numerus verus in majore inclusus et remissus fuit.“

§ 2.

De specifica peccatorum declaratione in confessione necessaria.

Peccata ipsa, quum sint causa sacramentalis judicii, declarari de- 307
bent secundum specificam distinctionem. Quod non prorsus idem est, atque specificam malitiam declarari. Peccatum enim *actum* humanum dicit; quare peccata ab invicem distinguuntur et in specie actûs et in specie malitiae. E. g. desiderium furti et furtum *eandem specificam malitiam* habent, sed non sunt *specie iidem actus.* Neque quisquam dixerit, ejusmodi peccata posse prorsus confundi in confessione accusando eorum specificam malitiam. Hinc, ut magis declaretur, quid necesse sit accusari in confessione praeter numerum peccatorum, hae statui possunt regulae:

I. Actus externus, qui internum actum in ratione peccati compleat adeoque *in se* contra ordinem recti et morum regulam sit, in confessione exprimi debet.

II. Effectus ex peccato secutus, qui actuali libertati non substet, per se non necessario est accusandus; per accidens autem accusari aliquando debet ratione reservationis peccati, vel censurae, si quando *„effectu secuto“* infliguntur, vel ut judicetur de obligatione restitutionis faciendae atque injustitia re commissa.

III. Circumstantiae (seu illae conditiones, quae actûs substantiam 308

[1] Notant aliqui, de peccatis internis vix inquiri debere numerum aliquem, utpote qui ut exprimatur sine magno periculo errandi, impossibile sit.

[2] Si accuratius hîc et nunc confessio fieri potest, utique cum majore determinatione facienda erit.

circumstant atque in ejus moralitatem influunt) speciem mutantes ideoque necessario declarandae cognosci debent ex diversis legibus et praeceptis, in quibus pertractandis etiam studuimus modos specifice diversos, quibus contra ea peccari possit, indicare. Praecipuae autem quae attendi debeant, hae sunt:

1. Quaelibet circumstantia sive erroneae conscientiae sive scandali etc., quae *ex peccato ex se veniali efficiat mortale, aut vice versa.*

2. Circumstantia *personae peccantis,* a) quando relate ad objectum seu materiam peccati Deo consecrata est vel voto obstringitur, ut in rebus contra castitatem; b) quando matrimonio juncta contra castitatem deliquit; c) quando in eum, quem in peccatum induxit vel quocum in peccando cooperata est, talem superioritatem tenet, quae ad specialem curam spiritualem subditorum obliget.

3. Circumstantia *personae, quae peccando laeditur,* si forte haec laesio inducit laesionem honoris divini, juris tertii, reverentiae specialis vel amoris ipsi personae laesae debiti.

4. Circumstantia *loci,* quando sacrilegium per hoc inducitur.

5. Circumstantia *temporis,* 1) si ipsum tempus ratio est, cur actio posita prohibita fuerit; 2) si specialis injuria contra Deum additur.

6. Circumstantia *finis,* qui in se sit graviter peccaminosus.

IV. Poenitentes, qui in circumstantiis id bene distinguere non possunt, quid speciem mutet, docendi sunt, ut ea exprimant, quae peccati malitiam multum augeant vel diminuant: cetera suppleat confessarius.

Verum confessarius habet jus interrogandi ea, quae, etsi non ad integritatem, tamen ad rectum judicium de statu poenitentis ejusque obligationibus necessaria esse duxerit: cui respondet obligatio poenitentis respondendi. Id imprimis valet de iis, quae spectant *consuetudinem* peccandi, *relapsum, occasionem proximam;* saepe etiam, quamquam non eâdem prorsus necessitate, de aliis circumstantiis notabiliter aggravantibus id valet.

309 **Uberior explicatio.** Ad I. **Actus externus** intelligitur et commissio et omissio. Sic v. g. omissio Sacri die praecepto accusanda est, sive facta fuerit ex taedio, sive amore studii, sive voluntaria compositione ad somnum capiendum — quia omissio Sacri id est, quod objective *legi* adversatur, et quod voluntarie admissum fuit. — Vulneratio, occisio hominis sunt actus externi, qui in ratione peccati pravam voluntatem compleant; quare non sufficit, solam pravam voluntatem confiteri. Cf. Reuter p. IV. n. 317 sqq. et p. I. n. 336.

Ad II. **Effectus peccati** libertati non jam substans est, e. g. mors inimici post vulnerationem vel datum venenum secuta, pollutio in somnis secuta ex prava cogitatione. Quare in hujusmodi exemplis sufficit *per se* confiteri letalem vulnerationem, veneni propinationem, causam pollutionis praevisae positam, nisi propter reservationem vel censuram ipse effectus secutus accusandus est: quod communiter fieri expedit. Si quis vero vigil in se pollutionem causavit, jam ex eo effectum confiteri debet, quod libere voluptatem ex ea sumpsit, quod

denuo peccaminosum est: si vero id non fecerit, id ipsum potius indicandum est, quia aliud communiter praesumitur factum esse.

Ad III. **Particularia de circumstantiis.** 1. Qui specialiter Deo conse- 310
cratus est sive per ordines sacros sive per statum religiosum, *idem* sacrilegii peccatum committit, si contra castitatem delinquit; neque species mutatur, prout voto solemni aut simplici tantum voto religiosus constitutus est, neque novam speciem contrahit, qui voto religioso et ordine sacro simul ligatur; quare haec omnia accurate declarari necesse non est. — Aliqui etiam scriptores eandem sacrilegii speciem committi putant ab eo, qui voto privato ad castitatem tenetur — id quod S. Alph. probabile visum est. — Quod si probabile est: omnes illi, qui contra castitatem deliquerint, sive voto privato, sive voto religioso, sive ordine sacro (quod ‚votum solemne ordinis sacri' dicitur) ligati, satisfaciunt in confessione declarantes circumstantiam voti. Verumtamen id reipsa verum non videri, exposui vol. I. n. 385 et 455.

2. Parochus, qui suis parochianis, magister, qui discipulo pro educatione tradito, parentes, qui filiis scandalo sunt, speciale peccatum violati sui muneris (sive pietatis) contrahunt. Non ita confessarius, qui scandalo sit ei, qui apud ipsum consueverit confiteri, nisi peccatum referatur ad ipsius sacramenti administrationem; siquidem confessarii munus solum transitorium est atque cum singulis confessionibus per se exspirat, parochi aliorumque munus *habitualiter curam spiritualem* pro subditis habendam exigit. — Alia autem ratio superioritatis in scandalo subditis dato speciem non mutat, sed *augere* potest eandem malitiam, ut si herus ancillam, magistratus subditum seducat. Si vero herus ancillam quasi in paternam curam susceperit, sine dubio novum peccatum specie distinctum eam seducendo committit.

3. Si persona, quacum peccatur, vel quae ad peccatum inducitur, per- 311
sona *Deo sacrata* est vel *voto ligata* in ordine ad materiam peccato oppositam, specialis malitia *contra religionem* (sacrilegii vel voti violati) contrahitur. — Si cum persona *cognata* luxuriâ peccatur, malitia *incestûs* committitur, idque intra omnes gradus diversarum cognationum, qui impedimentum matrimonii constituunt. Utut vero probabile sit, diversos *gradus* cognationis aut lineas diversas non mutare speciem peccati *ratione incestûs,* nisi excipiatur gradus *primus* (atque etiam perinde sit, utrum sit cognatio naturalis, an affinitatis): ceterum ratione *superioritatis* vel *pietatis* sine dubio aliud peccatum est, quod committat pater seducens filiam vel privignam, atque illud quod committat filius seducens sive matrem sive socrum sive novercam: de quibus cf. vol. I. n. 882.

In peccatis odii nova species *mortalis* malitiae ratione *pietatis laesae,* superaddita peccato odii contra alios extraneos concepti, censetur solum contrahi, quando versatur odium in proxime cognatos, i. e. in cognatos sive utcunque in linea recta sive in primo gradu lineae etiam lateralis, non vero in reliquis gradibus. Nam etsi in his quoque pietas laedatur, tamen *gravis* malitia superaddi non censetur.

Ceterum amoris laesio contra proxime cognatos *facilius* etiam gravis esse potest, quam quum fit contra extraneos. Cf. quae dicta sunt in explicatione quarti praecepti decalogi, et Lugo d. 16 n. 308.

4. De sacrilegio locali confer praeceptum decalogi primum. 312

5. Temporis sacri circumstantia inducere potest malitiam gravem, e. g. a) si die Parasceves ludicra spectacula exhibentur; b) si tempore clauso solemnitas matrimonii agitur; c) si in faciendo Sacro, aut post sumptam

Sacram Communionem, dum sacrae species nondum certo corruptae sunt, peccatum graviter indecens committatur. Quod autem die Dominica, aut die SS. Communionis peccetur, per se non addit novam malitiam gravem sacrilegii ad peccatum in se sumptum: accidere tamen potest, ut relapsus ipso die confessionis et Communionis factus *arguat*, confessioni defuisse sincerum dolorem, eamque propterea fortasse invalidam vel sacrilegam fuisse. Cf. Lugo *de poenit.* disp. 16 n. 213 sqq.

313 Ad IV. **Sinceritas erga confessarium.** 1. Exstat propositio ab Innoc. XI. damnata n. 58: „Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.“ Quae merito damnatur, quum consuetudo et relapsus multum conferant ad judicium ferendum de absolutione nunc danda aut differenda. Idem dic de occasione peccati.

Et generatim, si quid necessarium declaratu putat confessarius, quo rectius judicare possit de poenitentis dispositione atque de munere absolvendi aut non absolvendi: id jure suo a poenitente interrogat, neque id poenitentis arbitrio vel judicio relinquendum est, nisi forte in poenitentis doctrina confessarius ita confidere possit, ut illius doctrinali judicio judicium confessarii auctoritativum tuto nitatur.

2. Defectus igitur sinceritatis in confessione committi potest aut tacendo aliquid, quod per se necessario aperiendum sit, aut falso negando id, quod utcunque confessarius jure suo interrogaverit. In utroque idem committitur sacrilegium. Quare graviter peccat:

1) qui peccatum grave necessario declarandum reticet vel negat;

2) qui peccatum grave falso sibi imponit;

3) qui peccatum recenter commissum aut expresse aut aequivalenter fatetur ut peccatum antiquum jam antea declaratum (videlicet sic impeditur confessarius, quominus judicium atque poenitentiae impositionem recte exercere *possit;* — aliud est, si accusatione id in dubio relinquitur, utrum sit peccatum recens an antiquum, jam declaratum necne: etsi forte poenitens cupit, ne confessarius id habeat pro peccato recenter commisso);

4) qui consuetudinem, relapsum, occasionem, de qua confessarius interrogat, falso negat, aut hanc declarationem, ne a confessario petatur, studiose declinat: quod intellige, si agitur de consuetudinario, recidivo, occasionario in sensu theologico, de quo infra.

314 3. Qui vero mendacium committit *in re levi,* per se graviter non peccat, si modo de aliis peccatis (certo gravioribus) verum dolorem afferat. Quare ejusmodi mendacia peccatum grave evadere possunt a) e falsa conscientia; b) ex eo, quod poenitens tantummodo alia venialia peccata accusat, quorum detestatio et odium per mendacium illud facile revocari potest.

Similiter, qui declinat responsum in re, quam confessarius non jure interrogat, aut non peccat cum quadam restrictione loquens, aut, si cum mendacio respondet, per se venialiter tantum peccat: e. g. si poenitens negat peccatum antea commissum, sed jam confessione deletum, quod neque nunc poenitentem consuetudinarium vel recidivum facit; nam quum confessarius ad hanc confessionem jus non habeat, poenitens jure negare potest cum restrictione non pure mentali: etsi plerumque melius est, sincere, id quod est, fateri.

315 4. *Colliges* igitur: a) Grave peccatum est, in accusando peccato gravi recenter commisso hac formula uti post alia peccata dicta: „Dein accuso me

de peccatis vitae praeteritae, praesertim de hoc. . . .“ Nam haec formula ea est ex omnium praxi, ut non designet nisi peccata jam antea declarata. — b) E contrario grave peccatum non esset, peccata recentia et antiqua confundere in confessione generali, si modo sciat confessarius, non omnia peccata gravia jam accusata esse: quare si hic judicat, sibi accuratiorem notitiam sumendam esse, relinquitur, ut interroget; si vero putat, se supersedere posse, ipsius est (atque aliquando fortasse prudenter sic agit), haec in suspenso relinquere. — c) A fortiori grave peccatum non est, imo pro circumstantiis aliquando consultum esse potest aut necessarium, ita confessionem facere, ut dicas quidem peccatum accusatum nondum esse, studeas tamen id efficere, ne confessarius suspicetur illud peccatum esse recenter commissum. (Causa necessitatis esse potest, si hoc modo sacerdos suum peccatum in audiendis confessionibus commissum declarare valet sine sigilli violatione, aliter declarare nequit.)

§ 3.

De peccatis dubiis.

Antequam statuatur, num et quando dubia peccata accusanda sint 316
in confessione, varia dubia explicari aut eorum notiones in memoriam revocari debent.

1. Dubium versari potest aut a) circa actûs peccaminosi exsistentiam, aut b) circa ejus gravitatem, aut c) circa illius confessionem institutam, aut d) circa eam circumstantiam, num sit peccatum post baptismum commissum, seu circa valorem baptismi peccatum praecedentis.

2. Dubium distinguitur aut negativum aut positivum, idque aut ex utraque parte, aut ex alterutra parte tantum. De quibus confer omnino, quae vol. I. dicta sunt n. 47.

His praenotatis sint haec principia:

I. Peccatum, *pro* cujus exsistentia vel gravitate *non* habetur fundata ratio positiva; aut *contra* cujus exsistentiam vel gravitatem habetur fundata ratio positiva, etiamsi *pro* illa etiam fundata ratio habeatur: non est necessario seu ex obligatione accusandum. Peccatum vero, *pro* cujus exsistentia vel gravitate fundata ratio positiva habetur, etsi non convincens, *nulla* autem vel levis ratio *contra* illam, accusari debet.

Aliis verbis: Peccatum utrimque negative dubium, aut utrimque positive dubium, aut negative dubium ex sola parte affirmantis culpam, non necessario accusatur; accusandum est, si est positive dubium ex sola parte affirmantis culpam.

II. Peccatum, de cujus gravitate constat, de cujus peracta confessione dubitatur, accusandum est, nisi *satis probabiliter* positive probetur, confessionem esse peractam.

III. Peccata, quae post baptismum susceptum quidem, sed de cujus valore dubitetur, commissa sunt, debent in sacramentali judicio accusari.

Explicatio. Ad I. 1. Peccata, contra quorum gravitatem nulla 317
vel levis tantum ratio habetur, gravis vero pro gravitate, accusanda

esse, est concors theologorum doctrina. Cf. Lugo d. 16 n. 58. Nam etsi fortasse non omnimoda probatio adsit, tamen in ejusmodi negotio, in quo saepissime evidentia deest, morali quadam certitudine nos regi debere, etsi contra nos agendum sit, omnes fatentur, praesertim quum confessio non solum onus sit, sed etiam, utpote sacramentum, medium sanctificationis majoris evadat.

2. Antiquitus vero theologi longe communiore sententiâ hanc obligationem aliter efferebant, latius extendentes ad peccata negative dubia: v. S. Alph. n. 474.

Attamen quum S. Alph. l. c. sententiam obligationis negatae defendat, neque sine internis ipsius causae rationibus, practice tuto eam amplecti possumus[1]. Imo veteres illi scriptores, qui pro obligatione confitendi argumentantur, quamquam verbis latioribus usi sunt, re ipsa id videntur potissimum *intellexisse*, quod etiam nos amplectimur, ne videlicet aliquis propter *levem* rationem sibi faventem sese immunem habeat a confitendi lege, quando *gravem* rationem contra se suamque a peccato gravi immunitatem adesse sentit.

3. Eandem regulam statuimus, sive de ipsius actionis substantia seu exsistentia, sive de ejus mortali peccaminositate (propter defectum plenae advertentiae atque consensûs) dubium est. (Nam si speculative dubitatur ex gravi ratione de *objectiva* rei gravitate, dubium huc non pertinet, sed secundum probabilismi regulas prorsus dispellitur.) Et re quidem vera, *in se* eadem regula de utroque dubio valet. At in praxi hoc discrimen notandum est, quod, si constat de *actu*, eoque objective gravi, dubitatur vero de subjectiva culpa gravi, dubium communiter ex praesumptione seu habituali conscientiae statu hominis solvendum est. Sc. 1) qui laxa conscientia utitur, aut frequenter consuevit peccatis pleno consensu adhaerere, in dubio, quod sibi oritur de subjectiva culpa, obligandus est ad confitendum, siquidem gravis praesumptio contra ipsum est, neque dubitaret, si consensum non dedisset: id saltem plerumque tenendum est. 2) Qui vere timoratae conscientiae est, aut etiam medium tenet inter laxam et teneram conscientiam, in dubio *non tenetur* confiteri, quando ejus dubium vere prudens est et fundatam rationem pro immunitate a peccato subministrat. Ceterum pro conscientiae pace generatim expedit ejusmodi pec-

---

[1] Aliqui obligationem confitendi peccata dubia inde petere conantur, quod confessio sit medium salutis necessarium, ac propterea hac in re, probabili opinione exclusa, tutiora sequi debeamus. Verum oportet distingui. Sacramentum quidem poenitentiae et maxime absolutio, in qua praecipue ipsius vis sita est, dici debet pro iis, qui post baptismum graviter lapsi fuerint, medium salutis necessarium, in re vel in voto, atque etiam in casu lapsûs dubii necessaria est aut contritio perfecta aut absolutio re suscepta, et proin confessio eatenus, quatenus necessaria sit ad validam absolutionem seu ad gratiam sanctificantem vi absolutionis recipiendam. At *integram* confessionem eatenus tantum necessariam dicere poteris, quatenus *praescripta esse probatur*, ut licite et valide absolutio detur. Ad hoc autem requiri integram *etiam dubiorum peccatorum* confessionem *re* peractam, tantum abest, ut probetur, ut ex verbis Trid. sess. 14 cap. 5 et can. 7 S. Alphonsus potius contrarium colligat.

cata dubia confiteri, si prudens ratio pro peccati gravitate adest. 3) Qui vero scrupulosa utitur conscientia, tantum abest, ut dubia teneatur confiteri, ut ab eorum confessione potius prohibendus sit; nam ejus dubia ex praesumptione habenda sunt pro rationibus levibus et futilibus, atque etsi aliquando gravior ratio pro peccato commisso adfuerit, hujusmodi confessionem urgere vel admittere, graviora prorsus mala excitabit, quam dubii peccati reticentia. Cf. Reuter p. IV. n. 306 sqq.

4. Pro conscientiae pace generatim *expedire* confessionem peccatorum 318
dubiorum, etiamsi obligatio non adsit, jam innuimus. Porro *ut dubia* accusanda sunt. Quare qui sola peccata ita dubia habet et accusat, jure quidem suo utitur postulandi conditionatam absolutionem (si modo ea nunc primum confiteatur): attamen expedit, aliam materiam certam, quamquam ex praeterita vita, adjungere, idque necessarium est ad absolutionem *absolute* dandam et recipiendam.

Verum si postea peccatum, quod ut dubie accusatum est, detegitur, certo tamquam grave esse commissum, non ita planum est, quaenam maneat obligatio, utrum sc. poenitens id postea declarare debeat, an rem ut finitam possit considerare. Peccatum enim illud directe vi clavium remissum esse constat, siquidem conditionata illa sententia „si vere peccasti", quum reipsa conditio verificata fuerit, evasit absoluta, atque rata et firma fuit. S. Alphus cum sententia antiquitus communissima affirmat, adesse obligationem, quamquam admittit, eam non adesse pro illis peccatis dubie declaratis, quae in numero verisimili „circiter" ut dubia inclusa fuerint, etsi poenitens postea certum numerum cognoverit. Verum postquam Lugo disp. 16 n. 78 sqq. gravissimas rationes contra hanc opinionem collegit, — quamquam ipse propter scriptorum aliorum numerum noluit stare pro negante sententia — posteriores auctores magno numero ejus rationibus adhaeserunt atque negantem sententiam et intrinsecus et extrinsecus probabilem reddiderunt. Ita Holzmann, Sporer, Elbel, Arriaga etc. apud S. Alph. l. c., Reuter n. 332; aliosque quam plurimos v. apud Baller. notam ad Gury II, 480. — Et revera id dilemma non videtur solvi satis posse: Aut ille, qui se circiter decies peccasse dixit, et postea certo se duodecies peccasse intellexit, tenetur *duo vel quatuor peccata* ut dubia accusata, postea pro certis accusare, aut si non tenetur, etiam ille, qui *unicum* peccatum commissum ut dubium bona fide confessus est, postquam illud pro certo cognovit, id declarare non tenetur. Verum priorem non teneri, communissima sententia et praxis docet: ergo etiam posteriorem ab obligatione immunem dicere debemus. Nam in utroque *par ratio est.* Neque dici potest, numerum peccatorum solummodo circumstantiam quandam esse, peccatum autem, quod ut semel factum declaretur, substantiam ipsam spectare. Nam numerus omnino ad substantiam pertinet, quum tot et tot actus secundum substantiam indicet.

5. Quam agendi rationem post peccatum dubium aliquis tenere debeat quoad Sanctissimae Eucharistiae sumptionem aliasque actiones, quas in statu peccati suscipere non licet, jam liquet ex iis, quae dicta sunt n. 150.

Ad II. Si quis de peccato commisso seu de obligatione illud 319
confitendi jam dubius non est, sed dubitat, num huic obligationi satisfecerit: omnino requiritur, ut positiva ratio adsit, qua probetur, obligationi esse satisfactum. Attamen si vere fundata ratio habetur, quae

certitudinem plenam quidem non afferat, sed aliquam dubitationem relinquat, obligatio censetur exstincta secundum ea, quae de probabilismo dicta sunt. Nam, nisi leges atque obligationes odiosas reddere velimus, humana aliqua probatione late sumpta contenti esse debemus. Quapropter ‚praesumptio' in his casibus saepe probationem satis probabilem et tutam efficit.

Hinc: qui consuevit diligenter instituere confessiones, si postea non recordetur, se hoc vel illud peccatum dixisse: praesumere potest, se illud declarasse. Et ita in similibus casibus.

320 Ad III. **De confessione ejus qui dubie baptizatus est.** Multorum scriptorum sententia erat, eum, qui propter baptismum dubie validum in secta acatholica susceptum, quando ad fidem catholicam convertitur, sub conditione iterum baptizatur, non teneri ad integram peccatorum suorum confessionem, quum peccata illa sint materia dubie necessaria, eodem sc. dubio, quo dubius sit baptismus: quare *sufficienti* aliqua materia exhibita, quae sufficiat ad sacramenti valorem et ad justificationem vi sacramenti conciliandam, ejusmodi hominem conversum absolvi posse conditionate, imo id practice expedire, ne ab initio suae conversionis onus illud quandoque gravissimum totius vitae confessionem peragendi subire cogatur.

At haec opinio nunc prorsus relinquenda est. Ex decisione enim Sanctae Sedis plena argumenta habemus pro necessitate integrae confessionis. Nam tum anno 1715, tum recenter anno 1868 decretum in hunc sensum latum est, quorum prius sine dubio scriptoribus communiter ignotum manserat.

Ad postulatum Epp. Angliae vid., „an debeat . . . confessio sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigi, et an debeat esse integra", S. Officium 17. Dec. 1868 respondit: „Affirmative, et detur decretum 14. Junii 1715." Quod decretum allegatum hoc est:

„Dubium, an plena fides sit adhibenda Carolo Wippermann de Rostock in ducatu Mecklenburg praedicanti et lectori theologiae lutheranae quietisticae, superintendenti et doctori primariae sectae lutheranorum quietistarum, s. fidei reconciliato in S. O. Parmae, et circa nonnullos errores detectos in ejus baptismo: an ipsi credendum sit circa ea quae narrat, et quatenus affirmative, tum ut ipsius saluti tum etiam ut ceterorum illius sectae seu regionis, praesertim si fuerint ignorantes, saluti pariter consulatur.

„Quaeritur, an dictus Wippermann sit rebaptizandus; et quatenus affirmative, an absolute vel sub conditione; et quatenus affirmative (i. e. ‚sub conditione'), an teneatur confiteri omnia peccata praeteritae vitae; et quatenus affirmative, an confessio praeponenda sit vel postponenda baptismo conferendo sub conditione.

„Sanctissimus auditis votis Emissimorum dixit: Carolum Ferdinandum esse rebaptizandum sub conditione, et collato baptismo, ejus praeteritae vitae peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur."[1]

[1] Circa ordinem sacrarum functionum qui servandus sit in receptione neoconversi, si baptismus dubius est, nihil prohibet, quin praecedat confessio, tum sequatur conditionatus baptismus, dein resumpta summaria accusatione et contritione fiat conditionata absolutio. Ita enim S. Officium Nov. 1875 expresse rescripsit: „Si agatur de iis, qui debent sub conditione baptizari, tunc poterunt, ad majorem functionis ecclesiasticae facilitatem, prius audiri sacramentaliter quoad earum cul-

S. Officium igitur et S. Pontifex in decreto anni 1715 non de particu- 321
lari facto, sed de causa ipsa in genere judicatum esse illudque pro universali norma et lege haberi censuerunt. Et merito. Nam illud decretum haberi nequit nisi pro legis divinae authentica interpretatione per S. Pontificem facta, non pro mera lege vel praecepto ecclesiastico. Ceterum in resp. ad Archiep. Quebec. d. 10. Jul. 1869 Praefectus S. C. de Prop. F. dixit, decretum anni 1868 esse universale atque obligare ubique (*Anal. eccl.* VII. 489).

Legis enim ecclesiasticae minime est, praescribere pro materia necessaria *confessionis* eam, quae ex jure divino necessaria non sit: v. S. Anton., Summa p. III. tit. 14 c. 19 § 14. Ergo ut concipi possit possibilitas illius praecepti in decreto anni 1715 contenti, necesse est dicamus, peccata post baptismum dubie validum commissa ex jure divino necessario clavibus Ecclesiae subjici debere. Hoc est, quod positiva illa declaratio nos certo doceat; sed id ipsum ratio confirmat. Nam etsi ille, qui dubie baptizatus est, non certo, sed probabiliter tantum sacramentalem absolutionem circa peccata recipere potest: minime sequitur, ipsam confitendi obligationem etiam probabilem tantum et proin practice nullam esse. Obligatio enim confitendi poenitentiamque injunctam persolvendi apud omnes homines *certior* est, quam possibilitas sacramentalem effectum recipiendi. Haec enim non excedit certitudinem moralem late sumptam, quum in valore baptismi aliisque conditionibus nitatur, ita ut aliquod dubium concipi possit: attamen obligatio confitendi et persolvendi poenitentiam tale dubium nullatenus admittit, quum ex fundamento obligationis moraliter tantum certo evidens sequatur obligatio; secus enim de omni obligatione humanae vitae actum est.

Quo stabilito, ulterius dicendum prorsus est, Christum omnes eos Ec- 322
clesiae potestati subjecisse quoad peccata in sacro tribunali recognoscenda et judicanda, qui ecclesiastico regimini generatim subjecti sint. At haec subjectio iis limitibus eâque amplitudine definienda est, quibus ambitus regiminis in quacunque humana societate definitur. Nemo autem ambigit, quoslibet regimini sociali ejus societatis subjacere, cui externo ritu adscripti fuerint, *donec illa adscriptio probetur invalida:* associatio enim externa ad externam societatem facta, quae praesumitur rite facta, certum et indubitatum jus tribuit auctoritati sociali in membra tali modo associata, atque membris certam et indubitatam obligationem imponit illius societatis juribus et legibus subjacendi; dubium nullitatis adscriptionis, quod solvi non possit, nullatenus admittitur, quo aliquis subjectionis onus excutiat. Hinc plane sequitur, omnes, qui baptismum utcunque receperint, quem validum recipere voluerint, etsi ejus valor aliquod dubium admittat, et generatim ecclesiastico regimini ejusque legibus *certo* adstringi, et legi divinae subjacere, quae jubeat ab Ecclesiae membris ad Superiores ecclesiasticos peccata commissa recognoscendi et judicandi causa deferri. Aliis verbis, dubium circa baptismi valorem id quidem efficit, ut hoc sensu habeatur

---

parum accusationem; deinde, post collationem baptismatis sub conditione, confessarius, iterum reassumptis per summa capita cum poenitente iis, de quibus jam accusationem fecerit, absolvat sacramentaliter, pariter sub conditione." — Ceterum uniformitatis causa servetur in America ordo Ritualis in America vulgati, ut fiat: 1) abjuratio haeresis, fideique professio; 2) conditionatus baptismus; 3) confessio cum absolutione conditionata: quem ordinem S. Officium in Instructione pro America Sept. assignavit. (Cfr. *appendix ad Concil. pl. Balt.* II in Collect. Lac. t. 3 col. 550.)

baptismus pro nullo, quatenus possit et debeat conditionate repeti in favorem hominis, ne salutis aeternae dispendium faciat; sed nullatenus eo sensu pro nullo practice haberi potest, quatenus dubie baptizatus eximatur ab iis legibus et obligationibus, quae sive ecclesiastico sive divino jure pro baptizatis vigent: inter quas obligatio peccata confitendi principalem locum tenet[1].

§ 4.

De peccatis oblivione sive alio inculpabili modo omissis.

323 Ex iis, quae supra disputata sunt, constat, jure divino omnia peccata gravia post baptismum commissa in confessione declaranda esse. Quum autem ea sit hominis infirmitas, ut non semper omnium recordetur quae commisit, scite Trid. sess. 14 cap. 5 addidit, „oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia recenseri, quorum post diligentem sui discussionem *conscientiam habent*" vel: „quibus se Deum mortaliter offendisse *meminerint*". — Hinc, si omnia gravia peccata, quae re ipsâ commissa sunt, declarantur, dicitur adesse *integritas objectiva sive materialis*: quatenus autem omnia peccata gravia, quorum homo recordatur et quorum confessio ipsi possibilis est, accusantur, habetur *integritas subjectiva sive formalis*.

Quare oblivio inculpabilis peccatorum integritati formali non obstat. Quod autem de oblivione dicitur, extendi debet ad quasdam alias causas legitimas, quae aliquando — id quod infra dicetur — ab integritate objectiva excusant.

Ejusmodi autem peccata, quae ad objectivam quidem, sed non ad subjectivam integritatem spectent, in „confessione inclusa esse intelliguntur" atque vere delentur absolutione, non tamen *directe*, sed *indirecte tantum*.

Videlicet in sacramento poenitentiae peccatorum deletio fit per actum absolutionis: verum peccata non accusata non proprie absolvuntur, vel saltem non absolvuntur, quatenus talia peccata specifica sunt. Nihilominus, quia sententia absolutionis rite et valide facta est circa *quaedam* peccata (aut aliquando circa peccatum in genere), haec absolutio, quia *sacramentalis* est, et quia in hoc ordine coram Deo non fit ulla peccati remissio, quae non sit simul *sanctificatio supernaturalis*, inducit in animam, quae obicem non habet, gratiam sanctificantem: quae omnem reatum culpae mortalis destruit, hominemque plene ex inimico facit amicum Dei et haeredem vitae aeternae.

Attamen illa peccata, quia *judicialiter* remissa non sunt per se, sed potius per concomitantiam, postea, si forte memoriae occurrunt, accusari et directa judiciali absolutione remitti debent: atque ita obligatio ea confitendi suspensa fuit, non deleta.

Quae accuratius definiuntur sequentibus principiis:

324 I. Peccata gravia inculpabiliter omissa sunt et manent materia confessionis *necessaria*, seu obligatio confitendi objectiva eadem manet, atque antea fuit.

---

[1] Doctrina hîc tradita confirmari potest ex Instructione S. Officii ad Vicar. Ap. Japoniae meridionalis d. d. 4. Febr. 1891, ubi leguntur haec: „*Qui valide* aut dubie *baptizati fuerint, ii subsunt impedimentis etiam jure ecclesiastico dirimentibus (excepta clandestinitate, quae isthic non viget)*": ita Acta S. Sedis vol. XXVI, pag. 63. Quod dici nequit, nisi dubie baptizati *jure divino* jurisdictioni Ecclesiae subsint; cui *si* subsunt, sequitur obligatio peccata confitendi.

Huc spectat thesis XI. ab Alex. VII. damnata: „Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere."

II. Haec obligatio autem neque ratione sui „quam primum" urget, neque ratione sumendae S. Eucharistiae statim impleri debet.

III. Impleri eam necesse est aut ratione periculi mortis, aut ratione alterius confessionis, sive ea fieri debet, sive libere instituitur: ita ut in prima confessione, quae fiat, peccata omissa reticere non liceat, nisi forte etiam tum causa legitime excusans adsit.

Explicatio. Ad I. nota: Obligatio illa confitendi non oritur ex sola 325
necessitate, qua homo tenetur post lapsum e statu peccati resurgere et statum justificationis sibi denuo procurare, sed ab ipsa *lege* divinitus imposita.

Ad II. 1. Multi quidem scriptores non sine gravi ratione docent, eum, qui ante S. Communionem recordetur peccati gravis, etsi non post ultimam confessionem commissi, sed in ea inculpabiliter omissi, *debere* id confiteri atque ab eo sacramentaliter absolvi, ex eo, quod hujus peccati sibi adhuc conscius sit, nemini vero, qui sibi peccati mortalis conscius sit, liceat, antequam (si modo possit) confessus fuerit, ad S. Eucharistiam accedere secundum Trid. sess. 13 c. 7: S. Alph. n. 257.

Attamen cum S. Alph. aliisque, quamquam paucioribus, licet alteram opinionem pro probabili habere et sequi, quia confessio sacramentalis vere praecessit eaque subjective integra, neque plus videtur a Trid. et a lege divina exigi, nisi ut humano modo probatio per sacramentalem confessionem praemittatur: quae si facta fuit, alia obligatio *nunc* non urget.

2. Praxim vero contrariam pro *consilio* poenitentibus proponere, per se optimum est, nisi forte conscientia poenitentis timidior contrarium suadeat; pro obligatione statui haec praxis non debet.

3. Id autem plane non convenit cum divina sacramenti poenitentiae institutione, quod aliqui iique pauci recentiores auctores tradere conati sunt, quasi sufficiat, ejusmodi peccata declarasse, absolutionem autem circa ea recipere seu dare necessarium non sit. Nam confessio non fit eo fine, ut sacerdos peccata sciat, sed propterea confessio facienda est, ut peccata convenienter per judicialem sententiam remittantur sive absolvantur. Ergo nisi necessitatem *absolvendi* statuas, nulla solida ratio, cur exigi debeat confessio, suppetit.

Quare poenitens, qui statim post absolutionem receptam peccatum novum grave declarat, *iterum absolvi debet.* Et quamquam haec absolutio usque ad proximam confessionem differri absolute potest, si poenitens hanc apud eundem confessarium instituturus est, tamen id raro admodum expediet, quia hac agendi ratione poenitens ad alterutrum cogitur, aut ut liber non sit in instituenda proxima confessione apud eum confessarium, quem forte maluerit, aut ut, si alium confessarium tum praeferat, ad idem peccatum bis confitendum obligetur.

Ad III. 1. Obligatio confitendi peccata inculpabiliter omissa, etsi nova 326
peccata gravia commissa non sunt, urget *ratione sui,* a) ante mortem, adeoque in gravi mortis periculo; b) tempore annuae confessionis. Nam annua confessio non tantum ratione justificationis recuperandae instituenda est (obligatio enim recuperandae justificationis frequentius urgere omnino videtur), sed ratione legis divinae implendae ab Ecclesia determinatae. Quare

tum ejus annuae confessionis lex graviter urget, quando materia necessaria confessionis adest; porro peccatum inculpabiliter omissum sine dubio materia necessaria est.

2. Si vero ante illud tempus confessio instituitur, sive de novo materia necessaria, sive libera tantum commissa est: statim prima illa confessione peccata omissa declarari debere, adeo evidens est, ut nemini scriptorum unquam in mentem venerit, hac de re disputare vel dubitare. Idque ex conceptu confessionis *integrae*, quam Trid. dixit juris divini esse, consequitur. Confessio enim *quaelibet*, quandocunque et ubicunque instituitur, subjective seu formaliter integra esse debet. Porro ad subjectivam integritatem pertinet, ut omnia peccata gravia nondum clavibus Ecclesiae directe subjecta, quorum memoria habeatur, accusentur, nisi forte legitima excusatio adsit. Ergo nisi in prima confessione peccata antea omissa declarentur, haec non erit integra, sed sacrilega. Neque quidquam valet, quod illa peccata jam remissa sunt; nam ut taceam, idem valere de quibuslibet peccatis post actum perfectae contritionis elicitum: haec non est intima ratio discernendi inter peccata necessario accusanda et non accusanda, quod utcunque sive perfecta contritione sive per sacramentum remissa sint aut non sint. Vide Gury n. 495.

Articulus II.

De causis ab integritate confessionis excusantibus.

827 Ut ea, quae praecedenti articulo postremum exposuimus, compleantur: necessarium est, eas rationes videre, quae legitimae sint, cur peccatum aliquod in confessione omittatur. Universim haec teneri debent:

I. A confessione integre peragenda nunquam excusat difficultas, quae dicitur confessioni interna sive insita; i. e. pudor et verecundia, etsi solummodo quoad praesentem confessarium adest: quare aut confessio, si fieri potest, differenda est, aut alius confessarius adeundus, aut pudor prorsus vincendus. Id satis innuit Trid. sess. 13 cap. 5, quum „confessionis difficultatem ac peccata detegendi verecundiam“ negat ita gravem esse, ut a lege divina excuset. Cf. etiam Gury n. 497.

II. Generatim excusat ea difficultas extrinsecus exorta sive per accidens cum confessione conjuncta, quando integra confessio impossibilis moraliter evadit seu grave omnino damnum poenitenti aut confessario causatura est: qua difficultate cessante, lex integrae confessionis reviviscit.

III. Ejusmodi difficultates autem recensentur sequentes:

1. extrema necessitas, in qua pro circumstantiis sufficit quodlibet externum signum;
2. defectus loquelae, sive ex ignorantia idiomatis, sive ex inopia facultatis loquendi;
3. defectus temporis, e. g. si milites pergere debent ad pugnam;
4. periculum vitae, si ex diuturna confessione contagionis periculum oritur;

5. periculum famae, quando apud alios praeterquam apud confessarium poenitens se prodere deberet;
6. periculum lapsûs seu scandali, sive pro poenitente sive pro confessario juste timetur;
7. periculum laesionis sigilli: si — quod vix continget — confessarius praevideatur sigillum laesurus; aut si confessarius *suam* confessionem facere non possit, nisi alterius poenitentis peccatum indicet et ita sigillum violet.

Uberior explicatio. 1. In extrema necessitate, etsi, quantum 328
fieri potest, aliqua accusatio specifici peccati recipienda est, tamen apud hominem usu rationis adhuc utentem potius quam in integritate confessionis, in dolore eliciendo est insistendum: apud hominem sensibus destitutum, maxime si antea certum signum accusationis non dedit, post absolutionem conditionate datam maxime curandum est, ut detur extrema unctio, securius valida et salutifera, quam ipsa absolutio; neque tamen propterea abstinendum erit a praemittenda conditionata absolutione.

2. Mutum ex scripto confiteri debere, quantum convenienter fieri possit, multi scriptores tenent; attamen multis etiam contrarium sentientibus, obligatio imponi nequit: v. Gury-Ball. II. n. 503. Quapropter a fortiori confessarius recte abstinet ab aliis interrogationibus scripto faciendis, quae solam integritatem confessionis spectent, si poenitens mutus scripto confiteri velit: quod utique interdicendum nullo modo est, imo ultro admittendum, si poenitenti muto id est solatio.

Surdi vero ex sua parte integre confiteri debent: at si confessarius in decursu tantum confessionis deprehenderit, poenitentem surdum, vel potius surdastrum esse, eum in locum remotiorem, ubi altius colloqui liceat, adducere non potest, si id facere nequit, quin aliis suspicionem peccati gravis auditi ingerat ideoque sigillum laedat; quare tunc cum dispendio integritatis ab interrogando confessarius abstinere debet. — Idem dic, si forte causa honestatis in confessionibus mulierum excipiendis aliquando prohibeat, quominus cum illis confessarius secedat. V. Gury-Ball. ib. notam.

Ignarus idiomatis ad adhibendum interpretem, utpote medium extraordinarium, non tenetur: in articulo mortis autem suadetur, ut saltem aliquam determinatam materiam, *de qua vere dolet,* quamquam veniale peccatum tantum, exprimat, etsi per solum interpretem id facere possit, quia eo tutius removetur illud aliquale dubium, quod de valore confessionis omnino generalis ab aliquibus movetur. Ceterum fieri potest confessio etiam satis integra per interpretem, ita ut in ejus notitiam nihil deveniat. Confessarius enim propositis quaestionibus circa peccata per interpretem, ipso non vidente, signum poenitentis, e. g. manu pressa aut annuentis aut negantis et pro numero peccatorum signum illud iterantis, excipere *potest.* Quare si vir poenitens id desiderat, ad *talem* confessionem admittatur.

Omnes vero illi, de quibus hîc diximus, tenentur *signis,* quantum convenienter possunt, confessario peccata declarare: atque confessarius

debet, si alius confessarius idiomatis peritus deest, eos admittere et aliquoties absolvere, etsi solam accusationem in genere intelligere potuit.

329 3. Si defectus temporis in unius tantum confessione occurrat, eo quod e. g. hostes irruant, audito *aliquo* peccato et dolore excitato absolutio danda est, quando necessitas absolvendi nunc instat. Si vero de multis agitur, qui nunc Deo reconciliandi sunt, ut de militibus pugna jam instante:

1) si periculum in mora est, omnes exhortandi sunt in communi, imo verbis praeeundum est, ut sincerum dolorem et propositum excitent atque signum aliquod externum, e. g. manum attollendo, exhibeant: quo facto in communi absolvantur. V. Reuter p. 4 n. 331. 4.

2) Quo vero securius singulorum saluti provideatur, omittendum non est, singulos ad confessionem admittere et vocare, idque ita, ut si omnium confessiones integrae excipi nequeant, praeferendum omnino sit, ab integritate deficere et quam plurimos singillatim admittere, quo efficacius ad dolorem excitari possint, addito monito, postea, si Deus vitam eorum servaverit, integritatem supplendam esse.

330 4. In morbo contagioso, quamquam confessarius aliis cautelis adhibitis periculum contagionis diminuere potest, tamen propter illud ipsum periculum ab integritate confessionis excipiendae excusatur.

5. Periculum famae adesse potest in variis adjunctis, praecipue si confessionem factam esse aliis notum est, sed poenitens eam utpote sacrilegam repetere debet et gratia divina tactus repetere vult, instante jam tempore Communionis, quam sine suspicione contra se excitanda differre nequit.

E. g.: Aegrotus antea jam confessus et nunc Viaticum suscepturus detegit sacerdoti seriem confessionum sacrilegarum: quas si nunc integras repetere deberet, gravem suspicionem adstantibus, qui eum iam paratum putant, ingereret. — In solemni Communione communi, quum omnes jam confessi sunt, aliis spectantibus paulo ante Communionem aliquis sacerdotem petit, detegens similiter confessionem sacrilegam: quam quum nunc non possit integram repetere, excitato dolore et audito ipsius sacrilegii peccato (vel paucis aliis), cito absolvendus est, postea completurus. — Aut sacerdos, jam adstans ad altare sive Sacrum jam operans sacrilege, interim dolorem concipit, et dum facit Sacrum solemne, uni ex ministris (sacerdotibus) id indicare potest: quibus in circumstantiis, declarato hoc peccato, secreto absolvendus est.

Num vero etiam periculum famae alienae apud confessarium ratio ab integritate excusans sit, infra fusius discuti debet.

331 6. Si poenitens sibi timet, ne recogitando peccata, maxime luxuriae, misere in delectationem labatur: accuratiorem recogitationem omittere debet etiam cum periculo ab integritate deficiendi, quum lex *naturalis* cavendi a gravi lapsûs periculo praevaleat legi *positivae* integre confitendi. Quare etiam confessario haec ratio esse potest, cur caute procedere debeat in interrogationibus, ne in sacramento reconciliationis poenitenti ansam novi lapsûs creet. Reuter l. c. n. 331. 6.

Confessarius autem sibi timens eodem modo ab interrogationibus, quae alioquin ad integritatem procurandam videntur necessariae, abstinere debet. Ceterum, nisi talis timor ex inopinato casu singulari juste concipiatur, confessarius, qui se adeo debilem deprehendit, ut in exercendo sacro munere sibi grave periculum creet, potius ab audiendis confessionibus abstinere debet.

Poenitens vero, qui singularem confessarii fragilitatem noverit, quae suorum peccatorum narratione periculum lapsûs inducat, illum confessarium *declinare* debet: si vero in singulari necessitate ejus ope indigeret, peccata, quorum vere periculosa esset narratio, omittenda essent.

Ceterum ejusmodi pericula, de quibus hîc sermo fuit, non temere supponi, sed ex gravi tantum ratione, vel, si de confessarii periculo agitur, ex vehementibus indiciis timeri debent.

7. Periculum laesionis sigilli, quod sacerdos confitens peccata in ex- 332
cipiendis confessionibus forte commissa inducturus sit, non est adeo impossibile: quodsi et hoc obtinet, neque alius confessarius adiri potest, peccata, quorum confessio tale periculum induceret, taceri prorsus debent. Cf. Bonac. l. c. q. 5 s. 2 p. 2 § 4. — Periculum vero laesionis sigilli, quam ne confessarius contra se committat, poenitens timeat, adeo immane scelus in confessario supponit, ut nisi in homine haeretico vel haeresis vehementer suspecto, idque in illis ipsis minime semper, suspicari liceat. Ita de deliberata et maxime de directa sigilli laesione. Non adeo immane peccatum in indirecta laesione invenitur, siquidem ex inconsiderata agendi ratione oriri potest. Quam habebis, si confessarius adeo alta voce loquatur, ut a circumstantibus possit audiri. Igitur si hoc contingat, neque monitus confessarius vocem moderetur, poenitens excusari possit ab integritate, ne confessarius interrogando peccata repetat et adstantibus nota faciat.

NB. In causis excusantibus, quas retuli, id in universum notari debet — praecipue in causis sub n. 2. 6. 7 recensitis —, 1) requiri aliquam confitendi necessitatem et 2) moralem impossibilitatem adeundi alium confessarium, apud quem ex integra confessione illud damnum, quod alias timetur, non sit oriturum. *Necessitas* vero *confitendi* non adeo stricta sumitur, sed sufficit timor poenitentis, ne aliter uno alterove die in statu peccati manere debeat; quia haec in homine rationabiliter et timorate judicante gravis necessitas spiritualis est. Reuter l. c. n. 330 cum Lugo dicit „dilationem confitendi, quae ultra triduum excurreret".

Specialis difficultas movetur circa confessionis integritatem, si ex 333
ea alterius diffamatio apud confessarium oritur: num haec ipsa etiam sit causa excusans ab integritate. Aliis verbis haec quaestio proponitur, *num possim vel debeam peccatum confiteri, quod confiteri nequeam sine complicis apud confessarium diffamatione.*

Antequam hanc quaestionem solvamus, explorata a controversis sejungi debent.

1. Omnes consentiunt, si alius confessarius adiri possit, cui complex ignotus sit et maneat, apud *eum* confessionem esse instituendam, ut et lex integre confitendi et fama proximi servetur.

2. Si peccatum, quod sine complicis notitia danda non possit declarari, non sit materia necessaria confessionis, non licet cum dispendio alienae famae illud peccatum declarare: nisi forte de complicis pec-

cato non gravi agatur et ex altera parte rationabilis utilitas poenitentis ex declaratione peccati sequatur.

3. Si nihilominus haec illicita complicis manifestatio apud unum confessarium fiat, id grave peccatum ex se non esse, prorsus probabile est. Nam etsi permulti auctores id pro gravi habeant, tamen ex iis, quae de octavo decalogi praecepto circa diffamationem dicta sunt, contrarium concluditur.

Quum enim, probante S. Alph. l. 3 n. 973, complures theologi, ut Less., Cajet., Regin. etc. doceant, ipse S. Thom. (*Quodl.* 11 a. 13 ad 3) id innuere videatur, crimen alterius uni vel alteri viro probo seu prudenti revelare, pro *gravi* diffamatione per se non haberi: id pro practice probabili certo sumere licet. Quod si unquam probabile est, maxime tum est, quando confessario illud alienum crimen detegitur, qui sub gravissimo vinculo sacramentalis sigilli perpetuum secretum servare teneatur.

4. Hinc etiam sequitur, causam mediocriter gravem utilitatis vel necessitatis ab omni prorsus culpa excusare; atque etiam obligationem potius alterum confessarium quaerendi, cui complex ignotus sit, non cum gravi incommodo urgere.

334 At si alterutrum necessarium fuerit, aut complicem confessario manifestare, aut non integre confiteri: utrum eligendum est? Si alterutra sententia sive quae affirmat, sive quae negat, complicis manifestationem esse causam ab integritate confessionis excusantem, objective vera est: aut *obligatio* tacendi, aut confitendi integre *obligatio* erit. Solum si utraque dubia, sed probabilis est, practice consequitur, quemlibet pro libitu id, quod sibi melius esse duxerit, agere posse. Theoretice igitur duplex sententia esse *potest:* una, quae dicat manifestationem complicis esse causam ab integritate confessionis excusantem, ita *ut non liceat* complicem manifestare; altera, quae neget, illam esse causam ab integritate excusantem.

Praestat vero, prius videre, quaenam commoda et incommoda ex alterutra sententia et praxi oriantur; dein de ipsis sententiis judicium proferre.

A. Primo aspectu ea sententia, quae complicis manifestationem dicit esse causam ab integritate confessionis excusantem, benignior videri poterit. At ne facilius pro benigniore re ipsa sumatur, omnino consideranda sunt onera, quae imponit:

1) Cum multo majore incommodo a poenitente subeundo postulari debet, ut alius confessarius, cui complex ignotus sit, pro excipienda confessione quaeratur. Nam integritas confessionis, nemine dubitante, per se servanda est, quando servari potest, atque solum id poenitentis incommodum, quod eam moraliter impossibilem reddit, excusat; quare illud incommodum omnino magnum esse debet, idque multo majus, quam quod ex aliorum sententia legitimam facit aliqualem complicis diffamationem.

2) Si vero alius confessarius tandem adiri nequit atque peccati circumstantia propter complicis famam servandam reticetur: plerumque onus, quod semper pro magno haberi consuevit, peccati actum substantialem *bis* confitendi imponitur. Sc. fama complicis servanda, *si* excusat ab integritate

confessionis, ex omnium sententia non dat jus aliud reticendi, quam quod ad conservandam complicis famam prorsus exigitur: quare e. g., qui incestum commissum aliter fateri non potest, certissime tenetur in prima confessione ad confitendum *peccatum luxuriae,* quamvis suppressâ illâ circumstantiâ incestûs. Porro postea, quando apud alium confessarium confitendi facultas adest, circumstantiam incestûs, quam declarare tunc debet, quomodo practice declarabit, nisi peccatum luxuriae iterum accusaverit?

3) Si peccatum complicis ab integritate excusat, et — quod hujus sententiae fundamentum est — hoc peccatum indicare non licet: ne confessario quidem licebit, apud poenitentes, praecipue si adeo exculti non sunt, ut illius doctrinae gnari responsa dextre declinare noverint, eas interrogationes instituere, quae poenitentem facile inducant, ut complicis notitiam confessario indirecte det. At si confessarius haec ex obligatione evitare debet: aut de peccandi occasionibus inquirere libere non potest, aut arbitrio et judicio poenitentium id saepe committere debet, num et quomodo obligationem respondendi urgere possit. Sed ob multa gravia incommoda et damna spiritualia inde oritura neutrum quispiam facile admiserit.

Quare confessarius, ne gravissimo muneri poenitentem ab occasione proxima arcendi desit, neve poenitentem ipsum sibi illudere sinat, qui sibi suoque judicio relictus, occasiones pro adeo periculosis nolit agnoscere, libere interrogare debet, spreto periculo illo notitiam complicis diffamantem accipiendi, si modo probabile, licet non certum, sit, illam complicis diffamationem non esse causam ab integritate confessionis excusantem. At probabilis certo est haec sententia.

B. Scriptores igitur et numero plures, et auctoritate gravissimi de- 335
fendunt, legem integrae confessionis esse potioris juris, ita ut ad eam implendam sperni debeat, si necessaria sit, illa aliqualis complicis apud confessarium diffamatio: ita S. Thom. in 4 dist. 16 q. 3 a. 2, S. Bonav., S. Antonin., S. Bern., Gerson, Medina, Sylvester, Cajetan., Henriquez, Suarez disp. 34 sect. 2, Lugo d. 16 n. 398 sq., Laym., Vasquez q. 91 dub. 3 a. 2, Tolet, Reginald lib. 6 n. 156, Lessius, Tamburini, Salmant. c. 8 n. 128, Reuter p. IV. n. 321, S. Alph. n. 489. etc. — Contrariam sententiam, sc. non licere complicis notitiam dare, docuere: Canus, Petr. Soto, Ledesma, Navarrus *Manuale* cap. 7 n. 1, Valentia disp. 7 q. 11 p. 1, Bañez, Diana etc.; ac probabile id esse, expresse tradunt praeter alios: Busenb., Mazzotta *de poenit.* disp. 1 q. 4 cap. 7 § 1 ab initio.

Rationes sententiae eorum, qui non licere amplius notitiam dare adeoque potius abstinendum esse ab integritate confessionis docent, ad hanc unam causam reducuntur: quod famam alienam laedere sit contra legem *naturalem,* ideoque ejus servandae obligatio potioris juris sit, quam obligatio integre confitendi, quippe quae sit legis *positivae.*

Ii vero, qui defendunt, confessionem integram faciendam esse, spreta 336
illa, si opus sit, complicis apud confessarium diffamatione: certe non negant, per se lege naturali vetari, ne aliena fama laedatur, at opponunt, id non absolute vetari, sed solum, ne laedatur sine legitima causa; quare videndum esse, utrum lex integre confitendi sit ejusmodi legitima causa necne, maxime quum illa apud confessarium oritura laesio famae objective non certo gravis sit. (Cf. vol. I. n. 1180 et 1182.) Legitimam vero esse hanc

causam, ex gravissimis rationibus suaderi potest: 1) ex iis, quae antea jam notata sunt circa incommoda et damna, quae sequantur, nisi universim liceat libere fateri et interrogare circa circumstantias et occasiones peccatorum. 2) Alia exempla afferri possunt, in quibus sperni omnino debeat aliqualis nota et famae labes, quae ex poenitentis diffamatione in alios redundare possit. Nemo enim unquam ausus fuerit neque unquam audebit e. g. filium eximere ab integra confessione criminum suorum propterea, quod fortasse ex justa suspicione educationis non bonae aliqua in parentes labes redundet, aut religiosum eo quod suspicio relaxatae disciplinae contra ejus monasterium a confessario concipiatur. Cur ergo in causa non adeo dispari dispar feratur judicium et levis complicum diffamatio tanti aestimetur? 3) Integrae confessionis lex tantopere urget, ut poenitenti nunquam liceat propriae famae apud confessarium servandae causâ eam posthabere, sed ut, quantovis sui diffamationis timore spreto, debeat semper omnia peccata sua accusare. At lex servandi famam alienam tam gravis non est, ut non vincatur ab obligatione seu necessitate alioquin incurrendi infamiam propriam. Aliis verbis, potius possum famam alienam prodere, quam obligatus sim meam violare. Ergo ea causa (sc. integritas confessionis), quae me semper *obligabit* ad laedendam meam famam, causa *legitima* videtur spernendi illam aliqualem infamiam alienam. (Cf. Lugo disp. 16 l. c., Tambur. *meth. conf.* l. 2 c. 9 § 2.) 4) Quum antiquitus consuetudo fuerit atque per se obligatio confitendi apud parochum, parochus autem omnes suos subditos nosse consueverit: illis temporibus, si alia sententia vera esset, circa peccata manifestatu et curatu difficiliora lex integre confitendi fere semper cessasset. Num vero credi potest, Christum Dominum legem illam communem sic instituisse, ut practice tam frequenter evaderet illusoria?

537 Ex quibus omnibus id concludere debemus, confessario id integrum manere, ut, prout expedire sibi videatur, de circumstantiis * occasionibusque peccandi interroget; neque poenitentes edocendos esse, ut ejusmodi circumstantias supprimant, quae complicis famam apud confessarium laedant, sed, nisi secundum regulas supra datas alium confessarium adire possint, eos nihilominus ad integram confessionem apud notum confessarium faciendam esse urgendos.

Id vero alteri sententiae damus: Qui propter auctoritatem theologorum certe etiam probatorum illam defendentium ea uti velit pro sua confessione instituenda, si ipse sibi secundum eam dictamen conscientiae fecerit, incusari nequeat, neque adigi debeat, ut a sua sententia discedat.

Quapropter etiam confessarius, si excipit confessionem eorum, qui, in theologia versati, ei videantur secundum alteram illam sententiam procedere, et qui ipsi de suis obligationibus satis judicare possint, quasdam interrogationes facilius omittere potest, relictâ ejusmodi poenitentibus suas sententias sequendi licentiâ.

538 Quod de complicis fama servanda sive negligenda dictum est, pari fere ratione dicitur de fama eorum, qui poenitentis peccato ansam, occasionem dederunt: scil. si poenitens peccatum suum sufficienter declarare nequit secundum omnem specificam malitiam, nisi alienum peccatum utpote objectum, occasionem etc. sui peccati etiam manifestet; e. g., qui sororem suam ex peccato gravidam ita percussit, ut abortus

sequeretur, peccatum suum vix integre confiteri potest, nisi sororis peccatum simul indicet.

Quamquam aliqui etiam eorum, qui prae integritate confessionis famam complicis spernendam esse dicunt, in casu nunc allato idem concedere nolunt; tamen utrobique id faciendum esse, saltem probabile est. Cf. Gury n. 502, Lugo d. 16 n. 420 cum aliis.

Ab hac causa, in qua complicis peccatum indirecte manifestatur, 339
prout proprii peccati integra confessio id postulat, toto coelo distat nominis complicis inquisitio, ut complex corripiatur. Quod per se illicitum esse, et natura instituti sacramentalis tribunalis et positivae leges SS. Pontificum probant.

Hac de re Ben. XIV. plures Constitutiones edidit, quas Pius IX. in Constit. *„Apostolicae Sedis“* confirmavit.

Prima Constitutio Ben. XIV. *„Suprema“* edita est 7. Julii 1745 ad Episcopos ditionis Lusitaniae; secunda *„Ubi primum“* 2. Junii 1746; tertia *„Ad eradicandum“* 28. Sept. 1746 (cui accedit quarta Const. 9. Dec. 1749, quae solam Portugalliam videtur spectare).

Nimirum prima Constitutione ad Episcopos Lusitaniae directa, S. Pontifex designat et damnat crimen inquirendi nomen complicis; secunda Constitutione, ad eosdem Lusitaniae Episcopos directa, poenas in delinquentes statuit atque ordinem contra eos procedendi praescribit; tertia Constitutione Ben. XIV. duas priores ad universam Ecclesiam extendit.

Crimen in *prima* Constitutione sic describitur: „Pervenit ad aures nostras, nonnullos . . . confessarios falsa zeli imagine seduci se passos, sed a zelo secundum scientiam aberrantes, perversam quandam et perniciosam praxim in audiendis Christi fidelium confessionibus, et in saluberrimo poenitentiae sacramento administrando invehere atque inducere coepisse; ut videlicet, si forte in poenitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem poenitentibus socii hujusmodi seu complicis nomen passim exquirerent, atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conarentur, sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis denegatione, prorsus adigerent atque compellerent: imo, etiam complicis ejusdem nedum nomen, sed et habitationis insuper locum sibi exigerent designari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procurandae complicis correctionis aliorumque bonorum colligendorum specioso praetextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarunt: quum revera opiniones hujusmodi vel falsas et erroneas sequendo, *vel veras et sanas male applicando* perniciem tam suis, quam poenitentium animabus conciscerent; ac sese praeterea plurium gravium damnorum, quae inde facile consecutura fore praevidere debuerant, reos coram Deo aeterno judice constituerent. . . . Nec fieri potuit, quin ea de causa et oblocutiones et scandala, et non ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium et animorum ingens perturbatio in populo fideli exorta sint. . . .“

In *secunda* Constit. constituitur: 1) excommunicatio latae sententiae R. Pontifici reservata contra *quoscunque,* „qui ausi fuerint in posterum docere licitam esse hujusmodi praxim, prout in relato nostro Brevi (priore) exponitur et reprobatur; vel scribere aut loqui praesumpserint in ejus damnatae praxis defensionem; vel ea, quae in dicto Brevi contra eandem praxim decreta sunt, impugnare, aut in alienos sensus temere detorquere vel interpretari“.

2) Suspensio ab audiendis confessionibus *ferendae sent.,* aliaeque etiam graviores poenae et judicis ecclesiastici sententia contra eos, „qui conformiter ad praedictam reprobatam praxim poenitentes . . . *interrogare praesumant de nomine complicis* . . . vel adjunctis . . . expressiorem magisque individuam ejusdem complicis

manifestationem concernentibus, eidem poenitenti, si manifestare renuerit, *sacramentalem absolutionem denegando.*"

3) A sacro Officio procedi debere tum contra *docentes licitam esse illam* praxim, defendentes (etc. ut supra), et contra confessarios illam doctrinam pravam sequentes, si eorum agendi ratio talis sit, ut *suspecti reddantur de adhaesione ad pravam illam doctrinam.* Quare, exceptis poenitentibus in propria causa, omnes qui noverint aliquem deliquisse sive doctrina ista, sive praxi, quae suspicionem pravae doctrinae ingerat, jubentur infra mensem S. Officio delinquentem denuntiare (sub poena excommunicationis: quae saltem hodie sublata est).

340 Attamen, quamquam per se nomen complicis inquiri non licet, possunt ejusmodi esse adjuncta, in quibus id sane liceat atque adeo sub poena denegandae absolutionis complicis manifestatio exigi debeat. Nimirum si confessarius simul alio munere, ut *Superioris,* fungitur, propter quod poenitens obligetur, ad ipsum auctores et complices peccati communi bono contrarios corrigendi aut puniendi causa deferre. Quod si obtinet, confessarius non qua confessarius, sed qua Superior notitiam complicis sibi dandam jure exigit. — Imo in illo casu, in quo poenitens propter commune bonum denuntiationem complicis facere debet, confessarius quilibet per se exigere debet, non quidem ut sibi, sed ut Superiori denuntiatio fiat. Quare si poenitens ex justa causa mavult per confessarium denuntiationem facere, is sine dubio complicis nomen excipere potest; imo exigere, ut aut per se aut per alterum aut immediate denuntiatio fiat, etiam sub poena denegandae absolutionis pro re nata prorsus debet. Expedit vero, ut extra confessionem, quantum commode fieri possit, haec denuntiatio excipiatur; imo ut detur notitia sigillo sacramentali non clausa, exigendum est. Cf. Lugo disp. 16 n. 432 sq., Ball. not. ad Gury II. 502.

Ad ejusmodi circumstantias Ben. XIV. ipse referre videtur, quum damnatam praxim describens dicat: „opiniones falsas et erroneas sequendo, *vel veras et sanas male applicando,* perniciem tam suis, quam poenitentium animabus consciscunt".

NB. Num et quomodo in peccato reservato, quando legitimus confessarius desit, integritas objectiva non sit necessaria, v. sect. III. cap. I. art. IV. § 2 in fine *(de cas. reserv.).*

Articulus III.

De mediis ad integritatem confessionis procurandam necessariis.

Quoniam generatim peccatum grave nullum voluntarie tacere in confessione fas est, integritas vero subjectiva seu formalis, quantum per diligentiam *humanam* licet, objectivae integritati debet respondere, media ad id efficiendum necessaria adhiberi debent. Medium igitur per se et semper necessarium est conscientiae discussio; medium per accidens necessarium, i. e. post confessiones prius invalidas factas, est confessionum repetitio, vel etiam confessio generalis. De utroque medio agendum est.

§ 1.

De examine conscientiae confessioni praemittendo.

I. Requiritur per se sub gravi examen serium et diligens, ea 341
sc. diligentia, quam homines in gravi negotio impendere consueverunt; at non tanta diligentia, quae confessionem reddat odiosam et nimis molestam. Trid. sess. 14 cap. 5. Cf. Lugo disp. 16 n. 590—594.

II. Diligentia igitur necessaria diversa est pro diversis poenitentium conditionibus sc.

1) pro diversa conditione conscientiae et habituali vitae puritate,
2) pro temporis diuturnitate, quod ad confessionem instituendam percurrendum est,
3) pro diversa poenitentium instructione et ingenii acumine,
4) pro diversa corporis valetudine.

III. Qui gravem negligentiam in sui discussione committit, per se sacrilege et invalide confitetur: attamen ut hoc re ipsa committatur, poenitentem etiam subjective ad hunc gravem defectum a se commissum satis attendisse necesse est. De cetero confessarius non raro aliquem defectum examinis supplere potest eumque ab ipso suppleri expedit.

IV. Ut de defectu graviter leviterve culpabili commisso postea aliquod judicium feras, attende regulas quasdam practicas a Reuter, Mazzotta, Lacroix datas:

Reg. 1. Qui conscientiâ neque nimis strictâ, neque nimis laxâ utens post sui discussionem remorsum conscientiae clamantis seu „latrantis“ non sentit quasi de culpabili negligentia, potest quietus esse.

Reg. 2. In dubio de negligentia gravi aut levi commissa, qui post institutam confessionem reperit, se plura peccata mortalia omisisse quam dixisse, *gravis* negligentiae reus habendus est; si multo plura confessus est, quam omisit, non gravem negligentiam commisisse censendus est. Sporer n. 367 cum Nugno aliisque.

Reg. 3. Qui, ab una alterave hebdomada confessus, numero incerto et dubio accusat peccata externa palpabilia, e. g. ‚ter quaterve commisi fornicationem‘, gravem suspicionem ingerit de negligentia examinis graviter culpabili. Vide Reuter *theol. mor.* p. IV. n. 311, Mazz. disp. 1 Q. 2 cap. 1.

Explicatio. Nota igitur ad I. Lugo l. c. et alii recte dicunt: Etiamsi 342
post adhibitam moralem diligentiam putes, te, si plus temporis adhuc impendas, etiam plura peccata reperturum esse, propterea tamen male inferas, te teneri etiam ad plus temporis impendendum: secus enim, qui a multis annis confessus non sit, per dies et dies recogitando vitam suam non satisfaciat; quod absonum est dicere. — Imo Sporer l. c. n. 366 docet, eum, qui post diligentiam moralem confessionem instituat, postea vero non recordetur, utrum hoc illudve peccatum dixerit necne, non teneri ad ejus peccati confessionem, eo quod praesumere possit et debeat, se cum ceteris ea peccata vere confessum esse: si autem ex alia quadam ratione graviter dubitet et vere dubius haereat, utrum tale peccatum confessus sit annon, debere utique illud peccatum certo a se commissum postea confiteri.

Ad II. 1. Qui raro peccatum grave committit, leviore omnino examine contentus esse potest, maxime si consuevit quotidie conscientiam suam nonnihil excutere: gravia enim peccata, si quae commisit, tum facillime memoriae occurrent. Imo qui moraliter certus est, se ab ultima confessione graviter non peccasse, ad examen *severe* non tenetur, sed ad curam, ut *sufficientem* materiam clavibus subjiciat. — Ceterum etiam eum, ut exstirpet peccata leviora et *justum fructum* ex sacramento hauriat, nullatenus debere omni examini supersedere, evidens est.

343 2. Qui diu confessus non est, quamquam absolute diutius se examinare debet quam ille, qui a breviore tempore confessus est, tamen relative minus tempus impendere potest. Quis enim ferat, eum, qui ab anno confessus non sit, ad examen duodecies longius obligare, quam qui ante mensem confessus sit!

3. Homines rudes et parum instructi ad tantum examen non tenentur, quantum instructi et exculti. Quare si poenitens aliter bene instructus imparatus accedit ad confessionem, per se benigne remittendus est, ut, excussa conscientia, redeat: si vero homo rudis est, quando *nullam* quidem adhibuit diligentiam, idem faciendum est, attamen *alicujus diligentiae defectum* confessarius longe facilius supplebit. Nam homo rudis sibi relictus etiam diuturno tempore id perficere non potest, quod confessarius brevi tempore interrogationibus perfecturus est. Quare si confessarius videt, se interrogando eam integritatem confessionis attingere posse, ad quam poenitens sibi relictus diuturniore examine vix pertinget, tuto examinandi onus in se suscipere potest, et melius in se suscipiet, maxime si timendum est, ne poenitens ob dilatam confessionem perterritus redire non audeat.

Vide, quae hac de re habet Catech. Rom. part. 2 c. 5 n. 60: „Si sacerdos hujusmodi homines prorsus imparatos cognoverit, humanissimis verbis a se dimittet hortabiturque, ut ad cogitanda peccata aliquod spatium sumant, ac deinde revertantur. Quodsi forte affirmaverint, se in eam rem omne studium contulisse, quoniam sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi amplius non redeant, audiendi erunt, praesertim si emendandae vitae studium aliquod prae se ferant, adducique possint, ut negligentiam suam accusent, quam se alio tempore accurata meditatione compensaturos promittant."

Reuter l. c. n. 311: „Ceterum experientia docet, ut recte notarunt Vasquez et Lugo, apud rusticos aliosque rudes . . . . . prudentem confessarium aliquot interrogationibus plus proficere, quam illi sibi relicti longo examine, quamvis conentur omnia in memoriam revocare. Unde tales, si diligentiam *aliquam* adhibuerint, non facile sunt remittendi, ut se examinent, etsi aliquis defectus advertatur."

Sporer *theol. sacram.* (tom. III.) *de poenit.* n. 365: „Rudes et imperiti adhibere non possunt tam exactam sui discussionem, sicut docti et intelligentes: quamobrem confessarii examine juvare debent."

Segneri *il Confessore istruito* c. 2 monet, ne sine urgenti causa homines rudes remittantur, ut melius se examinent, quia ex una parte timendum sit, ne deterriti redire omittant, et ex altera parte confessarius suâ diligentiâ examinis defectum facilius supplere possit.

Cf. etiam Scavini t. 3 n. 456 (ed. 10).

4. Ii vero, qui gravi morbo decumbunt et prae virium defectu recogitare praeteritam vitam nequeunt, nedum ad examen diligens obligandi sint, ne ab ipso quidem confessario nisi valde moderate examinari debent;

postea, si Deus sanitatem restituerit, defectus majoris diligentiae supplendus est, aut si post absolutionem sine mentis conatu alia peccata memoriae occurrunt, illa utique accusanda et absolvenda sunt.

Ad III. Quo melius examen perficiatur, aliquem ordinem poeni- [344]
tens sibi praestituere debet, sc. ut secundum ordinem decalogi, praeceptorum Ecclesiae et peculiarium statûs obligationum perpendat, quaenam peccata commiserit, in mentem revocando singula tempora, maxime extraordinarios dies etc.

Reuter modum non sufficientis tantum, sed magnae omnino diligentiae exhibet: ut aliquis „recogitet, ubi quovis die fuerit, quaenam negotia gesserit, quid in iis circumstantiis cogitatione, interiore affectu, verbo, opere, vel omissione deliquerit; quomodo domi, in templo, in conversatione cum proximo se habuerit: neque necesse est, ut eadem vestigia relegendo iterum iterumque rimetur".

Sporer n. 365 ex Gobat n. 498 approbans affert compendiosam praxim examinandae conscientiae a longiore tempore v. g. aliquot mensium vel medii anni pro eo, qui vitam potius uniformem egit: „ut nimirum poenitens consideret tria tempora, 1) unum diem ferialem, quid in illo fecerit, 2) unum diem festum simili modo, 3) tempora extraordinaria itinerum, negotiorum, nuptiarum, conviviorum, occasionum etc."

Qui a brevi tempore tantum instituturus est examen, consideret cogitationes, verba, opera in ordine ad Deum, proximum, semetipsum.

Ceterum vide infra aliquam methodum, secundum quam confessarius in examinanda conscientia poenitentem juvare possit, praecipue eum, qui a longo tempore confessus non sit, aut generalem confessionem velit instituere.

§ 2.

De confessionum repetitione et de confessione generali.

Confessiones, in quibus defectus aliquis commissus est, aut sunt [345]
invalidae aut incompletae tantum. Si incompletae tantum erant, sed validae, compleri debent, non repeti; si vero invalidae fuerunt, repeti debent, at pro confessarii diversitate diverso modo.

I. Obligatio repetendi confessiones imponenda non est, nisi moraliter certo de earum nullitate constat; consilium vero dari potest secundum regulas de confessione generali n. III. et IV. notandas. S. Alph. n. 505 *„cum communi sent."*

II. Haec repetitio ex integro fieri debet, si instituitur apud diversum confessarium; si vero apud eundem fit, apud quem prius confessiones institutae erant, integritas quidem, si deerat, distincta accusatione complenda est, circa reliqua peccata autem sufficit, ut confessarius retinuerit aut nunc resumat confusam de statu poenitentis notitiam. S. Alph. n. 502.

III. Confessio igitur generalis, quae est vel omnium vel multarum confessionum repetitio, aut necessaria est, aut utilis tantum, aut nociva: si necessaria, praecipienda est; si utilis, aliquoties consulenda; prohibenda, si nociva est.

IV. Praecipienda est, si confessiones praeteritae moraliter certo nullae erant. Utilis et consulenda ex duplici causa esse potest: 1) si de nullitate confessionum non constat quidem, tamen grave dubium est propter frequentem relapsum similesque rationes; 2) si de valore quidem priorum confessionum prudenter dubitari nequit, attamen in specialibus adjunctis seu vitae conditionibus homo sese ad majorem fervorem in divino servitio disponere vult. — Nociva autem est apud eos poenitentes, qui, si recogitarent praeteritam vitam, aut periculum lapsûs sibi crearent, aut conscientiâ nimis strictâ in anxietates et perplexitates conjicerentur; quare tunc, *nisi omnino constat* de priorum confessionum nullitate, nulla repetitio permittenda est, si vero de nullitate certo constat, cum moderata cura et sub confessarii prudentis auxilio repetitio institui debet, et examen postea prorsus interdici.

346 V. In confessione generali non necessaria confessarius omnino leviore cura in interrogationibus contentus esse potest; imo etiam poenitentem monere expedit, *obligationem* omnia peccata accusandi non adesse, ne forte in decursu confessionis verecundiâ aliquâ captus ex falsa conscientia sacrilegium committat. Attamen si demum poenitens serio cupit generalem confessionem instituere, maxime si id accidit propter dubium priorum confessionum, a nimia brevitate aut quadam praecipitantia etiam abstinendum est: secus ipse poenitens non tranquillus, sed inquietus redditur, ut non semel observari licuit poenitentes post generalem confessionem peractam conquerentes, se non omnia dicere potuisse, quod confessarius nimis cito rem expedire voluisset.

VI. In modo vero ejusmodi confessionum excipiendarum id observandum videtur, ut, si poenitens *cupit,* ipse prius, quae in conscientia habet, dicat, dein confessarius interrogando suppleat; si vero poenitens libenter consentit, confessarius interrogando incipiat, postea vero paululum temporis poenitenti concedat, ut, quae fortasse reliqua sint, exponat.

347 **Explicatio.** Ad I. nota: Difficultas esse nequit, quando poenitens voluntarie peccatum reticuit, aut occasionem voluntariam nunquam dimisit inimicitiasve deponere nunquam paratus fuit, et in similibus causis: quia tunc certo constat, confessiones invalidas et sacrilegas fuisse. Sed difficile est aliquando judicare in causa frequentis relapsûs sine ulla occasione continuâ liberâ. Quodsi poenitens brevi post confessiones, prima data occasione, sine ulla resistentia saepius relapsus est, praesumi debent confessiones sine sufficienti dolore et proposito ideoque invalidae factae esse; si vero sincera aliqua resistentia confessionem sequi consueverat (cf. n. 492), de nullitate confessionum non constat, quare non imponenda, sed consulenda est earum iteratio, quando tandem poenitens majores vires et meliorem dolorem concepit.

Ad II. 1. Si quis tandem generalem confessionem instituere *vult*, distinctio inter confessarium eundem et diversum non tanti est facienda; sed solummodo, quando poenitens aut confessarius ad ea, quae absolute necessaria sunt, sese restringit. Nihilominus etiam in confessione generali necessaria confessarius ille, qui omnes priores confessiones poenitentis audivit, leviore cura contentus esse potest.

2. Illa confusa notitia, quae absolute sufficit, comparari potest sive ex poenitentia imposita, sive aliquot interrogationibus apud poenitentem factis. Haec autem sufficit, quatenus conjungitur cum priore notitia distincte data — ergo apud eundem confessarium — maxime quando ex illa priore notitiâ distinctâ poenitentia conveniens imposita atque persoluta est: quare tunc ad complendum judicium *restat*, ut 1) valide feratur sententia absolutionis, et ut 2) illa cognitio praevia ad eam ferendam necessaria, per quam poenitens absolutione dignus cognoscatur, a confessario concipi possit.

3. Si confessione facta absolutio poenitenti dilata erat, illo vero postea revertente confessarius peccatorum accusatorum immemor factus est: sine dubio etiam sufficit, confusam notitiam nunc resumi. Imo si poenitens dispositus jam antea erat, atque ex alia causa absolutio dilata est, sufficit absolute confessarium meminisse, poenitentem dignum esse atque poenitentiam convenientem esse impositam. (Semper supponitur, nullum aliud peccatum grave intercessisse inter tempus praesens et inter tempus peractae confessionis, alioquin id distincte accusari atque dolor cum aliis actibus renovari omnino debet.) Cf. Suarez et Lugo disp. 16 n. 636.

4. Cognata quaestio versatur circa eum casum, quando aliquis sacer- 348
doti qua amico peccata sua dixit, qualis requiratur in sacerdote illorum peccatorum praesens notitia et memoria, ut, accedente generali accusatione, poenitens absolvi possit. In quo Lacroix, S. Alph. aliique *distinctam* omnium peccatorum memoriam postulant, ex eo quod requiratur distincta confessio sacramentalis, haec autem ex generali accusatione poenitentis non oriatur, nisi pro illo tempore confessarius habeat *distinctam* eorum memoriam; Lugo l. c. contra ad communem praxim provocat, quo probet, sufficere, ut nunc *confusa* notitia eorum, quae antea amice dicta fuerunt, exsistat, eo quod ex illa confusa memoria cum notitia distincta antea habita videatur confessio sacramentalis conflari.

Haec quidem Lugonis opinio tunc omnino probabilis videtur esse, si sacerdos qua amicus narrationem peccatorum excipiens jam aliquatenus suspicabatur, se posse illum hominem, qui tum de confessione nihil cogitaret, ad confessionem sacramentalem perducere; nam tunc accusatio quidem sacramentalis intentionaliter non fuit, notitiae tamen peccatorum receptio coepit esse judicialis et sacramentalis ex parte sacerdotis, ideoque distincta notitia judicialis inchoative saltem data est: quod videtur prorsus sufficere, modo postea ex parte poenitentis consensus externe detur ad judicium perficiendum. Quodsi vero neque poenitens in illa narratione peccatorum praevia quidquam de sacramento poenitentiae dixit, nec sacerdos cogitavit, sententia S. Alph[1] videtur vera esse, quia tunc, nisi distincta

memoria in sacerdote perseverat, distincta *notitia judicialis* neque adest neque unquam aderat: at in solâ judiciali notitiâ sententia sacramentalis, necessario in singula peccata gravia ferenda, nititur.

349 Ad III. et IV. 1. Utilitates confessionis generalis succincte enumerat S. Ignatius de Loyola in libello *Exercitiorum spiritualium:* 1) multo plus commodi ac meriti accedit ob dolorem de peccatis vehementiorem; 2) longe manifestius natura et malitia peccatorum perpenditur et inspicitur; 3) multo melior fit dispositio ad SS. Eucharistiae sumptionem atque sic ad fugam peccati et ad gratiae receptae conservationem et augmentum.

2. Expedit igitur confessionem generalem instituere in praecipuis vitae epochis, ut: 1) in electione vel assumptione novi statûs: ante matrimonium, ante statum religiosum assumendum, ante sacerdotium; 2) in missionibus publicis vel spiritualibus exercitiis: in quibus ii, qui jam bonam confessionem generalem fecerunt, communiter solum ad partialem confessionem generalem, i. e. ab ultima incipiendam, admitti debent; 3) in morbo periculoso, vita ad finem vergente, si aegroto vires suppetunt.

3. Totius vitae confessionem generalem, saltem si in matura aetate facta fuit, raro admodum expedit repetere: attamen neque ita interdicenda est, ut ne ille quidem, qui sine ullo scrupulo et perturbatione ex singulari fervoris spiritualis augmento concepto perfectiorem denuo vitam sibi praestituerit, ad eam ullatenus admittatur; quamquam communiter potius declinanda quam admittenda est. Partiales vero confessiones generales a tempore ad tempus utiliter instituuntur, uti mos communis etiam est in diversis religiosis familiis.

350 Ad V. Antequam confessio generalis suscipiatur, plerumque inquiratur oportet de causa, cur poenitens eam instituere velit, ut cognoscatur, utrum confessio generalis necessaria sit, an libera.

Deinde inquiratur in conditionem poenitentis atque vitae statum, quo convenientius confessarius interrogando eum juvare possit. Animetur poenitens ad magnam sinceritatem, ne quid verecundia et pudore occupatus reticeat; quare ne unquam confessarius signum admirationis vel indignationis edat, quantumvis gravia fuerint peccata, sed potius ostendat se nullatenus mirari, se graviora audivisse, infirmitatem humanam extollat, ex qua mirandum potius sit, quod non plura etiam et graviora peccata fuerint commissa, imo laudet poenitentem, si quod peccatum gravius cum pudore et repugnantia tandem dixit, gratuletur de victoria ex se et diabolo reportata et iterum efficacibus verbis ad sinceritatem animet atque ad confessionem sic faciendam, ac si ultima totius vitae fuerit.

Si peccatum diu celatum erat, potest expedire, hoc peccatum primo loco exprimi atque de tota materia, in qua id versabatur, confessionem statim compleri: si vero nimia verecundia etiamnunc poenitens detinetur, confessio incipiatur secundum ordinem decalogi, ut postea poenitens, quando majores animos cepit, fidentius rem enarret: at tum imprimis saepe animandus et exhortandus est ad vincendum pudorem, atque cum multa benignitate tractandus.

Confessario plerumque minus grave erit, si ipse potest interrogationibus totam confessionem generalem perficere, idque si de hominibus rudioribus agitur, communiter etiam poenitentibus gratius erit. At ne sese hac in re poenitenti obtrudat; qui enim, conscientia discussa, peccata sic reperta fateri vult, postea tranquillus non erit, nisi secundum *suum* ordinem ea po-

tuerit exponere; tunc igitur interrogando solum suppleat. Sed etiamsi interrogando ipse confessionem quasi totam fecerit, ne unquam omittat poenitenti tempus concedere, ut possit, quae velit, addere.

Brevem methodum hîc exhibeo, multa tamen pro circumstantiis relinquo sup- 351
plenda[1]: multa etiam ex responsis acceptis a poenitente saepe evadent superflua. Interrogationes exhibeo tantum de speciebus, id supponens, de numero ubique etiam interrogandum esse, quoties sc. aut absolute, aut in mense, hebdomada, die. Incipio a sexto praecepto.

In juventute forte seductus (cta) es? — qua actate? tactus, an pejora? cum puellis an pueris? tecum ipso? (sequelaene aderant, vel: tibine satisfecisti, vel: pollutio? in feminis, nisi ipsae clarius rem exprimant, saepe sufficit: ‚valdene excitata eras'? cf. vol. I. n. 873.)

[NB. Postquam confessarius in genere cognoverit, usque ad impura facta perventum esse, interroget prius de actionibus, dein de sermonibus, tum de cogitationibus, et cogitationes et sermones resumens de desideriis.] Igitur: Postea acciderunt etiam pejora? Cum altero sexu? peccatum completum? evasitne praegnans? . . . (Si negatur: scisne, unde id acciderit? an erat tale peccatum, ut praegnans evadere posset? — alioqui de onanismo, vel abortu, sed caute.) Quoties alias *[cf. I. n. 242]* tactu peccasti (obscoenis? maxime si hoc negatur: vel ex prava intentione, vel cum voluptate? an sine prava intentione et superficietenus tantum in superiore corporis parte supra vestes?), amplexibus et osculis (cum mora et ardore, vel cum prava voluptate)? Cum eadem persona semper? etiam cum persona cognata, matrimonio (voto) obstricta? Estne in eadem domo tecum, an saepe visitasti? vis eam matrimonio tibi jungere? Acciderunt alia tecum, si solus eras? tactus an pejora? tunc etiam alia desideria? An aliud quid accidit? cum sodalibus pravis conversatus es? . . . (ut explicetur, si quid actum est cum eodem sexu.) Etiam postea de male gestis gavisus es eaque approbasti? Insuper obscoenis *aspectibus* peccasti?

Alias etiam inhoneste locutus es? *sermones* miscebas (de altero sexu?) an unum alterumve verbum tantum? idque *valde* obscoenum? sermones pravos ex prava libidine et intentione vel saltem cum scandalo praeviso, coram pluribus? an cum intentione seducendi, coram quot? (Si poenitens est matrimonio junctus: coram personis solutis? si negat: erantne valde obscoeni; vel ex prava intentione?)

Quoties alias pravas cogitationes fovisti voluntarie (cum pravis motibus vel libidine, de altero sexu? . . .) — Quoties inter sermones et cogitationes processisti ad desideria? cujus rei? in quasnam personas? cognatas, matrimonio junctas? . . .

(Si poenitens matrimonio junctus est:) Etiam post matrimonium aliquid accidit? . . . prava desideria in alienas personas? . . . in matrimonio christiano more vixisti? (contra finem matrimonii? sed non semper interrogandum); si uxor est: virone obsecundas? (debitum conjugale non negasti?)

An nunc omnia peccata contra sanctam puritatem dixisti? Cogita, num quid te remordeat. Fortasse non amplius poteris confessionem generalem denuo instituere.

I. *praec.* An contra fidem voluntarie dubitasti? dubia aliis communicasti? Aliter contra fidem egisti, locutus es? coram pluribus vel quot? eosve seduxisti? Contra religionem et sacerdotes locutus es? Aliorum sermones audivisti, approbasti, promovisti? Pravos libros et ephemerides (contra fidem, an mores?) emisti, legisti, aliis legenda dedisti vel permisisti?

An unquam desperasti de salute et divina misericordia? . . . Praesumens de divina misericordia peccasti, in peccatis perseverare proposuisti?

An superstitionem exercuisti? sortilegos adiisti? serio? (magnetismus? tabulae rotantes . . .) — Sacris rebus abusus es, vel irreverenter tractasti? Sacramenta indigne suscepisti? (. . . etiam extr. unctionem, matrim., confirm.)

---

[1] Si quis longiorem peccatorum catalogum desiderat, eum habet apud Lacroix l. 6 p. 2 n. 980—1140, Tambur. *meth. confess.* lib. 2 cap. 1—9 incl.

II. Blasphema verba protulisti? (etiam mente blasphema?) — maledicta in alios congessisti? verba sacra cum ira in Deum dixisti? Contra Deum divinasque ordinationes iratus vel non contentus fuisti? idque manifestasti? Falsone jurasti? aut cum dubio periculove pejerandi? (consuetudo?) in judicio, et cum alieno damno? — Fecistine aliquod votum, quod non impleveris?

III. Diebus dominicis et festis semper totum Sacrum audisti? In ecclesia scandalose non egisti? Sine necessitate serviles labores exercuisti? (diu? coram aliis? — Expendantur et explicentur causae excusantes.)

IV. Parentes suntne superstites? Graviterne eos offendisti? inobedientia vel frequenti vel in rebus gravibus? (contra eorum praeceptum familiaritatem cum altero sexu fovisti, periculosa consortia adiisti?) ex animo eos contempsisti? cum contemptu iis respondisti? ad gravem moerorem commovisti? injuriosis et asperis verbis eos allocutus es? iis maledixisti idque serio vel ipsis audientibus? . . . eorumne te puduit? curam eorum in necessitatibus habuisti? ultimam eorum voluntatem implevisti?

In famulatu hero fidelitatem servasti? non contemptim et asperis verbis eos gravi injuria affecisti, secreta non revelasti? famam apud vicinos non laesisti? An in rebus prohibitis obedivisti? In domo aliis, praesertim liberis, scandalo non fuisti? — (Similiter interroga de aliis Superioribus, num offensi fuerint, et quare.) — (Ipsos heros vel Superiores vero:) Curam famulorum egisti? malos famulos expulisti? — vel si forte sat gravis causa eos retinendi fuit, cohibuisti et innoxios reddidisti? nihil mali eis permisisti? eos ad officia religionis implenda induxisti?

(Parentes ipsi interrogandi:) filiis providisti? correxisti et punivisti, cum prudentia tamen et sine ira? pueros non una dormire permisisti cum puellis? Scivistine semper, ubi et cum quibus conversarentur? Eos in religione et oratione ad Deum et B. Mariam V. instituisti? ad scholas pravas non misisti? Adultis non permisisti familiaritatem periculosam cum diverso sexu? si matrimonium intendunt, num solum cum sola esse permisisti? Nunquam coram liberis liberius locutus es? in nulla re scandalo eis fuisti? Cum conjuge pacifice vixisti? etc. . . .

V. Nunquam ira te abripi sivisti? Maledicta protulisti? Mala optasti proximo? ex animo? gravia? De aliorum malis gavisus es? Invidiam fovisti? Malum intulisti? aut inferre inferrive voluisti? Rixa? Ebrietatem incurristi? plenam? in eo statu mala perpetrasti, aut facere *consuevisti?* officia tua et familiae curam propterea neglexisti? (Occasio, consuetudo!)

VII. Proximum in re nulla laesisti? in emendo et vendendo. (Damnum, furtum? Num restituisti? facere saltem proposueras? cur nondum? . . .)

VIII. In re gravi mentitus es, cum damno alieno? Aliis detraxisti (quod narraveras, eratne falsum an verum? ignotum an notum?) coram pluribus? Aliorum sermones diffamantes approbasti auscultando et promovisti? . . . Secutane sunt alia damna? (Restitutio famae etc., et causae excusantes.) Temeraria judicia gravia voluntarie fovisti? cum aliis communicasti?

Praecept. Ecclesiae. Jejunia ecclesiastica servasti? (Cur non? . . . edoceantur —) abstinentiam a cibis vetitis (carnes, carnes et pisces simul?). — (De Communione paschali et annua confessione fere aliunde constabit.)

Quaedam de vitiis capital. et peccatis alienis. Valde superbe cum aliis egisti? Pauperes dure et aspere repulisti? (Beati misericordes? . . .) Avarus divitiis inhiasti vel anxie possedisti? — De peccatis te jactasti? de quibus? — Aliis peccata suasisti? laudasti? mandasti? quum facile posses, non impedivisti?

Spectacula, choreae etc? Ornatus muliebris inhonestus? ex prava intentione, aliave industria alios pelliciendi? (Familiaritas cum periculo matrimonii mixti?)

Obligationes statûs? . . . Cogita paululum, num aliud quid habeas, quod conscientiam mordeat? Fortasse ultima confessio erit! Dein seria exhortatione et subjectis motivis poenitens ad contritionem peccatorum inducatur et propositum cavendi abhinc ab omni peccato saltem mortali.

Caput III.

Satisfactio.

Secundum doctrinam S. Scripturae et perpetuae Traditionis a 352
Trid. expositam (sess. 14 cap. 8) non semper cum culpa etiam universa poena condonatur, sed divina justitia cum misericordia conjungitur, quod et peccata post baptismum commissa dimittit, neque ad solvendum tantum, sed etiam ad ligandum, i. e. ad peccata etiam convenienti poena atque satisfactione castiganda, claves sacerdotibus concessae sunt.

Quapropter ut divinae justitiae divinique juris ratio habeatur, confessarii in sacramento poenitentiae poenitentias imponere, poenitentes illas acceptare et persolvere debent. Notissimae sunt graves illae poenitentiae canonicae, quae ex antiqua praxi a fidelibus lapsis, ut reconciliationis plenae participes evaderent, praestari debebant. Verum Ecclesia, quam etiam in ejusmodi praxi retinenda et mutanda a Spiritu Sancto duci negare non possumus, humanae infirmitatis rationem habet, et quo mitiores nunc poenas imponere consuevit, eo frequentius ad sacramentalem gratiam in sacramento poenitentiae accipiendam fideles invitat.

At non solum justitiae divinae consulitur, quando poenitentia sacramentalis imponitur, sed simul in ipsa illa satisfactione sacramentali in fidelium commodum misericordia exercetur. Poena enim temporalis, quae dimisso reatu culpae restat, aut in altera vita in purgatorio solvenda est, aut his in terris sive voluntaria castigatione sive tolerantia malorum a Deo immissorum sive operibus a sacerdote impositis est exstinguenda. Porro catholica doctrina, communi consensu theologorum proposita, est, opera in sacramentali confessione imposita *majorem vim satisfactivam* habere, quam eadem opera arbitrio ipsius poenitentis assumpta, quum virtute clavium sacramentalem effectum ex opere operato producant. Hinc est, quod satisfactio ipsius sacramenti pars dicitur, quae effectus sacramentales compleat atque integros reddat.

Summa doctrina circa obligationem confessarii poenitentiam imponendi, et obligationem poenitentium eam implendi hisce capitibus continetur:

I. Tenetur confessarius in qualibet confessione, si poenitens poenae 353
solvendae capax est, poenitentiam imponere aliquo modo gravitati et qualitati criminum proportionatam. V. Trid. sess. 14 l. c.

„Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem.“

II. Haec obligatio imponendi poenitentiam pro peccatis mortalibus nondum vi clavium remissis per se gravis est; atque ipsa illa poenitentia communiter res seu materia simpliciter gravis esse debet. S. Alph. n. 506, idque prorsus ex verbis Trid. citatis sequitur.

III. Pro peccatis venialibus vel qualibet materia confessionis libera obligatio quidem imponendi poenitentiam adest, at venialis tantum: ib.

IV. Pro peccatis venialibus seu materia libera confessarius, sive levem sive gravem poenitentiam injungit, eam *sub gravi* injungere *nequit:* pro peccatis gravibus vero, si materiam levem injungit, etiam *tantum potest sub levi* injungere, si gravem, ea *sub gravi* per se injuncta est, potest nihilominus, si id expresse manifestat, eam *sub levi* injungere — quod raro tamen expedit. S. Alph. n. 517 et 518.

354 V. Sunt autem complures causae, quae excusant, ne confessarius teneatur sive proportionatam, sive simpliciter gravem poenitentiam injungere: quae revocantur fere ad moralem quandam poenitentis impossibilitatem, aut ad ejus notabile bonum spirituale, quod ex mitiore poena injuncta oriatur.

VI. Poenitens tenetur ad implendam poenitentiam acceptam, ita ut graviter peccet, si culpabiliter notabilem poenitentiam ejusve notabilem partem sub gravi obligantem omittat, aut diuturna dilatione ejus impletioni grave dispendium inferat. S. Alph. l. c.

VII. Si vero ex rationabili causa poenitens poenitentiam sibi graviorem esse putat: vel confessarium antequam eam imposuerit, ut eam temperet, rogare potest, vel impositae et acceptatae, si postea difficultas implendi adesse videtur, commutationem impetrare a quolibet legitimo confessario potest. S. Alph. n. 516.

355 **Uberior explicatio.** Nota ad I.: 1. Obligatio illa imponendae poenitentiae ex multiplici causa oritur:

1) ut ordo divini juris divinaeque justitiae servetur,

2) ne poenitens sacramentali fructu satisfactionis privetur,

3) ut sacramentum integritatem suam et complementum habeat.

2. Distinguuntur — ut ipsa verba Trid. allata innuunt — poenitentiae vindicativae et medicinales; quarum determinatio ad confessarium, et ut judex et ut spiritualis medicus est, spectat. Sed ne falso ejusmodi munera distincta concipiantur, sciendum est, totam potestatem et auctoritatem imponendarum poenitentiarum, seu fidelium *obligandorum* in munere judicis esse sitam.

Sc.: Qua medicus confessarius intendere quidem debet animae vulnera curare, relapsus convenientibus remediis praecavere; sed, nisi de *necessariis* mediis agitur, ad medicam suam curationem subeundam poenitentes cogere nequit: si vero de necessariis remediis agitur, ad ea non tam obligat, quam obligationem jure naturali et divino exsistentem declarat atque manifestat.

Aliud vero est, si confessarium *qua judicem* spectamus: qua talis cum auctoritate *contra poenitentem* jus divinum servat atque vindicat, atque prorsus puniendi atque obligandi potestate potitur. Sed in *eligendis* seu *determinandis* operibus, quae tandem ut judex imponit, medici partes agere pot-

est, imo eum id agere expedit, ita ut prae aliis operibus ea injungat, quae simul remedia sint utilia ad curandas spirituales infirmitates hominemque contra relapsus melius praeservent.

3. Quamquam optimum est, ea opera eligere, quae pravae illi cupi- 356
ditati poenitentem ad peccata impellenti contraria sint: tamen saepe haec ratio valde imperfecte tantum considerari potest. Ceterum imponi possunt:

1) cujuslibet generis opera bona, non solum jejunia corporisque afflictationes et incommoda, sed etiam eleemosyna, orationes aliave spiritualia exercitia meditandi, pii libri legendi, examinis conscientiae instituendi etc. Nam in hac vita quaelibet pia opera humanae naturae sensuali aliquatenus gravia sunt eamque affligunt; imo ex communi doctrina certum est, quibuslibet bonis operibus, si modo aliae conditiones non desint, vim satisfactivam inesse. Ita ex S. Thom. III. suppl. q. 15 a. 3; S. Alph. n. 514.

2) Possunt etiam injungi opera *mere interna,* quia, quamvis aliqui dubitent de ejusmodi potestate relate ad auctoritatem *humanam,* hîc non humana, sed divina potestas exercetur: vide S. Alphons. cum communi sententia l. c.

3) Etiam opus pro defunctis offerendum injungi potest; nam etsi in eo casu satisfactio, quae operi, ut in se est, competit, in defunctos refundatur; tamen ipsa haec caritatis exercitatio opus bonum est, atque aptum, cui ex opere operato effectus *sacramentalis* poenam temporalem poenitentis diminuens adnectatur: cf. S. Alph. ib.; Scavini t. 3 n. 383; S. Thom., *Quodl.* 3 a. 28.

4) Imo etiam cessationem ab aliquo opere bono injungi absolute licebit, non quatenus est operis boni cessatio, sed obedientiae, humilitatis, propriae voluntatis abnegandae exercitatio. S. Alph. ib.: quamquam *raro expedit,* id tantum, aut id etiam injungere.

5) Opus aliunde debitum etiam pro sacramentali poenitentia injungi potest, ut contra paucos S. Alphons. n. 513 cum innumeris scriptoribus tenet, siquidem etiam ejusmodi opus ex natura sua satisfactorium esse potest, et majoris efficaciae satisfactivae ex opere operato recipiendae est capax. — Attamen, nisi id expresse declaratum est a confessario, opus impositum non sic intelligitur; neque expedit ejusmodi opera sola injungere, nisi gravis aliqua causa ex parte poenitentis exsistat. Quando vero opus ita impositum est, ejus culpabilis omissio duplex peccatum specie distinctum constituit.

6) Opus aliquod *sub conditione relapsûs* implendum *imponi posse,* cum Suarez, Laym., S. Alph. n. 524 etc. tenendum est, ita ut, verificata conditione, poenitens vere obligatus esse dici debeat: at hac *solâ* poenitentiâ impositâ confessarius muneri suo minime satisfacit. Ib.

7) Opus publicum pro peccatis occultis imponi nequit, et universim ea, quae poenitens implere nequeat, quin peccati gravis commissi suspicio in aliis excitetur, pro poenitentia injungi non possunt, siquidem quandam sigilli violationem continent. Cf. Rituale Rom.: „pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam poenitentiam non imponat". At quae poenitens pro sua conditione facile sua sponte assumere potest neque coram aliis agere cogitur, quamquam re ipsâ ea aliis videntibus aget, non habentur pro poenitentia publica; neque id ad confessarium spectat, si poenitens ipse haec et haec se pro poenitentia sacramentali facere aliis dicit. Si autem pro publicis peccatis publica quaedam reparatio necessaria est, ea

pro poenitentia sacramentali injungi potest; num vero expediat et quatenus, confessarii prudentiae relinquitur. S. Alph. n. 512.

8) Praeterea cavendum est, ne imponantur opera poenitenti nimis repugnantia aut ea, quae, ne omittantur, timendum est, v. g. ut pueri veniam petant a parentibus, ut in ecclesia coram aliis expansis brachiis orent etc. Confessarii imprudentia in ejusmodi poenitentiis potius elucet, atque multorum sacrilegiorum ansa esse potest, nisi maximus delectus poenitentium habeatur.

357 Ad II. et III. 1. Materia gravis secundum hodiernam disciplinam ea est, quae in legibus ecclesiasticis sub gravi obligare censetur: ita in precibus recitandis rosarium 5 decadum materia gravis est, pariter litaniae omnium Sanctorum cum precibus: levis vero censetur unus ex consuetis psalmis, litaniae Lauretanae, quinquies Pater et Ave[1].

2. Si multa peccata gravia commissa sunt, pro numero quidem peccatorum materia gravis multiplicari vix potest: attamen per se non sufficit imponere solummodo eam materiam, quae in limite gravis materiae est, nisi adsit aliqua ex causis excusantibus statim explicandis.

Ad IV. 1. De distinguenda obligatione gravi et levi, qua poenitens teneatur opus impositum persolvere, eadem valent fere, quae de *lege* ejusque obligatione dicta sunt, scil. materiam objective levem gravis obligationis capacem non esse; materia vero gravis, si ex gravi causa injungatur, per se gravem obligationem secum fert, potest tamen Superior imperfectam seu venialem tantum obligationem statuere: id, cui S. Alph. tamquam sententiae „communiori et valde probabili“ assentitur n. 518[2].

358 2. Quo magis compleatur doctrina de obligatione, qua poenitentia confitentem liget, considerari debet intentio, quae sit necessaria, et status gratiae, qui sit necessarius, ut poenitentia rite persolvatur. Quaeritur ergo primo *de intentione*. Negant alii, alii affirmant, requiri intentionem, qua poenitens opus praescriptum pro sacramentali poenitentia peragere velit. Priorum ratio est haec: De actione seu opere lege aliqua praecepto communis et certa sententia statuit, eum, qui opus praeceptum, etsi legis immemor vel inscius, imo cum expressa voluntate nunc pro sola devotione

---

[1] Perperam autem videtur ea precum recitatio pro materia gravi statui, quae recitationem privatam *„parvae horae* in officio divino“ adaequet. Quamquam enim haec in obligatione recitandi Breviarii gravis habetur, attendi debet, id non ex objecto solum in se spectato repeti, sed etiam ex eo, quod Breviarii recitatio sit actio hominis publice deputati eaque nomine Ecclesiae peragenda.

[2] Quod videlicet adversarii dicunt, confessarium in imponenda poenitentia agere in persona Christi, et propterea eum non posse aliter ac Christum et Deum praecipere, i. e. rem gravem sub gravi: prior thesis verissima est, posterior non plane consequitur. Recte quidem concludes, confessarium, qui sine gravi causa poenitentiam gravem pro gravibus peccatis sub levi praecipiat, peccare, quum sit contra institutionem sacramenti poenitentiae atque contra Christi intentionem. At valide videtur esse actum. Confessarius enim, etsi agit in persona Christi, tamen nullatenus agit, *nisi velit*. Ergo si graviter atque perfecto modo poenitentiam imponere noluit, eam neque sic imposuit. Num vero poenitentia ita sub levi imposita tantum poenae temporalis ex opere operato exstinguat, quantum eadem sub gravi praecepta, valde dubito: sicut enim *imperfecto modo* sacramento ejusque institutioni respondet, ita etiam *imperfectum* tantum influxum sacramentalis virtutis recipere videtur.

neque ex praecepto agendi posuerit, legem implevisse neque ad iterandum opus teneri. Quod Sanchez *in decal.* l. 1 c. 13 n. 17 absolute, Lugo d. 25 n. 34 „probabiliter" ad sacramentalem poenitentiam etiam applicat. Nihilominus aliorum sententia praeferenda videtur, secundum quam in ipsius subditi arbitrio est, opus pro poenitentia impositum *ut* sacramentalem poenitentiam exercere aut non. Ratio haec est: Sicut sacramentum suscipi nequit nisi *voluntarie,* ita illam sacramenti partem integralem ponere, videtur omnino a voluntate agentis pendere. Censetur ille quidem satisfacere, qui de sacramentali poenitentia non cogitans opus tamen injunctum perficiat, siquidem in habituali illa voluntate fuerit prius ea faciendi, quae ex obligatione facere debuit, quam quae ex mera devotione assumit (Lugo n. 38): qui vero expresse statuat, non pro poenitentia sacramentali, sed pro devotione libera opus illud facere, sacramentali poenitentiae satisfecisse non videtur. Mazzotta q. 5 c. 2, „Quaeres secundo" cum Vasquez aliisque plurimis.

3. Dein quaeritur *de statu gratiae.* De obligationibus legis generatim 359
quidem valet, non esse de praecepto, legem in statu gratiae implere: sed hic specialis ratio contraria moveri potest. Scilicet is, qui in peccatum relapsus neque cum Deo reconciliatus poenitentiam sacramentalem exercet, fructum sacramentalem, remissionem dico poenae temporalis, consequi nequit, sed sacramenti effectui secundario obicem ponit. Peccatne? Aliqui rigidius quidem pro peccato gravi id habent, vel potius dicunt, illud opus *non valere,* ut Tabiena; alii cum Lugo d. 25 n. 32 pro nullo peccato habent; alii tandem pro peccato veniali, ut cum Suarez d. 38 sect. 8 n. 7, Laym. l. c. cap. 15 n. 15, Bonac. l. c. q. 5 s. 3 p. 4 n. 15, S^{us} Alph. n. 523, eo quod obex quidem sacramentali effectui ponatur, sed effectui secundario tantum, qui remoto obice reviviscat.

Scil. opera quidem qua personalia, quae in statu peccati fiunt, vim satisfactivam nec habent, neque unquam recipient; at opus sacramentaliter injunctum, quatenus ex opere operato satisfactivum est, illum effectum, qui propter statum agentis suspensus erat, postea remoto obice producet.

4. *Modus* implendi idem est atque in implenda lege ecclesiastica: quare preces, quae ecclesiastico more alternatim dicuntur, etiam quando ex poenitentia persolvenda agitur, cum socio alternatim dici *possunt,* e. g. litaniae, rosarium, psalmi; non vero alia, quae hunc modum more ecclesiastico non admittunt. Gury II, 535.

Ad V. Causae a *proportionata* poenitentia imponenda excusantes 360
ad tres classes reduci possunt; quarum tamen ultima fere sola majoris momenti est.

1. Causae, ob quas liceat sine ulla poenitentia imposita absolvere, sunt: 1) urgens mortis periculum — quamquam si poenitens levissimum opus, e. g. invocationem nominis Jesu, praestare potest, talem levissimam actionem injungere expedit (S. Alph. *H. A.* n. 49); 2) quando poenitens perplexus vel scrupulosus brevi omnino temporis intervallo pluries novum peccatum ex oblivione omissum affert, atque simul aliqua causa exsistit absolutionem iterato concedendi: quod si accidit, sufficit tandem poenitentias *jam impositas* iterum injungere sine novo opere addito vel potius priora opera sic commutare, ut jam valeant tamquam sacramentalis poenitentia pro *omnibus* peccatis accusatis (Busenb., approbante S. Alph. l. 6 n. 513; Lugo d. 25 n. 50).

2. Causae, ob quas liceat pro culpis gravibus imponere poenitentiam non relative tantum, sed absolute levem:

1) causae priores paulo latius intellectae — S. Alph. dicit: „in *gravissima infirmitate*“;

2) vehementissima et extraordinaria contritio — quae tamen rarissime supponi vel deprehendi potest. — Eam *in se* esse rationem a gravi poenitentia excusantem, ex eo elucet, quia quo vehementior est contritio, eo magis etiam ipsa poena temporalis exstinguitur. Ceterum, qui ita contritus est, libentissime graviorem etiam poenitentiam sustinebit. Si igitur aliquando sancti viri, ut S. Franc. Xav., ita egerunt, ut levem omnino poenitentiam injungerent, id potissimum eo fine fecerunt, ut aut ipsi pro poenitente supplerent, aut ipsum poenitentem ad graviores poenitentias sponte suscipiendas incitarent;

3) gravissima infirmitas spiritualis, quando videt confessarius, poenitentem animum despondere atque vix adduci posse, ut gravem poenitentiam persolvat, de cetero tamen dolorem et propositum circa peccata sufficienter haberi. — At in hoc casu alterum remedium suppetit, quod vix non semper eligendum sit, nimirum ut, injuncto levi opere nondum aliunde debito, adjungantur aliqua opera jam aliunde debita simul tamquam sacramentalis satisfactio, v. g. Missa diebus Dominicis audienda et similia (S. Alph. l. 6 n. 513).

861 3. Causae, ob quas poenitentia quidem injungatur, quae in legibus ecclesiasticis pro gravi materia habetur, attamen *minor,* quam proportio multorum peccatorum mereatur. (Videlicet nisi causa excusans accedat, confessarius certe officio suo desit, si pro multis gravibusque criminibus solummodo unum alterumve rosarium recitandum injungat.) Cf. Reuter p. 4 n. 591:

1) magna, etsi non extraordinaria contritio;

2) occasio jubilaei vel indulgentiae plenariae (S. Alph. *H. A.* n. 49 et l. 6 n. 510): sc. antiquitus permulti scriptores docuerunt, propter indulgentiam plenariam propositam licere poenitentiam sacramentalem omittere; attamen Ben. XIV. in Const.: „Inter praeteritos“ § 65 contrarium omnino fieri jussit;

3) timor, ne poenitens, quamquam accepit, postea tamen omittat magnam poenitentiam ex spirituali infirmitate (S. Alph. n. 509, *H. A.* n. 50);

4) fundata spes minori poenitentiâ peccatorem ad frequentiorem usum sacramentorum cum majore fructu spirituali alliciendi: S. Alph. ib., Lugo disp. 25 n. 60 (imo haec una ex potissimis causis videtur esse, cur Ecclesia nostris temporibus ab antiquo rigore poenarum canonicarum recesserit);

5) voluntas confessarii per seipsum loco poenitentis satisfaciendi, ut illustria exempla habemus in S. Franc. Xav., qui cruentis flagellationibus luit crimina eorum, quorum confessiones exceperat. *Posse* enim vicaria satisfactione aliorum poenas lui, ex catholica doctrina de communione Sanctorum constat. Proscripta vero thesis est, „posse poenitentem *propria auctoritate* substituere sibi alium, qui loco ipsius

poenitentiam impleat“ (Alex. VII. prop. 15; v. S. Alph. n. 526); neque tota poenitentia alteri implenda committi debet, quia *sacramentalis* actio non videtur esse, nisi quod ab ipso poenitente praestetur et quod ipse *consentiendo* in vicariam satisfactionem bene agat: v. Reuter n. 404 ex doctrina S. Thom., S. Bonav. etc.;

6) spes peccatorem minore poenitentia ad id permovendi, ut voluntarias poenas majores de se ipse sumat.

Utile vero erit, poenitentes de insufficientia operis injuncti monere.

NB. Praestat, hîc subjungere effata quaedam sanctissimorum et prudentissimo- 362
rum virorum, qui in illo negotio tractandi poenitentes versati maxime erant.

S. Antonin. 3 p. tit. 17 s. 20: „Debet confessarius talem dare poenitentiam, quam credat verisimiliter poenitentem implere, ne ipsam violando deterius ei contingat. Quodsi magna peccata commisit et dicit se poenitere, sed non posse aliquam duram poenitentiam agere, animet eum ad hoc confessor, ostendendo gravitatem peccatorum et per consequens poenarum . . . ., tandem injungat ei poenitentiam, quam libenter suscipiat. Et si sacerdos non potest gaudere de omnimoda purgatione ejus, saltem gaudeat, quod liberatum a gehenna transmittit ad purgatorium. Itaque confessor nullo modo debet permittere peccatorem desperatum recedere a se, sed potius imponat ei unum ‚Pater noster‘ vel aliud leve, et quod alia bona, quae fecerit, et mala, quae toleraverit, sint ei in poenitentia, concordante S. Thoma. Hoc tamen sane intellige, vid. quia si alias ipsum poenitet, et paratum dicit se facere quod debet, sed onus poenitentiae dicit non posse sufferre, tunc propter hoc, quantumcunque deliquerit, non debet dimitti sine absolutione, ne desperet.“

S. Carol. Borromaeus in *Instruct. conf.:* „Talem imponat poenitentiam, qualem a poenitente praestari posse judicet. Proinde aliquando, si ita expedire viderit, illum interroget, an possit anve dubitet poenitentiam sibi injunctam peragere: alioquin eam mutabit aut minuet.“

S. Alph. ipse addit n. 510: „Quam imprudenter se gerunt confessarii, qui magnas imponunt poenitentias, quas praevident poenitentes non impleturos. O quam plures confessarii indocti inveniuntur, qui non dubitant absolvere eos, qui vel sunt in proxima occasione peccandi, vel recidivi indispositi, et insipienter putant, se ipsos curare graves eis imponendo poenitentias; ex quo fit, quod illi, etsi poenitentiam acceptent, ut absolutionem carpant, tamen post absolutionem obtentam, quia nullum eis remedium praescribitur, quo praeserventur, brevi misere relabuntur, poenitentiam non implent, et ab ejus gravitate deterriti, deinde a confessione abhorrent, et sic in peccatis diutius tabescunt. Ceterum hîc animadvertendum puto, quod extra casum gravissimae infirmitatis aut vehementissimae contritionis non bene ageret confessarius, si pro culpis mortalibus injungeret poenitentiam per se levem, quae levem inferat obligationem. Licet enim, si expedierit, imponatur opus, quod respective ad peccata sit leve, tamen *regulariter* semper est injungenda aliqua poenitentia gravis, quae gravem inducat obligationem.“

Ad VI. 1. Quae sit notabilis pars poenitentiae ejusve circumstantia- 363
rum, ita ut, si voluntarie omittatur, graviter peccetur, morali aestimatione secundum normam legis ecclesiasticae aestimandum est.

2. In dijudicanda *dilatione* poenitentiae videndum est, utrum tempus ad substantiam operis impositi pertineat necne; sc. 1) num confessarius diem fixum assignaverit eumque etiam *per se* intenderit — quod non semper fit, si dies assignatur — imo communiter etiamtum translatio in sequentem diem, ut jejunium feriâ sextâ indictum transferre in sabbatum, non est grave peccatum: S. Alph. n. 521; 2) num per certum tempus a confessione aliquid praestandum praescripserit, quod remedii causa statim

et continuo adhiberi voluerit: quod si factum est, omissio etiam unius alteriusve diei, si materia gravis est, grave peccatum constituere potest (nisi tamen pro uno alterove die confessarius alterius temporis substitutionem concesserit aut concessisse praesumendus sit); 3) utrum per ipsam dilationem opus ipsum notabiliter diminuatur necne, v. g. si quis pro poenitentia post hebdomadam ad sacramenta redire jussus ad mensem differat. (Communionem hebdomadariam differre uno alterove die, aut menstruam Communionem non ultra hebdomadam differre, communiter leve peccatum tantum censetur: S. Alph. ib., Mazz. q. 5 c. 2.)

Si nihil horum in dilatione poenitentiae apparet, longe etiam major dilatio sine peccato gravi fit. S. Alph° dilatio sex mensium certo gravis videtur; alii ad tempus etiam longinquius eam produci non plane negant, atque grave peccatum, quod committatur, praecipue repetunt ex gravi periculo poenitentiam oblivioni tradendi aut propter insequentem impossibilitatem fortasse omittendi: quod utique, si ad dimidium annum vel annum differatur, facile accidere poterit. Cf. Lugo disp. 25 n. 92, Sanchez *in decal.* l. 4 c. 10 n. 21, Elbel *de poenit.* n. 229.

364 3. Si poenitentia quotidie persolvenda pro longiore tempore imponitur, et interim accidit, ut idem opus ex lege ecclesiastica debeatur, confessarius non censetur bis eodem die opus illud postulare, nisi expresserit; contra si pro una alterave vice, aut etiam pluries, die non assignato, opus imposuit, omnino debet poni opus aliunde nondum debitum, nisi confessarius aliud expresse concesserit. Hinc:

1) Qui per mensem quotidie Missam audire debet, diebus Dominicis per se non debet bis Sacro interesse: Mazz. ib. c. 1, Gury II. n. 535, S. Alph. *H. A.* n. 57 etc.

2) Qui ter Missam audire debet pro poenitentia, non potest die Dominica — nisi confessarius id expressit — per illam Missam satisfacere, quae legi ecclesiasticae respondet; neque duas tresve Missas *eodem tempore* audire, siquidem id contra intentionem confessarii censetur esse.

3) Qui preces recitare debet, *potest* satisfacere intra Missam, cui ex lege ecclesiastica assistere debet, quia hae duae obligationes eodem tempore impleri possunt, nisi confessarius aliud declaravit: imo non raro expedit, poenitentem hac de re monere, scil. sibi licere intra Missam preces persolvere, saltem si illius conditionis poenitens est, ut pro longioribus precibus aliud tempus ipsi vix suppetat.

365 Ad VII. 1. Detrectare *rationabilem* poenitentiam poenitens non videtur posse sine peccato gravi. Nam si alicujus confessarii judicio sese semel subjecit, debet etiam illud judicium ita perficere, sicut per divinum jus perficiendum praescribitur: divini autem juris est, imponi a confessario, solvi a poenitente poenitentiam congruam. Cf. Elbel l. c. n. 227, Mazz. Q. 5 cap. 2 cum Suar. d. 38 s. 7, Bonac. l. c. sect. 3 p. 4 n. 1; Lugo d. 25 n. 68 id dicit: „verum et certum“, idque prorsus sequi ex Trid. s. 14 cap. 8.

Attamen aliud est detrectare, aliud rogare confessarium, ut mutet aut minuat; et ut ex supra dictis patet, communiter imprudentiae confessarii est, si nolit infirmitati poenitentis indulgere, modo alioqui dispositus sit.

2. Si autem poenitens *ex rationabili causa* poenitentiam sibi graviorem judicat, neque confessarius rogatus vult acquiescere, ut dimi-

nuat: poenitens sine peccato ejus judicium relinquere potest, ita ut *absolutionem non recipiat*, sed iterata confessione apud alterum sacerdotem hujus judicio sese subjiciat. Mazz. ib. Si vero causa quidem poenitentis adest, sed non ita rationabilis, facile veniale peccatum committit: Lugo l. c. n. 77; practice igitur vix mortaliter peccabit poenitens alioqui rite dispositus, qui ex infirmitate graviorem putans poenitentiam absolvi nolit, sed alterius confessarii (non tamen nimis indulgentis) tentare velit judicium. Lugo ib., Coninck disp. 10 n. 80.

3. Qui vero post absolutionem (ideoque post sinceram voluntatem poenitentiam injunctam implendi) opus illud reperit sibi gravius, commutationem accipere potest sive ab eodem confessario sive ab alio.

Quae commutatio fieri non potest nisi virtute absolutionis aut datae, aut postea dandae. Scil. sola absolutio sacramentalis ea actio est, per quam sacerdos effectum ex opere operato producere possit circa poenitentem; atque haec est, quae opus aut *impositum* aut tamquam judicii complementum adhuc *imponendum* ad virtutem satisfactivam ex opere operato elevat. Cf. Lugo *de poenitent.* disp. 25 n. 107—110, qui contrariam opinionem „omni specie probabilitatis carere“ merito dicit, et d. 15 n. 107: „Haec elevatio (scil. ad vim satisfactivam ex opere operato) fieri non potest a ministro, nisi proferat formam sacramenti.“ Hinc sequitur pro praxi:

Idem confessarius immediate post absolutionem, antequam poenitens 366
confessionale reliquit, commutationem certo facere potest vi praecedentis absolutionis, siquidem judicium moraliter adhuc perdurat. Aliqui auctores eandem facultatem extendunt ad unum alterumve diem vel ultra post peractam confessionem. Videtur tamen verior esse sententia S. Alph. n. 529 dub. 3, qui eam facultatem restringit ad tempus immediate post absolutionem: nam vere cum illo tempore judicium sacramentale absolutum et perfectum est, ita ut, quidquid postea instituitur, novum judicium incipiat atque ad novam absolutionem sacramentalem dirigi debeat. Nihilominus, si confessario et poenitenti altera opinio praeplacet, cui *externam* aliquam probabilitatem adstipulari non nego, secundum eam agi posse, non tantopere repugno, siquidem de sacramenti parte *non essentiali* agitur. Nam si de *essentia* sacramenti ageretur, operandi modus ex probabili, sed *dubia* sententia et sacramento et sacramentum suscipienti injuriam inferret: nunc vero neque sacramento injuria infertur, neque poenitens, utpote qui invitus non sit, ex periculo carendi effectu satisfactivo majore patitur injuriam.

Alius autem *confessarius* commutationem poenitentiae facere nequit, nisi vi absolutionis sive *nunc*, sive *postea* dandae. Attamen *praeteritae* confessionis repetitio propterea non exigitur; sufficit statum poenitentis in confuso cognovisse aut notitiam ipsius poenitentiae accepisse, ut commutatio in opus fere aequale fiat. Ita saltem S. Alph. n. 529 dub. 2 sentit, et — quod non abs re erit adnotare — addit ex Sporer et Tamb., confessarium posse, poenitente etiam non rogante, poenitentiam priorem mutare, si videat, poenitentem opus illud non implevisse et facile fore, ut etiam postea non impleat.

4. Si vero pro peccatis *reservatis* a legitimo Superiore poenitentia 367
imposita est, eam confessarius inferior mutare minime potest, ut recte S. Alph. l. c. cum plerisque scriptoribus tenet: nam *illius causae* ju-

dicium prorsus subtractum est inferiori judici. Excipe, si accessus ad Superiorem non pateat, gravisque causa commutationis faciendae adsit.

5. Si poenitens operis impositi oblitus fuerit, videndum est, num prudenter possit putare, confessarium illius adhuc memorem esse, neque difficile sit confessarium iterum adire. Quae si obtinent, debet poenitens confessarium denuo adire, ut cognoscat poenitentiam, nisi forte postea in sequenti confessione mavult priorem confessionem repetere et tunc se poenitentiae oblitum fuisse declarare. Verum per se ad repetendam confessionem non tenetur, atque ita, quum impossibile evaserit poenitentiam impleri, ab omni onere excusabitur, si confessarius difficulter tantum aditur, aut si ipse etiam operis impositi memor amplius non esse judicari debet. S. Alph. n. 520.

368 Pro appendice subnectam catalogum aliquem poenitentiarum, quae utiliter imponi possint. Expedit enim saepe delectum quendam eorum operum expedite mente retinere.

Jejunium (quamquam non frequenter expediet plenum jejunium imponere), vel aliquoties partem coenae vel jentaculi sibi subtrahere; abstinere a certo cibo, a vino et potu inebriante. — Aliae corporis macerationes difficilius etiam imponi, vel etiam permitti nonnisi cum magna prudentia possunt. — Expansis brachiis (privatim) aliquam orationem fundere (sed brevem, ne noceat sanitati); genibus flexis orare; mane statuto tempore statim surgere; abstinere ab inutilibus colloquiis, ludis etc.

Eleemosynam dare — invisere infirmos, hospitalia, pauperes; iis servire, humilia opera, etsi pauca, exercere.

Rosarium, litanias omnium Sanctorum, lauretanas recitare: — in honorem quinque Vulnerum 5 Pater et Ave recitare — Viam Crucis peragere (at aliquando parcendum est vano pudori) — mane et vespere SS. Cordi et B. Virgini sese commendare recitando pauca Pater vel Ave — conscientiam quotidie excutere et contritionem elicere per certum tempus, e. g. per semiquadrantem — ex libris piis aliquod caput legere (e. g. ex Thoma Kempensi . . .) — meditationem aliquam instituere (saltem attente legere et post quamlibet sententiam ruminari, ut de novissimis, de decalogo, de passione Domini, aliisve mysteriis vitae Christi) per semihoram, vel saltem quadrantem — actus fidei, spei et caritatis quotidie per aliquod tempus elicere — Missam devote audire — concioni interesse vel christianae doctrinae — statutis diebus ad sacramenta redire: quod si nequeat fieri, saltem die Dominica coram crucifixo sese praeparare, ac si accedatur ad Sacramenta, atque proposita bona coram crucifixo renovare cum imploratione divini auxilii (idque per spatium praescriptum, e. g. per horae quadrantem). — Mane et vespere quotidie renovare proposita in confessione concepta, neque superficie tenus, sed serio, atque in honorem modo SS. Cordis, modo B. Virginis, modo aliorum Sanctorum firmiter servare, implorando eorum adjutorium — ad pulsum horologii auditum per aliquod tempus oratiunculam jaculatoriam ex animo dicere (at simul indicetur poenitenti, si neglectum fuerit, postea simul toties dici posse oratiunculam, quoties omissa sit: quod etiam nota de aliis poenitentiis, quando tempus fixum fuerit).

Quae autem poenitentiae eligendae sint, pendet tum a conditione poenitentis, tum a peccatis commissis, quibus sint et poena et *medicina*. Quare convenit quidem, ut avaris et injustis eleemosyna et misericordiae opera, superbis humilitatis opus et propriae vilitatis consideratio, desidibus frequens oratio et exercitatio, luxuriosis et sensualibus mortificatio quaedam imponatur vel ad preces impositas adjungatur. Verum id etiam tene, ferventem et frequentem orationem contra quodlibet vitium esse remedium. Similiter frequens doloris et propositi renovatio, sacramentorum frequentatio contra quaelibet peccata hominem defendit. Insuper eleemosyna et misericordiae opera, teste S. Scriptura, Deum propitium reddunt, exstinguunt

poenae peccatis debitae reatum atque gratiam perseverandi facilius conciliant. Quare quo debiliores sunt poenitentes aut minus ferventes ad toleranda duriora, eo magis haec leviora illis commendari et imponi debent.

Ceterum confer, quae postea dicuntur sect. III. cap. III. art. II. § 2 de remediis contra relapsum n. 447 sqq.

Sectio III.

De ministro Sacramenti Poenitentiae.

In pertractandis actibus poenitentis, praecipue vero in tractanda 369
satisfactione, multa jam occurrerunt, quae ministrum ejusve munus concernerent, atque ea occasione data adnotavimus. Sed principale confessarii munus in iis consistit, quae absolutionem a peccatis spectant, atque ad eam rite et secundum Christi voluntatem digne exercendam diriguntur. Gravissimum sane et difficillimum ex sacerdotalibus officiis hîc aggredimur, et si qui theologi universim in theologia morali in nimium rigorem aut in nimiam laxitatem declinant, hîc propria sedes pravorum fructuum est, quos quaelibet a recta semita deviatio in spirituale detrimentum producit. Quare conandum maxime est, ut probatissimorum scriptorum vestigiis tantum inhaereamus eosque sequamur, qui et doctrina et sanctitate eminuere.

Singulis capitibus agemus de ministri potestate; de hujus potestatis et essentialis muneris exercitio; de obligationibus, quae muneris exercitium comitantur; de applicatione diversarum confessarii obligationum et munerum ad diversa poenitentium genera.

Caput I.

De potestate ministri Sacramenti Poenitentiae.

Praeter S. Alph. aliosque laudatos scriptores vide praecipue Laym. *de poenit.* tr. 6 c. 10 et 11; Craisson n. 1515—1560; Müller lib. III. § 136—147; Scavini *de poenit.* cap. 4.

Articulus I.

Notio de potestate ordinis, jurisdictionis, de approbatione.

I. Ad administrandum sacramentum poenitentiae duplex potestas requiritur, ordinis et jurisdictionis. Nam quia *judicium* est, propterea exerceri nequit, nisi *a judice:* sed quia *sacramentum* est, propterea nequit administrari, seu cum gratia conjungi, nisi ab eo, qui ex Christi institutione ut minister instrumentalis a Christo ipso assumitur ad gratiam supernaturalem hominibus communicandam. Porro id fieri non posse nisi a *sacerdote,* qui speciali ordinatione consecratus sit, S. Scriptura et constans Ecclesiae traditio docet. Quod hîc ex dogmate sumimus.

II. Potestas autem ordinis essentialiter innititur in charactere sacerdotali, et consistit in aptitudine, vi cujus ritus illi sacri a Christo instituti, si peraguntur, *valide* in nomine Christi (seu ut actus gratiae efficaces) peragi possint.

370 III. Ex eo, quod ritum hujus sacramenti Christus instituit ut judicium, in agente seu ministro praerequiritur conditio, ut sit judex, similiter sicut sacramentum matrimonii praerequirit in agente talem conditionem, vi cujus contractûs illius specialis capax sit: secus forma quasi externa, sub qua hoc sacramentum institutum est, deficeret.

Quare in ordinatione sacerdoti non tam datur potestas judicialiter remittendi peccata, quam potestas, qua, *si judex fuerit* et circa peccata judicare possit auctoritative, id jam facere possit *sacramentaliter,* i. e. potestas per gratiae infusionem peccata delendi.

Igitur potestas jurisdictionis aut praesupponitur, aut accedere debet, ut sacerdos in sacramento poenitentiae vere peccata remittat. Neque aliquorum opinio vera est, qui putent 1) aut *potestatem* absolvendi datam quidem esse omnibus sacerdotibus, at tamquam conditionem accedere debere jurisdictionem, ut potestas illa expedita sit, aut 2) potestatem illam per se quidem expeditam esse ad absolvenda peccata, sed ecclesiastica auctoritate ita ligari, ut nunc jam valide in actum transire nequeat. Nam in ordinatione per se nulla jurisdictio communicatur; jurisdictio autem sensu omnino proprio vera potestas est, imo sensu magis proprio quam ipsa ordinis potestas: ex sese enim dicit auctoritatem in alios, moralem potestatem [1].

IV. Christus scil. potestate theandrica judices constituit, qui suo loco ac nomine in causa peccatorum judicium visibiliter exercerent auctoritate quidem vicaria, at *ordinaria* cum ipso munere a Christo instituto conjuncta. Illi judices a Christo instituti sunt Apostoli eorumque successores, R. Pontifex cum Episcopis, qui tamen adjutores sibi assumere possunt.

---

[1] Jurisdictio latiore sensu sumitur pro publica auctoritate in toto ejus ambitu, ita ut regendi imperandique potestatem complectatur; pressius pro potestate secundum leges et statuta in particularibus causis, quid juris sit, decernendi, unicuique jus suum dicendi atque faciendi, in causis criminalibus reum poenae addicendi eumque liberandi: quae posterior notio plene atque perfecte potestati illi competit, quae in sacro tribunali exercetur.

At quaelibet jurisdictio pressiore sensu intellecta in legislativa potestate tamquam in fundamento et radice nititur. Quae si in ipso judice inest, supremum judicem in suo ordine independentem habeas, vid. supremum societatis caput: si vero ipse judex hac suprema potestate non potitur, ipse ejusque potestas ab altioris Superioris legislatione pendet ita, ut ordo ab illo institutus observari debeat: quare potestatem non independentem in dicendo jure exercet, sed aliquo modo *vicariam.* Ita in jure dicendo judex civilis sententias ferre consuevit „in nomine regis", idque sive supremi sive infimi tribunalis judex est; in sacro poenitentiae tribunali confessarius quilibet „in nomine Christi" sententiam fert idque expressis verbis enuntiat: „et ego auctoritate ipsius (Christi) etc." Id solum discriminis est in potestate sacri tribunalis, ut ordo quidem et subordinatio diversorum judicum servetur, ad ipsum tamen supremum judicem Christum visibiliter causa deferri nunquam possit, sed sisti debeat tandem in supremo visibili Christi *vicario,* Romano Pontifice, qui, quamquam *vicariam* exercet potestatem, maxime in hoc foro interno et sacramentali, tamen *supremam* tenet auctoritatem visibiliter inter homines exercendam.

V. Qui igitur ex publico munere ecclesiastico secundum divinum jus instituto subditos habent, quos regant et judicent, *ordinaria potestate* in sacro tribunali jurisdictionem exercent; alii potestate a proprie dictis Superioribus communicata seu *delegata*. Hi in exercitio potestatis et quoad liceitatem et quoad valorem plene ab ipsis Superioribus dependent.

VI. Quamquam ex natura rei quilibet, qui ordinariam potestatem 371
habeat, eam alteri communicare potest: nihilominus suprema auctoritate ecclesiastica, a qua tandem omnis jurisdictionis exercitium atque valor pendet, ita constitutum est, ut delegatam jurisdictionem in S. Poenitentiae tribunali exercere non possit (saltem quoad confessiones saecularium), qui *approbationem* ab Episcopo non acceperit [1]. Quo factum est, ut delegatio ab iis, qui Episcopo inferiores sunt, data seu danda fere inutilis evaserit. Imo consuetudo id induxit, ut cum „approbatione" plerumque simul jurisdictio detur et dari censeatur. Nihilominus pro aliquibus casibus utramque probe distinguamus oportet.

VII. Approbatio *in se* nihil aliud dicit, nisi testimonium auctoritativum, quo aliquis sacerdos declaretur *aptus*, qui jurisdictionem sacramentalem exercere possit. Aptitudo autem seu idoneitas tum a doctrina, tum a morum honestate sumitur. Quae aptitudo adesse debet vel prudenter existimari, ut *liceat* approbationem dare: at non ita ipsam approbationem afficit, ut, deficiente re ipsa aptitudine, approbatio nulla et invalida evadat, sed ita, ut retrahi *debeat*.

Articulus II.

De jurisdictione ordinaria.

I. Qui jurisdictione ordinaria potitur, potest subditorum suorum con- 372
fessiones ubique excipere eosque absolvere: haec enim jurisdictio cum munere seu officio conjungitur illudque sequitur, atque cum eo exspirat.

II. Jurisdictionem ordinariam habet Romanus Pontifex in universam Ecclesiam.

III. Juris divini est, ut Episcopi habeant jurisdictionem etiam interni fori in suos dioecesanos, cum subordinatione ad Romanum Pontificem: jure ecclesiastico Vicarii generales eadem potestate fruuntur, et sede vacante Vicarii capitulares.

IV. Ex jure ecclesiastico parochi ordinariam jurisdictionem in suos parochianos habent.

V. Eodem jure ecclesiastico alii ordinaria jurisdictione potiri possunt; re vera potiuntur Praelati regulares in suos subditos, Legati pro sua provincia; Cardinales vero pro sua ecclesia intra limites valde angustos.

---

[1] Trid. sess. 23 de ref. cap. 15 ita habet . . . „decernit sancta synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium (sc. obtineat), aut *ab Episcopis* per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias *idoneus judicetur*, et approbationem, quae gratis detur, obtineat, privilegiis et consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus."

Subditi vero intelliguntur ii, qui in dioecesi, parochia domicilium vel quasi-domicilium habent: cf. ea, quae de legibus dicta sunt circa subditos et peregrinos vol. I. n. 133—145.

Hinc Episcopi et parochi jurisdictio imprimis *localis* est, secundario personalis, scil. respicit *eos*, qui in certo loco habitationem fixerunt; jurisdictio Praelati regularium imprimis *personalis* est, et secundario tantum locum certis limitibus circumscriptum respicit.

373 **Uberior explicatio.** Nota ad I. Jurisdictio ordinaria scilicet sequitur ipsos subditos: neque Conc. Tridentinum, quod approbationem ex parte Episcopi tamquam necessariam conditionem adjecit, eos, qui „parochiale beneficium“ obtinuerunt, in ea lege relate ad subditos suos inclusit. Quare *parochus* suorum parochianorum confessiones, sive intra sive extra parochiam et dioecesim, semper excipere potest. Vicarius autem aliusve sacerdos auxiliaris illorum confessiones excipere nequit extra dioecesim, etsi pro tota dioecesi facultatem acceperit, nisi ab Episcopo ejus loci, in quo versantur poenitentes, approbationem obtinuerit. Cf. infra ea, quae de jurisdictione delegata atque approbatione dicentur.

Ad II. 1. Romanum Pontificem *ordinariam* jurisdictionem in omnes fideles habere, luce clarius est: aliter enim aut nullam, aut delegatam (ab Episcopis) habere dicendus esset — quorum utrumque absurdissimum est, quum ipse sit, a quo omnis jurisdictio in tota Ecclesia oriatur et dependeat. Ceterum Concil. Vatic. expresse declaravit, *hanc R. Pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis sit, esse ordinariam et immediatam, atque ad omnes fideles extendi:* sess. 4 cap. 3.

374 2. Desudant theologi in declaranda ratione, qua S. Pontifex ipse alicui potestatem communicet sese absolvendi. Lugo d. 15 sect. 2 fusius loquens de hac re dicit — id quod unice verum est — non repugnare, Summum Pontificem alteri delegatam jurisdictionem in se concedere. Quod eo minus repugnat, quia illa jurisdictio fori sacramentalis, etsi ab Ecclesiae pastoribus exerceri aut communicari debeat, nihilominus nomine Christi ipsius exercetur. Et vere Summum Pontificem, qua persona privata est, suae ipsius jurisdictioni, quam ut persona publica nomine Christi tenet, subjacere absonum non est; nam quamquam seipsum ligare, punire non potest, tamen seipsum alteri subjicere, sibimet favores et gratias applicare potest: secus R. Pontifex indulgentias lucrari non posset ullas. Huic sententiae calculum adjicit etiam Palmieri *de poenit.* th. 16 (p. 177).

375 Ad III. 1. Quamquam singuli Episcopi a Summo Pontifice jurisdictionem accipiunt, tamen juris divini est, ut sit Episcopatus, et ut Episcopi, qui creantur, certam jurisdictionem in suis ecclesiis habeant: ad quam praecipue jurisdictio interni et sacramentalis fori pertinet. Quare Episcopus, quamdiu in suo munere ejusque exercitio relinquitur, potestate suos subditos sacramentaliter absolvendi privari nequit: potest tamen haec potestas casuum reservatione a S. Pontifice restringi, potest etiam a Summo Pontifice Episcopus in poenam aliamve gravem ob causam a munere removeri aut exercitio ejus interdici et jurisdictione privari; quod re ipsa in censuris ecclesiasticis aliquando contingit.

2. Vicarii generales censentur *ordinariam* potestatem habere, sicut ipsi Episcopi, tamen ab ipsis omnino dependentem; unde praegnanter dicitur: Episcopi morte moritur Vicarius generalis. Sed qua Vicarius generalis nemo alias facultates habet nisi illas, quae Episcopo ex munere suo ordinario competunt; nam si quas ampliores vi privilegii a S. Pontifice Episcopus accepit, hae ad Vicarium generalem non transeunt, nisi prout S. Pontifex hanc communicationem permisit atque ipse Episcopus contulit [1]. — Sede vacante in Vicarium capitularem tota ordinaria potestas episcopalis transit, exceptis paucis causis, de quibus juris canonici est tractare.

3. Poenitentiarius cathedralis ecclesiae etiam *ordinariam* potestatem pro tota dioecesi habet, in qua Poenitentiaria in officium stabile erecta est: unde secundum Scav. t. 3 n. 540 ille omnes dioecesis suae subditos etiam extra dioecesim absolvere potest.

Ad IV. 1. Parochi, quum institutionis ecclesiasticae sint, tantam 376
habent facultatem, quantam eis ut Episcoporum adjutoribus Ecclesia voluit communicare. Sunt autem pro sua parochia ut *pastores proprii* instituti, qui in foro quidem externo solam ‚administrationem' habeant, in interno autem plenam jurisdictionem, cum subjectione tamen et restrictione non a S. Pontifice tantum, sed etiam ab Episcopo facta. Ut vero extraneos sacramentaliter absolvere possint adeoque extra parochiam in tota dioecesi non erga parochianos proprios, sed etiam erga alios fideles sacramentum poenitentiae administrare valeant, *delegatione* opus est aut expresse data, aut tacite vi consuetudinis concessa.

2. Quare qui, antequam parochiale beneficium acceperint, jurisdictionem et approbationem pro tota dioecesi *illimitate* habebant, hi sine ulla difficultate etiamnunc eam retinent, donec revocatio fiat.

Alias videndum est, quid consuetudo permittat. In Germania jam a pluribus saeculis ea consuetudo viget, vi cujus parochi censeantur pro tota dioecesi approbati, teste Gobat tract. 7 n. 45: cf. etiam Gury ed. Ratisb. not. ad n. 552.

Per se parochus „pro suo tantum oppido, ubi sita sit parochialis ecclesia, approbatus est", ut declaravit S. C. C.: v. S. Alph. n. 544 q. 2, Bouix *de parocho* p. 4 c. 4, Scavini t. 3 n. 540. Sed ipse Scavini l. c. addit: „Attamen hodie fere ubique vel consuetudine vel lege et parochi et coadjutores titulares, quoadusque hoc munere funguntur, pro tota dioecesi valent confessiones excipere."

3. Ex hac S. Congr. declaratione sequitur, parochi non solum juris- 377
dictionem, sed etiam approbationem *per se* non extendi ultra parochiam vel locum, ac proin omnem ejus facultatem ampliorem repetendam esse ex concessione Episcopi, in alienis dioecesibus ex concessione harum dioecesium Ordinarii, neque parochum loci posse parocho alieno (vel alienae dioecesis) facultatem audiendae confessionis dare [2].

[1] In exercitio jurisdictionis *externi* fori, etiam *ordinariae,* speciale mandatum Episcopi saepe requiri, vide apud Canonistas.

[2] Sed S. C. C. declaratio *legem* non condidit. Esto, jurisdictionem parochus non habet, nisi pro sua parochia suisque parochianis; sed si jurisdictionem delegare vult parochus, apud quem devertit, controversia est, num insuper episcopalis appro-

Ita autem aliquando accidit, ut in confiniis diversarum dioecesium confessarii, qui in una dioecesi approbati sunt, etiam in alterius dioecesis locum vicinum ad excipiendas confessiones advocari possint: quod si re ipsa fit sciente et tacente Episcopo, tacita, sed vera ejus approbatio adest.

4. Parochiae collatione parochus eo ipso quidem censetur aptus ad confessiones suorum excipiendas. Nihilominus Episcopo inest facultas aliquando de novo etiam parochos examinandi et de eorum aptitudine denuo recognoscendi: v. Ben. XIV. *notif.* 9 n. 16 apud Scavini t. 3 n. 538.

Scil. S. Congr. Conc. haec statuit: 1) Si agitur de parochis ab Episcopo *antecessore* institutis: successores posse, „superveniente *rationabili causa*, etiam ex officio, etiam extra visitationem, examinare parochos ad ecclesias parochiales approbatos"; etiam „parochos regulares" sic examinari posse: imo Rota Romana decrevit, sufficientem causam rationabilem esse „libitum et *solam conscientiae quietem* Episcopi". 2) Si agitur de parochis ab *eodem Episcopo* jam examinatis, S. Congr. voluit: a) „posse Episcopum examinare parochos et rectores semel approbatos ad curam animarum, quando adest *vehemens suspicio de illorum imperitia;* b) posse Episcopos ad hujusmodi examen procedere extra visitationem; c) ad dictum examen faciendum haud necesse esse, ut judiciales probationes imperitiae praecedant; d) eos vero, contra quos suspicio imperitiae non vigeat, ad examen revocari non posse." Ita 15. Jan. 1667 et 22. Sept. 1668: cf. Ben. XIV. *de synodo dioec.* l. 13 c. 9 n. 21.

878 Ad V. Quum Trid. Conc. solos eos, qui parochiale beneficium obtinuerint, ab ulteriore approbatione Episcopi exemerit, difficultas esse potest, quid sit dicendum de iis sacerdotibus, qui proprie parochiale beneficium non habeant, attamen quibus similis cura spiritualis erga certos fideles imposita sit. Quod si accidit, videri debet, quamnam facultatem S. Sedes cum hoc munere conjunxerit. Nam Apostolica Sedes, sicut decretum Trid. approbando sanxit, ita etiam exceptiones statuere potest.

Ita maxime quaeritur, quid capellani militares possint, num scil. militum confessiones etiam in *praesidiis* possint excipere, nulla habita ratione Episcopi loci. Non potest generalis regula statui. Nam si distinctus Episcopus militaris creatus est, aut aliquando etiam si solummodo super totum exercitum constitutus est Capellanus major, hisce facile amplissima facultas datur alios sacerdotes sive capellanos approbandi sine ullo Episcopi loci interventu; alias non item.

Vid. Acta S. Sedis vol. I. p. 681 et Scavini t. 3 n. 541, ubi reperies decreta:

1. „An capellani exercitûs sive regulares sive saeculares catholici possint administrare sacramentum poenitentiae *militibus in praesidiis* sine speciali facultate S. Sedis vel licentia et approbatione Ordinarii, in cujus dioecesi exstare contigerit." Responsum fuit: „*Negative*", 6. Martii 1694.

---

batio requiratur. Non pauci sunt qui negant, quum Trident. Conc. alterutrum tantum postulaverit, *aut* parochiale beneficium, *aut* approbationem specialem. Quare puto cum *Palm.-Ball.* tr. 10 s. 5 n. 557 sqq. non destitutam esse omni probabilitate opinionem illam, quae dicit: quamdiu Episcopus non positive contradixerit vel ademerit potestatem, posse parochum *parochis etiam alienae dioecesis* delegatam dare facultatem in sua parochia audiendi confessiones. Extra casum quidem necessitatis suadeo, ut de certiore jurisdictione sibi provideant, maxime quum universalis consuetudo pro mitiore illa praxi non jam vigeat. Cf. infra n. 388 sqq.

Idem 29. Jan. 1707 in *Frising.* Quare eorum facultas limitatur ad milites in itinere et castris.

2. Specialis autem facultatis a S. Sede datae exemplum habes in amplissima potestate, quae dabatur nostris temporibus Episcopo militari pro Borussia, ita ut maxima pars fidelium tempore belli Germano-Gallici subtracta videretur ipsorum dioecesanorum Episcoporum jurisdictioni. — Etiam Ben. XIV. Brevi *„Quoniam"* 28. Maji 1746 concessit ad septennium Capellano Regis Sardiniae ab ipso rege deputato „facultatem per se vel alios sacerdotes probos et idoneos in examine a se repertos et subdelegandos sacramentaliter absolvendi milites a quibusvis peccatis et censuris, necnon alias utriusque sexûs personas ad exercitus regios (comprehensis etiam copiis auxiliaribus) spectantes."

Articulus III.

De jurisdictione delegata et approbatione illi conjuncta.

§ 1.

De delegatione et approbatione ordinario modo facta.

I. Ante omnia notandum est, approbationem iis necessariam qui 379
ex *delegata jurisdictione* agunt, ut valide absolvere possint saeculares[1], esse approbationem *Episcopi dioecesani loci* illius, ubi confessiones instituantur, nisi speciale privilegium S. Sedis aliud permittat. Id habetur clare ex Const. Innoc. XII. 19. Apr. 1700 *„Cum sicut"* et Innoc. XIII. 23. Maji 1723 *„Apostolici ministerii"*, confirm. per Constitutionem Ben. XIV. *„Apostolica indulta"* 5. Aug. 1744: „Confessarii tam saeculares quam regulares, quicunque illi sint, . . . nullatenus confessiones hujusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii et Episcopi dioecesani loci, in quo ipsi poenitentes degunt et confessarios eligunt, vel ad excipiendas confessiones requirunt", et expresse declaratur, privilegia quaecunque sive Cruciatae, sive Jubilaei etc. sibi eligendi confessarium approbatum ab Ordinario intelligi omnino de approbatione Episcopi dioecesani loci, in quo confessio excipiatur.

II. Approbatio sicut plene et illimitate dari, ita etiam certis limitibus circumscribi, aut etiam revocari potest.

Circa jurisdictionem autem naturalis ordo ille est, ut inferior et delegatus judex potestatem a Superiore habeat idque per se a suo Superiore immediato, recipi vero *nequeat* potestas nisi in eos, qui vere subditi sint illi, qui potestatem alteri tribuat. Quare haec observanda sunt:

III. Confessarii saeculares accipiunt et approbationem et jurisdictionem aut a suo Episcopo (aut ab alieno, si in ejus dioecesi confessiones excipiunt) ad absolvendos eos, qui in illo loco subditi sunt.

IV. Confessarii regulares, si modo adsit *approbatio* ex parte Episcopi loci accepta, jurisdictionem ad audiendas confessiones saecularium accipiunt a S. Pontifice, mediis suis Superioribus, qui jurisdictionem ex parte S. Pontificis ipsis communicare debent. Ii vero in conferenda

[1] Quid in confessionibus regularium excipiendis requiratur, infra dicetur.

suis subditis jurisdictione non potestate propria agunt, sicut agunt Episcopi in deleganda sua jurisdictione, sed tamquam S. Pontificis commissarii. Quare quod ad *jurisdictionem* spectat, confessarii regulares quoslibet fideles saeculares absolvere possunt, accedente approbatione Episcopi loci.

V. Nihilominus, nisi pro aliquo ordine specialis lex a S. Pontifice lata obstet, confessarii regulares *possunt* cum approbatione etiam *jurisdictionem* ab Episcopo loci accipere sicut confessarii saeculares, eaque hodie fere semper intentio Episcoporum est, quando regulares pro excipiendis confessionibus approbant.

VI. Peregrini, i. e. qui extra dioecesim sui domicilii vel quasi-domicilii exsistunt, sine ulla difficultate absolvuntur a confessario regulari, quum subditi sint ejus, a quo confessarius regularis jurisdictionem delegatam habet, sc. R. Pontificis; ex consuetudine tamen a quolibet confessario etiam saeculari absolvuntur, quum Episcopus peregrini hanc potestatem cuilibet approbato confessario tacite concedat et rationabiliter concedere debeat.

VII. Vagi, quoniam certum territorium pro domicilio non habent, proprie solum S. Pontificem spiritualem Superiorem habent, et ex ejus sive expressa sive tacita delegatione absolvuntur ab omnibus confessariis approbatis in iis locis, ubi exsistunt; at neque ullibi ab alio, atque ab approbato confessario loci possunt absolvi.

Ad singula nonnulla notanda sunt:

380 Ad I. 1. Approbationem ut Episcopus concedat, jus habet exigendi examen. Quod tum ex Trid. loco supra cit., tum ex Constit. SS. Pontificum, ut *„Superna“* Clementis X., omnino liquet: attamen quum aliunde sufficiens notitia idoneitatis haberi possit, arbitrio Episcopi relinquitur, aliter approbationem concedere.

2. Constitutionibus allatis (Clem. X., Innoc. XII., Ben. XIV. etc.) sublata est controversia, quae post Trid. exarsit, a *quonam* Episcopo approbatio confessarii fieri debeat. Alii putabant, a Superiore confessarii, alii a Superiore poenitentis: imo relate ad regulares exemptos probabile prorsus videri poterat sufficere approbationem sine restrictione a quocunque tandem Episcopo acceptam, quum proprium Superiorem non haberent Episcopum ullum, idque eo magis, quod aliqua privilegia exsistebant a Clemente VII. et Sixto V. data, qui id expresse concesserant (v. Salm. *de privil.* cap. 4 punct. 2 n. 76), et Greg. XIII. facultatem fecerat „confessariis ab *aliquo* Ordinario semel approbatis et a suis Superioribus deputatis, ut quandocunque iter fecerint, quorumcunque Christi fidelium . . . confessiones audire — dummodo id non faciant in ipsis oppidis aut locis, in quibus Ordinarii exsistunt, nisi eorum licentia desuper obtenta — libere et licite valeant“.

At Innoc. XII. omnia privilegia et constitutiones suae bullae contraria plenissime abrogavit.

3. Episcopi possunt sibi eligere, etiam extra suam dioecesim, in confessarium quemlibet sacerdotem sibi subditum, eumque ubique secum du-

cere: at si non est eorum subditus (sive per domicilium sive per quasidomicilium, sicut habet ille, qui ab Episcopo ad famulatum conductus est), confessarius eorum esse nequit extra eorum territorium, nisi sit approbatus. (S. Alph. ex opinione Fagn. et Lugo dicit „approbatus ab Episcopo [domicilii] sacerdotis"; Scavini „ab Episcopo loci": quod ultimum pro norma haberi debet, siquidem, teste Ferraris, S. Congreg. jam anno 1609 dixit, Episcopum extra dioecesim non posse confiteri confessario nisi approbato ab Ordinario loci — intellige: nisi sit ipsius Episcopi confitentis subditus.) Cf. Mazotta *de poen.* disp. 2 q. 1 c. 3 § 4; Scavini t. 3 n. 421 (ed. 10); S. Alph. *de priv.* n. 65.

Cardinales, domestici R. Pontificis, Reges et Principes possunt sibi eligere aliquem ex approbatis confessariis, atque ab eo *ubique* absolvi: ib. Imo *Romae* et Cardinales et Episcopi possunt sibi totique familiae eligere quemlibet sacerdotem idoneum, atque eum etiam extra Romam secum educere et pro confessario retinere. S. Alph. ib.

4. Approbatio, quae ad validam confessionem requiritur, vere data (et confessario notificata) esse debet, non sufficit praesumpta. Quum enim *de valore* actûs, quem confessarius exercet, agatur, non est quaerendum, quam potestatem Superior ei *collaturus esset*, sed num et quaenam potestas *collata sit.* Quare si sacerdos literis datis petiit approbationem ejusve prorogationem, etsi ex iis, quae Episcopus agere consuevit, conjicere prorsus possit, approbationis concessionem esse expeditam[1], confessiones nullatenus excipere potest, antequam vere nuntium concessionis factae acceperit. — Viri fidelis pro nuntio missi relatio de facultate re ipsa data sufficit, si ex mandato Episcopi nuntium ferat.

Ad II. 1. Approbatio danda restringi potest ad locum, tempus, per- 381
sonas, idque, saltem si approbatio jurisdictionem includit, per se *pro arbitrio Episcopi,* eaque data revocari potest: siquidem omnis delegatio ad arbitrium delegantis et fit et perdurat. Imo etsi de sola approbatione presse sumpta sermo est, restrictio ad certum tempus, pro certis locis, certoque hominum genere (v. g. pro viris tantum) ex rationabili causa fieri potest, atque practice tandem Ordinarii judicio standum est.

2. Causae autem restringendi sive jurisdictionem sive approbationem rationabiles sunt: defectus plenae aptitudinis; timor, ne studium negligatur atque ita periculum errandi inducatur etc.

3. Jurisdictio et approbatio pro certo tempore concessa elapso tempore exspirat: alias revocatione finitur. Sed si illimitate concessa est, sola morte concedentis non exspirat[2], neque ex eo tantum, quod

[1] Putavi quidem, si sacerdos concessionis illius, quam exspectat, acceptationem apud se posuerit, jurisdictionem ad valide, non vero ad licite agendum adesse, quando literae concessionis Ordinarii non subscriptae solum, sed *expeditae* fuerint, ita ut retineri vel mutari amplius non possint nisi novo nuntio sacerdoti misso, aut quando Ordinarius concessionem dederit nuntio a sacerdote petente misso, etsi ille nondum redierit. Verum hoc nunc nimis dubium evasit, quum in re simili S. Off. d. 14. Aug. 1892, S. Pontifice approbante, decreverit, dispensandi ab impedimento matrimonii facultatem valide exerceri non posse, antequam documentum datae facultatis sit receptum, neque sufficere nuntium telegraphicum de data facultate, *nisi notitia telegraphica transmissa fuerit ex officio auctoritate S. Sedis:* cf. libellos per. pastor. Monaster. an. 1894 p. 186.

[2] Id etiam expresse habes ex bulla Innocentii XIII *„Apostolici ministerii"* 23. Maji 1723 et Bened. XIV. *„Apostolica indulta"* § 3 ed. 5. Aug. 1744.

delegatus mutavit domicilium; nam si aut iterum in dioecesim priorem revertitur, aut etiam per eam casu transit, nulla est ratio, cur non possit poenitentes absolvere. Quod hodie certum omnino esse debet quoad regulares alicubi sine limitatione approbatos [1].

832 Ad III. et IV. 1. Regulares, etsi jurisdictionem a Papa habent, confessiones tamen excipere nequeunt sine approbatione Episcopi, quam sine rationabili causa iis denegare non licet quidem, at ipsorum non est, de causa, cur Episcopus deneget, judicare, et utcunque tandem denegata approbatione, confessiones excipere nullatenus possunt. Cf. thesim 13. ab Alex. VII. proscriptam: „Satisfacit praecepto annuae confessionis, si confitetur regulari Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato."

2. Certis tamen limitibus Clem. X. potestatem Episcoporum in approbandis et rejiciendis regularibus circumscripsit. In Const. *„Superna"* dicit: 1) „illos religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopo generaliter quoque et indistincte absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum aut generis personarum in propria dioecesi admittendos: quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere."

2) „Semel autem simpliciter approbatos posse in dioecesi approbantis quovis anni tempore, etiam paschali, et quorumcunque, etiam infirmorum, confessiones audire absque ulla parochorum vel ipsius Episcopi licentia; de qua tamen confessione teneri dictos religiosos eorundem infirmorum parochum illico certiorem reddere . . . saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam": idque sub poena suspensionis a facultate audiendi confessiones ab Episcopo praecipi posse.

3) „Regulares vero ad ejusmodi confessiones audiendas praevio examine simpliciter et absque ulla temporis praefinitione ab ipsomet Episcopo (secus autem ab ejus Vicario, aut antecessoribus Episcopis) approbatos non

---

In genere quaelibet potestas delegata per mortem delegantis seu ejus muneris cessionem in sequentibus casibus *exspirat:* si data est *pro casu particulari* a) per rescriptum *gratiae faciendae,* b) jurisdictione odiosa seu coercitiva, causa nondum incepta; si data est *„ad arbitrium nostrum"*, putant multi, eam exspirare, sed S. C. Ep. et Reg. in resp. 19 Jun. 1866 supponit, *eam non exspirare* (Ball. — Palm. vol. 5 p. 289). Insuper *non exspirat:* a) si data est *„ad arbitrium Sedis"*, b) si data est per rescriptum *gratiae jam factae,* c) si causa quaecunque jam incepta est, d) si aliqua facultas in genere data est sine temporis restrictione.

[1] Antea majoris probabilitatis specie moveri poterat difficultas, quia probabiliter approbatio illius Episcopi exigebatur, qui erat aliquo modo confessarii Superior, sed Superior ejus non mansit, domicilio mutato. At quum hodie id falsum esse constet (v. supra Innoc. XII.), sed requiratur approbatio ejus Ordinarii, in cujus dioecesi confessiones excipiuntur, omnis difficultas evanuit relate ad eum confessarium, cui approbatio data est non ratione alicujus muneris, quod ut subditus approbantis Episcopi gessit — id quod jam Lugo d. 21 n. 44 probaverat. Si autem jurisdictio et approbatio simul collata erat propter munus, quod confessarius tamquam subditus in aliqua dioecesi gessit, non censetur abdicato munere perdurare. Quare sacerdos saecularis, qui munus capellani aliudve gessit, si in alteram dioecesim translatus est, in priore dioecesi non censetur facultatem excipiendi confessiones retinere, nisi aliunde de contraria mente Episcopi constet. Idem dicendum est de regulari, qui *a suo Superiore locali* facultates acceperat. Nam si transfertur in aliam domum, facultates prioris Superioris exspirant neque reviviscunt eo, quod revertatur.

posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quae ipsas confessiones concernat: de qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet, nec eam teneri Episcopum ipsis regularibus significare, sed Sedi Apostolicae dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit."

Quare regularis in toto hoc negotio Episcopi arbitrio obedire debet: quodsi putet, secum injuste agi, restat, ut ad Sedem Apostolicam appellet, interim vero acquiescat.

4) „. . . Quum praecipua ministri poenitentiae sacramenti qualitas sit vitae integritas ac morum honestas, utique *eam causam* ad confessionis ministerium pertinere . . .: attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventûs regularibus confessariis adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus posse."

Verum quidem est, Benedictum XIV. ut doctorem privatum in *Instit. 86* contendere, Episcopum *communiter* posse limitatam approbationem regularibus concedere. Attamen quum ne ipse quidem ut Pontifex Constitutionem Clementis X. mutaverit, sed in ipsis suis bullis eam pro norma allegat: si quid juris amplius contra regulares Episcopis alicubi competit, id ex legitima consuetudine, per modum praescriptionis in certis locis probanda, vim ducere debet. Quod in quibusdam locis ita factum esse videtur, ut Episcopus facilius possit approbationem regularibus dandam ad certum tempus restringere, minor tamen facultas ei sit, eos, quos idoneos quidem, sed non absolute idoneos repererit, ab *omni* approbatione excludendi.

3. Quare sequitur:

1) Limitatur approbatio quibuslibet religiosis juste omnino tum saltem, quando sine examine conceditur.

2) Ad examen regulares approbati vocari possunt: a) qui sine examine approbati fuerunt; b) qui post examen limitate tantum approbari poterant, saltem tempore approbationis elapso; c) qui non ab Episcopo, sed ab ejus vicario, aut antecessore, licet examinati, approbationem acceperunt, etiamsi ea fuit illimitata; d) si supervenerit causa ad confessiones spectans, etiam ii, qui ab ipso Episcopo post examen approbationem, etiam illimitatam, acceperunt.

Ad V. 1. Ab eo, utrum Episcopus sacerdoti regulari simul cum 333
approbatione jurisdictionem contulisset necne, valor aut nullitas confessionum dependeret, quas regularis ille forte, inscio vel contradicente Superiore, excepturus esset. De hac re habes responsa S. Congr. Epp. et Reg. 2. Martii 1866 (v. Acta S. Sed. vol. I. pag. 683).

„An religiosus non approbatus juxta leges proprii Ordinis a suo Superiore, vel ipso invito, cum sola facultate Ordinarii *valide* excipiat confessiones saecularium." R. „Affirmative". — Nam eum, *invito* Superiore, *illicite* agere, in comperto est.

2. Etiam in alio casu attendi debet collata ab Episcopo facultas, scil. quando ab Episcopo Superior regularis accepit potestatem suos subditos ex parte Episcopi ad confessiones deputandi, atque Superior

jurisdictionem ex parte Episcopi communicat. Quare videndum est, quam lato sensu intelligatur haec facultas communicata. Videlicet:

1) Si Episcopus *generalem* dedit facultatem, casus reservati non comprehenduntur, etsi non expresse eximuntur, secundum regul. Bonif. VIII. l. 5 tit. 10 cap. 2 in 6⁰.

2) Si Episcopus ampliorem facultatem concessit, v. g. pro „Missionariis", et Superior subdito suo etiam generali tantum modo facultatem pro Missione illa communicat, censetur *omnes facultates* ab Episcopo acceptas communicare, quia ut commissarius tantum Episcopi agere censetur, nisi contrarium dixerit.

3) Si Episcopus pro certo tantum fine facultates dederit, illae ulterius non extenduntur: aliud vero est, si certum aliquod opus *occasio* fuit facultates generaliter petendi et concedendi.

384 Ad VI. 1. Magna controversia exarsit inter Vindic. Alphons. et Ballerini, quo jure peregrini absolverentur, utrum vi potestatis, quam *eorum* Episcopus alieno confessario det, an vi potestatis sive a Summo Pontifice sive ab Episcopo ejus loci, in quo confessiones excipiantur, datae.

Neque enim prorsus idem est pro praxi, quomodo hanc quaestionem solvas. Si peregrini absolvuntur ex jurisdictione, quam *ipsorum* Episcopus dat: 1) idem Episcopus absolute potest prohibitione efficere, ne ab alieno confessario, saltem saeculari, valide absolvantur; 2) in absolutione casuum reservatorum — ut postea videbitur — diversa solutio pro diversa hujus quaestionis solutione danda est.

Porro 1) id pro principio inconcusso haberi debet, neminem posse absolvi nisi a suo Superiore ejusve delegato: — quare peregrinos *posse* absolvi vi potestatis a *suo* Episcopo alienis confessariis tacite datae, *nemo* in dubium vocare *potest;* manent enim, etsi peregre exsistunt, *suo* Episcopo subjecti.

2) Episcopum illius loci, in quo peregrini actu versentur, potestatem eos absolvendi *proprio munere* habere atque aliis communicare posse, videtur sine ulla solida ratione dici. Nam id nequit facere, nisi eorum *Superior* ex suo munere sit. Sed Superior eorum nequit esse, nisi sit *eorum Episcopus;* nam Superiores ecclesiasticos neque jus divinum neque ecclesiasticum novit, nisi Papam, Episcopos, Parochos et qui eorum locum tenent. At Episcopum loci esse peregrinorum verum Episcopum, nemo dixerit neque quisquam, nisi omnia permiscere velit, dicere potest. Dicere autem, Episcopum loci esse peregrinorum Superiorem *in foro interno*, nihil est: nam qui hoc dicit, sed simul fatetur, illum proprium peregrinorum Episcopum non esse, re ipsa nihil aliud dicit, nisi in foro interno aliquem, qui non sit vere Superior, judicium exercere posse; quod quomodo cum *divino jure* cohaereat, ipse viderit. Quare, qui nolunt dicere, peregrinos absolvi vi potestatis ab *ipsorum* Episcopis tacite datae, sed vi consuetudinis generalis Ecclesiae vim legis habentis (Gury *edit. prioribus*, Scavini, alii), aut volunt dicere, Ecclesiam, i. e. S. Pontificem, facere Episcopum loci etiam *Episcopum* peregrinorum, aut S. Pontificem delegare *suam* jurisdictionem omnibus confessariis. Sed quia prius illud sustineri nequit, dicere coguntur illud posterius, i. e.:

385 3) Summum Pontificem, sive expresso sive legali consensu in universalem consuetudinem dato, tribuere omnibus confessariis approbatis juris-

dictionem delegatam peregrinos absolvendi. Posse alicui hanc opinionem videri probabilem, praecipue propter auctoritatem S. Alph. l. 6 n. 588 dicentis „peregrini, stante hodierna consuetudine, nempe quod absolvuntur ubique a quocunque confessario approbato, hodie non amplius absolvuntur ex voluntate *suorum* Episcoporum, sed ex voluntate *Ecclesiae,* quae talem approbando consuetudinem tribuit facultatem", non nego[1]: attamen res ipsa non est certa. Nam talis consuetudo nihil amplius probare videtur, nisi *Episcopos ipsos* tacite consuevisse consentire, non vero eos *debere in omni casu* consentire, vel etiam ipsis subtractam esse potestatem in suos, quum primum hi peregre exstiterint; neque ostenditur, S. Pontificem ita consentire in hanc consuetudinem, ut naturalem ordinem intercipiat, secundum quem omnis facultas agendi, quantum fieri possit, ab *immediato* Superiore, non vero a mediato et supremo Superiore proxime confertur.

Nihilominus Romanum Pontificem *posse,* si velit, etiam quoslibet saeculares confessarios potestate peregrinos absolvendi donare, dubium non est: atque relate ad *vagos* eum id fecisse re ipsa, etiam certum est. Immo si quis Episcopus suos subditos *sine speciali aliqua causa* prohibere vellet, ne peregre exsistentes absolverentur a confessariis locorum approbatis: id S. Sedes nostra aetate certo corrigeret, sicuti noluit, ut fideles prohiberentur a confessione apud confessarium *alieni ritus* (cf. *Collect. S. C. de Prop. F.* ed. a. 1893 n. 929. 930). Quodsi Episcopus ex justa causa nolit *omnibus* confessariis potestatem facere, debet saltem, nisi regulares confessarii numero sufficientes adsint, *aliquos* assignare, apud quos ubique, qui peregre exsistant, confiteri possint. Aliter enim tam fere male ageret, ac si intra suam dioecesim in certa aliqua et ampla regione nullum vellet constituere confessarium, a quo fideles sacramentaliter absolverentur.

2. Navigantes in periculo a quolibet sacerdote absolvi posse, certum 336
est ex iis, quae infra dicentur. Alias vero ut absolvi possint, sacerdotem a certo quodam Episcopo jurisdictionem vel approbationem accepisse necesse est. Ex consuetudine et communi praxi sufficiebat, accepisse approbationem ab Episcopo ejus loci, ex quo navigatio suscipitur, eaque pro toto tempore navigationis valet. Gury n. 555, Scavini t. 3 n. 544 etc. — Id ipsum S. Officium, approbante Pio IX., d. d. 17. Martii 1869, respondit ad *Ep. Nannatensem:* „Posse sacerdotes iter arripientes ab Ordinariis locorum, unde naves solvunt, adprobari, ita ut, itinere perdurante, fidelium secum navigantium confessiones valide ac licite excipere valeant, usquedum perveniunt ad locum, ubi alius Superior ecclesiasticus jurisdictione pollens constitutus sit." (Nouv. Rev. théol. XVII, 601.)

At haec regula plerumque non satis clara et certa erat atque multas creabat difficultates. Sufficiens utique erat pro casu, quando navis ex uno portu solvit et cursu non interrupto iter usque ad alterum portum, qui sit itineris terminus, perficit. At non ita fit. Saepe enim naves in certis sta-

---

[1] Quare secundum ea, quae postea dicenda sunt, ille, a quo haec opinio probabilis et fundata putetur, non videtur peccare, si secundum eam agat, etiam tum, quando ex alia sententia absolvere non possit; neque tunc practice invalidam absolutionem dabit, eo quod saltem propter coloratum titulum Ecclesia supplebit. Cf. hanc quaestionem in *foliis period. Oenipont.* anni 1881 vol. V. pag. 353 sqq. a P. Noldin erudite tractatam.

tionibus ad litus appellunt, multos, qui in navi erant, ibi relinquunt, alios itinerantes assumunt, ita forte, ut maxima pars hominum prorsus mutetur. Quaerebatur igitur: 1) utrum sacerdos, qui ab initio navim conscenderat, omnes etiam advenas absolvere posset vi primae suae approbationis; 2) utrum possent etiam ii sacerdotes, qui in aliqua intermedia statione navim ascendant, si ab hujus loci Episcopo approbati fuerint, omnes navis incolas absolvere.

Omnes hac in re dubitationes sustulit decretum S. Officii d. d. 4. Aprilis 1900, quod ex integro communicaturus sum ex libellis, qui inscribuntur *Analecta ecclesiastica* vol. VIII. pag. 287:

„In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita fer. IV. die 4. Aprilis 1900, quum disceptatum fuisset super facultate sacerdotum iter transmarinum facientium excipiendi fidelium ejusdem itineris comitum sacramentales confessiones, E^mi ac R^mi DD. Cardinales in universa christiana republica Inquisitores Generales, ad omnem in posterum hac super re dubitandi rationem atque anxietatibus occasionem removendam, decreverunt ac declararunt: Sacerdotes quoscumque transmarinum iter arripientes, dummodo a proprio Ordinario confessiones excipiendi facultatem habeant, posse in navi toto itinere durante fidelium secum navigantium confessiones excipere, quamvis forte inter ipsum iter transeundum vel etiam aliquamdiu consistendum sit diversis in locis diversorum Ordinariorum jurisdictioni subjectis.

Hanc autem E^morum Patrum resolutionem SS^mus D. N. Leo div. prov. PP. XIII., per facultates E^mo D. Cardinali S. Officii secretario impertitas, benigne adprobare et confirmare dignatus est.“

§ 2.

De delegatione, quae fit extraordinarie et per accidens.

387 **Praenotanda.** Modus delegatae potestatis, quem hîc considerandum suscipimus, ille est, qui potestatem absolvendi dat *supplente Ecclesia*[1]. Supplet autem Ecclesia aliquando in certo defectu potestatis, aliquando in dubia jurisdictione. Praeterea non idem est, Ecclesiam supplere, et sacerdotem licite absolvere innixum in Ecclesiae suppletione. Quas quaestiones ut rite solvamus, prius exponendum est:

1) quid hoc sit, Ecclesiam supplere;

2) quid discriminis sit inter dubiam et probabilem jurisdictionem.

Ad 1^am quaestionem: *quid hoc sit, Ecclesiam supplere,* verbis Lessii respondeo (*de justitia et jure* l. 2 cap. 29 n. 65 et 68): Si dicitur Ecclesia seu supremus judex (R. Pontif.) supplere, „jus ipsum confert jurisdictionem extraordinarie ad singulos actus“, et: „Ecclesia jurisdictionem extraordinarie propter bonum commune *in ipso actu* suppeditat.“

---

[1] Cf. hac de re *fol. period. Oenipont.* (anni 1882) vol. VI. p. 659 sqq.

Hoc igitur discrimen est inter jurisdictionem, quae vere jam habetur, et eam, quae exercetur supplente Ecclesia: 1) Ille, qui habet jam jurisdictionem, *ante actionem* (confessionem aliamve causam) *susceptam* facultate valide agendi pollet, idque plurimum habitualiter. 2) Ille vero, qui tantum supplente Ecclesia absolvit aut aliud agit, in singulis actibus *consequenter ad causam susceptam* vel confessionem inchoatam, *ut eam perficiat,* ab Ecclesia potestate donatur, sed finitâ causâ illico potestate iterum destituitur. Quando ergo ante actionem susceptam *probabiliter* jurisdictio jam habetur, Ecclesia, *si* supplet, *hypothetice tantum* supplere debet, sc. si illa jurisdictio, quae *putatur* adesse, revera nulla est; in hac enim sola hypothesi potestate ab Ecclesia supplente collatâ opus est, ut actus jurisdictionis validus fiat.

Ad 2dam quaestionem: *quid discrimînis sit inter dubiam et probabilem jurisdictionem,* haec dicenda sunt:

Probabilis jurisdictio communi usu ad solam probabilitatem *juris* re- 338
stringitur; *dubiam* autem vocamus eam, cujus incertitudo in dubio vel probabili aliquo *facto* nitatur.

Et revera, utut alii loquuntur, nos hoc solo sensu de jurisdictione probabili et dubia loquemur, idque ea potissimum ratione, ut indicetur discrimen valoris. Nam in dubio facti semper, etiam consequenter ad actionem (puta confessionem) inceptam, facultas et actionis valor *dubia manent;* in juris vero probabilitate — ut statim dicemus — post susceptam actionem ejus valor moraliter certus evadit. Ita etiam S. Alph. — id quod attente legenti patebit — omnino diversimode de dubia jurisdictione (lib. 6 n. 571) et de probabili jurisdictione ejusque usu (l. 6 n. 573) loquitur, ut prorsus in sensu a nobis indicato rem intellexisse videatur.

Igitur *probabilis* jurisdictio (i. e. probabilitate juris) adest, quando antecedenter ad confessionem aliamve causam susceptam jurisdictio secundum juris interpretationem non certam quidem, tamen vere probabilem, habetur: id quod praecipue in dubia extensione aut revocatione jurisdictionis contingere potest. In ejusmodi autem *probabili* jurisdictione secundum S. Alph. l. 6 n. 573 moraliter certo Ecclesia *dat* jurisdictionem pro hypothesi, si revera antecedenter desit. Hanc enim ut communissimam doctrinam S. Doctor proponit, eamque illa potissimum ratione confirmat, quod diuturnam consuetudinem cum tali jurisdictione absolvendi Ecclesia, i. e. supremus ejus pastor, silentio toleravit, atque ita consensum suum satis declaravit et declarat, atque tacito illo consensu jurisdictionem, si forte desit, vere confert[1].

At de jurisdictione, quam vocamus *dubiam* (in dubio facti), nequaquam idem judicium ferri, invenias ab auctoribus quam plurimis aut expresse dictum aut indubie suppositum, ut Lacroix l. 6 p. 1 n. 110 sqq., Less. *de jure et just.* l. 2 cap. 28 n. 67 et 68, Reuter *theol. moral.* p. IV. n. 53, S. Alph. l. 6 n. 432 II. Videlicet, Ecclesiam etiam tunc supplere,

---

[1] Praeter hanc rationem alia non spernenda affertur a Lacroix et aliis. Vid. si forte desit jurisdictio, eam saltem haberi propter errorem communem cum titulo colorato. Nam in *probabilitate juris:* 1) error *si* est, certe *communis* est, siquidem ne docti quidem viri eum detegere possunt; 2) titulus adest, sc. ipsa illa concessio, in cujus probabili interpretatione opinio, quae affirmat jurisdictionis exsistentiam, nititur, qui aut *verus* titulus est, aut saltem *coloratus.* Aliae autem rationes, quas a nonnullis scriptoribus allatas reperias, infirmae sunt aut evaserunt.

ex ea solum ratione multi opinantur, quod in solo errore communi, etiam sine titulo colorato, Ecclesia suppleat: id quod probabile quidem est, at non certum, quum et moralistarum et canonistarum ingens numerus id fieri neget: v. Alph. l. c. n. 572 et Gury *edit. Rat.* II. ad n. 548. Quare haec dubia jurisdictio et actionis susceptae *valor* etiam consequenter dubia manent.

389 His expositis jam intelligentur, quae de *valore* et quae de *liceitate* absolutionis ex potestate ab Ecclesia supplente valeant.

I. Quandonam Ecclesia defectum jurisdictionis *supplet,* ita ut valida sit absolutio?

Ut Ecclesia suppleat, contingere potest non in sola dubia vel probabili jurisdictione, sed etiam, ut antea jam insinuavi, quando jurisdictio antecedenter certo deest. Accuratius haec:

1. *Certum defectum* jurisdictionis a) Ecclesia *certo supplet,* si, qui exercet potestatem, suae potestatis *titulum coloratum* habet, et simul *error communis* est, ita ut defectus verae potestatis communiter ignoretur (scil. titulus coloratus dicitur ille Superioris actus ex se aptus, quo vera potestas conferatur, attamen propter essentialem aliquem defectum occultum invalidus): Ecclesiam tunc supplere, ex ipso jure ab Ecclesia condito vel approbato habemus. Ita ex c. *„Barbarius"* Dig. 1, 14 (c. 3) jure R. civili, et ex cap. *„Infamis"* caus. 3 q. 7 (c. 1), quod ab omnibus juris canonici scriptoribus pro legitima norma habetur.

b) Ab Ecclesiâ *suppleri, dubium est,* si *sine titulo colorato solus error communis* adest. Multi quidem putant, Ecclesiam propter commune bonum, cui potissimum publica auctoritas provideat, etiamtum supplere; at quum nullam legem ecclesiasticam habeamus, quae id fieri statuat, neque consensus Doctorum adsit, hoc non est certum.

c) Ecclesia *non supplet,* si *neque titulus coloratus est, neque error communis,* sed paucorum tantum.

NB. Errorem vero communem ut distinguas ab errore paucorum, non id considerari debet, utrum multi an pauci eum adierint, qui legitima potestate destitutus erat; sed utrum pauci multive defectum potestatis cognoverint, an potius eum potestate legitima praeditum esse putaverint.

2. In jurisdictione *antecedenter juris probabilitate probabili,* moraliter certum est (sensu utique latiore), Ecclesiam hypothetice supplere.

3. In jurisdictione *dubia dubio facti* a) Ecclesia hypothetice *non supplet,* si error est paucorum; b) Ecclesiam supplere, dubium est, si error est communis. Exempla habes in dubio facultatis *datae, perdurantis* etc.

390 II. Quandonam licet jurisdictione dubia vel probabili uti.

1. *In certo defectu* non licet scienter uti potestate ex solo titulo colorato oriunda, etsi Ecclesia certo suppleat; qui vero defectum sui tituli, re ipsa colorati tantum, ignorat, quum valide egerit, postea nihil resarcire debet.

A fortiori non licet illi, qui omni potestate ejusque titulo destitutum se novit, propter solum errorem communem agere, tum quia *usur-*

pat potestatem, quam non habet; tum quia eos, quorum interest ipsius actum validum esse, periculo atque damno exponit.

2. *Dubia potestate* vel jurisdictione uti etiam in sacramento poenitentiae, *etsi dubia manet,* licet quidem, at *ex causa valde gravi* tantum, vid. quando necessitas absolvendi urget, et melius est aliquem dubie absolvi, quam absolvi nullatenus. Neque tum semper sine ulla monitione aut cautela poenitentem dimittere licebit, ne propterea, quod putet se certo absolutum esse, periculo salutis exponatur.

S. Alph. n. 571 recenset sequentes casus: 1) si urget praeceptum annuae confessionis; 2) si poenitens debeat celebrare vel communicare, nisi infamiae notam incurrere velit; 3) si sacerdos teneatur celebrare ex obligatione.

In ejusmodi adjunctis posse, si alius confessarius desit, eum, qui *dubia* tantum jurisdictione potiatur, conditionate absolvere, facile admitti debet: at scite animadvertit S. Alph. n. 432 „in hoc casu censeo, teneri confessarium patefacere poenitenti, qui ei confessus est mortalia, quod tantum sub conditione absolutus sit, ut, si postmodum fortasse notum fiat, confessarium revera carere jurisdictione, poenitens iterum confiteatur peccata“ — quod per se utique semper faciendum est, nisi forte gravis ratio sit timendi, ne haec monitio potius in ruinam spiritualem poenitentis tendat[1].

3. Si vero *probabilis* jurisdictio sensu supra explicato habetur, 391
quum morali periculo valor absolutionis non exponatur, tota fere quaestio, num et quando liceat ‚probabili‘ jurisdictione uti, solvenda est ex principiis probabilismi pro casibus, in quibus de solo licito et illicito agitur: nisi forte excipias absolutionem hominis in articulo mortis constituto, quando in singulari aliquo casu etiamtum probabilis tantum juris interpretatio pro jurisdictionis exsistentiâ suppetit. Videlicet *moraliter* quidem in latiore sensu certum est, Ecclesiam actum probabilis jurisdictionis hypothetice validum facere, atque in communi vitae cursu sufficit, cum tali certitudine procedere: quando vero de mortis periculo agitur, major certitudo, quae alias scrupulosam anxietatem denotet, tunc censetur cura non superflua, interdum debita.

4. Speciatim dicam, quid juris sit in articulo mortis. 392

1) Trid. Conc. loquens de casuum reservatione sess. 14 c. 7 (dogm.) ait: „Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.“

Rituale Rom. *de sacramento poenit.* ab initio ita dicit: „Minister

[1] Causis modo allatis adnumerandus videtur alius casus: nimirum si sacerdos bona fide incepit confessiones audire, interim autem grave dubium concipit, an tempus suae approbationis exspiraverit, neque certus fieri potest: confessionem, quae coepta et jam notabiliter producta est, tum videtur perficere posse, quando sibi et poenitenti secus magnum odium creaturus est, admonito tamen poenitente de dubia absolutione; at si sine nimia difficultate potest, abrumpere debet.

(sc. hujus sacramenti) est sacerdos habens potestatem absolvendi vel ordinariam, vel delegatam. Sed si periculum mortis immineat approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest a quibuscunque censuris et peccatis absolvere."

Verba Conc. Trid. ejusque intentio diversos nacta sunt interpretandi modos, quum alii putent, quoslibet sacerdotes sine ulla exceptione ab ipsa Ecclesia recipere jurisdictionem, alii restrictionem addendam esse putent: „si modo desit sacerdos approbatus, cui facile et sine periculo moribundus confiteri possit" (limitantes nimirum verba „atque ideo omnes sacerdotes" ex fine, quem priora verba „ne quis pereat" etc. prae se ferunt, atque alia „ut nulla sit reservatio", quo indicetur, agi de sacerdotibus alias jurisdictione donatis).

Priorem sententiam probabilem esse et consequenter, nisi ageretur de ipso mortis articulo, practice tutam fore, fatendum est tum ex auctoritate multorum scriptorum, tum ex regulis interpretationis (cf. Ballerini ad Gury II. n. 551): at quum posterior opinio etiam probabilitate non destituatur, ea *hoc sensu* praeferenda est, ut saltem sacerdos approbatus, licet confessionem primitus non excipiat, tamen postea iterata *aliquali* confessione denuo absolvat. — Si autem sacerdos approbatus *actu* deest, etsi facile possit vocari, absolutio non-approbati certo valet: de quo v. ad calcem append. I.

2) Insuper omnes consentiunt, sacerdotis approbati rationem habendam non esse: a) si incepta jam confessione supervenerit; b) si ille nolit confessionem excipere; c) si periculum sit, ne poenitens sacrilege apud eum confiteatur, aut alia gravis causa contra sacerdotem approbatum exsistat.

3) Articulo mortis comparari etiam quodlibet *grave periculum* (vide S. Alph. n. 561), sicut adesse censetur: a) in morbo periculoso, b) tempore pestis, c) in partu difficili, d) ante operationem chirurgicam valde arduam, e) in proelio sive paulo antea, f) ante navigationem valde periculosam etc.

4) Illud autem „quoslibet sacerdotes" sic intelligitur, ut deficiente alio sacerdote, etiam sacerdos haereticus, vel excommunicatus vitandus valide absolvere possit, et, saltem si requiritur, absolvere debeat. Ita hodie certissimum est. Refert enim Card. Albitius (ut videre licet apud S. Alph. n. 560 circa fin.) anno 1682 Innocentium XI., quum hac de re in S. Congr. Officii disceptatum esset, jussisse „ne super dicta opinione disceptaretur, neque in dubium amplius revocaretur". Gury-Ball. n. 550.

Cur autem hîc *prorsus* addendum sit *„deficiente alio sacerdote"*, ratio clara est. Communicatio enim in sacris cum haeretico vel cum vitando graviter peccaminosa est, nisi necessitas excuset; ergo nisi quilibet alius sacerdos desit, poenitens ipse peccat postulando absolutionem ab haeretico vel vitando, ut ex hac sola ratione jam absolvi non possit. Cf. supra n. 53.

§ 3.

De illa jurisdictione delegata, quae lege speciali regitur.

993 Trid. Conc. quum, ut jurisdictio delegata valida exsisteret, praescripserit approbationem Ordinarii, ut supra jam notatum est, de solis confessionibus *saecularium* haec dixit. Restat igitur, ut videamus, quodnam jus servandum sit 1) quoad confessiones regularium et eorum, qui eorum obedientiae subsint, 2) quoad confessiones monialium.

Punctum I.

De jurisdictione in regulares eorumque familiares.

I. Praelati regulares, sive Superiores locales quamquam in suos subditos jurisdictionem plenam atque etiam in foro interno habent eosque in sacramentali confessione absolvere possunt, tamen tenentur alios confessarios constituere, ne ad confessionem apud se peragendam subditos cogant, quibusdam casibus exceptis, qui videndi sunt seq. § *de casuum reservat.*, et alias in ordinum constitutionibus. Cf. Clem. VIII. decret. *„Sanctissimus“*.

II. Confessarii a Superiore regulari deputati sine ulla alia approbatione ipsos religiosos absolvere possunt. Deputari seu delegari autem possunt non solum sacerdotes regulares, sed etiam sacerdotes saeculares, licet ab Episcopo non approbati, nisi forte specialis constitutio certi ordinis obstat. Mazzotta *de poenit.* disp. 2 Q. 1 cap. 3 § 2 ex sent. comm.

III. Ii autem, qui ex solius Superioris deputatione absolvi possunt, sunt non tantum ipsi religiosi cum novitiis, sed etiam ii saeculares, qui in monasterio seu collegio „sunt vere de familia et continuo commensales“ Clem. X. *„Superna“*.

IV. Probabile est, familiaribus adnumerari posse alumnos convictores, qui plene sub obedientia religiosorum vivunt atque in collegiis educantur.

V. Id vero discrimen statuendum videtur, ut religiosi ipsi per *solos* confessarios a Superiore regulari deputatos absolvi possint, familiares autem sive ab illis, sive a confessariis extra monasterium ab Episcopo deputatis.

Explicatio. Ad I. Superiores igitur ipsi, quando subditi con- 394
fiteri volunt apud ipsos, eos admittere debent: sed subditis communiter id liberum esse oportet. Id tamen non impedit, quominus pro diversis religiosorum coetibus etiam ejusdem domûs diversi constitui possint confessarii, ita ut nullus regularis valide confiteatur, nisi apud eum, qui vere deputatus sit a Superiore: regulariter tamen *plures* constitui debent, ita ut apud subditum aliqua eligendi facultas sit: v. Clem. VIII. loco cit. et infra n. 417.

Ad II. 1. Confessarius regularium eos, pro quorum confessionibus audiendis deputatus est, etiam extra conventum absolvere potest: quia illa jurisdictio ad certum locum non restringitur, neque alia approbatio Episcopi loci requiritur.

2. Imo regulares itinerantes debent confiteri socio ejusdem ordinis, si quem habent, etsi alias ad confessiones audiendas deputatus non erat: nam ipsa ordinis lex eum tum deputat [1] (videndae tamen sunt diversorum ordinum constitutiones): quum vero socius ordinis presbyter deest, confiteri possunt apud quemlibet alium sacerdotem

[1] Atque hoc, saltem pro Soc. Jesu, sic intelligitur, ut in itinere, si presbyter socius itineris sit, apud eum fieri *debeat* confessio, nec possit fieri apud socium ordinis forte occurrentem; v. Lacroix lib. 6 p. 2 n. 1524.

sive regularem sive saecularem, etsi ab Episcopo non approbatum — vid. ipse ordo seu ejus Superior in tali casu cuilibet sacerdoti, quem religiosus elegerit, jurisdictionem delegatam concedit. — Haec libertas etiam pro membris Soc. Jesu valet, donec in domum Soc. deverterint, ita ut in itinere sacerdotem sui ordinis quaerere non teneantur.

395 Ad III. 1. Clem. X. in Bulla „*Superna*“ haec habet: „Ceterum in monasteriis atque etiam collegiis, ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tam praelatos regulares quam confessarios regularium eorundem monasteriorum seu collegiorum audire confessiones illorum saecularium, qui inibi sunt vere de familia et continui commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt.“ Sc. ii, qui continua habitatione et victu cum religiosis conjunguntur et intra septa monasteriorum commorantur, exemptionem a jurisdictione Episcopi dioecesani participant, et praelati religiosi jurisdictioni subduntur: ex quo quodammodo consequens erat, ut eorum absolutio ab Episcopi jurisdictione at approbatione non jam dependeret. Cf. etiam Trid. sess. 25 *de ref. reg.* c. 11. „In monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, *praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia*, personae tam regulares, quam saeculares hujusmodi curam exercentes subsint immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cujus dioecesi sunt sita.“

2. Famuli igitur et operarii, qui propriis expensis vivunt, etsi servitio monasterii sese addixerint, non possunt absolvi, nisi Episcopi approbatione obtenta; multo minus operarii diurni seu mercenarii pro certis diebus conducti.

396 Ad IV. 1. Scriptores inter se dividuntur, si decidenda est quaestio, utrum verba Clem. X. „qui inibi sunt vere de familia etc.“ verificentur etiam relate ad alumnos convictores, qui institutionis et educationis causa in collegio regularium commorantur, annon. Affirmat Mazzotta l. c., Bordone, Pichler, Schmalzgr. etc., si modo collegium totaque ejus gubernatio ad religiosos spectat, neque religiosi vocati tantum sunt, ut magistros agant. Nam non minus videntur esse de familia, quam ii, qui intra septa habitantes religiosis deserviunt; imo ex parte magis etiam sub religiosorum obedientia sunt.

2. Praeter nonnullorum auctorum sententias, qui affirmant ex solis verbis Clem. X., ad hanc opinionem practice confirmandam afferuntur aliquae concessiones seu privilegia aliquibus religiosis congregationibus *in hoc sensu expresse data:* quare ad alios ordines, qui in privilegiis communicant, si nondum ex concessione Clem. X. habeant, ex posterioribus concessionibus id extenditur. Cf. Gury-Baller. II. n. 564, ubi afferuntur *Benedictini, Theatini, Congr. de Somascha* etc., quibus datum sit privilegium *familiaritatis* pro ipsorum convictoribus.

Quum ergo saltem probabile sit, illos alumnos considerari posse in sacramenti poenitentiae administratione ut familiares, agere licebit secundum principia probabilis jurisdictionis supra data.

397 Ad V. 1. Religiosos ipsos per vota consueta ordini adscriptos nullatenus absolvi valide posse, nisi per potestatem a Superioribus delegatam, extra omnem controversiam est. Papa tamen, qui omnium

religiosorum supremus praelatus est, aliis etiam hanc potestatem concedere valet. Quod plerumque in jubilaeis facit. Quoniam vero Societati Jesu aliisque pluribus ordinibus id singulare privilegium concessum fuit, ut neque favore jubilaei, neque si omnibus regularibus, etiam mendicantibus, id permittatur, aliis confiteri valeant, nisi iis, qui intra domum ad confessiones audiendas deputati sint (Gregor. XIII. *„Decet Rom. Pontificem“*): in singulorum jubilaeorum indictionibus videri debet, utrum huic constitutioni derogetur, necne.

2. Novitios per se eadem lege adstrictos esse, dici debet, ita ut valor confessionis, quam forte instituant apud confessarium externum ab Episcopo approbatum et delegatum, pendeat a consensu Superioris sive expresse sive tacite dato.

Scio equidem nonnullos esse, qui dicant cum Pelliz., Mazz. l. c. (v. Lacr. l. 4 n. 65), novitium absolvi posse sicut quemlibet saecularem, ac propterea vi jurisdictionis sive a Superiore sive ab Episcopo datae: id tamen verum esse nullo modo videtur. Tantum id admitti potest, ubi Superior sciens hanc opinionem inter suos vigere non contradicat, eum tacite hanc potestatem tribuere: in quo casu novitius, etsi putet se absolvi vi jurisdictionis episcopalis, re ipsa absolvitur vi jurisdictionis a praelato regulari tacite delegatae.

Liberum quidem manet novitio, relicto novitiatu ad saeculum redire: quo facto, a quolibet confessario saeculari ab Episcopo approbato absolvi potest; at non amplius in ejus arbitrio est, mutato consilio iterum novitium agere et tempus antea exactum pro parte legitimi novitiatûs computare. Sed quamdiu novitius manere vult et manet, a jurisdictione Episcopi personaliter *exemptus* eique subtractus atque plane jurisdictioni ordinis subjectus est. Ejus domicilium tantisper solum monasterium est. Nam exemptionis privilegium non tam pro privilegio singulorum, quam pro privilegio ordinis haberi debet; propterea ordini jus competere debet, ut novitius vere ordini subjectus sit atque etiam corrigi, imo puniri possit, etiam casuum reservatione: quae omnia frustra darentur, si novitius *pro libitu* sive ordinis sivi Episcopi jurisdictioni sese subdere posset. Neque amplius absolvi potest ab eo, qui ipsius Superior esse desiit.

Quod clare etiam comprobatur ex variis SS. Pontificum decretis. Ut hoc unum afferam, Leo XII. Brevi *„Plura inter“* quum dixit „Societatis (Jesu) alumni confiteri nequeant animae noxas nisi iis, qui a praeposito facultatem habuerint sacras eorum confessiones audiendi“, satis comprehendit novitios, imo statim postea illis facultatem confitendi etiam magis *restringit,* quum derogat legi quoad tironum magistros, ne, si praesules sint, possint esse confessarii, cui debeant subditi (novitii) confiteri.

3. Familiaribus autem probabilius dici potest competere facultas con- 398
fitendi sive apud confessarium a Superiore deputatum, sive apud externum ab Episcopo approbatum. Nam illi utique *proprie saeculares* sunt et manent, qui legibus regularium non subdantur; possunt semper obedientiae monasterii pro arbitrio sese subducere, et mutato consilio redire; imo si Superiores monasterii respicimus, ne illi quidem, quantum ad ipsos spectat, familiares unquam impedire velle videntur, quominus apud saeculares confessarios confiteantur. Considerari igitur possunt ut ii, qui duplex quasi domicilium habent, in monasterio et extra. — Haec a fortiori valent de alumnis con-

victoribus: imo de familiaribus in „domibus parvis“ haec eo minus dubia esse possunt, quando illae parvae domus jurisdictioni et praelati regularis *et Episcopi* subjectae sunt.

4. Familiares a confessario regularium sine approbatione Episcopi absolvi possunt non tantum, quando actu sunt *in* monasterio, sed etiam extra monasterium in itinere, *modo maneant sub obedientia regularium.* Mazzotta l. c.

Quare alumni convictores, quum primum in feriis potestati parentum sive eorum, qui a parentibus constituti erant, redditi aut suae libertati relicti sunt, non amplius absolvi possunt a regularibus sine approbatione Episcopi loci, ubi versantur. Nam etsi forte subsequenti anno alumni redituri sunt, nunc tamen relatio subjectionis ad regulares soluta vel suspensa est.

Punctum II.

De jurisdictione et approbatione pro confessione monialium.

399 I. Pro confessionibus monialium ex constitutionibus SS. Pontificum *specialis omnino* approbatio requiritur, quae data non censetur generali approbatione pro omnibus Christi fidelibus; neque approbatio pro uno monasterio secum trahit approbationem pro omnibus monasteriis, etsi ejusdem ordinis: v. Greg. XV. *„Inscrutabili“* — Clem. X. *„Superna“* — Ben. XIV. *„Pastoralis officii“* et *„Pastoralis curae“.*

II. Haec specialis approbationis necessitas ex SS. Pontificum decretis oriunda restringitur ad moniales stricte dictas intra clausuram viventes, per se non 1) ad congregationes religiosas sine clausura papali institutas, neque 2) ad moniales cum licentia extra monasterium degentes refertur: v. Mazzotta l. c. § 3; Pius IX. 27. Aug. 1852.

III. Potest autem Episcopus a communi approbatione etiam quaslibet mulierum congregationes, conservatoria eximere, imo, ut hoc fiat, S. C. non semel hortata est: quod si fecit, ejus statutis omnino standum est, neque tunc illae mulieres, eo quod extra domum in loco sui monasterii ad aliquem confessarium accedant, ab eo absolvi possunt [1], siquidem id communiter accidit, ut momentanee extra domum versari possint [2].

IV. Monialibus, pro quibus specialis approbatio requiritur vi statutorum SS. Pontificum, bis terve in anno exhibendus est confessarius extraordinarius, cui omnes quidem praesentare se debent, confiteri non debent. Ben. XIV. *„Pastoralis curae“.*

---

[1] At in angustioribus oppidis moniales non claustrales, si pro suscipiendis sacramentis parochum parochialemque ecclesiam adire solent, lege illa confessarii specialiter approbandi adstringi nequeunt, sed pro opportunitate extra propriam domum confiteri possunt apud quemcunque confessarium ab Ordinario approbatum: S. C. Ep. et Reg. 22. Apr. 1872; v. Collectan. S. C. Prop. F. (editio anni 1893) n. 433 ad 3.

[2] Quoad moniales earumque confessiones PP. Conc. pl. Balt. II. statuerunt, ut Episcopi eodem modo procedant, sicut Ecclesia praescripsit circa moniales stricte dictas, quamquam longe plurimae non emittant vota solemnia neque arctam clausuram papalem observent. Praecipua statuta sunt haec:

Art. 417. „Ut de Sacris Virginibus apud nos Deo dicatis usurpemus verba Fratrum Nostrorum in Concilio Ravennatensi: ‚Sacrarum Virginum confessionibus

Si quas vero alias pias mulieres Episcopus exemit ab ordinaria approbatione confessariorum, prorsus convenit, ut eodem modo aliquoties in anno confessarium extraordinarium iis exhibeat: imo id illae mulieres aliquo modo postulare possunt.

V. Offerri debet ille extraordinarius confessarius, si moniales *exemptae sunt*, a praelato regulari, cui sunt subjectae, Episcopo *approbante;* si exemptae non sunt, ab Episcopo. Praelato negligente oblatio ad Episcopum devolvitur; quodsi etiam Episcopus muneri suo desit, Cardinalis Poenitentiarius Major a monialibus requisitus supplebit. (V. Gury-Ball. not. ad II, 566; Ben. XIV. Const. *„Pastoralis curae".)*

Uberior explicatio. Nota insuper ad. I. 1. Quamquam approbatio 490
pro uno monasterio non ulterius extenditur: tamen Episcopus *potest* confessarium aliquem approbare pro omnibus monialibus suae dioecesis.

2. Approbatio pro monialibus *confessario ordinario* dari nequit ultra triennium sine licentia S. Congr. Episc. et Regul. Attamen non ubique hoc S. Congr. decretum servatur; quare ibi approbatio valet usque ad revocationem: v. Bouvier ed. secundum theologos Rom. emend.

---

excipiendis eos tantum Episcopi praeficiant, qui, qua par est, morum gravitate, prudentia, doctrina et asceticae artis intelligentia praediti reperiantur. Meminerintque, Tridentinos Patres, ad opportunum solatium remediumque afferendum ipsarum animis in afflictione interdum et angustia constitutis, praecepisse, ut *praeter ordinarium Confessorem alius extraordinarius ab Episcopo et aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.* Offerant itaque Monasteriis omnibus suae jurisdictioni subjectis instentque pro viribus, ut a Superioribus etiam Regularibus quoad Sanctimoniales eorum regimini subjectas idem, juxta formam a Benedicto XIV. praescriptam, exhibeatur. Nec se iidem Episcopi adeo difficiles praebeant, peculiaribus etiam Monialibus Confessarium extraordinarium aliquando petentibus; quin potius, nisi aut Monialis postulantis, aut Confessarii requisiti qualitas aliter faciendum suadeat, earum justis precibus libenti animo obsecundent.'"

Circa votorum naturam ipsa S. Sedes rescripserat: I. „Vota, quae a Monialibus a Visitatione Beatae Virginis Mariae nuncupatis emittuntur in monasteriis locorum Georgetown, Mobile, Kaskasia, St. Aloysii et Baltimorae, attentis Rescriptis a Sancta Sede ab iisdem jam impetratis esse solemnia." II. „Quoad clausuram, praedictas Moniales uti posse facultatibus sibi in variis Rescriptis a Sancta Sede Baltimorensi Archiepiscopo concessis." III. „Ratione habita ad locorum temporumque circumstantias, in posterum ab iisdem Monialibus Visitationis, post expletum novitiatum, emittenda esse vota simplicia; exactisque quinque annis a votorum simplicium professione admitti eas posse ad vota solemnia nuncupanda, praeviis spiritualibus exercitiis per decem dies; professas autem votorum simplicium frui et gaudere omnibus et singulis gratiis et favoribus spiritualibus, quibus professae votorum solemnium fruuntur et gaudent." IV. „Vota, quae ab aliis Monialibus in Monasteriis jam erectis emittuntur, esse simplicia, excepto casu, quo Rescriptum pro votis solemnibus emittendis ab Apostolica Sede obtinuerint." V. „Tandem in Monasteriis in posterum erigendis in singulis Statibus Unitis vota a Monialibus esse emittenda simplicia." — Quibus PP. Conc. Balt. addiderunt:

Art. 420. „Constat vero ea, quae in articulis IV. et V. habentur, ad omnes hujus regionis Moniales, quocunque veniant nomine, applicanda esse, iis exceptis Monasteriis, de quibus in primo articulo fit sermo. Hoc vero tum ex iis manifestum est, quae in ipsa Sacra Congregatione gesta sunt: tum per verba Emi Cardinalis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide confirmatur." Cf. Collect. Lac. t. III. col. 512 et 513.

Ad II. et III. 1. Quamquam jam secundum solas interpretationis regulas „moniales“ in Bullis Pontif. stricte intelliguntur, i. e. alicujus *ordinis* a S. Sede approbati, nec comprehenduntur mulieres in religiosa aliqua congregatione adunatae, quae papalem clausuram non servent: expresse tamen etiam Ben. XIV. in Bulla *„Pastoralis curae“* testatur, Trid^{um} sess. 25 c. 10 *de reg.*, quod partem praesentis disciplinae continet, „de solis claustralibus monialibus“ loqui.

Ratio, cur monialem cum licentia extra monasterium degentem, nisi specialiter ipsi moniali provisum fuerit, auctores exceperint a necessitate confitendi apud confessarium *specialiter* approbatum, ea erat, quia aliter confessario careret. Sed jam positiva lex S. Pontificis adest. Nam proposito *dubio:* „Aliquando moniales sive valetudinis causa sive ob aliam rationem obtinent licentiam ad breve tempus versandi extra monasterium, *retento habitu:* jam quaeritur, num in ejusmodi adjunctis confiteri possint apud confessarios ab Ordinario *approbatos pro utroque sexu*, licet *non sint approbati pro monialibus*“, SS^{mus} in audientia habita die 27. Aug. 1852 mandavit rescribi: *„Affirmative, durante mora extra monasterium.“*

2. Discrimen igitur inter moniales claustrales et inter moniales latiore sensu sumptas aliasque mulierum congregationes quoad confessarium hoc est, ut 1) generalis approbatio ad excipiendas confessiones nullatenus sufficiat pro confessionibus monialium *claustralium* audiendis, etsi in approbatione nulla restrictio facta sit; sed ut 2) Episcopus, si approbationem pro *aliis* monialibus vel mulieribus dare non velit, hanc restrictionem positivo modo facere debeat: alias enim in generali approbatione approbatio pro ejusmodi mulieribus etiam data intelligitur.

401 Ad IV. 1. Extraordinario confessario confessiones excipiente, ordinarius confessarius non potest illo tempore in monasterio versari. Hoc enim ita constitutum est, quo liberius *omnibus* monialibus pateat sine ulla difficultate accessus ad extraordinarium confessarium.

2. Eo quod bis vel ter extraordinarius confessarius offerri *debet*, non impeditur, quominus *pluries* offeratur.

3. Praeterea moniali postulanti extraordinarius confessarius concedendus est a) in periculo mortis; b) si alias nequit adduci, ut ordinario confessario confiteatur; c) imo etsi id non recusat, si modo ex rationabili causa alterum desiderat, Superiores sese minime difficiles praebere debent, ut ait Ben. XIV. *„Pastoralis curae“;* imo addit S. Pontifex: „quin potius earum justis precibus obsecundare studeant. Etsi liberum sit cuilibet moniali Cardinalem majorem Poenitentiarium adire, cui ea in re (in designando sc. confessario) facultas cumulativa cum omnibus locorum Ordinariis a R. Pontifice tribuitur, nihilominus ea est aliquando necessitatis urgentia, ut remedium, quod de longinquo petendum est, non satis tempestive adveniat.“

Magis etiam idem urget Leo XIII. decr. *Quemadmodum* d. 17. Dec. 1890; neque vult rationes a Superiorissa inquiri, Episcopos autem monet, ut in urbibus complures designent confessarios, ad quos moniales possint recurrere, idque toties, quoties id sibi necessarium esse duxerint. At subditos monendos esse vult, se „non posse extraordinarios confessarios petere, nisi ad id adigantur, ut propriae conscientiae consulant“ (ex decr. S. C. Ep. et Reg. 17. Aug. 1891; cf. Nouv. revue théol. t. 24 p. 261). Imo eadem S. C. 1. Febr. 1892 declaravit: concessionem confessariorum extraordinariorum esse „exceptionem tantum legis communis pro casibus verae et abso-

lutae necessitatis"; Episcopum debere *intervenire,* et confessarios accessum *declinare,* si quando sciant, *non adesse probabilem causam* ad se recurrendi.

Ceterum si moniali in periculo mortis constitutae extraordinarius confessarius negetur, satis provisum est decreto Trid. sess. 14 c. 7 „in articulo mortis omnes sacerdotes quoslibet poenitentes . . . absolvere posse".

Ad V. 1. Imo circa confessarium extraordinarium id statutum est, ut praelati regulares, quibus moniales subjectae sint, non semper exhibeant confessarium sui ordinis, sed saltem semel in anno confessarium aut saecularem, aut alterius ordinis regúlaris exhibere debeant.

2. Si praelati regulares id negligunt, vel si generatim statutis temporibus extraordinarium confessarium deputare omittunt: Episcopo *semper* conceditur facultas eligendi aliquem aut ex clero *saeculari,* aut ex clero regulari *alterius ordinis.* Cf. Ben. XIV. Constit. cit.

Articulus IV.

De jurisdictionis limitatione seu casuum reservatione.

Trident. Concilium ex natura judicii, sub cujus forma sacra- 402
mentum poenitentiae institutum sit, quasi necessariam conclusionem deducit potestatem, qua et Romanus Pontifex et Episcopi polleant, atrociora crimina sibi seu suo peculiari judicio reservandi: v. sess. 14 cap. 7.

Et re quidem vera casuum reservatio nihil aliud est nisi aut certa peccata excipi, quando judex ordinarius aliis jurisdictionem delegat, aut certa peccata seu graviores causas a *summo* judice ad suum tribunal vocari atque inferiorum tribunali subtrahi: quorum prius ad quoslibet pertinet, qui *ordinariam* jurisdictionem in certos subditos habent — possunt enim pro arbitrio *suam* potestatem aliis sive totam sive ex parte tantum delegare —: posterius ad Summum Pontificem maxime spectat, qui pro suprema sua potestate aliquas causas Episcoporum judicio subtrahere atque suo judicio speciali subjicere potest.

§ 1.

Quid requiratur, ut casus sint reservati.

I. Nemo peccata reservare potest, nisi *subditorum suorum:* nam nisi in aliquem ejusque peccata potestatem habet, eum cogere non potest, ut ad se vel specialem delegatum peccata deferat.

II. Reservatio, quamquam directe versatur circa peccata subditorum, tamen etiam recte dicitur afficere confessarium ejusve potestatem, quam vel jam exsistentem et ordinariam restringit, vel conferendam seu delegandam restricto tantum modo contribuit.

III. Ut peccatum sit reservatum, 1) ex natura rei, ut pleno sensu reservetur, debet esse *mortale;* ex consuetudine Ecclesiae debet 2) esse *externum,* et 3) secundum speciem et actum debet esse *completum.* S. Alph. n. 582, Busenb. tr. 4 cap. 2 dub. 4.

IV. Reservatio ex diverso fine fieri potest, tum ut poena delinquenti infligatur, qui cogatur ad subeundum illud onus comparendi

coram Superiore ejusve speciali delegato, tum ut ipsa causa, peccata graviora puta, maturius discutiatur et recognoscatur, quum non cuilibet, sed delectis tantum confessariis illa peccata dijudicanda committantur. Qui posterior finis, si historiam reservationis consideramus, potior videtur fuisse; tamen aliquando priorem finem re ipsa praevalere, fatendum est.

V. Reservare igitur possunt certa peccata: 1) pro tota Ecclesia Rom. Pontifex; 2) Episcopi pro suis dioecesibus (Provinciale Concil. pro tota provincia); 3) praelati regulares aliique jurisdictionem quasi-episcopalem habentes relate ad suos subditos: nihilominus omnes praelati Papa inferiores in hoc reservandi facultatis exercitio Papae subjecti sunt.

403 Hinc sequitur: **De conditione poenitentium quoad reservata.**

(Ex I. et II. principio:) 1. Confessarii regulares, quamquam non necessario ab Episcopo jurisdictionem delegatam accipiunt, sed a Papa, nihilominus, Summis Pontificibus ita prorsus disponentibus, — id quod re ipsa ordinis servandi ratio quodammodo exigit — nequeunt poenitentes absolvere a peccatis in dioecesi reservatis, nisi specialem facultatem ab Episcopo acceperint.

2. Familiares regularium possintne sine facultate ab Episcopo accepta absolvi, pendet ab eo, utrum vi jurisdictionis episcopalis, an regularis absolvantur. Si per confessarios a Superiore regulari deputatos absolvuntur, reservationi episcopali non subjacent; si vero ab aliis confessariis (saecularibus) absolvuntur, videntur reservationi episcopali esse subjecti. Si vero agitur de peccatis censurâ ab Episcopo punitis, hanc poenam regulariter non incurrunt, siquidem ut peregrini tractandi sunt: v. infra de censuris n. 871.

3. Peregrini quoad absolutionem non dijudicandi sunt secundum reservationem loci confessarii, sed secundum reservationem domicilii poenitentis (cf. ea, quae n. 384 dicta sunt de absolutione peregrinorum), siquidem *verius* absolvuntur vi jurisdictionis ab Episcopo poenitentis datae: qui nisi in sua dioecesi peccatum reservavit, neque extraneis confessariis jurisdictionem restringere censetur.

Imo practice sic statui potest, ut peregrinum absolvere liceat, nisi aut 1) peccatum reservatum sit utrobique, i. e. in loco confessionis et in loco domicilii poenitentis, aut 2) poenitens „in fraudem legis“, i. e. ut sese judicio sui Superioris subducat, in alienam dioecesim se transtulerit.

Id expresse pro confessariis *regularibus* statuitur in Bulla Clem. X. „*Superna*“ [1]; pro confessariis saecularibus vero ex consuetudine id haberi videtur, Episcopum peregrini consentire, ut ille a quolibet confessario approbato absolvatur a peccatis, quae in loco confessarii reservata non sunt, ac consequenter ab omnibus peccatis, nisi *utrobique* reservata sint, excepto casu *fraudis*.

At quando poenitentes *alieni ritus* (qui alioqui videri potuerint peregrinis aequiparari) absolvuntur, confessarii, utcunque etiam privilegiati, nequeunt absolvere eos, qui habent casum „suis cujusque Ordinariis reservatum“, nisi ille id permiserit. Quod intelligi debet de casibus sive cum censura, sive sine ea reservatis. Cf. Const. Leonis XIII. *Orientalium dignitas* d. d. 30. Nov. 1894.

[1] Verba sunt: „posse autem regularem confessarium in dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessarius est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione migrasse.“

Neque Episcopus loci confessariis id prohibere potest, quominus per- 404
egrini absolvantur a peccatis a se quidem reservatis, non autem ab Episcopo peregrinorum. Nam *ipse* in *peccata peregrinorum* potestatem non habet, neque in *confessarium* nisi ratione solius *approbationis;* solam vero approbationem, ut a jurisdictione distinguitur, quoad *peccata* restringere, hucusque inauditum est. Et re quidem vera, quando S. Pontifices loquuntur de Episcopi facultate approbationis limitandae, de limitatione quoad tempus, certa loca, genera personarum loquuntur (v. Clem. X. *„Superna"*; Ben. XIV. *Instit.* 86); de limitatione quoad certa genera peccatorum loquuntur nunquam. Ex scriptoribus vero unum Reuter vidi, qui p. IV. n. 354 dicat, „posse Episcopum approbationem limitare ad certas personas, tempus, loca, *et peccata": verum* Ballerini ad Gury II. n. 573 Q. 4 in fine notae ostendit, quae *absurda* ex tali doctrina sequerentur. Quare talem approbationis limitationem Episcopum fecisse, nunquam praesumi potest, atque si fecisset, merito de ejus limitationis valore dubitaretur.

In „fraudem reservationis", seu „ex fine sese subtrahendi legitimi Superioris judicio" potissimum, quamquam non unice, tum aliquis in alienam dioecesim transiisse dici potest, quando crimen ejusmodi est, ut facile ad forum externum deducatur, vel ad illud aliquo modo deductum sit, ita ut tum ne in foro interno quidem absolutio dari possit sine Episcopi licentia. Mazzotta *de poenit.* disp. 2 q. 3 cap. 3 § 2 in fine. — Addit Ballerini ad Gury II. n. 573 Q. 5 nota secunda in fine: „si Episcopus expresse invitus est". — S. Alph. n. 589 illud „in fraudem" explicat de intentione poenitentis principali effugiendi judicium sui Superioris; quare illud „si Episcopus expresse invitus est", sic intellige, ut non solum confessariis, sed populo suo Episcopus hanc suam mentem declarare debuerit.

De conditionibus peccati reservati. (Ex III. principio.) 1. Quum 405
peccata venialia non sint materia necessaria absolutionis, *reservari proprio et pleno sensu nequeunt.* Licet enim per se possibile sit, ut Superior potestatem sacramentaliter absolvendi etiam relate ad aliquod veniale peccatum cuipiam auferat, tamen poenitentem cogere nequit, ut hujus peccati absolutionem sacramentaliter quaerat. Idem dic de peccatis vere et positive dubiis.

2. Imo *utcunque* rationabiliter *dubium* est peccatum, ex consuetudine Ecclesiae et communi auctorum doctrina (v. S. Alph. n. 600) non est reservatum. Quamquam enim ex natura rei omnia peccata, quae materia confessionis necessaria sunt, aliquando reservari possunt: re ipsa tamen id non fit, atque reservatio, utpote odiosa, strictae interpretationis est.

Quare non reservatur peccatum: 1) in dubio de subjectiva gravitate; 2) in dubio de objectiva gravitate: nisi forte Superior propter peculiares circumstantias aliquam materiam ex se non certo gravem pro gravi declaravit, cujus judicio in dubio standum est; 3) in dubio, utrum verba legis *tale* peccatum comprehendant necne: — quamquam aliquando Clem. VIII. etiam casus in Bulla *„Coenae" dubie* contentos reservaverat, postea tamen illa verba omittens prius decretum ipse correxit — cf. S. Alph. n. 600 —; 4) in dubio de actu peccati.

Qui vero a peccato *dubie reservato* per confessarium simplicem absolutus est, etsi postea cognoverit, fuisse peccatum certo reservatum, absolutus est et manet tum a peccato, tum a censura forte annexa: v. Lugo *de poen.* d. 20 n. 22—24.

406 3. Similiter Ecclesia peccata sola externa reservare consuevit; etiamsi dubitari nequit, eam *posse* etiam interna peccata reservare (v. S. Alph. n. 582), siquidem etiam interna peccata gravia Ecclesiae foro „interno" ex jure divino subjiciuntur.

Imo communi theologorum consensu (v. S. Alph. l. c. cum Suar., Lugo d. 20 n. 15, Tamb. *de cas. reserv.* cap. 4 n. 15) tenetur, peccatum, ut sit reservatum, debere *externe grave* esse; quare si interne quidem malitia mortalis aderat, actus vero externus hanc *mortalem* malitiam non participabat aut saltem non ostendebat, reservatum peccatum non est, v. g. si quis mente haeretica aliquid dixit, quod tamen neque in se haeresim continebat, neque ex adjunctis haereticam mentem ostendit: peccatum non est reservatum.

4. Tandem ex iis, quae sub 2. 3) notavi, jam sequitur, peccatum, ut censeri possit reservatum, debere esse completum, i. e. in *ea ratione* completum, qua reservatur; quare si verba legis exprimunt actionem externam completam, e. g. homicidium, utcunque externum complementum, i. e. mors alterius, desit, reservatio peccati non adest; alias vero si sola attentatio, machinatio, consilium etc. per se reservatur, sufficit, hanc ipsam actionem posuisse, ut peccatum reservatum sit.

NB. Saepe actiones illae imperfectae reservantur accessorie tantum: quod si fit, de principali actione constare debet; qua completa, etiam actiones illae accessoriae reservatum peccatum evadunt.

407 **De ignorantia reservationis.** Ex IV. principio deducenda est solutio quaestionis recenter adeo disputatae, num requiratur cognitio reservationis ex parte poenitentis, ut ejus peccatum reservatum sit. Ad quam haec notanda videntur:

1. Posse praelatos peccata subditorum ita reservare, ut comprehendantur etiam ea, quae ab ignorante reservationem perpetrentur, indubium est.

2. Utrum vero sic reservaverint, an alio modo, id colligi aliquando potest tum ex principali fine reservationis, tum ex voluntate aliunde manifestata.

3. Ex veteribus theologis non pauci sunt, qui peccatum reservatum non esse doceant, quod sine cognitione reservationis commissum fuerit, „si modo reservatio sit *poenalis*"; esse reservatum, si reservatio sit *medicinalis*, i. e. non *poena* medicinalis, quae similiter atque censura frangat peccantis contumaciam eumque a peccato deterreat, sed lex disciplinaris, qua Superior velit aut per se aut per *specialiter* delegatos atrociori crimini, postquam commissum fuerit, remedium adhibere[1]. Cf. S. Alph. n. 581, Lugo disp. 20 n. 9—11 et n. 86, Mazzotta l. c. q. 3 c. 2 *„Quaeres secundo R. 3"*.

4. Reservationem principaliter poenalem esse, negat Lugo l. c. cum aliis, ac propterea eam dicit manere, etsi peccatum cum ignorantia reservationis fiat, in ordinibus religiosis. Idem autem hodie dicendum esse existimo in plerisque dioecesibus, earumque casibus reservatis.

Videl. nisi *positiva* ratione probetur, Episcopum consentire opinioni dicentium, reservationem ab ignorante non incurri, dicendus est Episcopus

---

[1] Lugo l. c. ita finem reservationis medicinalis explicat, „quod Superior peccati notitiam haberet, ut medicinam et satisfactionem congruam imponeret".

ea ratione casus sibi reservasse, sicuti communiter a theologis et confessariis intelligebatur. At, ut recentioris temporis libri, a S. Alphonso et deinceps, testantur, usque ad subsequentem controversiam erat diuturna et universalis persuasio, reservationem sic intelligi, ut etiam incurreretur ab ignorante. Ergo ita etiam legislator ipse legem suam intellexisse censendus est, maxime quum — ut Suarez *de poenit.* d. 27 sect. 3 n. 2 recte docet — consuetudo non solum quodammodo conferre, sed etiam *auferre* jurisdictionem possit, quatenus sc. indicet Superioris tacitam voluntatem: „unde dicunt" — ait Suarez — „aliqua peccata consuetudine esse reservata".

5. Quando vero, Episcopo sciente et non reclamante, alicubi docetur sententia, secundum quam ignorantia a reservatione excuset: id haberi debet pro sufficienti signo voluntatis Episcopi, quod nolit ignorantes ligare.

6. Imo de unico casu R. Pontifici sine censura reservato, nimirum *de falsa accusatione sollicitationis,* indubium est, reservationem esse *poenalem,* ideoque probabiliter non incurri ab ignorante. Ben. XIV. enim in Constit. *„Sacramentum poenit."* expresse dicit: *„ut tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coërceatur etc."*

7. Si tandem de censuris reservatis agitur, ignorantia quidem *censurae,* ut postea de censuris agentes dicturi sumus, excusat a poena. At quando censurae cognitio aderat, *reservatio* vero censurae ignorabatur, merito pro laxa et omnino improbabili habetur paucissimorum opinio, qui putent, etiamtum reservatum non esse censuram; neque haec opinio cum aliis moralistarum et canonistarum principiis cohaeret, quum accessorium sequatur principale: ideoque, cognita *principali* poena, etiam accessorium onus, sive poenam dicis, sive medicinam, incurritur. V. Mazz. l. c. *‚Resp. primo'.*

De potestate reservandorum casuum limitata. (Ex V. principio.) 408
1. Quamquam ex natura rei omnes, qui ordinariam potestatem habent, suis *delegatis* limitare jurisdictionem atque *sibi* reservare casus possunt, ac proin etiam parochi potestatem id per se non excedit: tamen pro hodierna disciplina, quum parochi inutiliter suam jurisdictionem alteri delegent, quippe qui jam aliunde potestatem habere debeat, etiam recte parochi omittuntur, si de potestate reservandorum casuum sermo est.

2. Quoniam omnes Superiores Summo Pontifice inferiores ipsius Summi Pontificis legibus etiam in potestate reservationis exercenda subjiciuntur: efficitur, ut contra ejus legem inferiorum reservatio non valeat. Unde jam patet, nullum praelatum inferiorem eos casus sibi reservare posse, quos Summus Pontifex sibi reservavit.

Insuper facultatem sibi reservandi casus praelatis regularium quoad valorem restrinxerunt S. Pontifices (v. decr. Clem. VIII. *„Sanctissimus"*, de quo n. 416 sq.). Episcopis vero S. Pontifices non imposuerunt certam legem, quae reservationem nimiam jam redderet ipso facto nullam: at plura monita exsistunt, quibus monentur Ordinarii, ne nimii sint in reservandis casibus; imo non desunt exempla, in quibus S. Congratio excessum quendam correxit atque annullavit.

Videri potest Ben. XIV. *de syn. dioeces.* l. 5 cap. 5 n. 4, ubi refert monita 409
S. C. Ep. et Reg. 9. Jan. 1601: „Ne locorum Ordinarii, quibus jus hoc reservandorum casuum competit, pluribus, quam opus sit, reservationibus subditis aut confessariis . . . sint onerosi, monentur omnes, ut paucos eosque tantum, quos ad chri-

stianam disciplinam retinendam animarumque sibi creditarum salutem pro cujusvis dioecesis statu et qualitate necessario reservandos esse judicaverint, reservent."

26. Nov. 1602: „Sed ne locorum Ordinarii, ad quos casuum reservatio spectat, ea in re modum excedant, S. Congr. illos rursum magnopere admonendos censet, ut non passim, sed quum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum et graviorum criminum absolutionem sibi reservent ... ne alioqui, sacramenti poenitentiae ministrorum coarctata potestate, sanctae matris Ecclesiae piae menti contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam, ne sibi superflue reservent casus in Bulla die Coenae Domini legi consueta contentos, neque alios Sedi Apostolicae (specialiter) reservatos."

Similiter in literis encyclicis ejusdem diei haec habentur: „Praecipue vero haec monenda censet S. Congregatio, ut videant ipsi Ordinarii, ne illos casus promiscue reservent, quibus annexa est excommunicatio major, a jure imposita, cujus absolutio nemini reservata sit, nisi forte propter frequens scandalum, aut aliam necessariam causam aliqui ejusmodi casus nominatim reservandi viderentur; neque casus, in quibus absolutio, nisi cum restitutione vel exsecutione eorum, ad quae poenitentes tenentur, non confertur; neque illos, qui etsi mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti versantur, et frequenter inter idiotas evenire solent, uti damni dati, et similium; in peccatis etiam carnalibus reservandis multa utantur circumspectione propter periculum scandalorum in iis maxime personis, in quas ob accessum ad confessarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad ordinarios suspicionis aliquid cadere possit."

Quare etiam anno 1661, quum querelae fierent de quadam nimia reservatione, S. Congr. 29. Jan. jussit, ceteris casibus deletis, ad summum decem aut duodecim graviora crimina reservari.

§ 2.

De casuum reservatorum absolutione.

410 I. A casibus reservatis absolvere possunt *ordinaria* potestate: 1) qui reservationem statuit, atque ejus in munere successores; 2) eorum Superiores: — *delegata* autem potestate ii, qui a reservante, ejusve successore aut Superiore specialem facultatem obtinuerunt.

II. Episcopi eorumque delegati possunt communi jure absolvere 1) omnes poenitentes a casibus papalibus *occultis,* exceptis iis, qui *speciali* modo R. Pontifici reservantur: v. Trid. sess. 24 *de ref.* cap. 6 *„Liceat"* et Const. Pii IX. *„Apostolicae Sedis"*; 2) secundum communem doctrinam in ipsa lege ecclesiastica nixam etiam poenitentes ab adeundo Pontifice R. impeditos poterant absolvere a casibus papalibus *omnibus,* sive occultis sive publicis: v. S. Alph. l. 7 n. 84, Corp. jur. can. cap. *„Eos qui"* 22 *de sent. excomm.* in 6: de quo tamen *nunc* cf. quae hîc n. V. notantur.

Aliorum potestas et potestas Episcoporum amplior num exsistat, repeti debet ex speciali facultate a S. Sede data.

III. Reservatio cessat non solum 1) legitima confessione et absolutione ab eo, qui sive ordinariam sive delegatam potestatem habet collatam, sed plerumque etiam 2) confessione invalida apud legitimum Superiorem facta, si modo peccata reservata manifestata sint; 3) confessione, quam absolutio valida per legitimum Superiorem secuta est, etsi ex inculpabili oblivione peccatum reservatum est omissum. Cf. S. Alph. n. 597.

IV. Reservatio in articulo mortis cessat, ita ut a quolibet confessario absolutio legitime dari queat. Attamen si non peccatum solum reservatum erat, sed censura reservata imposita, onus *postea coram* legitimo Superiore comparendi, si aegrotus convaluit, aliquando restat.

V. Extra articulum vel periculum mortis etiam aliquando absolutionem dare potest alius confessarius ei, qui casus quidem reservatos habeat, sed Superiorem adire nequeat, videlicet aliter si normam antea communem, aliter si normam a S. Officio die 23. Junii 1886 propositam spectemus: quam posteriorem nunc attende in casibus papalibus.

1. Si respicimus normam a S. Officio nunc datam: a) nunquam extra mortis articulum datur absolutio sine onere Romam recurrendi; b) verum si necessitas declinandi infamiam aliudve grave damnum instat, vel poenitenti durum est, tam diu manere in peccato, potest cum onere isto et sub poena reincidentiae dari vera adeoque directa absolutio per quemlibet confessarium a casibus papalibus quibuslibet, etiam specialiter reservatis; neque distinctio inter longissimi, longi, brevis temporis impedimenta locum amplius habet. En verba ipsius decreti:

„Quaesitum est ab hac S. Congr^ne^ R^ae^ et Univ. Inquisitionis:

I. Utrum tuto adhuc teneri posset sententia docens ad Episcopum aut ad quemlibet sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casuum et censurarum etiam speciali modo Papae reservatorum, quando poenitens versatur in impossibilitate personaliter adeundi S. Sedem? — II. Quatenus negative, utrum recurrendum sit saltem per litteras ad E^mum^ S^ae^ Poenitentiariae Praefectum pro omnibus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale indultum (praeterquam in articulo mortis) ad obtinendam absolvendi facultatem?“ *Resp.* d. 23. Junii 1886 (a S. Pont. d. 30 confirmatum): „Ad I. Attenta praxi S^ae^ Poenitentiariae praesertim ab edita Const. Ap. s. m. Pii IX., quae incipit „Apostolicae Sedis“: *Negative.* — Ad II: *Affirmative;* at in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur, dari posse absolutionem, injunctis de jure injungendis, a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem.“

Fer. IV, 16. Junii 1897 ad Quaesitum „Utrum in casu, quo nec infamia nec scandalum est in absolutionis dilatione, sed durum valde est pro poenitente in gravi peccato remanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis, simplici confessario liceat a censuris S. Pontifici reservatis directe absolvere, injunctis de jure injungendis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem.“ S. Officium resp.: „*Affirmative,* facto verbo cum SS^mo^.“ Quod d. 18. Junii Leo XIII. confirmavit. (*Ephem. liturg.* XI, 526.)

Etiam d. 30. Martii 1892 idem S. Off. respondit: *Decretum diei 23. Junii 1886 omnino obligare, praximque contrariam tolerandam non esse.* Quod denuo Leo XIII. d. 2. Apr. confirmavit.

2. Si antiquam legem in *Corpore juris* indicatam respicimus, ex communi doctrinâ haec valent: a) Qui impeditus est *longissimo tempore sive perpetuo* (5 annos et ultra), absolvitur ab inferiore sine ullo onere; b) qui impeditus est *longo* tempore (a 6 mensibus usque ad 5 annos), absolvitur quidem, sed cum onere, sese postea, cessante impedimento, sistendi Superiori; c) qui impeditus est brevi tantum tempore, a casibus reservatis nunquam absolvitur, at si necessitas urget recipiendae sacramentalis absolutio-

nis, absolvi potest ab aliis peccatis, ita ut etiam reservata peccata indirecte deleantur, manente tamen reservatione aut etiam censurâ. Sed haec solis episcopalibus casibus applica, ac proin quoad magnam partem pro abrogatis habe, quum rarissimi sint, qui impediti possint censeri, saltem perpetuo, quominus adeant Episcopum.

411 **Explicatio.** Nota ad I. Etsi regulares a R. Pontifice delegatam potestatem absolvendi accipiunt, tamen — ut jam supra notavi — ipsis Summis Pontificibus disponentibus non possunt absolvere a casibus, quos Ordinarii sibi reservarunt, nisi ab his eam potestatem acceperint.

Ad II. 1. Tridentinum praeter Episcopum ipsum nominat ejus vicarium *specialiter deputandum;* quod jam communi interpretatione (v. S. Alph. l. 7 n. 93) sic intelligitur, ut Episcopus id possit committere, cui voluerit, etiam generali delegatione, ita ut solum specialiter nominari debeat haec facultas, sed necesse non sit, in singulis casibus ad Episcopum recurrere.

2. Quid possint praelati regulares circa absolutionem suorum subditorum, vide postea, quando de censuris agetur.

3. Privilegio speciali per facultates *quinquennales* vel *triennales* Episcopi, praecipue in dissitis regionibus, non raro accipiunt ampliorem facultatem in casibus speciali modo Romano Pontifici reservatis. Num vero accedat facultas subdelegandi et quo sensu, nimirum utrum generaliter, an pro singulis casibus specialiter tantum, ex instrumento privilegiorum colligendum est.

Olim regulares etiam privilegio *perpetuo* poterant absolvere a casibus R. Pontifici ordinario modo reservatis: quae privilegia per Constitutionem Pii IX. *„Apostolicae Sedis“* abrogata sunt. Nihilominus privilegia *ad certum tempus,* si quae erant, remanserunt integra, atque ejusmodi facultates etiam regularibus facilius iterum conceduntur. Sed quum in iis privilegiis nulla exsistat inter diversos ordines communicatio, unusquisque videre debet, quid per speciale privilegium possit.

412 Ad III. 1. Legitimus Superior hîc intelligitur etiam ille, qui a Superiore legitime deputatus erat ad absolvendum a casibus reservatis.

2. Ratio cur approbante S. Alph. etiam sacrilega confessio, si modo rite declaratum fuerit peccatum reservatum, reservationem auferat, haec est, quia Superior de hoc peccato legitime judicavit eique poenitentiam injunxit. Quare id etiam plane dici debet, poenitentiam pro tali peccato injunctam, etsi confessio fuerit nulla vel sacrilega, omnino praestandam esse.

Quod de sacrilega confessione reservationem auferente dictum est, speciem quandam exceptionis patitur in jubilaeo. Videl. confessio sacrilega non sufficit, ut aliquis vi jubilaei a *reservatione* peccatorum et censurarum solvatur. Nam tum conceditur poenitenti favor eligendi quemlibet confessarium, a quo absolvi possit a casibus reservatis, at solummodo eo fine, ut poenitens lucretur indulgentiam jubilaei: quare qui seriam voluntatem praestandi opera pro indulgentiâ praescripta non habet — quam utique non habet, qui sacrilege confitetur — illo favore uti nullatenus potest. Cf. hac de re, quae dicuntur postea de *indulgentiis et jubilaeo.*

3. Auferri autem reservationem etiam quacunque confessione, *utique validâ,* apud legitimum Superiorem ejusve delegatum peracta, etsi inculpabili oblivione omissum fuerit peccatum reservatum, ita ut postea *quilibet* confessarius id directe absolvere possit, a multis negatur, neque sane improbabiliter; immo prob*abilius* videtur utique negandum esse, siquidem Superior de ipsa causa reservata nullatenus cognovit neque ullam satisfactio-

nem imposuit. Nihilominus quum S. Alph. alteram opinionem etiam pro satis probabili habeat, non est cur eam practice amplecti non possimus: interna autem ratio haec potissimum affertur, quia Superior, quum confessionem exciperet, poenitentemque ceteroquin absolutione dignum reperiret, censeatur omne onus omneque vinculum ab illo auferre voluisse, quod potuerit; potuit autem saltem *reservationem* peccati ab eo auferre. In jubilaeo id extra omne dubium est relate ad eum, qui opera ad lucrandum jubilaeum perfecit: quo facto jus acquisivit ad usum eorum favorum, qui jubilaeum comitabantur et quibus ipse indigebat; quare postea favorem inceptum complere potest (cf. infra *de jubilaeo*).

Ad IV. 1. In articulo igitur mortis *simplex reservatio* omnino cessat, 413
neque poenitenti imponendum ullum onus est pro hypothesi, quod convalescat — nisi forte satisfactio et reparatio alteri debet praestari. Quando vero, si de *censuris reservatis* agitur, obligatio postea, si convaluerit, comparendi coram Superiore imponi debeat ab eo, qui alias potestate ab illa censura absolvendi destitutus est, exponetur infra *de censuris.*

2. Id quidem concedere debemus, licere simplici confessario poenitentem in periculo mortis positum *pro tunc* ab omnibus censuris absolvere, etsi adsit vel facile vocari possit ipse Superior. At quando pro casu reconvalescentiae onus coram Superiore comparendi imponendum est, *expedit,* rem statim cum Superiore componi.

Ad V. Norma nunc a S. Officio proposita relate ad casus papales clara est. Haec non distinguit inter casus cum censura et sine censura reservatos [1]. Quod autem dicit, recurrendum saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii, evidenter innuit, id *posse* fieri etiam per ipsum poenitentem. Recursum fieri acceptarique poenitentiam S. Sedis (vel *S. Poenitentiariae*), obligatio sane est *gravis.*

Loco recursus ad S. Sedem sufficit facere *recursum ad Episcopum* vel ejus *Vicarium generalem, si illi instructi fuerint facultate delegata* absolvendi a casu papali, de quo agitur; non autem sufficit recurrere ad quemlibet sacerdotem subdelegatum: ita ex decr. S. Off. d. 19. Oct. 1900 a Leone XIII. approb. (*Anal. eccl.* IX, 54). Ratio restrictionis postremae videtur esse, quod sacerdos subdelegatus possit in sola confessione rem tractare, non extra eam per litteras.

Verum aliquando ab omni recursu licet abstinere. Nam „si neque confessarius neque poenitens epistolam ad S. Poenitentiariam mittere potest, et durum sit poenitenti adire alium confessarium, *in hoc casu* liceat confessario poenitentem absolvere etiam a casibus S. Sedi reservatis absque onere mittendi epistolam". Neque tamen haec moderatio locum habet in casu *attentatae absolutionis complicis,* neque alias si solummodo poenitens non potest iterum ad confessarium redire ut sibi mandatum S. Poenitentiariae communicetur; potest enim vel ipse scribere (sume *sacerdotem*) vel per litteras confessarii mandatum S. Poenitentiariae recipere (S. Offic. d. d. 9. Nov. 1898 et 7. Junii 1899 ex *Anal. eccl. VII,* 6. 339). — *Alioquin* ut illa impossibilitas adsit, ex novo decr. d. 5. Sept. 1900 (v. *ib. VIII,* 489) „sufficit, quod *poenitens scribendi impar* eidem confessario, a quo vi decreti 1886 et 1897 absolutus fuerit, [iterum] *sè praesentare* nequeat, et ipsi durum sit, alium confessarium adire, licet confessarius absolvens pro poenitente epistolam ad S. Sedem mittere posset".

Antiqua norma in casibus *non-papalibus* etiam nunc aliquando usui 414
est; propterea ejus explicationem non duxi penitus esse supprimendam:

---

[1] Quod comprobatur resp° S. Poenit. 7. Nov. 1888 ad 1, exstante in Collect. S. C. Prop. F. n. 1013.

1. Multi auctores hoc discrimen statuerunt inter peccatum simpliciter reservatum et censuram reservatam, ut in priore casu *directa* absolutio *nunquam,* in posteriore vero occurrente impedimento longissimi longive temporis dari posset. At merito Mazzotta l. c. cap. 3 § 1 et § 2 putat, distinctionem illam necessariam non esse, neque eludi constitutiones ecclesiasticos, quae solum mortis articulum afferant, in quo liceat absolvere: nam 1) hoc fieri etiam, quando sermo sit de censuris reservatis, et nihilominus jus commune et communem doctrinam dare facultatem impeditos absolvendi; 2) onus cessante impedimento coram Superiore comparendi utique imponendum esse, nisi impedimentum censetur perpetuum. Illud autem est discrimen inter directam absolutionem et solam indirectam, quod qui solum indirecte absolutus est, non possit, prout libuerit, ad S. Communionem vel Missae celebrationem accedere, saltem si censura obstrictus manet, sed tantum, quando in singulis casibus urget *necessitas* celebrandi aut communicandi: nam quando de peccato sine censura reservato agitur, sunt qui putent, licere quoties *libuerit* ad S. Communionem vel Missae celebrationem accedere, si impossibilitas habendi directam absolutionem permanserit.

2. Onus illud comparendi coram Superiore sine dubio sub peccato gravi obligat: imo si de censura agitur, a qua aliquis cum onere postea Superiori se sistendi absolutus est, haec obligatio urgebat et urget etiam in casibus non-papalibus sub poena in eandem censuram recidendi.

3. Impedimentum, propter quod absolutio dari posset ab eo, qui per se facultatem non habet, intelligitur impedimentum personaliter Superiorem adeundi; nam 1) obligatio non est adire aliquem, qui speciali *privilegio* absolvendi a reservatis munitus sit: S. Alph. l. 7 n. 89; 2) neque est ex antiquâ normâ, pro casibus non-papalibus nondum abolitâ, communiter obligatio, adire Superiorem per literas, nisi forte Episcopus aliusve Superior id etiam pro suis casibus nunc urgeat. Cf. S. Alph. ib.

Attamen etiam quando obligatio non est, tamen *expedit,* ut per literas negotium componatur, aut ut poenitens ad confessarium privilegiatum dirigatur. Hoc enim modo onus illud postea coram Superiore comparendi, quod alioquin in poenitente saepe remanet, penitus aufertur. Atque propterea caritatis officium est, quod plerumque confessarius poenitenti praestare debet, ut, occurrente casu vel censura reservata, confessarius sibi potestatem absolvendi a legitimo Superiore petat.

415 4. Ut intelligatur, quinam haberi possint pro impeditis, exhibeo etiamnunc enumerationem S. Alphonsi. Quamquam enim S. Doctor recenseat eos, quos habeat impeditos a *Romano* itinere: inde tamen, mutatis circumstantiis facile quisque conjiciet, qui quando impediantur, quominus coram Episcopo appareant. S. Alphonsus igitur l. 7 n. 88 nominat eos, qui aut 1) sui juris non sunt in suscipiendo itinere Romano, 2) qui ob paupertatem impensis ferendis impares sunt, aut 3) viribus debiles ac propterea labori illi ferendo impares. Nihilominus nunc propter mutatas conditiones itinerandi non plane eadem impedimenta pro justa causa haberi possunt. Minus etiam omnes eos, quos S. Alph. refert, nunc pro *perpetuo impeditis* habere potes; sed hoc prudenti aestimationi relinquitur. Licet tamen eam regulam retinere: censeri eos pro *perpetuo* impeditis, quorum impedimentum *ultra quinquennium* duraturum praevideatur. Cum hac igitur observatione et regula accipe sequentem S. Alphonsi enumerationem.

1) Filii familias; 2) regulares (excepto excessu criminis enormi); 3) senes septuagenarii vel sexagenarii; 4) servi; 5) pauperes, nisi assueti sint mendicando vitam vagabundam ducere; 6) carceribus damnati et similes; 7) infirmi et debiles; 8) curâ obstricti sive publici muneris sive alendae familiae, quae sine gravi detrimento alieno deponi nequeat; 9) mulieres, nisi in speciali casu expresse contra mulieres statuatur reservata censura, ut in violatione clausurae, quo in casu semper recursus haberi debebat per literas ad legitimum Superiorem 10) impuberes; „denique, quicunque iter arripere nequeunt sine gravi damno spirituali vel temporali suo vel suorum.“

5. Quando autem aliquis propter instantaneam necessitatem atque impedimentum absolutione indiget, *nunc,* quando agitur de casibus *papalibus, brevis regula haec observanda est:* Poenitens, quum directe quidem, quamquam cum onere recurrendi ad tribunal Romanum, *absolvi possit* a censuris et a peccatis, *omnia peccata statim confiteri debet. Antea* in instantanea necessitate et impedimento non diuturno haec defendi poterant universim, quae *etiamnunc* valent in casibus *non-papalibus:* 1) poenitens, quum directe a peccato reservato absolvi nequeat, summo jure non tenetur *illud* peccatum confiteri, nisi confessarius ex justa causa interrogaverit; 2) *debet* vero alia peccata gravia, si quae commisit, integre confiteri, si necessitas sumendae S. Eucharistiae urget, aut si utcunque ex gravi causa confessionem facere vult; 3) si vero nullum peccatum grave praeter reservatum commisit, tenetur, si absolvi vult aut propter defectum perfectae contritionis absolvi debet, materiam aptam, i. e. peccatum veniale aut peccatum grave praeteritae vitae, clavibus subjicere; 4) quodsi ipsi de perfecta contritione satis constat, in necessitate *atque solummodo in necessitate,* omissa omni confessione, ad S. Eucharistiam accedere potest. S. Alph. l. 6 n. 585.

Appendix.

Quid juris sit relate ad regulares in casibus apud eos reservatis, 416
praestat hîc uno conspectu exhibere.

Clem. VIII. decreto a S. Congregatione, ipso jubente, ad omnes ordines regularium transmisso 26. Maji 1593 haec statuit (v. illud decr. in Bullar. Romano inter Constit. Urbani VIII. Const. 28):

1. Ut nemo ex regularium Superioribus, *nisi accedat post maturam discussionem consensus Capituli generalis, aut resp. provincialis,* sibi reservet peccata, nisi sequentia aut aliquot eorum:

1) Veneficia, incantationes, sortilegia.
2) Apostasia a religione, sive habitu dimisso sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa monasterii seu conventûs fiat egressio.
3) Nocturna ac furtiva e monasterio seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.
4) Proprietas contra votum paupertatis, quae est peccatum mortale.
5) Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo.
6) Procuratio, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto.
7) Falsificatio manus aut sigilli officialium monasterii aut conventûs.
8) Furtum de rebus monasterii seu conventûs in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.

9) Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.
10) Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cujusque personae.
11) Malitiosum impedimentum aut retardatio, aut aperitio literarum a Superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad Superiores.

2. „Non liceat Superioribus regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte ac[1] proprio motu id ab iis petierint.“[2]

417 3. „Superiores in singulis domibus deputent duos, tres aut plures confessarios pro subditorum numero majore vel minore; iique sint docti, prudentes, charitate praediti, qui a non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse imprimis confessarius judicaverit.“

Imo, ut in Bullario legere est l. c., „Sanctitas sua deinceps declaravit et declarat, ut si hujusmodi regularium confessariis casûs alicujus reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus confessarii *illa vice* poenitentes regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere.“

At nequaquam inde sequitur, Superiorem nunquam legitime facultatem absolvendi a reservatis denegare posse, aut confessarium, si Superior id denegaverit, semper tuto absolvere posse. Nam si relapsus, externa peccandi occasio, damnum alienum, maxime communitatis etc., occurrerit, obligatio esse potest pro poenitente ipsum Superiorem adeundi: quare in ejusmodi circumstantiis confessarius, facultate non obtenta, absolvere non potest. Quod bene exponit Pawels *de casibus reservatis* p. I n. 506 et sq. Hinc necesse non erit recurrere ad concessionem ab ipso Clem. VIII. vivae vocis oraculo Societati Jesu datam, „ne judicium a reservatis absolvendi absolute confessariis relinquatur, sed liceat interdum Superiori pro ratione sui officii hujusmodi facultatem denegare“; neque essentialis mutatio facta est ex eo, quod Urb. VIII. *omnia* vivae vocis oracula a se suisque praedecessoribus unquam data revocavit. Cf. etiam Busenb. et Lacr. l. 6 p. 2 n. 1599 VI, Suarez *de relig.* tr. 4 l. 8 c. 5 n. 10.

Insuper Clemens VIII., postquam § 3 omnem usum notitiae sacramentalis ad externam gubernationem illicitum prorsus esse declaravit, Superioribus hanc facultatem inesse dicit:

4. „Licebit tamen Superioribus determinare poenitentias graves quibusdam peccatis etiam non reservatis a confessariis imponendas[3], quae subditos ab iisdem perpetrandis cohibere possint.“

---

[1] Plerique scriptores referunt verba „*aut* proprio motu“, ut Lacroix, Tamb., Ballerini etc.: sed Bullarium Rom. habet „ac“, ita etiam Pawels, qui non omittit notare, sensum esse diversum, siquidem ‚*sponte*‘ etiam illi accedere possunt, qui per Superiorem ad id permoti fuerint.

[2] Si quae singularis dispensatio ab aliqua parte hujus Constitutionis facta est, id ipsi cujuslibet ordinis socii videre debent: id solum observo, ea, quae vivae vocis oraculis innituntur, non posse valere, nisi data sint post revocationem horum oraculorum ab Urbano VIII. 20. Dec. 1631 Const. *„Alias felic. record.“* factam.

[3] Fuerunt, qui putarent, Superiorem posse etiam in aliis casibus, i. e. nondum per se in ordine reservatis, excommunicationem sibi reservatam infligere, ut Suarez *de relig.* tr. 8 l. 2 cap. 18 in fine n. 17, Castropal. *de poenit.* punct. 15 § 1 n. 6: at S. Congr. Ep. et Reg. 7. Julii 1617 contrarium statuit. Cf. Ben. XIV. *de syn. dioeces.* l. 5 cap. 5 n. 5.

5. Adde postremo decretum S. C. Ep. et Reg. 16. Aug. 1866, dio 17. ejusdem approbatum et confirmatum a Pio IX., quo ad propositum dubium de temperandis constitutionibus Clementis VIII. et Urb. VIII. sancitum est: „Serventur decreta Clementis VIII., Urbani VIII., ita tamen, ut in (praefatis) *parvis communitatibus* Superiores omnino debeant deputare habitualiter unum confessarium ex religiosis proprii ordinis, qui facultatem habeat absolvendi a casibus et censuris in ordine reservatis."

Casuum illorum reservatorum explicationem v. Pawels l. c. Migne *curs. theol.* t. 18, Castrop. tract. 23 punct. 15 § 2 et § 3, Tamb. l. c., Lacroix l. 6 p. 2 n. 1600 et 1668 sqq.

Caput II.

De confessarii potestatis atque muneris essentialis exercitio.

Cfr. hac de re S. Alph. *praxis confess.;* Reuter *neoconfessarius* p. I.; Gaume *manuel des confesseurs*; Lacroix l. 6 p. 2 n. 1699 sq.; Tamb. *meth. conf.* l. 3; Tappehorn *Verwaltung des Busssacramentes;* similiter diversos scriptores de theologia pastorali, ut Gassner, Schuech, Renger, *Aertnijs* etc.

Essentiale munus, quod confessarius in confessionibus excipiendis 418
exercet, *judicis* officium est. Alia officia, quae in poenitentiae sacramento administrando occurrunt, officia *accessoria* vocari possunt, non quod sint levioris momenti — imo maximi momenti sunt —: sed quia ad judicis munus rite exercendum disponunt atque ad illud tandem diriguntur. Etsi enim sacramentum ejusque essentialis fructus judiciali absolutione percipitur: confessarius tamen, nisi alia officia, quae accessoria vocamus, attendet, satis steriliter munus suum exercebit, atque abundantiore fructu, quem fideles in sacro tribunali haurire possunt, illos destituet; imo ne ipso quidem judicis munere rite fungi potest.

Sed de his infra tractaturi sumus.

Porro judicis est: causam recognoscere; meritum rei ad sententiam recte ferendam, seu poenitentis dispositionem, inquirere; sententiam dicere.

§ 1.

De causa recognoscenda.

Confessarius in hac causa, quae agitur inter Deum et hominem peccatorem, quodammodo medius inter utrumque constituitur, atque sicut ad peccatorem juvandum Deoque reconciliandum adlaborare debet, ita etiam divinum jus protegere divinaeque justitiae ordinem sartum tectum servare debet. Itaque imprimis curandum ei est, ut, quae divino jure statuta sunt circa confessionem eamque integram, impleantur.

I. Confessarius opportuna interrogatione supplere debet, si prudenter judicet, a poenitente quaedam dictu vel cognitu necessaria omitti. Lacr. n. 1745.

II. De peccatis auditis eorumque malitia sibi aliquod judicium efformare debet.

III. Illud judicium ac peccatorum, quae audivit, recordatio in tantum requiritur, ut confessarius de statu morali poenitentis ejusque dispositione pro recipienda absolutione recte judicet poenitentiamque convenientem imponat: alia in ipso actu absolutionis *memoria* peccatorum non requiritur.

419 Ad I. **De officio interrogandi.** 1. Si poenitens in integritate confessionis deficere videtur, confessarius eum interrogare debet. *Rituale Romanum* dicit: „Si poenitens numerum, species et circumstantias paccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget.“

2. Quae confessarii obligatio, quamquam in se gravis est, tamen facilius aliquando parvitatem materiae admittere potest, i. e. in iis ipsis rebus, quae poenitens per se sub gravi dicere debeat seu in materia confessionis necessaria. Quum enim confessarius in longa serie confitentium de omnibus coram Deo respondere debeat, longe gravius, quam quod singuli poenitentes circa integritatem confessionis onus habent, sentit: quare non solum verum est, quod Billuart dicit: „Si ex levi negligentia, ex inadvertentia, memoriae labilitate, humana distractione, spiritûs defatigatione, nimia attentione in confessionibus audiendis etc. aliquid etiam necessarium inquirere omittat, nullum aut leve tantum erit peccatum: nemo enim tenetur cum tanta difficultate et morali impossibilitate alienos defectus supplere“; sed etiam rationabiliter dici videtur, quod Gury putat, si una alterave interrogatio per se necessaria in longa confessionum serie, non malitiose, omittatur, ex ipsa materiae parvitate grave peccatum abesse. Gury *casus conscientiae* II. n. 669.

3. Obligatio interrogandi in confessario quum sit tantum secundaria, i. e. in defectu poenitentis, secundum conditiones diversas poenitentium diversa est, ita ut confessarius non teneatur plus interrogare, quam poenitens pro suo statu et capacitate accusare. Quare si moraliter certum est, poenitentem non attendisse neque nosse certarum circumstantiarum malitiam superadditam, confessarius de illis interrogare non tenetur. Lacroix n. 1748 cum aliis.

4. Interrogatio necessaria non est relate ad eos poenitentes, qui ex se satis instructi et diligentes in enumerandis peccatis videntur, ut poenitentes pii, qui frequenter confitentur, religiosi, sacerdotes etc., nisi forte ex eorum accusatione pateat aut gravis suspicio concipi debeat, aliquid necessario exprimendum praetermitti. Quod si fiat, nullo respectu poenitentis habito, eo magis interrogatio instituenda est, quo magis fortasse poenitens praxim suam negligenter confitendi a confessario transmissam in exemplum audiendarum confessionum trahere possit.

420 5. Interrogatio, si quae necessaria est, debet esse moderata, discreta, honesta, videlicet:

a) Ne interrogentur poenitentes de iis rebus, quas commissas esse verisimile nullatenus est; non enim de omnibus possibilibus peccatis interrogari debent; sed factis quibusdam interrogationibus de peccatis magis consuetis pro poenitentis conditione, videatur, num responsa data ansam praebeant ulterius inquirendi, aliter interrogetur poenitens in genere, num quid praeterea habeat, quod conscientiam gravet. Quodsi post breve tempus

recollectioni concessum neget, sibi aliud dicendum restare, non est, cur confessarius inquirere pergat. Ceterum saepe utile est, opportuno tempore exhortationem *sincerae* confessionis intermiscere.

b) Neque quidquam confessarius interroget, unde poenitentes peccare discere possint. Quod potissimum observari debet in confessionibus puerorum. Quare si qua ratio vel suspicio est, cur de peccatis turpibus interrogentur, confessarius quasi e longinquo generalibus omnino quaestionibus incipiat, et pro responsis datis videat, quid amplius inquirendum sit.

In dubio autem, an poenitens ex verbis confessarii, quod ignoraverat, discat aut curiositate allectus inquirere aut tentare incipiat: omnino servanda est regula: „Melius est in multis deficere (sc. relate ad integritatem), quam in uno abundare " (i. e. in probabilem ruinam poenitentis).

c) Si quid interrogari debet de rebus inhonestis, id quam verecundissime et quam brevissime fiat. Imo si poenitens verbis crudioribus utitur, modeste moneatur, ut decentius rem exprimat. — Accidere potest, ut imprudens confessarius aliter agens incurrat denuntiationem, ac si sollicitationis reus sit.

Quare etiam cum conjugibus non debet sine gravi ratione vel *fundata* suspicione sermo incipi de debito conjugali. Expedit plerumque, solummodo generatim uxorem interrogare, num viro in suis officiis obediverit, vel num in matrimonio vere christiane vixerint. Quodsi in conjugali debito aliquid commissum fuit, quod conscientiam premat, occasio poenitenti praebetur, id ex sese exprimendi; tum confessarii est sive inquirere magis, sive instruere et docere — quod plerumque breviter omnino fieri potest.

„Sed caveat, ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, praesertim juniores utriusque sexûs vel alios de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant." Rit. Rom.

Ad II. **De judicio circa peccata.** 1. Judicium illud, quod confessarius 421
ferre debet de malitia peccatorum, quae audit, eo ipso habetur, quod peccata prout facta sunt audit, si modo habitualem scientiam habeat, ex qua sciat distinguere inter peccata objective gravia et levia, eorumque specificam malitiam. Non enim cujusvis specificae malitiae expressam et distinctam ideam sibi efformare debet.

2. Num vero *subjectiva* malitia rei objecto respondeat (quod plerumque praesumi debet), non semper sciri potest; imo etsi interroges, qua conscientia hoc et illud factum sit, non semper certum quid comperies. Quare, nisi poenitens satis instructus est, *id* interrogare saepe inutile est, siquidem pro modo interrogandi diversa responsa dabuntur; sed, si potest, ex praesumptione tunc confessarius *probabile* judicium sibi faciat, dubia Deo relinquat: aliter quoad eas interrogationes, 1) quae plenam perfectamve advertentiam atque consensum confessario manifestare poterunt, 2) quae pro circumstantiis diversis rem ipsam objective gravem aut levem fuisse ostendunt.

3. Hae ultimae interrogationes per se faciendae sunt, si accusatio poenitentis id dubium relinquit, utrum materia gravis fuerit, an levis; neque unquam offendi potest poenitens, cujuscunque conditionis sit, si confessarius haec interrogaverit. At necessarium non est *semper*, haec interrogari: *aliquando* enim ex praesumptione etiam in hac re confessario procedere licebit, ut ex nota poenitentis conscientia, aliisve similibus adjunctis, idque tum in favorem poenitentis, tum contra ipsum.

In hunc finem Gobat habet haec tract. 7 n. 338: „Si religiosus *a castitate mihi notus*, diceret, se semel turpia locutum esse, praesumerem haec esse scurrilia, non contra castitatem.“ Attamen haec potius per exceptionem dicuntur; nam generalis regula est, ut, si brevi interrogatione confessarius *dubium* de gravi aut levi peccato solvere possit, hanc instituere debeat.

Mazzotta l. c. Q. II. cap. 2 § 2: „Si confessarius (involuntarie sive casu) distrahatur, et ob notam sibi conscientiam poenitentis praesumere possit, id quod non intellexit, esse quid leve, nec possit sine ejus molestia interrogare, potest tacere et absolvere.“ — Imo addit Gobat, quod, si per experientiam sciat, suum poenitentem non solere committere mortalia, sed tantum se accusare v. g. de mendaciis (intelligo, confessarium scire, poenitentem communiter sese accusare cum certo dolore de peccatis gravioris mendacii ex praeterita vita), possit illum absolvere, etiamsi ob distractionem non sit memor ullius peccati ab eo expressi: sed pro praxi expedit, ut jubeat repeti unum saltem veniale, puta ultimum, et sic absolvat.

422 Cavendum tamen est, ut jam monui, ne, quae pro casu extraordinario dicta sunt, laxius et generalius applicentur. Ultima jam tetigerunt ea, quae dixi in principio III., scil. de **recordatione necessaria.**

Ad III. Confirmandi causa affero, quae Suarez *de poenit.* disp. 22 sect. 6 n. 7 habet, ubi refert sententiam Medinae, Hadriani, S. Antonini, Sylv., Navar., et approbans dicit: „Memoria sacerdotis non est necessaria ad absolvendum, sed ad taxandam poenitentiam.“ — Mazzotta loco modo cit. ita ait: „Si confessio fuerit valde longa, vel interrupta, satis est, si (confessarius) recordetur vel peccatorum in confuso, vel statûs poenitentis, vel poenitentiae impositae; et sic, si confessio fuerit interrupta per aliquot dies, sufficit, si poenitens uno verbo dicat: ‚Accuso me de omnibus, quae jam dixi‘ — addendo tamen alia, si forte de novo occurrerint.“

NB. Etsi confessarius mediocrem scientiam habere debet, ex qua habitualiter discernat specificas peccatorum malitias, atque, quid mortale, quid veniale peccatum in singulis praeceptis sit, sciat: tamen, si ex inscitia in illo judicio erravit, bona nihilominus est confessio, neque poenitens ad aliud quidquam tenetur, dummodo objective omnia necessaria declarata fuerint neve fortasse confessarius indebite a reservato peccato absolverit.

§ 2.

De dispositione poenitentis inquirenda.

423 Quum absolutio aut concedenda aut non concedenda maxime pendeat e dispositione rite habita, circa hanc confessarius pro officio suo inquirere debet: praesertim quum dispositio illa, in dolore et proposito consistens, hujus sacramenti etiam quasi-materia sit, qua deficiente, absolutio omni vi atque valore destituatur.

At quamquam communiter in aliis sacramentis materia morali certitudine certa requiritur, ut sacerdos licite operetur: in *hoc* sacramento illa moralis certitudo longe latius sumi debet, nisi sacramenti hujus administrationem, contra Christi institutoris voluntatem, volumus reddere odiosam atque etiam moraliter impossibilem.

I. De dispositione itaque poenitentis sufficit et communiter requiritur *prudens judicium*, quod aliqui quandam moralem certitudinem vocant, alii veram probabilitatem simul cum exclusione gravis rationis contrariae.

S. Alph., quamquam moralem quandam certitudinem necessariam esse dicit, tamen quid intelligat, eodem loco l. 6 n. 461 explicat: „Sufficit, quod confessarius habeat prudentem probabilitatem de dispositione poenitentis, et non obstet ex alia parte prudens suspicio indispositionis."

II. Hoc judicium imprimis efformatur *ex ipsa sincera poenitentis declaratione* seu assertione, nisi aliunde ejus assertio suspecta reddatur, seu grave praejudicium contra ejus dispositionem exsurgat.

III. Quando igitur *ex adjunctis tale praejudicium grave* seu gravis 424
suspicio contra poenitentem ejusque dispositionem habetur: ad poenitentis assertionem pro adminiculis probandae dispositionis *accedere debent alia quaedam argumenta plus minusve gravia,* quae ad talem suspicionem sive minuendam sive penitus tollendam apta sint. Quae a multis vocantur „signa doloris extraordinaria". Attamen in re aliqua *extraordinaria* insistendum non est. Neque quodlibet horum signorum — quae infra habes assignata — in quibuslibet adjunctis certam probationem facit.

IV. Casus praecipui, in quibus *grave praejudicium contra poenitentis dispositionem* facile exsistat, sunt sequentes ex sententia S. Leonard. a Portu Mauritio:

1) si poenitens semper eodem modo aut pejore relapsus est, ita ut nullum vestigium neque spes ulla emendationis appareat;

2) si poenitens sat frigide tantum respondet se dolere, praecipue si jam saepius relapsus est;

3) si poenitens revertitur cum iisdem peccatis neque remedia a confessario indicta adhibuit;

4) quando poenitentes sunt, qui totum studium in satisfaciendo suis passionibus collocaverunt;

5) quando accessus ad sacramentum non fit nisi jussu parentum, magistri, aut ex mera consuetudine festorum dierum, aut ex humano respectu;

6) quando poenitens peccata sua temere excusat, vel cum confessario contentionem atque altercationem instituit, a fortiori quando jactantiam de peccato commisso prae se fert;

7) quando poenitens recusat rationabilem poenitentiam sive medicinalem sive vindicativam;

8) quando poenitens magnum affectum ad peccatum ostendit, aut magnam utilitatem magnamve voluptatem ex peccato hausit.

V. *Plane indispositus* est ille, qui aut dolore supernaturali, aut 425
vero proposito certe caret: praecipue igitur quilibet, qui gravem aliquam obligationem implere recusat, v. g.:

1) qui peccandi occasionem proximam atque liberam dimittere non vult;

2) qui inimicitias vel odium deponere, reconciliationem instituere renuit;

3) qui restitutionem vel reparationem necessariam non vult facere;

4) qui artes peccaminosas relinquere recusat;

5) qui ad habitum pravum corrigendum se adlaboraturum esse non vult promittere;

6) qui remedia *necessaria* non admittit;

7) qui scandalum, quod aliis praebuit vel praebet, auferre paratus non est.

VI. *Dubie dispositus* non dicitur ille, qui tantum non omnino certam, at vere probabilem justae dispositionis probationem affert; sed ille, contra quem grave praejudicium ex positivis indiciis adest, quod aliquatenus quidem, sed non cum satisfactione dissolvit, ita ut fundata ratio supersit eum pro non satis disposito habendi.

426 **Uberior explicatio.** Nota ad I. Sicut in aliis sacramentis accidere potest, ut cum dubia materia administrari possint et debeant, ita etiam in sacramento poenitentiae; ideoque etiam aliquando necesse non est, ut habeam positivum judicium fundatum de dispositione ejus, quem absoluturus sum. De quo confer mox dicenda in sq. § et supra de conditionata forma sacramenti poenitentiae.

Ad II. recole, quae Suarez *de poenit.* disp. 32 s. 2. dicit: „Priusquam absolvat (confessarius), necesse est, ut prudenter et probabiliter judicet, poenitentem esse dispositum: quia alias se exponeret periculo errandi, et sine sufficienti cognitione operaretur. Explicandum superest, quid debeat facere confessor, ut hoc prudenter judicet, et suae conscientiae satisfaciat. In quo (secundo) est observandum, hanc dispositionem poenitentis ex duobus consurgere, sc. displicentia praeteritorum et proposito in futurum. Et quidem quod ad displicentiam attinet, facile sibi potest satisfacere confessor; quia si poenitens in ipso modo confessionis et accusationis suae praebet signa doloris, vel certe, si est homo non valde rudis et apparet moratus, nullam diligentiam in hoc tenetur confessor adhibere: bene tamen semper faciet, proponendo et consulendo detestationem peccati; et quando non habet sufficientia signa doloris, potest et debet interrogare poenitentem, an ex animo detestetur peccatum, cui affirmanti credere tenetur. Et hoc idem dicendum est de proposito in futurum, quando ex confessione non oritur specialis aliqua obligatio restituendi, vel relinquendi aliquam occasionem proximam peccandi, sed solum communis et generalis obligatio non peccandi de cetero.“ Monuerim, ut *suggerat* confessarius motiva doloris etc.

Hic autem casus restitutionis faciendae, occasionis relinquendae pro exemplis afferuntur, ita ut ad *similes quoque causas*, quae grave dubium de dolore et proposito poenitentis causent, extendi debeat peculiaris quaedam et major inquisitio in poenitentis dispositionem.

427 Ad III. Signa, quae majorem et specialem probationem doloris vel propositi, si qua requiritur, subministrare possint, ex S. Alph. l. 6 n. 460, Reuter *Neoconf.* n. 177 aliisque haec habentur:

1) dolor major per lacrymas, suspiria manifestatus, — quamquam nec lacrymis nec suspiriis semper fidendum est;

2) extraordinario motivo ad confessionem instituendam inductum esse, v. g. repentina amici morte, concione etc.;

3) ad confessarii exhortationem meliorem peccati cognitionem et detestationem concepisse;

4) peccata diu celata nunc tandem confessario manifestare;

5) numerum peccatorum notabiliter minuisse, quando circumstantiae eaedem manserant —: non vero, quando poenitens morbo similive causa a peccando impeditus fuit;

6) restitutionem re ipsa fecisse, occasionem sustulisse, aliamve difficilem obligationem implevisse;

7) intuitu confessionis bene instituendae sponte auxisse preces, dedisse eleemosynas, jejunium aliave opera bona suscepisse;

8) sponte a confessario apta remedia inquirere, remedia indicata libenter suscipere, vel, si antea indicata nondum erant, eorum usum sincere promittere;

9) poenitentiam difficilem libenter admittere, atque ad satisfactionem Deo praestandam sese offerre;

10) saepe ipsa spontanea confessio, non ex praecepto Ecclesiae, neque parentum aliorumve auctoritate et jussu, neque ex sola consuetudine instituta, sufficiens signum erit.

§ 3.

De sententia ferenda sive absolutionis sive retentionis peccatorum.

I. Absolutio generatim *danda* est, idque communiter sub gravi, si 428
poenitens *certo* dispositus est. Nam tunc certum jus habet suscipiendi sacramentum, quod Christus pro fidelibus eorumque spirituali utilitate instituit; idque eo magis, quod confessarius poenitentem admittens ejusque confessionem excipiens ex quasi contractu sese obligavit ad sententiam secundum Christi institutionem ferendam.

II. Absolutio *deneganda* est iis, qui sunt certo indispositi, donec dispositionem bonam ostendant. Imo si de dispositionis defectu certo constat, confessarius semper grave sacrilegium committit, si — quaecunque tandem necessitas poenitentis est — sacramentalem formam, prorsus in vanum, proferre conatur.

III. Absolutio *differenda* est iis, qui sunt plane dubie dispositi secundum ea, quae § praec. explicata sunt, nisi forte gravis ratio urgeat, cur sub conditione absolutio proferri possit vel pro adjunctis debeat: aliae rationes, cur aliquando absolutio differri debeat, *extrinsecus* oriuntur.

IV. Quoniam vero inter *certam* et *plane dubiam* dispositionem multi gradus et differentiae exsistunt, fieri potest, ut poenitens ejusmodi dispositionem praebeat, quae tam certa non sit, ut debeat statim absolvi, sed quae neque tam dubia sit, ut absolutio debeat negari vel differri.

Quare pro majore vel minore dubio, quod contra poenitentem rationabiliter concipitur, ex diversis adjunctis relapsus praecipue vel occasionis peccandi, aliquando poenitens absolvi absolute poterit, sed non debebit.

Explicatio. Ad I. **De danda absolutione.** 1. Quando certa est 429
dispositio, contra quam *nulla* ratio appareat, vix unquam causa adesse

potest, cur expediat aut liceat absolutionem suspendere seu differre, nisi forte ipse poenitens velit ad copiosiores fructus ex sacramento hauriendos sese melius disponere. — Ceterum id experimenti causa facere vel ad probandos poenitentes, ordinarie praxis erit contraria spiritui Christi et Ecclesiae; neque ecclesiastica praxis nostris temporibus vigens patitur absolutionis dilationem ob hanc causam, ut poenitens ante absolutionem poenitentiam agat, imo ne unquam quidem haec generalis praxis in poenitentiae sacramento observata est, ut ante absolutionem poenitentia canonica debuerit esse finita: quod Frank *primorum saeculorum christian. vigens disciplina poenitentialis* seu *Bussdisciplin der ersten christl. Jahrh.* 5. Buch 6. Kap. § 2, et Palmieri *de sacram. poenitentiae* append. § 2 n. 9 sq. monstraverunt.

2. Imo poenitenti certo disposito absolutio danda est, etsi de solis venialibus peccatis accusatio fit, si modo de his verum dolorem verumque propositum se habere ostendat. Attamen eam non semper impertiri, sed aliquando solam benedictionem dare, ex se non est gravis injuria; accedente rationabili causa, nullum peccatum est.

Ad II. **De absolutione deneganda.** 1. Hac in re confer ea, quae praec. § dicta sunt de *indispositis*. Id vero maxime notandum est, confessarii munus esse, eos, quos indispositos repererit, suasione et exhortatione omnique conatu disponere, ac tum demum eos ut indispositos dimittere, si omnis zelus atque conatus incassum fuerit: imo etiamtum summopere cavendum est, ne confessarius eos aspere tractet et a se rejiciat; sed misero eorum statu summoque damnationis periculo ante ipsorum oculos posito, ostendat confessarius, se summo gaudio affectum iri, si tandem aliquando seria agatur poenitentia, seque paratum esse quovis tempore ipsos recipere, quum primum divinis mandatis obtemperare voluerint [1].

---

[1] Praeclarissima documenta de agendi ratione confessarii prudentia et caritate plena habemus in encyclica Leonis XII. 25. Dec. 1825 *„Caritate Christi“* ad omnes Episcopos data, qua extensionem jubilaei ad universum catholicum gregem decrevit. § 5 Summus Pontifex ita loquitur: „Sed ut (populi), quae docti fuerint, efficere cum fructu possint, quam necessaria sit apta et opportuna sacerdotum opera, apud quos confiteri peccata sua debeant, probe intelligitis. Quamobrem curandum sedulo vobis est, ut ii, quos ad confessiones audiendas deligitis, ea meminerint ac praestent, quae de ministro poenitentiae praecepit praedecessor Noster Innoc. III., ut scilicet sit discretus et cautus, ut more periti medici similiter infundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi debeat consilium praebere et ejusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum; habeatque prae oculis documenta illa Ritualis Romani: videat diligenter sacerdos, quando et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem desercre, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant. Quae quidem nemo non viderit, quam longe ab eorum ratione distent, qui, ut gravius aliquod audiunt peccatum, aut aliquem sentiunt multiplici

2. Hîc etiam illa causa inquirenda est, quid faciendum sit, si poenitens videatur non sincere peccata accusare, sed ea reticere. Videlicet potest confessarius cognovisse peccatum a poenitente factum, de quo ipse silet. Undecunque confessarius illam notitiam habet, ante omnia perpendere debet, utrum poenitens fortasse potuerit illud non pro peccato habere, an oblivioni tradere, an confessione apud alterum jam facta deponere, an aliam quandam causam habere, quae ipsi justa videatur reticendi. In quolibet horum adjunctorum tandem potius poenitenti credendum est, neque ut indispositus tractari potest.

Si vero nulla excusatio ejusmodi suppetit, sacerdos vero notitiam habeat a) ex aliorum relatione extrasacramentali: pro circumstantiis diversis plus minusve urgere poenitentem debet atque fortasse etiam audita proponere, in negando vero persistenti tandem potius credendum est, quam aliis, qui in narrando errare potuerunt: ita saltem communiter;

b) si sacerdos oculis suis crimen patrantem viderit, neque errandi pos-

---

peccatorum genere infectum, statim pronuntiant, se non posse absolvere: iis nempe ipsis mederi recusant, quibus maxime curandis ab eo sunt constituti, qui ait: ‚non est opus valentibus medicus, sed male habentibus'; aut quibus vix ulla scrutandae conscientiae diligentia, aut doloris ac propositi satis videtur significatio, ut absolvere se posse existiment: ac tum demum tutum se cepisse consilium putant, si homines in aliud tempus absolvendos dimiserint. Si enim ulla in re servanda est mediocritas, in hac potissimum servetur necesse est, ne vel nimia facilitas absolvendi facilitatem afferat peccandi, vel nimia difficultas alienet animos a confessione, et in desperationem salutis adducat. — Sistunt se quidem multi poenitentiae ministris prorsus imparati, sed persaepe tamen hujusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo sacerdos viscera indutus misericordiae Christi Jesu, qui non venit vocare justos, sed peccatores, sciat studiose, patienter et mansuete cum illis agere. Quod si praestare praetermittat, profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum, quam ceteri ad confitendum accedere. Imparati enim illi tantummodo sunt judicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a confessione; — misericordiae enim Domini non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; — vel qui rudes conditione aut tardi ingenio non satis in seipsos inquisierint, nullâ fere industriâ suâ id sine sacerdotis ipsius operâ assecuturi; sed qui, adhibitâ ab eo necessariâ, non qua praeter modum graventur, in iis interrogandis diligentiâ, omnique in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis, non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus, exhaustâ caritatis industriâ, sensu tamen doloris ac poenitentiae, quâ saltem ad Dei gratiam in sacramento impetrandam disponantur, carere prudenter judicentur. Quocunque autem animo sunt, qui accedant ad ministrum poenitentiae, nihil ei magis cavendum est, quam ne sua culpa diffisus quispiam Dei bonitati, aut sacramento reconciliationis infensus discedat. Quare si justa sit causa, cur differenda sit absolutio, verbis, quoad poterit, humanissimis persuadeat confessis necesse est, id et munus officiumque suum, et eorum ipsorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quamprimum blandissime alliciat, ut, iis fideliter peractis, quae salubriter praescripta fuerint, vinculis soluti peccatorum gratiae coelestis dulcedine reficiantur. Aptissimo ejus caritatis exemplo inter ceteros esse potest S. Raymundus de Pennafort, quem insignem poenitentiae ministrum appellat Ecclesia. Cognitis peccatis — inquit — adsit (confessarius) benevolus, paratus erigere et secum onus portare; habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate, adjuvet confitentem orando, eleemosynas et cetera bona pro eo faciendo, semper eum juvet leniendo, consolando, spem promittendo, et, quum opus fuerit, etiam increpando."

sibilitas subsit, poenitentem convincere potest et debet: qui si *contra manifestam veritatem* infitiari pergat, ut indispositus absolvi nequit — quod sane rarissimum erit;

c) si tandem ex aliena confessione (ut alterius ex sponsis) res certa atque indubitata est (neque alter complex apud alium confessarium jam instituit confessionem, cujus sive cum restrictione sive cum veniali mendacio mentionem facere nolit): confessarius certus quidem esse potest de indispositione poenitentis, at non potest insolito modo, i. e. plus quam secus facere potuit, inquirendo persistere, ne sigillum laedat; utrum vero absolutionis formam pronuntiare, an dissimulando alias preces super poenitentem recitare debeat, non una est theologorum sententia. S. Alph. n. 631.

In hoc ultimo casu posse confessarium, poenitente non advertente, dissimulando alias preces recitare, per se non est negandum, quia nihil fit in odium prioris confessionis, quum *veram* absolutionem complici dari impossibile sit. At *debere* confessarium id agere, negandum est. Nam sola ratio, cur ita agere debeat, haec excogitari possit, quod sine ullo poenitentis gravamine vel ulla prioris confessionis manifestatione sacrilegium impediri possit. Sed non ita est; poenitens enim, qui praesens est, sacrilegium tam certo committit, si confessarius absolutionem non pronuntiat, quam si pronuntiat. Confessarius vero materialem tantum cooperationem praestat; ad quam impediendam non videtur obligatus esse, ut utatur notitiâ ex alterius confessione haustâ. Nam regula communiter vera est, quam tradit Gobat tr. 7 n. 875: „Confessarius ex rebus in confessione auditis non obligatur quidquam sive intra sive extra confessionem facere vel omittere, ad quod non obligaretur, si tota vita non excepisset ullam confessionem"; exciperem ab hac regulâ a Gobat datâ, si confessarius sine ullo gravamine poenitentis vel confessionis odio impedire possit injuriosam rerum divinarum tractationem vel aliquid simile (v. infra de sigillo n. 467); quod hîc non obtinet.

430 Ad III. **De dubia dispositione et absolutione differenda.** 1. Dubie dispositi *absolvi omnino debent* sub conditione *in articulo mortis:* de quo ne potest quidem ulla controversia excitari.

Imo id etiam conceditur communiter atque a S. Alph. n. 432 IV approbatur, posse etiam alias poenitentem dubie dispositum conditionate absolvi, si ipse bona fide putat se satis dispositum, atque gravis ratio est timendi, ne propter negatam dilatamve absolutionem in pejus ruat, i. e. aliud sacrilegium committat, aut omnino a sacramentis alienetur.

Tunc enim post diligentem conatum adhibitum confessarius pro prudentia et zelo suo recordari debet misericordiae Christi Domini, cujus instrumentum est, qui „calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet". Is. 42, 3.

2. Alias vero, quando gravis ille timor non est, dubie dispositis tamdiu differenda absolutio est, donec melius se dispositos probaverint: quod praecipue accidere potest in consuetudinariis recidivis atque occasionariis.

3. Praeterea differri debet absolutio iis, qui actu quidem satis dispositi sunt, at

1) publicum scandalum removere debent; id enim tollendum est, antequam ad S. Eucharistiam admittantur et communiter etiam ante absolutionem;

2) qui publici peccatores utcunque fuerunt, donec sese emendatos etiam publice exhibuerunt — nisi forte, dilata S. Communione, pro *absolutione* aliquando mitius agere expediat ad eorum majus solatium majoremque spiritualem utilitatem;

3) qui utcunque gravem aliquam obligationem uno actu implendam implere debent, saepe cogendi sunt, ut ante ipsam absolutionem id faciant, e. g. magnam restitutionem, cum inimico reconciliationem, occasionis remotionem.

Ceterum in hisce adjunctis *regula bona est:* Si notabiliter gravius est poenitentibus redire quam obligationem suam gravem implere, ne jubeantur redire, sed statim absolvantur, nisi forte fidem datam jam fregerint; si autem gravius est illam gravem obligationem, ad quam tenentur, implere, quam redire, differatur absolutio. At in hoc negotio confessarius difficultatem relativam seu subjectivam poenitentis perpendere debet, quae in removenda peccandi occasione propter inveteratam consuetudinem vehementisque passionis affectum saepissime gravissima est: ad quam superandam atque ad vim sibi inferendam poenitens dilata interim absolutione urgeri debet, secus facile propositi atque promissi obliturus. (Cf. Reuter *neoconfess.* n. 34.)

Ad IV. **Dilatio utilis neque necessaria.** 1. Si ex dispositione poeni- 431
tentis aliisque adjunctis absolutio in rigore dari potest, non tamen eam dari debere putatur: confessarius ut medicus videre debet coram Deo, quid magis expediat poenitenti, eum absolvi, an ad tempus absolutione carere. Ad quod discernendum ratio prorsus haberi debet indolis poenitentis atque temporum locorumque, in quibus vivimus, conditionis. Quando enim fides potius languet, atque poenitens vix ad confessionem instituendam adduci potuit, periculosum est absolutionem differre, ita ut haec ipsa ratio esse possit, cur *dubie* disposito secundum modo dicta absolutio detur. Hinc fit, ut saepe nostro tempore confessarius paulo magis in dandam absolutionem inclinare debeat, quam prioribus temporibus, ubi fides vivida erat, fieri debuit.

2. Id insuper recolendum est, dilationem in hoc casu, quando absolute dispositus est poenitens, neque rationes ad III. notatae adsunt, brevem esse debere. Imo *generatim* dilatio nunquam debet esse diuturna. Quare poenitens post 8 vel 14 dies redire jubeatur, et si dispositus tunc est, absolvatur, nisi forte propter peculiares circumstantias diuturnior probatio pro necessaria habeatur, e. g. in ebrioso, qui habitum habeat quovis mense graviter sese inebriandi: iste, ut post plures relapsus emendationem, si tempore ostendere debet, ostendat, certe notabiliter ultra mensem sese contineat oportet. At si *ante* confessionem jam aliquo tempore abstinuit, v. g. aliquot hebdomades, absolutio ultra mensem post confessionem non est protrahenda.

NB. Complementum judicialis actionis, quod re ipsa ante absolutionem fieri debet, est poenitentiae impositio: at de ea satis dictum est in sect. II. cap. 3.

Caput III.

De confessarii obligationibus, quae essentialis muneris exercitium comitantur.

Cfr. praeter scriptores supra nominatos: S. Franc. Sales. *instructio ad confessarios*, Zenner *instructio practica confessarii*, Schneider *Manuale sacerd. cp. de poen.*, Scavini *theol. mor.*, Frassinetti *Manuale pract. parochor.*

Duplicis vel triplicis generis obligationes essentiale confessarii munus ut judicis circumstant: aliae, quae adjumenta sunt in judicis munere rite et utiliter implendo, atque officia confessarii accessoria respiciunt, tum ut idoneum se reddat ad munus suum obeundum, tum ut in ipsius muneris functione fideliter agat; aliae, quae post confessiones exceptas confessario incumbunt.

Articulus I.

De confessarii obligationibus praeviis, seu quibus se rebus ad tantum munus obeundum comparare debeat.

§ 1.

De caritate et patientia.

432 1. Caritatis proximi exercitium in operibus misericordiae maxime elucet, quae, etsi non ex sese nobilissimus actus caritatis est et altissimus, tamen practice summe necessarius atque ita aliis superior. Porro misericordiae opera in boni confessarii munere quasi in quodam compendio continentur. Pulchre Ven. Lud. de Ponte sibi haec depinxerat (v. opusculum *„sensa pretiosa“* p. 6 n. 17 sqq.): „Audire et absolvere confitentes delicta sua, est actus plane heroicus, et mirum quantum divinae majestati acceptus; quia imprimis hoc in ministerio magis immediate, quam in quovis alio sacerdos plurimum confert ad reducendas et reconciliandas animas suo Creatori. Deinde quia hic modo quodam speciali cuncta misericordiae opera tum corporalis, tum spiritualis optime exercet. Hic ignorantem docet, aberrantem in viam dirigit, offensas remittit, moerentem et contritum consolatur, dubitanti salubria impertit consilia, pro periclitantis salute Deum efficaciter deprecatur. Hic durae servituti mancipatum redimit, vinctum peccatorem catenis exsolvit, nudum convestit stolâ gratiae, egenum et languidum cibo potuque spirituali, prout cujusque fert stomachus ac necessitas, pascit ac reficit. Unde persuasum habeo, fore, ut Deus confessario bono et frugi misericordiam retribuat: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.“

2. Unde facile colligitur, munus confessarii gerere, valde meritorium esse. Sed confessarius, ut meritum idque plenum ex munere suo referat, vere ex caritate agat oportet, ut actio munerisque exercitium ita in ipso resplendeat, ut est ex natura sua sublime. Quod ut assequatur, juvat identidem mente revolvere atque attente considerare: 1) quis ille sit, cujus munus gerat; 2) quis ille, qui hoc munus gerat; 3) quis ille, cujus causa munus illud geratur.

Nam praecipuo quodam modo sacerdos in sacro tribunali personam Christi gerit ac quodammodo plus ex propriis impendit, quam in aliis sa-

cramentis administrandis. Potissimum vices gerit Christi ut Salvatoris, qui semetipsum dedit pretium redemptionis pro anima illa, cujus judicium et curam confessarius nunc agit; Christi Jesu, qui hanc animam in particulari prae oculis habuit, quum laboravit, sanguinem fudit, sacramentum poenitentiae instituit; qui ut Deus ab omni aeternitate, ut homo a primo instante incarnationis hanc ipsam horam specialis caritatis affectu elegit, in qua, interna gratia inspirante, hunc hominem ad pedes hujus sacerdotis adduceret, atque hujus operâ et auxilio illum sibi reconciliaret et amicum redderet.

Confessarius autem, qui hoc divinum munus gerit atque Christo in 433
divinissimo opere, peccatorum salvatione, quam proxime cooperatur, sibi ipse fateri debet, sine ullo merito sese ad tantam dignitatem evectum esse, qua sibi concreditum sit, ut sanguinis Christi fructus colligat, eumque reddat efficacem atque ei quodammodo jus suum vindicet re ipsa delendi peccata atque frangendi duros hominum animos in vitiorum consuetudine induratos: sibi fateri fortasse debet confessarius, se eum esse, qui ipse multa debeat Salvatori, neque debita propria solvere melius possit, quam si in alienis peccatis delendis et praecavendis operam suam atque labores impendat; aut si peccata propria redimenda non habeat, etiam magis se Christi ejusque gratiae debitorem esse, quod a multis peccatis atque infiniti mali abysso praeservatus sit.

Poenitentem autem, cujus causa officium confessarii exercet, agnoscere debet ut fratrem Christi, sanguine ejus respersum, sed nunc in Christi contumeliam ad conditionem miserrimae captivitatis atque diaboli servitutem redactum, qui nihilominus a Deo et Christo tanto amore diligatur, ad aeternam beatificam cum Deo unionem vocetur; qui fortasse magnus Sanctus futurus sit in coelis, atque ibi, si confessarium praecesserit, pro eo intercessor aut certe his in terris pro ipso Deum rogaturus. Quodsi ille haec agere obliviscetur, omnia tamen ejus bona opera, nova sanctificatione in hac confessione accepta, splendoris supernaturalis augmento splendescent atque in aeternum coram Deo resplendebunt, in omnes, qui utcunque huic augmento producendo collaborarunt, partem aliquam splendoris atque aeterni gaudii transfusura.

3. Quibus rationibus si vera caritate permotus fuerit confessarius, facile 434
a defectibus et vitiis, quae in sacro ministerio occurrere possunt, cavebit:

1) Non praeferet divites et nobiles pauperibus et miseris, sed exemplo Salvatoris pauperes et eos, qui miseriis premuntur, praecipua caritate atque affectu complectetur.

2) Non quaeret naturalem suam inclinationem, multo minus sensualem in diligendis poenitentibus: quare sibi non gratulabitur, si turba devotarum mulierum confessionale suum circumstet, nec eas in confessionali diutius detinebit, neque familiarius tractabit, sed potius paterna gravitate et severitate cum iis potissimum aget, ne forte in ipso sacro ministerio sibi lapsum et ruinam creet.

3) Non movebitur humano respectu, sed nobiles et ignobiles, divites et pauperes, potentes et humiles de officiis et obligationibus monebit, habita eo tantum fine ratione personarum, ut expendat, quid et quo modo loquendum sit, quo plenius omnibus omnia fiat.

4) Eis, quos reperiet multis peccatis affectos, diutina consuetudine atque relapsu frequenti languentes, singularem industriam impendet, ut eos tandem aliquando e coeno vitiorum eripiat et ad Deum novamque vitam

convertat. Praeclarum effatum S. Joannis Chrysostomi recogitabit: „Tu ergo, quum videris alium egentem curatione . . . animae, ne dicas apud temetipsum: Quare ille et ille eum non curaverunt? Sed illum tu a morbo libera, nec rationes negligentiae ab illis exigas. Si aurum jacens invenias, num dicis apud temetipsum: Quare ille aut ille non sustulerunt? Nonne festinas ante alios rapere? Itidem et de fratribus collapsis cogita, putatoque thesaurum te reperisse, nimirum curam illorum.“ Orat. 8 adversus Judaeos, apud *Migne* PP. gr. 48 col. 932.

5) In *excipiendis* confessionibus augebit suam caritatem eamque benignitate et mansuetudine ostendet: non exhibens ullum impatientiae vel admirationis signum, sive poenitens gravissima peccata confitebitur, sive durum et parum contritum sese ostendet, sive rudis et parum instructus sinistris responsis et confusa confessione patientiam fatigabit.

6) Tandem si parum praeparatus et dispositus peccator est, confessarius maxime in fine confessionis exceptae omnem lapidem movere debet ad dispositionem perficiendam, monendo, exhortando, arguendo, imo pro poenitentis conditione increpando, atque divinâ justitiâ propositâ terrendo, ita tamen, ut fiduciam etiam suggerat atque viscera caritatis et misericordiae pandat. Id enim maxime cavendum est, ne unquam poenitens offensus discedat.

435 Audiri meretur S. Alphonsus *H. Ap.* tr. 21 n. 1 sqq.

„Confessarius primo caritatem adhibere debet in benigne excipiendo omnes sive pauperes, sive rudes, sive peccatores sint. Nonnulli tempus solummodo insumunt in audiendis confessionibus aliquorum devotorum aut personarum spectabilium, quia ut has a se repellant, non est eis tantus animus. Si tamen ad se aliquis miserabilis peccator accedat, aegre auditur, et conviciis oneratus arcetur; unde fit, ut ille miser, postquam sibi maximam vim intulerit, ut ad sua peccata confitenda veniret, se tam aspere acceptum sentiens, odium in poenitentiae sacramentum concipiat, et desperans, se posse invenire, qui sibi opituletur, et se absolvat a peccatis, in perditae vitae lubricum laxis habenis praeceps ruat, et in salutis desperationem incidat.

„Secus boni confessarii agunt. Quum ad se hujusmodi peccatores confluunt, benigne hos accipiunt, et quasi victor capta praeda exsultant, perpendentes sibi sortem contigisse, animam de manibus daemonis eripere. Sciunt hoc sacramentum proprie non pro justis fuisse constitutum, sed pro peccatoribus; etenim veniales culpae, ut remittantur, non indigent sacramentali absolutione, quum multis aliis modis mederi possint; sciunt quoque Christum protestatum fuisse his verbis: ‚Non enim veni vocare justos, sed peccatores‘ (Marc. 2, 17). Propterea confessarius caritatis viscera induens, quo magis animas peccatorum multitudine et atrocitate coinquinatas reperiat, eo magis, ut Deo ipsas lucrifaciat, majore caritate eas amplectitur, eisque animum praebet his aut similibus verbis: ‚Eja, frater; bono animo esto, noli timere, peccata tua impavide confitere. Aperi omnia confidenter, nullius te pudeat. Nihil refert, si in omnes tuae conscientiae sinus non introspexeris: sufficit, si ad interrogata respondeas. Age Deo gratias, qui te hucusque ad poenitentiam exspectavit. Nunc tibi mutanda est vita. Laetare, quia Deus certe omnia peccata, quantumvis ingentia, remittit, si bonam habes voluntatem, ideoque te exspectavit, ut tibi parceret. Igitur hilari animo dic omnia, nil involucris tegas.‘

„Caritatem deinde longe majorem ostendere debet in confessionem excipiendo. Caveat, ne se impatientem aut taedio affectum exhibeat, nec ostendat, admiratione se percelli de peccatis, quae narrantur, modo poenitens non sit ita animo durus aut petulans, ut plura et atrociora peccata sine ullo rubore et sine ulla displicentia animique sensu exponeret; quia tunc opus habet pro viribus efficere, ut a poenitente, quanta sit illorum deformitas et magnitudo, percipiatur; ideoque tunc acrior

requiritur correctio, ut ipse a letali lethargo expergefiat. Verum quidem est, quod in actu confessionis abstinere debent confessarii a correctione facienda, ne forte exterriti poenitentes peccata reticeant; nihilominus hoc intelligitur regulariter loquendo. . . . Advertat tamen (confessarius), ne (poenitentem) exasperet, nec perterreat. Quapropter postquam eum, quantum opus fuerit, correxerit, statim ei animum faciat ad reliqua peccata confitenda, dicens: ‚Eja, frater, visne ab hoc vitio resipiscere? Et quoniam hoc facere es paratus, esto animo hilari. Itaque enarra reliqua peccata, nihil reticens. Cave, quaeso, ne sis sacrilegium commissurus. Hoc enim esset maximum omnium peccatorum, quae hucusque commisisti. Igitur dic omnia animo forti, vince teipsum, confitere omnia sincere; Deus enim paratus est tibi parcere.‘

„Deinde in fine confessionis oportet, ut confessarius vehementiore ardore ac 436
studio incumbat, ut poenitenti percipere faciat gravitatem et multitudinem ejus peccatorum, ac miserum damnationis statum, in quo reperitur; sed hoc semper maxima cum caritate fiat. Verumtamen congruentius est tunc verbis gravioribus uti, ut sic melius ad bonam mentis frugem redire possit; nihilominus efficere debet, ut poenitens intelligat hoc, quod ei dicitur, non ab animo irato, sed ex singulari amore et commiseratione erga suam animam procedere. Quod poterit hoc modo exprimi: ‚Fili mi, considerasne vitam damnati, quam duxisti? Percipisne malum, quod operatus es? Quid tibi mali fecit unquam Deus tuus, quem tu ita perdite contempsisti? Si Jesu Christo nullus tam fuisset tibi inimicior, potuisses cum illo te gerere pejorem? Sed, quaeso, animadverte, quis sit hic Jesus. Hic est ille, qui, quum esset Deus, nullius egens factus est homo propter te; voluit mori in cruce, ut te de inferno redimeret. Ah, fili, si interim mortuus esses, si hac nocte, quo iturus fuisses? Ubi nunc esses? Esses in aeterno igne inferni. Quid de te factum erit, si vitam hactenus ductam pergas in posterum vivere? Poteris sic salvari? Expergiscere, et vide, nisi mores in melius mutes, jam es damnatus. Quid boni ex tot peccatis tibi collegisti? Nonne consideras, quod duplicem infernum tibi paras, unum hîc angoris et miseriae, alterum illic poenarum? Age, fili, averte a malo, desine peccare, et te totum in Dei brachia, quae ad te suscipiendum sunt extensa, committe; sufficit, quantum ei peccasti. Ego totis viribus et toto corde te adjuvare volo; veni ad me semper ac tibi lubet, quoniam invenies patrem, qui te libenter suscipiet. En firmiter nunc statue te sanctum velle effici. Per te stat. Deus enim semper paratus est, et propterea hoc tempus tibi impertitus est, ut avertas a malo et facias bonum. Oh quam bonum est amicum habere Deum‘ etc. . . . Postea adjuvabit eum ad doloris actum efformandum, et si dispositus est, eum absolvat, et remedia salutaria . . . suggerat . . . Si autem fuerit absolutionis incapax, aut expediens videbitur differendam esse absolutionem, assignet ei diem, in quo regredi debeat, dicendo ei: ‚tali die te exspecto, ne praetermittas ad me redire . . . commenda te quotidie beatae Virgini. Si forte statuto die invenies me aliorum confessiones excipientem, accede, te enim ante alios audiam. Si alibi ero, fac, ut me accersant, omnia deseram, ut tu confitearis.‘ Et sic dulcibus verbis a se dimittat. Haec est via, qua tales peccatores allici possunt, nempe cum eis agere quanta maxima fieri potest caritate.“

Quibus S. Doctoris verbis alia addam ex Lacroix l. 6. p. 2 n. 1792:

„Praeter scientiam necessaria est confessario imprimis mansuetudo, qua benigne 437
excipiat omnes, ut confessarios magnopere hortabatur S. Franc. Xav. . . . Et ratio est, quia si durus sit, vel terrebit poenitentes, qui ideo peccata graviora non aperient, vel saltem nimium aggravabit onus confessionis, quod de se est satis grave. Afflicti semper sunt consolandi, innocentes suaviter excitandi, duri autem peccatores, quamvis aliquando terreri debeant proposita severitate judicii divini et rigore aeternarum poenarum, attamen debet abesse omnis mordax vel contumeliosa objurgatio. Cogitet confessarius, se Christi personam gerere, qui peccatores omnes benigne semper excepit, cujus exemplum dedit pater ille in Evangelio, qui filium prodigum post consumptam cum meretricibus substantiam benevolentissime recepit. Necessaria quoque confessario est patientia, imprimis cum mulieribus, dein cum scrupulosis, qui longas saepe confessiones texunt, easdemque decies repetunt sine causa; item cum

recidivis, cum quibus saepe putabit, se frustra laborare, sed laborat utiliter, si vel semel unum peccatum impediat; praeterea cum rudibus, qui saepe velut trunci stabunt, nec ea, quae dicentur, capere velle videbuntur, quum tamen vel non possint ex stupiditate ingenii, vel ita haereant ex aliqua perturbatione nimiaque reverentia: cum talibus benignissime agendum, excitando ad fiduciam, docendo necessaria, praeeundo in pios affectus. Denique confessario necessaria est caritas, qua serio et indefesse quaerat emendare poenitentes eisque prodesse in salutis aeternae negotio, assumptis etiam in se poenis pro illis."

§ 2.

De scientia et prudentia.

438 Quanta scientia necessaria sit in confessario, ut rite munus suum obeat, leviter inspicienti diversa ejus munera patebit. Declaremus haec fusius:

I. Tenetur confessarius sub gravi ea scire, quae ad munus suum sine gravi errore exercendum scitu necessaria sunt.

II. Quare rerum ad confessiones audiendas spectantium *exquisita* quidem scientia non requiritur, sed sufficit mediocris. Neque requiritur, ut in omnibus etiam difficilioribus rebus statim solutionem dare possit, modo sciat, quo se melius instruat. Igitur in rebus intricatis confessarius scire saltem debet: 1) ubi et quando dubitare debeat, 2) ubi quaerere possit consilium et pleniorem rei instructionem.

III. Necessaria illa scientia sufficit et requiritur, ut sit *relativa* ad poenitentes, qui confitendi causa accedunt. Quare qui exponitur ad audiendas confessiones in loco, quo undique omnis generis poenitentes confluunt, majorem omnino scientiam habere debet, quam ille, qui solum rudium et hominum simplicium confessiones excipiendas habet.

IV. In dubio de sufficienti scientia sacerdos non raro acquiescere potest Superioris judicio, i. e. tum quando huic Superiori subditus bene perspectus est: quod communiter facilius accidit sacerdoti regulari, at etiam in sacerdote saeculari occurrere potest, quando Episcopo aut alteri prudenti viro ex diuturna consuetudine et indoles atque ingenium et scientia ipsius cognita sunt.

V. Quamquam naturale judicium naturalisque prudentia multum juvant ad confessarii munera bene exercenda, tamen sine solida doctrina non prosunt, imo saepe confessarium exponunt periculo temere rem definiendi contra omnia sanae doctrinae principia.

Qui vero congenitâ prudentiâ non adeo praestat, eo magis sese exercere debet, atque casuistarum solutiones pervolvere et expendere, quo judicium suum acuat atque principia applicare addiscat.

439 **Uberior expositio.** Ad I. 1. Noto ex Lacroix ea, quae potissimum confessarius optime nosse debet l. 6 p. 2 n. 1789: 1. Ante omnia tenetur confessarius quilibet accuratissime scire, quomodo *ex propriis motivis* eliciendi sint actus fidei, spei, et caritatis, attritionis, contritionis: debet enim saepissime poenitentibus ipsis praeire in illis actibus eliciendis.

2. Deinde etiam accurate scire debet confessarius, quandonam et quaenam peccata distinguantur *numero* et *specie;* quaenam sint peccata mortalia, quae venialia: id intellige, ut possit ea discernere secundum principia communia, non vero in causis difficillimis. Lugo *de poenit.* disp. 21 n. 70 ita dicit: „Haec scientia non debet esse tanta, ut de omnibus, quae poenitens dicit, possit discernere, an sint mortalia vel venialia . . . sed de communibus: reliqua vero audiat et intelligat, ac postea absolvat cum debita intentione."

3. Debet scire ea, quae communiter requiruntur ad valorem actuum, ad contractus, ad matrimonium, quaenam illa impediant.

4. Scire debet causas restitutionis faciendae aut excusandae; diversorumque hominum secundum diversos status diversaque officia obligationes.

5. Scire debet suam potestatem ejusque limites, casus reservatos atque censuras ecclesiasticas: quid et quando absolvere possit.

6. Debet scire, quomodo dignoscat poenitentis dispositionem, quibus remediis eum muniat, qualem poenitentiam imponere possit vel debeat.

Ad II. 1. Idem Lacroix l. c. notat: „Quantumcunque autem aliquis sibi doctus esse videtur, non expedit ex tempore statim resolvere *implicatos casus,* praesertim qui impedimenta matrimonii, simoniam, restitutionem concernunt; sed dicendum poenitenti, ut det tempus considerandi. Sic enim cavebuntur errores, qui saepe fiunt, et poenitens ipse postea melius acquiescet, quum alioqui saepe adhuc maneant scrupuli, si ita subito et non datis rationibus fiat resolutio; quae admonitio est praesertim indoctis confessariis maxime necessaria, qui eo confidentius quandoque a quibuscunque absolvunt, et in quibuscunque dispensant, quo ob imperitiam minus dubitare norunt."

2. Ceterum mediocris quidem, sed solida doctrina saepe utilior est, quam summa et exquisita rerum moralium cognitio, si haec conjuncta non est cum prudentia et naturali judicio. Nam qui sobrio judicio carentes, „ita subtiliter volunt omnia revocare ad apices theologicos, saepe seipsos et alios implicant scrupulis aliisque difficultatibus; unde praestat hîc se accommodare ad *usum* Ecclesiae et aliorum prudentium confessariorum": Lacroix ib. n. 1787.

Ad III. 1. Scite notat Lugo ad hanc rem l. c. disp. 21 n. 70: „Unde 440
apparet, scientiam, quae in confessario requiritur, non esse eandem pro omnibus: minor sufficit ad audiendas confessiones puerorum et rusticorum, major requiritur ad audiendos mercatores, judices etc. Ad confessiones vero hominis docti (i. e. in theologia morali versati) multo minor scientia requiritur, quia potest confessarius instrui ab ipso poenitente de gravitate peccati et aliis circumstantiis necessariis."

2. Dein bene advertit: „Si ipse confessarius causam difficiliorem non potest resolvere, erit bonum consilium petere a poenitente, an sit paratus ad consulendos homines peritos et standum illorum judicio circa illud dubium: quod si poenitens promittit, absolvat dicendo illi obligationem, quam habet, consulendi aliquem vel aliquos de illo dubio."

3. Occurrunt aliquando rationes excusantes, ob quas confessarius, etsi ignarus, possit et debeat confessiones excipere, videlicet, si exsistit gravissima necessitas neque alius adest, qui confessionem audiat; ergo:

1) in articulo mortis, quando confessarius melius instructus deest;

2) in necessitate *simili,* ut, „si christiani apud infideles captivi non haberent nisi unum sacerdotem ignarum et indoctum . . ., quia illa etiam reputatur necessitas moraliter extrema“: Lugo l. c.;

3) secundum eundem Lugo „ex hoc capite excusari possunt saepe praelati, qui in aliquibus oppidis exiguis et remotis praeficiunt parochos indoctos; hoc enim plerumque faciunt, quia non inveniuntur alii . . . qui velint hanc curam suscipere. Unde quum aliter non possit illis ovibus subveniri, ut suppono, melius est, quod habeant confessarium indoctum, quam quod omni remedio prorsus destituantur. Deberet tamen praelatus admonere parochum de defectu scientiae, quem patitur, et de obligatione, quam habet, comparandi, si possit, doctrinam necessariam ad suum ministerium obeundum. *Hanc obligationem enim semper habet parochus,* licet praelatus ob necessitatem ovium excusetur aliquando mittendo ministrum minus sufficientem“.

441 Ad IV. et V. Quantopere Ecclesia velit, ne unquam studium theologiae moralis et casuisticae intermittatur, ostenditur ordinatione saepius inculcata, qua cautum est, ut non solum apud sacerdotes saeculares, sed etiam apud sacerdotes regulares in cura animarum occupatos frequentes habeantur conferentiae casuum. Imo hoc unum ex illis punctis est, circa quae Episcopi in visitatione liminum Apostolorum Sedi Apostolicae referre debeant. Nam in „instructione S. Congr. Conc. pro Episcopis etc. super modo conficiendi relationes statuum ecclesiarum etc.“ in 3 cap. n. 14 haec respondenda proponuntur: „An habeantur conferentiae theologiae moralis seu casuum conscientiae . . . et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeatur.“ Cf. decreta Clem. VIII. *de ref. regul.* (Bullar. Rom. t. IV.)

Prudentia vero confessario maxime necessaria est in scientia et doctrina sua applicanda seu communicanda, ut suo tempore sciat loqui, suo tempore sciat tacere: non enim omnia omnibus conveniunt.

Atque id etiam scriptores monent, confessarium debere circa diversas materias morales plures opiniones probabiles scire, sc. quid in quaque re sit vere probabile, quum saepe opiniones sibi contrariae probabiles esse possint. Et quamquam *obligatio* imponi non debet, quamdiu sententia vere probabilis dicit, obligationem non adesse: tamen directio et consilium pro diversa poenitentium conditione in eadem re dari potest et debet modo secundum hanc, modo secundum illam probabilem sententiam: v. Lacroix l. c. n. 1791.

Articulus II.

De obligationibus in ipsa confessione occurrentibus.

§ 1.

De obligatione instruendi et monendi poenitentes.

Cf. S. Alph. n. 608 sqq., Stoz *tribunal. poen.* l. II. n. 126—134, Müller l. III. § 150, Schneider *Man. sacerd.* l. c., Gassner *Pastoral* cap. XVI. p. 740 et 770.

442 Instructio vel admonitio supponit, poenitentem in aliqua re ignarum esse vel oblivioni obnoxium. Ignorantia illa vel error accidere

potest 1) de iis, quae sacramentum hîc et nunc recipiendum spectant; 2) circa ea, quae ad communem instructionem christiano homini necessariam et convenientem pertinent; 3) circa particularem aliquam obligationem, quae re ipsa seu objective poenitenti incumbit, sed quae subjective non percipitur.

Pro diverso igitur ignorantiae objecto diversa erit obligatio confessarii talem ignorantiam tollendi.

I. Error vel ignorantia, qua poenitens nescit ea, quae hîc et nunc scitu necessaria sunt ad sacramentum poenitentiae valide, aut etiam ad Eucharistiam licite sumendam, statim depellendus est.

Ergo: 1) Poenitens, qui deprehenditur ignarus rerum fidei, quae necessitate *medii* sive certo sive probabiliter sciri et credi debeant, necessario instruendus est, antequam absolvi possit.

2) Eodem modo instrui debet, qui nescit actum doloris elicere: imo prorsus institui et moneri debet, ut hunc actum semper confessioni praemittat.

3) Qui SS. Eucharistiam ignoret et realem praesentiam Christi Domini, certe hac de re instrui debet, antequam ei Sanctam Communionem sumere liceat: imo qui adeo rudis est, etiam propterea instruendus est, ut praecepta ecclesiastica tam saepe circa Missam urgentia rite implere possit.

Quae instructio circa res maxime necessarias, si spes fundata non est, fore ut poenitens invitatus brevi post aut ad confessarium aut ad parochum redeat, ut extra confessionem instruatur, hîc et nunc breviter dari debet.

Sed ut absolute absolutio dari queat, non requiritur, ut poenitens omnia haec memoria retineat: sufficit, eum veritates intellexisse et *cum confessario,* qui praeeat, actum fidei etc. elicere. At imponi prorsus debet tali homini, ut postea se melius instruendum curet.

II. Si poenitens ea quidem scit et fide tenet, quae medii neces- 443
sitate scitu necessaria sunt et quae requiruntur ad sacramenta, quae recepturus est, sed in doctrina christiana aliter valde ignarus et rudis exsistit: confessarius, si *parochus* est, ex officio sive ex justitia opportunitatem ei praebere debet melioris instructionis acquirendae; si *parochus non est,* haec cura per se ipsi non incumbit, nisi aliquando ex caritate, at semper monendus est poenitens de obligatione melioris instructionis capiendae, imo de *peccato negligentiae,* quam fortasse commisit, accusando et detestando atque de sincera emendationis promissione. — Quod si praestatur a poenitente, absolutio nunc potest dari.

III. Si ignorantia in re particulari versatur, ex qua immineat alicujus legis objectiva violatio, suprema regula discernendi, num et quid moneri debeat, poenitentis bonum spirituale est: modo bonum spirituale recte intelligatur et pleno sensu sumatur tum cum respectu ad ipsius particulare bonum, tum cum respectu ad universale seu commune bonum, quod procurare seu ad quod conferre ipse debeat.

A. *Instructio igitur seu monitio fieri debet:* 444

1. Si ignorantia est vincibilis sive *culpabilis:* quae autem morali sensu dicatur vincibilis et culpabilis, disce ex iis, quae tomo I. dicta sunt. Nam quia haec ipsa ignorantia a culpa libera non est, omnino expelli debet.

2. Si ignorantia nunc quidem culpabilis et vincibilis nondum est, brevi tamen cessabit aut culpabilis evadet. — Tunc enim *ordinarie* statim monitio fieri debet; sed perpendendae sunt circumstantiae, num forte ipso hoc tempore proximo gravissimum onus poenitenti oriturum sit, at postea cessaturum, quod eum laturum esse vix possit sperari. Nam si ita est, melius nunc tacetur.

3. Si ignorantia versatur circa prima principia moralia proximasve conclusiones. Ratio, cur monitio tunc fieri debeat, est, quia haec ignorantia aut non est aut diu non erit invincibilis. Maxime autem *tunc* urget obligatio poenitentem monendi, si, neglecta monitione, poenitens firmetur in prava consuetudine, quam postea difficilius depositurus sit, e. g. si puer deprehenditur ex erronea conscientia turpiter agere.

4. Idem dic, si ignorantia perdurans inducit vel relinquit formalis peccati periculum, v. g. si poenitens ignorat aut non attendit ad obligationem, qua proximam peccandi occasionem evitare tenetur.

5. Instructio facienda etiam est, si certo praevidetur *profutura* (etsi poenitenti difficultatem creat) vel certo *non nocitura* esse: quia, quantum fieri potest sine gravioris mali periculo, etiam materialis laesio legis evitanda et cavenda est.

6. Etiam fieri debet, si silentium confessarii ex adjunctis positivo responso falso aequivalet.

7. Semper etiam instrui debet poenitens, si ex erronea conscientia aliquid habet pro peccato aut pro graviore peccato, quod peccatum aut grave peccatum non sit. Imo adeo verum est, tum instructionem esse faciendam, ut omittenda non sit, etsi forte ansam det, longe saepius veniale peccatum perpetrandi, quod antea cum conscientia *mortalis peccati,* at longe rarius fiebat. Cf. Stoz l. c. n. 127 et Tamb. *meth. conf.* l. 3 c. 4 n. 3. Attende vero, ne, quod *in se* peccatum veniale est, ex circumstantiis scandali, periculi etc. pro poenitente fortasse sit mortale.

8. Etsi dubium est, utrum monitio profutura sit, an nocitura: monitio fieri generatim debet, si bonum damnumve commune in quaestionem vocatur. Imo illud commune damnum secus imminens tantum esse potest, ut monitionem fieri oporteat, etsi certo praevideam, poenitentem nunc saltem nondum obtemperaturum esse, adeoque formaliter peccaturum et absolutione indignum fieri. Ceterum perpendendae sunt circumstantiae variae, videlicet quantum sit damnum commune, quam prope immineat et quam certo; quanta timeatur difficultas quantumve damnum poenitentis, quanta spes fructûs, quanta fundata ratio putandi ignorantiam esse invincibilem. Nam si spes omnis fructûs aberit, inutilis et mere nociva evadit monitio: nisi forte expressa lex, quae in omni casu monitionem praecipiat, positive lata est.

445 **B.** *Instructio seu monitio fieri non debet.*

In aliis igitur causis, quando grave omnino dubium est, utrum monitio profutura sit annon, poenitens, si in bona fide atque invincibili ignorantia versatur, relinquendus est potius in sua bona fide, ne ex peccato materiali fiat peccatum formale. Cave tamen, ne *facilius* putes, monitionem non esse profuturam, neque poenitentem obsecundaturum.

Sunt quidem, qui severius putent, in omni casu ignorantiam depellendam esse, neque poenitentem satis dispositum haberi posse, si putetur monitis non esse obediturus; nam dispositum non esse, qui nolit obligationes saltem graves adimplere. Sed haec ratio nulla est. Nam poenitens recte hîc et nunc putatur habere generalem illam voluntatem omnia praecepta gravia adimplendi: nihilominus ex variis circumstantiis, e. g. ex ejus spirituali infirmitate et ex gravissimo onere, quod obligatio ipsi ignota allatura est, confessarius multum timere potest, ne hoc onere manifestato gravissima tentatio poenitentem obruat atque prosternat et ad mutandam bonam voluntatem inducat.

Unde erues: 446

1. Timor ille atque periculum inducendi peccatum formale aliquando tantum esse potest, ut confessarius apertum *responsum declinare debeat,* etsi interrogetur. Videl.: si interrogatio procedit ex inani et falsa ratione, confessarius vero scit, ex alia ratione rem interrogatam veram esse, non tenetur semper, imo ne potest quidem semper veritatem detegere. Id praecipue accidit in impedimentis matrimonium dirimentibus, quae post initum matrimonium deteguntur. Haec si ignorantur a putativis conjugibus, ea communiter praestat silentio tamdiu premere, donec remedium ad revalidandum matrimonium afferri possit. Imo si tunc ex alia, sed futili causa conjux de nullitate matrimonii interroget, confessarius, qui veram causam nullitatis noverit, hanc nullatenus indicare, sed conjugis interrogantis rationem futilem atque inanem esse dicere debet. — Quare nihil obstat, quominus etiam uxori interroganti, num conjugale debitum reddere debeat, confessarius respondeat, ipsam id *debere:* nam, persuasione veri matrimonii perseverante, subjectiva obligatio ipsi vere incumbit, etsi objective seu materialiter peccatum est. Sed confer etiam, quae infra „de matrimonio" dicentur de alio remedio tunc adhibendo n. 826.

2. Multo difficilius silere potest confessarius, si videt, hominem in officio aliquo constitutum ea, quae sui officii sunt, ignorare. Nam 1) longe facilius scandalum aliorum oritur, quum vident, eum in negligentia sua persistere; 2) difficilius est, in ea re inculpabilem ignorantiam statuere; 3) plerumque contra bonum commune peccatur vel facile peccari potest ab iis, qui officii sui sunt ignari. Quare si sacerdos, parochus, judex etc. in gravi aliqua ignorantia vel errore versatur, confessarius generatim eum admonere debet, neque multum attendere, utrum videatur monitio esse profutura necne. Attamen si revera res desperata est, neque grave scandalum videtur excitare, etiamtum accidere potest, ut accuratior instructio omittenda sit.

3. Non abs re S. Alph. monet, aliquando imprudenter agi, si *moneantur* rudes de speciali aliqua et graviore malitia, quam peccata ex circumstantiis contrahunt, v. g. de graviore malitia adulterii prae fornicatione, de malitia incestûs, si quae inhonesta aguntur inter pueros cognatos etc.: ne videlicet relabentes post cognitionem acceptam longe gravius peccent. — Tum vero illa instructio dari debet, quando prudenter putatur, eam gravioris malitiae cognitionem poenitentem *efficaciter* impedituram esse a peccato iterando. S. Alph. *praxis confess.* n. 39.

§ 2.

De obligatione remedium afferendi contra relapsum.

447 Summi momenti est confessarium id attendere, ut non tantum poenitentem nunc cum Deo reconciliet, sed ut eum pro futuro etiam tempore in suo officio contineat atque a peccatis praeservet. Quare imprimis curare debet, ut poenitens muniatur firmis remediis contra peccata gravia, ut evitet pericula et occasiones, maxime eas, quae grave peccatum quidem nondum sunt, sed facile in grave peccatum periculumve degenerare possunt, dein etiam ut poenitens solide instituatur in fugiendis peccatis levioribus atque perfectiora sectari paulatim assuescat.

Quod ut rite effici possit, confessarius 1) radices et causas peccatorum investigare debet, 2) indolem et ingenium poenitentis introspiciat oportet.

Afferam breviter ea, quae Lacroix l. 6 p. 2 n. 1825 omnino ad rem proponit.

I. Remedia universalia ad praecavenda peccata et ad profectum faciendum:

1. Praecipuum et universale remedium ad omnia vitia exstirpanda et inserendas virtutes est humilis et frequens oratio cum magna fiducia in Deum. — Quare omnino inculcandum est poenitenti, ut tempore tentationis *statim* oret atque cum multo fervore atque constantia divinae gratiae auxilium imploret. Poenitentes magis pii inducendi sunt, ut sibi familiarem reddant usum precum jaculatoriarum atque frequenter per diem pia aspiratione ad Deum utantur.

2. Multum juvat, imo necessarium est, frequenter renovare propositum non peccandi, atque circa observationem propositi conscientiam discutere. Quare poenitens saltem mane non obiter, sed serio proponat cavere a peccato, imo saepius in die hoc propositum repetat, vespere vero examen conscientiae per aliquod tempus instituat, non perfunctorie, sed percurrendo singula diei tempora vel actiones, atque sincerum dolorem de omnibus peccatis eliciat.

3. Frequens confessio; quae post lapsum in peccatum mortale *statim* assumatur, alias statis temporibus fiat.

4. Frequens accessus ad S. Communionem, at cum debita praeparatione et gratiarum actione.

5. Fuga malorum sociorum, et conversatio cum piis et benemoratis [1].

---

[1] Universalius hoc extendi potest et debet ad fugam cujuslibet occasionis et periculi peccandi, imprimis cujuscunque occasionis proximae, dein omnis gravioris periculi etiam remotioris, quantum moraliter possibile est. Speciales occasiones et pericula peccati, a quibus fideles arcendi sint, in qualibet regione cognosci debent tum ex peritorum consilio, tum ex monitis Praesulum. — Americae Sept. Concilia haec pericula pro sua regione exhibent, etiam alibi maxime attendenda:

1. Frequentationem cauponarum et potationum praecipue diebus Dominicis. [Prudenter monet Konings *Theol. mor.* n. 1466, esse aliquot dies et festivitates, relate ad quas prae aliis vigilandum sit, ne fiant peccandi occasiones, videlicet: dies, quibus operarii recipiant hebdomadariam mercedem; dies publico jure feriales, ut

6. Lectio piorum librorum.

7. Meditatio veritatum aeternarum, et vitae Christi et Sanctorum.

8. Recordatio frequens Dei ubique praesentis.

9. Recordatio novissimorum secundum S. Scripturam (Eccli. 7, 40): „In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis."

10. In poenam relapsûs assumere voluntariam poenitentiam, eamque jam praevie constituere. Quod remedium summopere commendandum est non tantum contra peccata gravia, sed etiam contra leves defectus vel solas imperfectiones, si quis ad perfectionem adspirat. Quare qui serio progressum facere cupit, si ex aliqua culpa proposita sua, etsi peccatum nullatenus respiciunt, neglexit, sine ulla sui commiseratione statutam poenam infligere debet, atque ita defectum commissum abundanti compensatione diluet. Nihil vero pejus, quam hac in re inconstantem se gerere.

11. Specialem devotionem exercere erga SS. Cor Jesu, erga B. Mariam Virginem, erga Angelum custodem: quae ut melius exerceatur, pauca quaedam statuenda sunt pia opera, quae in hunc finem *constanter* fiant. Melius est enim pauciora constanter agere, quam plura sine constantia et ordine, sed secundum genium et transitorias consolationes.

12. Fiducia et perseverantia etiam post relapsum semper retinenda. Nihil magis vires spirituales corrodit, quam animum despondere, atque propter frequentes relapsus emendationem pro difficiliore vel quasi impossibili habere. Quod certe ex aliis remediis male adhibitis oritur, atque in occulta quadam superbia fundatur. Quare abjectâ omni fiduciâ, quam homo in se ipso ponat, eo major fiducia in Deo Deique auxilio collocanda est, qui quo frequentiora et graviora peccata commissa fuerint, eo magis hominem lege sua pungit atque urget, ut tandem aliquando a peccatis desistat, atque semper ad auxilia danda paratus est.

II. Remedia specialia contra diversa vitia. 448

Contra superbiam.

1. Considera: Quid fuisti? Nihil. — Quid es? Quoad animam multis tenebris involutus, multis passionibus subjectus, peccatis multis oppressus, fortasse Dei inimicus; quoad corpus bestiis similis, saccus stercorum. — Totus homo, ut S. Ignatius in *exercit. spirit.* (hebd. 1. exercit. II.) notat, quasi „ulcus et apostema, ex quo tanta sanies peccatorum, tantaque vitiorum lues defluxit".

2. Exemplum Christi Domini, cujus sectatorem quivis fidelis se esse fatetur, praecipue in humilitate eluxit, humilitatemque prae omnibus com-

---

4. Julii, 1. Januar.; dies Bacchanal.; feria II. Paschatis et Pentecostes; dies festus Sti Patritii; dies publicarum electionum, publicarum excursionum, certarum nundinarum, dein vigiliae, quae agantur ad cadavera defunctorum; convivia baptismalia, nuptialia, funeralia.]

2. Ludos scenicos et theatra, aliosque ludos, si qui peccandi ansam praebere soleant: monent tamen PP., ne confessarius vel parochus omnia indiscriminatim condemnans imprudenti zelo et nimio rigore omnia perdat.

3. Lectionem scriptorum haereticorum, quae ex industria a sectariis inter ipsos catholicos sparguntur.

4. Frequentationem scholarum haereticarum vel impiarum.

5. Participationem cum sectis occultis.

mendat: „Discite a me, quia mitis sum et humilis corde"; contra superbia maxime peccatum diaboli est.

3. Humilitas ducit ad aeterna bona atque thesaurum divinae gratiae aperit, superbia claudit. „Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam." Jac. 4, 6.

4. Ad humilitatem acquirendam humiliatio necessaria est. Quare quantum patitur decor statûs, a quolibet moderatio adhibenda est in externo splendore, cum simplicibus et humilibus conversandum, laus propria non quaerenda, sed cavenda.

449 Contra avaritiam.

1. Scriptura dicit: „Avaro nihil est scelestius ... Nihil est iniquius, quam amare pecuniam; hic enim et animam suam venalem habet". Eccli. 10, 9 etc.

2. Possessio multarum divitiarum non satiat animam, sed eam potius excruciat atque pecuniae famem auget: quare quo majore moderatione aliquis utitur, eo securior erit atque magis quietus.

3. Omnia brevi relinquenda sunt: relinquentur haeredibus fortasse ingratis, prodigis. Nonne praestat perituris divitiis aeternos thesauros colligere? „Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in coelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur": v. Matth. 6, 19. 20. „Facite vobis amicos de mammona iniquitatis": Luc. 16, 9.

4. „Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli." I. Tim. 6, 9. Christus propter nos egenus factus est: si melior fuisset via ad coelum, Christus eam nobis ostendisset.

450 Contra luxuriam.

1. *Fuga* earum rerum earumque personarum, quae aspectu vel conversatione ad aliquid turpe excitant; omnisque periculosae familiaritatis evitatio.

2. Fuga otii et honesta occupatio assidua.

3. Custodia sensuum.

4. Corpus delicate non nutriendum, sed potius aspere tractandum exemplo tot Sanctorum, qui in proprium corpus tamquam in hostem infensissimum saevierunt. Quodsi haec altiora videntur, saltem imitandi sunt aliqua corporis mortificatione in cibo, potu, molliore lecto etc.

5. Tentatio a primo exordio supprimenda et debellanda est: quo magis creverit, eo difficilius vincetur.

6. Hîc imprimis humilis oratio necessaria est. „Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientia, scire, cujus esset hoc donum, adii Dominum et deprecatus sum illum": Sap. 8, 21 — quae a proprio textûs sensu huc trahi possunt.

7. Devotio erga B. Mariam V., imprimis in ejus immaculatam Conceptionem et purissimam Virginitatem. Multis profuit quotidie mane et vespere, et in tentationibus oratiunculam illam fudisse: „O Domina mea, o mater mea, memento, me esse tuum; serva me, defende me ut rem ac possessionem tuam".

8. Operibus misericordiae sibi Deum propitium reddere.

Contra gulam. 451

1. Gulositas est vitium turpe, humanam nobilitatem deprimens atque affine impuritati.

2. Cavendum ab iis, quae magis gulam excitare solent, ut condimenta et delicatiores cibi, aut si illis utendum est, tum praecipua cura habenda.

3. In corporis refectione non tota mens cibo et potu occupari debet, sed potius aliis piis considerationibus locus dandus est, ut Christi Sanctorumve imitationi, vel similibus.

4. Mensuram cibi antea aliquis sibi praefinire potest, eamque, si rationabiliter fecit, ne transgrediatur, sed si tentatio urget, potius victoriae causa infra eam haereat.

5. In omni cibo vel potu sumendo aliquam, etsi parvam, abnegationem quaerat.

Contra invidiam. 452

1. Invidus est tortor sui ipsius, atque hoc vitium omnium est stultissimum.

2. Sicut aliis invidere diabolicum est, ita de aliorum felicitate gaudere omniumque felicitatis participem se existimare divinum quiddam est, quum ille, qui ita gaudet, Deo similis sese in omnes quasi diffundat. Quod Deus re facit, ille facit saltem affectu.

3. Omnes homines nobis fratres sunt, per Deum et Christum, consortes vocati gloriae coelestis pro tota aeternitate: in quam invidus intrare nequit.

4. Quo melius invidia vitetur, praestat ei, contra quem invidiae affectus exsurgit, positive benefacere, vel saltem pro eo speciatim orare.

Contra iram. 453

1. Proderit occasiones externas irae abscindere, ut ludos, potationes; alias, quae caveri non possint, praeparatione mitigare.

2. Deus totius fons sanctitatis juste nobis irasci potuit, atque vindictam sumere. Si ipse nobis pepercit, nonne justum est, etiam nos proximo parcere?

3. Si proximus venia dignus non est, Christus dignus est, cui venia pro proximo detur: ipse quasi veniam a nobis postulat.

4. Nisi veniam damus, neque nos a Deo veniam recipiemus. Terribilis est oratio, quam quotidie fundimus: „Dimitte nobis: *sicut nos dimittimus*“; quae petitio in maledictionem vertitur.

5. In ipso irae affectu lingua continenda est; facilius enim est omnino tacere, quam in ira sese moderari.

Contra acediam. 454

1. Scriptura dicit: „Utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo“: Apoc. 3, 15. 16. Adeo detestabilis Deo est acedia et tepor.

NB. Textus ille tamen recte intelligi et explicari debet, ne falso rigori locus detur.

2. Tempus breve est. Quare, sicut messores tempore messis indefessi colligunt, nobis hoc brevi vitae tempore colligendi thesauri pro aeternitate. Quis non uno die strenue laboret, si pro totâ eâque longissimâ vitâ omnes

thesauros sibi possit colligere? Nonne vita etiam longissima aeternitati comparata uno die brevior est?

3. Non proficere est deficere. Nemo in eodem statu permanet.

4. Quot labores assumuntur a multis pro mundana gloria atque mundanis divitiis! Nonne Deus et coelum pluris valent?

5. Quo facilius tepor vincatur, *ordinate* vivendum est, i. e. secundum ordinem antea praefinitum. Mane fervens propositum concipiendum, vespere examen conscientiae faciendum est et sequentis diei labores atque occasiones sunt praevidendae.

Articulus III.

De obligationibus confessionem subsequentibus.

455 Post exceptas confessiones duplex obligatio consideranda est, una, quae *per se* oritur idque semper, obligatio servandi secretum sacramentale, altera, quae per accidens exsistere potest, corrigendi, si qui sunt, defectus commissos. De utroque pauca dicenda sunt.

§ 1.

De secreto sacramentali seu sigillo confessionis.

Cf. praecipue S. Thom. III. suppl. q. 11, S. Alph. n. 633—661, Lugo *de poen.* disp. 23, Sporer *theol. sacram.* p. III. cap. 7, Elbel *de poenit.* n. 477—525.

Punctum I.

De ipsius sigilli *obligatione.*

Sigillum confessionis sive sacramentale sigillum obligatio est sub secreto servandi ea, quae ex confessione sacramentali cognita sunt. Quam obligationem eamque strictissimam adesse, nemo est qui neget. Sed ejus originem atque conditionem diligentius inspicere convenit.

I. Obligatio sigilli sacramentalis est ex lege divino-naturali, ecclesiastica lege confirmata.

II. Obligatio haec semper spectat ad virtutem religionis, ad virtutem justitiae potest *duplici* ratione spectare.

III. Obligatio religionis parvitatem materiae per se non admittit, obligatio justitiae eam admittere potest.

IV. Quare sigilli sacramentalis obligatio, si totaliter respicitur, in eo discrepat ab omni alio secreto, quod 1) parvitatem materiae non admittat, 2) quod secreti obligatio etiam erga eum ipsum urgeat, qui confessus est, seu quem secretum respicit, 3) quod nulla unquam exceptio admitti possit, quae a servando secreto eximat.

456 **Explicatio.** Ad I. nota:

1. Ex lege ecclesiastica sufficit afferre verba Concilii Later. IV. cap. 21: „Omnis utriusque sexûs“, ubi sic habetur: „caveat autem omnino confessarius, ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat

peccatorem, sed si prudentiore consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat.“ Denzinger n. 363.

2. Legem vero divino-naturalem esse dico, quia lex illa servandi secretum non est expresse et formaliter divinitus lata, sed ex ipsa institutione confessionis divinitus facta *naturaliter consequitur*. Certum est enim, confessionis legem fideles adstringere, secundum quam peccata gravia confiteri *debeant* nec teneantur *nisi secreto* confiteri, peccata levia sic confitendi atque spirituali divinoque remedio sacramenti utendi *jus habeant*. At universalis illa lex illudque commune jus fidelium sartum tectumque minime esset, nisi strictissima obligatio servandi secretum confessarios ligaret; obligatio enim confitendi peccata eaque gravissima et occultissima nimis odiosa evaderet, imo periculum vitam humanam atque socialem gravissime perturbandi induceret, nisi summa securitas fidelibus praeberetur, qua confidere possent, nunquam fore ut secreti laesio esset timenda. Et ne causa daretur vel occasio hallucinationis, debuit illa lex secreti ita imponi, ut ne in levissima quidem re eam infringere liceret: nam etsi in se fortasse res levissima esset, licentia tamen infringendae secreti legis in re, quam confessarius levem putaret, ingentis abusus periculum imminentissimum crearet, neque unquam fideles *tuto* omnia dicere possent, quae accusanda esse putarent. Cf. S. Alph. n. 635, Lugo l. c. n. 1—16.

Ad II. Malitia, quae in laesione sigilli qua talis reperitur, ad quandam sacrilegii speciem recte reducitur; debet tamen tamquam sigilli sacramentalis laesio indicari, ut infima et integra species intelligatur. Sacrilegii rationem inesse patet ex eo, quod adsit *abusus sacramenti*.

Insuper accedit obligatio communis servandae fidei, quae in quasi-contractu nitatur. Nam quum confessarius *ex officio* excipiat accusationem poenitentis, *fidelitatem* servare ex *quadam justitia* debet, i. e. secretum servare in omnibus rebus, quae secreta manere poenitentis interest. Ex natura sua autem omnis materia accusationis, et quae cum accusatione cohaereat, secretum postulat.

Sed non raro hujus secreti violatio diffamationem poenitentis secum ferat: quod si accidit, sigilli violatio *alterius injustitiae* malitiam habet, i. e. injustam famae laesionem.

Ad III. Quoniam vero *diffamatio* oritura levis esse potest vel nulla, 457
atque etiam prioris illius *fidelitatis* objectum singillatim pro se sumptum saepe est levis momenti: propterea dixi, si abstrahas a religionis laesione et radicali illo ad religionem respectu, illas *justitiae* laesiones praecisive sumptas parvitatem materiae admittere.

Ad IV. 1. In nulla unquam re aut occasione vel minimam revelationem sigilli sacramentalis licitam esse, *certissima* est sententia: v. S. Alph. l. c. n. 634, ita ut ne ad vitandam quidem propriam mortem, ad salvandam rempublicam, ad extremam necessitatem spiritualem levandam id unquam liceat.

2. Si igitur de re ex confessione cognita interrogatio fiat, per se ipsa interrogatio reprehendenda et retundenda est. At si confessarius aliter aut interrogantem retundere, aut suspicionem contra poenitentem repellere non satis certo possit: potest et debet etiam cum juramento dicere, poenitentem haec sibi non dixisse, se nihil prorsus de hac et illa re scire. Quae omnia sine ulla mendacii specie dici possunt et debent, quum sit restrictio omnino palpabilis, confessarium haec dicere — neque aliter eum loqui posse

— tamquam hominem privatum; sed qua homo privatus verissime nihil prorsus scit, neque poenitens quidquam de peccatis aliisque rebus sub sigillo clausis dixit ipsi ut homini privato, sed ut Christi Deique vicario. Quodsi, qui sacrilege interrogat, hanc restrictionem nescit vel non attendit, ipsius est; imo optimum est, si sacrilega ejus interrogatio ipsum fallit.

3. In violatione sigilli indirecta (de qua infra) materiae parvitas admitti potest, eo quod *periculum laesionis* aliquando non sit ullo modo notabile, sed valde remotum.

458 4. Obligatio sigilli, sicut ex omni confessione saltem inchoative sacramentali oritur, ita etiam ad eam solam restringenda est.

Quare: 1) confessio, seu potius enarratio peccatorum, quae ex alio fine fit, non inducit *sigilli* obligationem; pro re nata strictissimi secreti naturalis vel commissi obligationem inducere potest.

2) Confessio ficta et simulata, quae fit ad decipiendum, seducendum confessarium, sigilli obligationem non inducit: potest igitur pro adjunctis confessarius hac notitia ad sui defensionem uti. At si inter confessionem ex fine sacramenti inceptam prava intentio poenitentem occupet, confessio facta, utpote aliquatenus sacramentalis, sigilli obligationem secum trahet.

3) Confessio, quae *scienter* fit laico, aut sacerdoti quem poenitens scit jurisdictione carere, non est sacramentalis, nisi poenitens intendit, ut sacerdos sibi comparet jurisdictionem atque tum demum absolvat.

4) Manifestatio conscientiae solius consilii causa facta vel ob directionem spiritualem, etsi fit ex praescripto Superioris vel regulae ordinis religiosi (nisi ille, qui se manifestat, intendat haec dicere tamquam praeparationem ad confessionem), inducit tantum obligationem secreti naturalis et commissi, licet in illo genere strictissimi. Hinc semper id discriminis adest, ut quodlibet aliud secretum praeter sacramentale et parvitatem materiae admittat, et ex sese non laedatur per sermonem, qui cum solo illo, qui sese manifestavit, instituitur.

5. In materia sigilli probabilitate uti non licet, scilicet:

1) Probabilitas *facti,* seu si probabile est fuisse et etiam probabile non fuisse *sacramentalem* confessionem, ex qua hausi notitiam, non dat mihi jus aliquid dicendi vel agendi, quod fortasse sigilli laesionem contineat;

2) neque probabilitate juris (vid. si dissentiunt auctores, utrum in hac et illa agendi ratione sigilli laesio contineatur necne) uti licet, quamdiu vere probabile manet, sigilli laesionem subesse, seu agendi rationem, de qua agatur, sacramento odiosam fore: sed moraliter certum esse debet, ab hac vel illa agendi ratione omne odium seu gravamen revelationisque periculum excludi: S. Alph. l. c. n. 633, Diana tom. I. tr. 8 (exord. in edit. altera), Gury-Ball. II. n. 650.

Punctum II.

De *objecto* sacramentalis sigilli.

459 Objectum sigilli est: 1) quidquid est materia confessionis sive vera sive putativa; 2) omne id, quod ad materiam confessionis in

concreto declarandam servivit; 3) omne id, cujus manifestatio materiae sigilli manifestationem secum trahat, aut confessionem odiosam reddat.

Igitur objectum sigilli in specie sunt:

1) quodlibet *peccatum mortale* non tantum in individuo, sed etiam omnino in genere, sc. poenitentem graviter peccasse: Lugo l. c. n. 50;

2) peccata *venialia quaelibet in individuo,* seu secundum speciem suam, imo etiam in genere dicere, poenitentem venialia peccata graviora commisisse, aut eum de novo peccata venialia perpetrasse, et similia;

Tantummodo id generice dicere, poenitentem venialiter peccasse seu venialia tantum peccata confessum esse, non continet laesionem sigilli, si quidem ipse poenitens confitendo re ipsa omnibus id dicit, se *aliquod* peccatum saltem veniale habere; quod de cetero nullum hominem cavere omnino posse, fide certum est, nisi speciale privilegium divinae gratiae receperit, quod collatum esse, de sola B. M. V. constat.

3) *poenitentia imposita,* nisi sit adeo levis, quae pro levissimis peccatis injungi soleat: nam gravior poenitentia innuit, graviora peccata esse commissa;

4) *peccatum complicis,* siquidem cum peccato poenitentis intime conjungitur, atque ad ejus concretam declarationem sive necessario sive libere complicis mentio facta est;

5) omnes *circumstantiae peccatorum* aut eorum *objecta,* quocunque tandem modo objecta horum peccatorum erant, v. g. homicidium, de quo poenitens gavisus sit; duellum, cujus fuerit spectator; crimen alienum, quo ad iram, vindictam motus sit;

Attamen censetur poenitens, si objectum sui peccati factum publicum et communiter notum erat, quamquam confessario forte ignotum, illius publici facti notitiam potius supponere vel praevie dare, quam sigillo claudere velle. Quod si constat, confessarius hanc notitiam non tenetur sub sigillo sacramentali secretam tenere: periculum tamen esse potest, si confessarius dicat, se ex confessione hanc notitiam habere.

6) *defectus,* qui ad explicandum peccatum dicuntur, ut *illegitimitas,* quacum poenitens v. g. ordines suscepit contra ecclesiasticam legem irregularitates statuentem;

7) *conditio, status* poenitentis ex se potest quidem objectum sigilli 460
esse, quatenus hujus statûs conditionisque declaratio necessaria est ad peccata secundum infimas species declaranda;

Attamen plerumque ne tum quidem, quando ita necessaria est, haec notitia censetur confessario dari sub sigillo, sed potius *praevie.* Scilicet si agitur de conditione, statu etc. omnibus noto et manifesto, etsi confessarius haec ignoret, poenitentis nihil interest, haec sciri aut nesciri a confessario, neque vult hanc notitiam confessario sub sigillo sasramentali claudere. Aliud vero dicendum sit, si propter circumstantias poenitentis intersit, suam conditionem in hoc loco tegi et ignorari. — Huc referuntur: poenitentem coelibem esse, vel matrimonio junctum, eum esse opificem, magistra-

tum, sacerdotem, hujus aut alterius nationis etc.: cf. Reuter *theol. mor.* t. 4. n. 377, Lugo l. c. n. 57, Tamb. *meth. conf.* append. cap. 3 n. 10 et 11, Sporer *de poenit.* n. 833. Verum confessario sane non licet, ita de istis poenitentis conditionibus loqui, ut innuat, peccata quaedam contra singulares statûs obligationes esse commissa.

8) *scrupuli* vel *scrupulositas* poenitentis possunt diverso modo cognosci et intelligi: et pro diversa hac cognitione aut materia sigilli sunt, aut materia naturalis secreti;

Vid.: a) Scrupuli ipsi, qui a confitente dicuntur, sunt directe objectum sigilli, quatenus putantur a confitente peccata; b) scrupulositas, quam poenitens tamquam objectum vel circumstantiam suorum peccatorum declarat, si fuit v. g. non satis obediens suo directori in hac re, vel quae indicanda fuit, quo rectius et melius confessarius de peccatis commissis eorumque gravitate judicaret, etiam omnino objectum sigilli est; c) in genere dicere, poenitentem multos scrupulos vel naenias attulisse, eatenus materiam sigilli tangit atque ipsum sigillum laedit, quatenus contra sigillum est, poenitentem habuisse *plura* peccata venialia sive vera, sive putativa; d) scrupulositas, quae ex solo *modo loquendi*, respondendi etc. percipitur, non est sigilli materia, sed per se est materia secreti naturalis, quod eo gravius urget, quo magis connectitur notitia secreto accepta cum ipsa confessione: attamen praeter hujus secreti violationem, si res secreta est, etiam accidere potest, ut in hujus rei manifestatione, quando dicitur, *ex confessione hanc notitiam haberi*, indirecta sigilli violatio committatur secundum ea, quae sub c) dicta sunt: v. Lugo, l. c. n. 60.

461 9) Dein: *virtutes* et *dona divina* per se sigilli objectum non sunt, at possunt esse objectum strictissimi secreti naturalis et commissi; si vero ipsa illa Dei dona manifestantur tamquam objectum, circa quod peccatum commissum fuerit, quatenus sic tantum manifestantur, objectum sigilli sunt secundum n. 5);

10) *peccata in ipsa confessione* a poenitente commissa *per se* materia sigilli non sunt: attamen plerumque eorum manifestatio veram sigilli materiam simul indicat; quapropter tunc illa peccata in confessione commissa manifestare, sigilli violatio est.

V. g. contumelia, impatientia erga confessarium a poenitente commissa plerumque indicant, a confessario poenitentem acrius esse correptum, ac proin eum gravius aliquod peccatum dixisse: quod innuere, sigilli violatio est. — Si vero constet, impatientiae causam fuisse confessioni plane extraneam, eam aliis indicare, sigilli violatio non sit, fortasse tamen peccaminosa famae detractio.

Punctum III.

De sigilli *subjecto*.

462 Postquam explanatum est, quarum rerum notitia ad secretum sacramentale pertineat, etiam id considerari debet, quosnam hujus secreti obligatio afficiat. Ad quam quaestionem sic breviter responderi potest:

Obligatio sigilli eos omnes respicit, qui utcunque sive legitime sive illegitime ad notitiam materiae sub sigillo sacramentali communi-

catae pervenerunt. V. Lacroix n. 1951. Juvat singulos enumerare, ad quos ut haec notitia deveniat, facilius fieri potest.

1. Confessarius, qui confessionem excepit; per se non ille, ad quem *poenitens* literas misit, quae materiam conscientiae tractant. Communicatio enim illa per literas facta sacramentalis confessio non est: quamquam strictissimum secretum naturale et commissum inde oritur.

2. Superior, ad quem sive poenitens sive confessarius (ex licentia poenitentis) pro casu reservato similive causa recursum habuit *sive verbo sive per literas.* Videlicet ille Superior cum confessario ipso unum quoddam tribunal facit, ad quod poenitens pro confessione confugere *debet:* et quamquam per literas non semper confugere debet, eam viam eligere tamen jure suo potest. Quare in hoc casu literae datae vere ad notitiam sacramentaliter datam pertinent.

3. Similiter literae, quas confessarius cum licentia poenitentis ad hunc dirigit in materia confessionis, prorsus notitiam sigillo sacramentali clausam continent. Quare quicunque praeter poenitentem sine ipsius licentia eas legat, sigilli sacramentalis violationem committat.

4. Ille, qui ad confessionem peragendam a poenitente ut persona intermedia adhibitus est, ut interpres, aut scribens peccata pro poenitente, qui aliter confiteri nequeat.

5. Ille, quem confessarius voce vel literis ex licentia consuluit, aut utcunque res ex confessione cognitas docuit, nisi forte poenitens *ampliorem* concessit facultatem. Stoz lib. 2 n. 199.

Quapropter si confessarius loco poenitentis debitorum remissionem pe- 463
tiit ac propterea cum illius facultate peccatum furti etc. domino laeso aperuit, ipse dominus hujus furti notitiam *sub sigillo sacramentali* habet: quia apud poenitentem est, concedere facultatem notitiae in sacramento a confessario acceptae divulgandae aut *sub eodem sigillo* clausae, i. e. eo modo, quo confessarius eam tenet, aut laxiore modo. Sed quando cum restitutione, per confessarium facienda vel componenda, declaratio poenitentis necessaria est, vix videtur convenire, hoc negotium a confessario ita suscipi, ut tota illa notitia sub sigillo clausa maneat. Quare nisi poenitens licentiam det illius negotii liberius tractandi sub solo secreto naturali, confessarii est prospicere, num expediat cum tanto onere causam poenitentis apud alterum tractare. Lugo disp. 23 n. 29, Lacroix n. 1957, Palm.-Baller. tr. 10 s. 5 n. 977.

6. Ille, qui sive casu, sive ex consulto audivit alterum peccata sua sacramentaliter confitentem: hoc autem ex consulto seu advertenter facere, jam continet sigilli violationem.

7. Illi, quibus confessarius sive advertenter sive inadvertenter rem ex confessione notam narraverit. Imo rectissime docet Suarez, si quando revera concionator coram tota multitudine sigillum violarit, *omnes* ita ad sigillum teneri, ut ne inter se quidem de re audita loqui possint.

8. Legens chartam, in qua poenitens peccata sua scripsit, ali- 464
quando ad sacramentale sigillum obligatur, aliquando ad solum secretum naturale.

Ad sigillum tenetur: 1) si e manibus confessarii, cui eam poenitens confitendi causa tradidit, eripuerit; 2) si confessarius eam amiserit, in confessionali reliquerit, quia haec notitia non est nisi *confessarii* notitia ad alios casu extensa, confessarii vero notitia est sigillo clausa; 3) si poenitenti, quum confitetur, eripiatur vel e manibus elapsa sit: tunc enim eam legere est *invadere* confessionem poenitentis; 4) si poenitenti scriptio necessarium medium est confessionem integram faciendi, ante ipsam confessionem chartam legere, est sacramentalem notitiam invadere, atque ita sigillo obstringi; 5) idem dic in omni casu post confessionem, *antequam* charta sic ad poenitentem rediit, ut eam libere servaverit, quum destruere potuerit.

Si igitur 1) poenitens confessione peracta, chartam libere reliquit, abjecit, non destruxit, qui eam invenit et legit, secreti naturalis laesionem gravem committere potest, non sigilli laesionem. Aut si 2) poenitens omnino pro suo libitu peccata sua conscripsit, illud scriptum ante sacramentalem confessionem legere gravissimi secreti naturalis laesionem continere potest, et per se continet, non vero sigilli laesionem. Cf. S. Alph. n. 650.

Punctum IV.

Quo modo sigilli sacramentalis violatio committatur.

465 I. Violatio sigilli est tum quaelibet *communicatio* sive narratio earum *rerum*, quae sub sigillo continentur, sic facta, ut simul notitia personae detur aut periculum cognoscendae personae adsit; tum quilibet *usus* rerum sub sigillo clausarum, qui aptus sit ad reddendam confessionem odiosam vel onus incommodumque poenitenti creandum.

II. Si immediate et per se materia sigilli narratur simul cum persona poenitentis, *directam* habes sigilli violationem; si ex materia sigilli narrata periculum tantum oritur cognoscendae personae, vel incommodi ei excitandi, *indirectam* sigilli violationem habes.

III. *Indirecta* sigilli violatio materiae parvitatem eo sensu admittere potest, quod 1) leve peccatum videtur, si cum *narratione* vel *usu rei* sub sigillo sacramentali cognitae nihil nisi periculum noscendae personae admodum leve conjungitur; 2) si confessarius loquens ex notitia confessionis de peccatis in certo loco, urbe vigentibus, gravamen *admodum leve* loco illi ejusque incolis contra institutum sacramenti creat neque diffamatio ullius momenti censeri debet. Attamen in dubio, num haec adeo levia sint, pro malitia gravi standum est.

IV. Ad sigilli violationem non requiritur, ut ille, quocum loquor, sciat, me ex notitia sacramentali loqui; sufficit, ut ego vere id faciam. Neque requiritur, ut persona poenitentis re ipsa cognoscatur ab eo, coram quo loquor; sed satis est, si circumstantiae ejusmodi sunt, ut persona poenitentis ex iis, quae narro, satis determinata sit, seu si ex narratis persona poenitentis cognosci aut fundata suspicio concipi *possit*.

466 Ex quibus facile infertur:

1. Violatio sigilli est, si de notorio fure dico, eum *sua furta* cum magna contritione confessum esse. Ita ex *communi* sententia Lugo l. c. n. 61, Reuter l. c. n. 378. Contra sigillum non est dicere: ille (notorius

fur) peccata sua confessus est, non exprimendo, *quaenam* peccata sit confessus, v. eosdem auctores l. c.

2. Violatio sigilli est, si duo confessarii, apud quos idem poenitens peccata sua confessus est, inter se de poenitentis peccatis loquuntur.

3. Violatio sigilli est, cum ipso poenitente de confessione loqui, nisi ipse incipiat, neque tunc debet sermo institui nisi *de ea particulari materia*, de qua poenitens loqui coepit.

4. Generatim sigilli violatio est dicere, me hunc et hunc poenitentem non absolvisse, quia communiter aliquod grave peccatum atque poenitentis indispositio innuitur.

Imo Lugo l. c. n. 85 dicit, etsi poenitens dicat, se non fuisse absolutum omnino falsum esse, tunc confessarium idem dicere posse.

Attamen Lacroix l. 6 p. 2 n. 1965 cum Stoz et Reuter ita rem explicant, ut non semper quidem confessario tunc licentia id affirmandi detur, attamen si poenitens coram confessario et aliis id quasi nihil curans dicat, se ab eo absolutum non esse, hoc ipso dari licentiam confessario id fatendi; sed nullatenus eum causam denegatae absolutionis dicere posse, si modo haec fuerit in poenitentis indispositione sita aut ulla ratione poenitenti odiosa.

5. Loqui indeterminate de peccatis in confessione auditis, ita ut nul- 467
lum periculum cognoscendae personae aut suspicionis contra aliquos concipiendae subsit, non est contra sigillum: attamen 1) cavendum est a scandalo laicorum, qui facilius putare possunt subesse sigilli violationem, imo ab ipsa confessione possunt deterreri; 2) cavendum est, ne facilius putetur omne periculum abesse.

6. Loqui de peccato vel vitio regnante in tali loco vel urbe, violatio sigilli non est, si locus resp. parochia satis ampla est (S. Alph. dicit 3000 catholicorum circiter) et agatur de criminibus, quae, utpote publica, novam diffamationem loco non inferant: est contra sigillum, si 1) ex peccatis narratis et modo narrationis civitas diffamationem patitur, 2) communiter, si locus satis angustus est. Verum in hac re videtur id patere, quum certi limites, qui gravem violationem sigilli ab omnimoda liceitate distinguant, accurate definiri non possint, posse aliquando nullum, aliquando gravem, aliquando levem notitiae sacramentalis abusum seu violationem adesse.

7. Post paucorum confessiones auditas unum prae aliis extollere, aut dicere: audivi tale peccatum, periculum contra sigillum et facile quidem gravem violationem continet.

8. Si sine violatione sigilli confessarius necem sibi paratam effugere seu evitare nequit, aut sacrilegium objectivum non potest evitare: haec potius pati aut permittere *debet*, quam sigillum violare. Attamen in confessione potest vel debet poenitentem monere, ipsum obligari, ut facultatem utendi hac notitia concedat.

9. Superioribus prorsus non licet uti notitia ex confessione habita ad 468
externam gubernationem vel ad quidquam agendum, quod poenitenti ullo modo odiosum sit, seu quod si agi licere sciatur, confessionem odiosam vel gravem reddat. Quare propter confessionis notitiam Superior non potest mutare dispositionem etiam sola mente factam: potest vero accidere, ut in confessione id poenitenti declarare debeat, sibi in mente fuisse ita et ita disponere, nunc vero ipsum poenitentem obligari, ut sibi det licentiam ab

hoc proposito resiliendi[1]. Cf. Clem. VIII. 26. Maji 1593 „*Sanctissimus*“ (in Bullar. inter Const. Urb. VIII.).

In hunc finem confer propositionem 18. Nov. 1682 ab Innoc. XI. damnatam: „Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non-usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.“ — Ergo non licet uti confessionis notitiâ cum ullo gravamine poenitentis, etsi ex non-usu malum longe majus, imo maximum, sequatur; neque — ut expresse addit S. Inquisitio — ulla proprie revelatio requiritur, ut notitiae confessionis usus illicitus evadat.

Si vero neque ullum revelationis periculum, neque ullum gravamen poenitentis sequitur: notitiae sacramentalis usus non est illicitus, e. g. poenitenti se benevolum exhibere, pro eo orare, directionem spiritualem aliorum addiscere, *in genere* ex notitia confessionum in concionibus directionem sumere, sed caute et citra omne periculum vel scandalum.

Neque propter sigillum impeditur confessarius, quominus utatur notitiâ aliunde habitâ contra poenitentem. Sed ut evitet omnem suspicionem et scandalum, expedit, vel necessarium erit, poenitentem de hac ipsa re monere, ne putet, agi cum sigilli violatione.

469 10. Loqui cum poenitente in proxima confessione de materia priorum confessionum, non censetur esse contra sigillum: at ne id quidem *sine causa* fieri debet; aliter id ipsum grave esse potest poenitenti. — Imo post absolutionem datam, antequam poenitens recessit a confessario sive e confessionali, si quae dicenda occurrunt, sine sigilli laesione dici possunt, quia sacramentale judicium moraliter adhuc perdurat.

11. Sigilli obligatio quum sit in solum favorem poenitentis, ipse isque solus ejus obligationem remittere aut relaxare potest: sed licentia omnino *libere data*, nullatenus ne per reverentiam quidem quasi extorta et sic roganti data, esse debet, ut sine sigilli violatione loqui possim.

Quando igitur licentiam prorsus libere dedit poenitens, relate ad complices aliosque *sigilli* obligatio nulla est: attamen communis caritatis et justitiae lex, ne v. g. fama aliena laedatur, prorsus adhuc subsistere potest, atque eo gravior, quo facilius suspicio violati secreti sacramentalis sacramento odium creet.

12. Quaeritur etiam, num et quando sigilli violatio committatur, si dicat confessarius, se peccatum grave religiosi hujus et illius ordinis audi-

---

[1] Idem dic de parocho, qui secum constituerat, Titiam assumere pro ancilla, sed postea ex ejus confessione audit, eam esse ex delicto gravidam. Haec ratio esse nequit, cur etiam invitam nunc respuat; sed illi in confessione declarare debet, ut sponte desistat a munere ancillae apud se, alioquin ipsam absolutionis incapacem esse. At si nolit acquiescere, tunc tantum propositum mutare potest, si aliam causam, seu causam extra confessionem notam, detegit.

Similiter, qui (casu) audiverit propriam uxorem confitentem crimen, ex quo pateat, matrimonium fuisse et esse invalidum, eam tamen pro uxore habere et matrimonialiter cum ea vivere debet. Nam si de impedimento ecclesiastico agitur — hoc tum potius cessare debet, ita ut matrimonium validum nunc fieri possit *tacito*, si opus est, utriusque conjugis consensu. Si vero fingas casum, quo agatur de impedimento indispensabili, Deus utique censendus est concedere supremo suo dominio potestatem in putativam illam conjugem, donec alia via per ipsam mulierem aut complicem matrimonii nullitas patescat.

visse. Qua in re ut judicium rectum feratur, videndum est 1) utrum ex natura peccati, quod narratur, aliqua ordinis diffamatio sequatur necne; 2) coram quibus sermo instituatur, siquidem inde multum pendet diffamatio; 3) num aut ex ipsa narratione aut ex adjunctis suspicio cadat in incolas paucarum domorum. Ex his omnibus concludi tandem debet, utrum gravis sigilli violatio sit, an levis, an nulla. Nullam esse, non ita facile accidet.

§ 2.

De obligatione corrigendi defectus in confessionibus exceptis commissos.

Circa hanc materiam praeter S. Alph. consuli merito possunt: Lugo *de poenit.*, Suarez *de poenit.*, Tamb. *meth. conf.*, Gobat tr. 7 cas. VI.

Quamquam commune est omnium, qui munus aliquod gerant, ut 470
post munus gestum ea corrigere et emendare debeant, in quibus erraverint, atque ita aliis etiam sacramentis administratis ea obligatio ministro incumbere potest: tamen, quae alias ad illam obligationem spectant, satis intelliguntur, modo ad ea, quae de repetendis sacramentis dicta sunt, attendas; sed in sacramento poenitentiae, in quo propter diversa confessarii officia facilius et gravius errari potest, quaedam monita de praecipuis erroribus emendandis exponantur oportet.

Verum antea opus est, distinctio diversorum defectuum attendatur.

1. Defectus vel error committi potest *circa substantiam* sacramenti, aut circa sacramenti *accidentia.*

Ad substantiam pertinet *valida absolutio.* Ad accidentia pertinent tum ea, quae munera confessarii accessoria spectant ut medici, doctoris, tum quae muneris quidem principalis sunt, i. e. a confessario *ut judice* fiunt, at in parte sacramenti non essentiali, sed integrali tantum, ut poenitentiae impositione.

2. Defectus commissi possunt *conjungi cum gravi damno* sive poenitenti sive alteri orituro, aut sine gravis damni periculo esse.

3. Defectus vel error accidere potest *ex gravi culpa* confessarii, aut *sine ejus culpa saltem gravi.* Quando scilicet culpa *gravis* abfuit, etsi non omnis negligentia et levis culpa, error tamen potius inter *inculpabiles* numeratur, quam inter *culpabiles,* quia plene voluntarius non erat.

4. Defectus vel error potest aut *positive* committi, i. e. aliquid agendo, aut *negative,* i. e. silendo seu omittendo id, quod agendum erat.

Quibus praenotatis, haec statuenda sunt principia:

I. Error utcunque commissus *circa valorem* sacramenti reparandus est ex justitia et secundum regulas justitiae.

II. Error circa accidentia commissus *positive,* item ex justitia reparari debet et secundum justitiae regulas.

III. Error *circa accidentia* commissus *negative,* ex caritate reparandus est, sive culpabiliter sive inculpabiliter commissus est, quamquam pro graviore culpa graviore etiam obligatione secundum caritatis regulas.

471 **Explicatio.** Ad I. 1. Dicitur *„ex justitia“*. Nam confessarius quilibet, etsi non teneatur ex justitia confessiones excipere: si tamen judicium sacramentale *incepit,* ex quasi-contractu atque ex justitia erga poenitentem tenetur inceptum judicium saltem essentialiter recte complere.

2. Dicitur *„secundum regulas justitiae“*, i. e. si errando graviter peccavit, a defectu reparando non excusatur propter incommodum grave, quod ipsi subeundum sit, nisi forte hoc incommodum *multum* excedat damna et pericula poenitenti exorta: si vero errando graviter non peccavit, causam damni pro poenitente oriundi auferre damnumque reparare debet quidem, si facere potest sine proprio damno relative gravi; alias excusatur, sicut ille, qui inculpabiliter causam damni temporalis posuit. Attamen si poenitens ex confessarii errore in gravi periculo salutis constitutus est, ut si ille moribundum [1] vel eum, qui ante mortem probabiliter non amplius confessurus sit, invalide absolvit, debet prorsus etiam cum suo damno relative gravi, vel pro adjunctis gravissimo, damnum praecavere: quum etiam sola caritas id fere exigat.

Hinc si quem non valide absolverim, maxime a gravibus peccatis, eumque post breve tempus obvium habeam, debeam illum tunc absolvere, idque sine ulla monitione, si supponere possim, eum interim peccatum aliquod grave non commisisse. — Num vero cum gravi meo incommodo eum quaerere debeam, pendet tum a periculo salutis, cui poenitens expositus fuerit, tum a culpa, quam commiserim; insuper cavendum est, ne quaerendo poenitentem sigillum sacramentale periculo exponam.

Si autem longius intervallum jam intercessit, absolutio danda non est, antequam poenitens monitus per dolorem denuo conceptum sese disposuerit. Monitionem autem hanc fieri, seu confessarium fateri coram poenitente illum suum errorem, licentiâ praevie non petitâ, ex se non est contra sigillum; nam quilibet poenitens, sive venialia sive mortalia peccata confessus est, jus habet ad absolutionem rite accipiendam eamque habere vult, neque peccatorum exprobratio habetur, si confessarius hunc defectum manifestat. Si vero ex adjunctis pro manifestatione vel exprobratione gravis peccati in confessione auditi sumeretur, confessarius antea licentiam de rebus confessionis loquendi a poenitente petere deberet, innuendo agi de re, quae sine dubio gratissima et utilissima ipsi esset.

472 Ad II. 1. Quid hoc loco sit „secundum regulas justitiae“, desumi satis potest ex modo dictis in explicando principio I.

2. Sed quum accidentalis error multiplex esse possit: imprimis videri debet, cuinam ex actione confessarii damnum creatum sit, sive immineat, et quam grave illud damnum sit. Pro poenitente potest esse aut spirituale damnum ex falsa doctrina, potest esse temporale propter obligationem restitutionis et similia indebite imposita; pro aliis facilius temporale damnum in quaestionem venit; potest etiam agi de damno publico, vel de damno recti ordinis sive ex aliis causis orituro, sive ex mala legis humanae vel divinae interpretatione.

3. Si igitur cum gravi culpa confessarius defectum commisit — sit exempli causa grave damnum temporale, de quo agatur — damna exorta,

---

[1] Neque excusatio ex eo sumi potest, quod moribundus jam Viaticum sumpserit: nam probabile quidem est, sed nullatenus certum, hoc SS. Sacramentum gratiam justificantem homini in statu peccati versanti conferre.

quae jam aliter reparari nequeunt, suis expensis reparare confessarius debet, alia oritura debet praecavere. Quodsi gravis culpa confessarii aberat, damna ante defectum cognitum jam exorta, quae sine gravi damno confessarii non possint emendari, non tenetur reparare: damna oritura praecavere debet, quae jam illata sunt, monitione reparare, modo possit sine suo damno vel incommodo relative gravi; quodsi hoc negligit ex gravi negligentia, gravis injustitiae ex tunc reus fit atque ita obnoxius iis damnis, quae non impedivit. Igitur si indebite ad restitutionem obligavit, debet monere poenitentem, — petitâ licentiâ loquendi — ut aut non exsequatur aut sibi compenset, si possit, restitutionem: modo, si error inculpabilis fuerit, id sine suo incommodo damnove relative gravi facere valeat. Quod si, quum facere possit, ex gravi negligentia neglexerit: tenebitur postea ipse suis expensis damnum compensare, si monitum seu erroris retractatio ad damnum impediendum aut compensandum efficax amplius non fuerit. Sin post cognitum errorem confessarius monere jam nequit, aut monitio sive erroris retractatio inefficax putari debet: ipse ab omni onere liber manet. Si vero error ab initio graviter culpabilis fuit, confessarius, ut dixi supra, quocunque tandem modo efficere debet, ut damnificatus evadat indemnis.

4. Eadem damni reparandi obligatio est, sive poenitens, sive tertius 473
quilibet damnum damnive periculum incurrit.

5. Quodsi damnum non videtur ita imminens esse, sed efficaciter reparari in subsequenti confessione potest, erroris retractationem tum demum fieri sufficit, praesertim si error inculpabilis erat. Onus enim saepe non adeo leve est, extra confessionem de materia confessionis loqui, tum confessario, qui, petitâ *et acceptâ* licentiâ, facile aliquam confusionem subire debeat, tum poenitenti, cui ex sese aliquod gravamen sit, hunc sermonem a confessario institui. At in necessitate haec spernenda sunt, et, errore detecto, poenitenti utique non grave, sed commodissimum erit, falsitatem dedoctum esse.

6. Ad princip. II. revocandus est error confessarii, qui dixerit, non omnia gravia peccata in confessione esse accusanda; aliquid esse peccatum, quod non est, aut grave peccatum id, quod re ipsa leve est, etc.

Ad III. 1. Error in princip. III. notatus committitur, quando confessarius non docuit docenda, non monuit monenda, non interrogavit interroganda.

Cf. hac de re Gobat tr. 7 n. 298, Tamb. *meth. conf.* l. 3 cap. 8, Suarez *de poenit.* disp. 32 sect. 6, Lugo *de poenit.* disp. 22 n. 65 sqq.

Videlicet si in muniis *accessoriis* confessarius erravit nihil agendo seu *non-agendo*, quae agere debuit: haec agere debuit non tam *ex* officio suo, quam *occasione* officii, vel potius ex officio quidem, quod erga Deum habet, sed non ex officio, quod titulo justitiae et muneris *habitualiter* gerit erga homines. Nam erga eos obligationes illae accessoriae, quatenus obligationes officii seu quasi-justitiae sunt, sese non extendunt ultra ipsum actum confessionis. Ita Gobat l. c.

2. Inde consequitur, longe rarius ejusmodi defectus seu errores cor- 474
rigi oportere extra confessionem, ad quam postea idem rediturus esse praevideatur. Potest tamen aliquando contingere, ut poenitens, nisi moneatur vel dedoceatur, damnum tam magnum, praecipue spirituale, incurrat, ut caritas omnino postulet defectus etiam negativi reparationem quam primum

atque extra confessionis tribunal faciendam. Ad quod tamen, si recte rem consideres, etiam alius, qui confessarius non fuerit, teneretur, si illam proximi necessitatem sciret. Quare confessario maxime propterea nunc monendi obligatio incumbit, quod confessio excepta ipsi illius necessitatis notitiam dedit: neque id tacendum est, paulo gravius legem caritatis tunc urgere, quando cum gravi culpa in ipsa confessione necessitatem poenitentis non sublevavit.

3. Poenitentiam sacramentalem non imposuisse, videri quidem potest defectus negative commissus: attamen quum id ad munus confessarii principale, quod ex quasi-justitia exercere aut complere debeat, recte referatur, ille defectus potius ex justitia reparari debet. At confessarius quum adeo grave damnum neque poenitenti, neque alteri intulerit, et ipse, poenitentiâ in se assumptâ, aliquatenus supplere possit, propter incommodum notabilius subeundum facilius excusabitur ab errore extra confessionem emendando.

4. Aliquando ex adjunctis studiosum silentium considerari debet ut *positivus influxus* in poenitentem. Quare error sic commissus pro *positivo* haberi debet, et reparandus est secundum princip. II. V. Gobat ib. 299.

475 Pro coronide addo quaedam axiomata et brevissima documenta, quae confessarius, maxime quando novitius adhuc est, prae oculis habeat ad acquirendam necessariam prudentiam et dexteritatem. Dedi ea ex Gobat tr. 7 n. 321 sqq.

1. Confessionibus auditis, confessarius apud se consideret, num qua in re erraverit, ut postea a simili errore caveat.

2. Attendat auream regulam a viris doctis et piis commendatam: quum ad sacramentum poenitentiae accedere sit unum ex difficilioribus officiis, quae in lege gratiae praecipiantur, confessarius studeat, quoad fieri possit, minus difficilia reddere, quae ad hujus sacramenti usum et susceptionem spectant.

3. In absolvendis retinendisve peccatis, in poenitentia majore vel minore imponenda salus poenitentis ejusque major utilitas spiritualis prima regula esto.

4. Caveat confessarius, aliquid esse peccatum mortale dicere, quod certus non est esse mortale.

5. In dubiis circa restitutionem similiaque onera imponenda benigniorem confessarius sequatur theologorum sententiam, si modo sit vere probabilis.

6. Praesumere debet confessarius posterior, priorem munere suo bene functum esse. Quare quoad praeteritas confessiones praesume, confessarium alterum satisfecisse quoad interrogationes, monita restituendi etc., nisi certo deprehendas, eum errasse.

7. Non contrahitur, neque accusanda est malitia circumstantiae speciem mutantis, nisi poenitens, quando peccavit, sciebat aut saltem dubitabat confuse de contrahendo propter illam circumstantiam speciali peccato. — Quod usui esse debet praecipue tum, quando circumstantiae malitia solis doctis viris nota est.

8. Confessarius non debet esse nimis scrupulosus in interrogandis iis, quae poenitentem commisisse *possibile est*, sed tantum ea interrogare debet, quae commissa esse *probabiliter* credit: neque credere vel suspicari debet sine fundamento.

9. Confessarii est, nosse circa unam eandemque rem sententias plures, si quae sunt, practice probabiles: quo possit pro diversa poenitentium conditione atque utilitate modo una, modo altera uti, eamque, si minus praescribere, saltem suadere.

Caput IV.

Diversarum confessarii obligationum et munerum ad diversa poenitentium genera applicatio.

Erudite hac de re tractarunt praeter alios: S. Alphonsus *praxis confessarii,* Mart. Fornarius *institutio confessariorum,* Reuter *neoconfessar.,* Lacroix *theol. mor.* l. 6 p. 2 n. 1797—1932, Tob. Lohner *instructio de conversatione apostolica* et *instructio pastorum,* Scaramelli *directorium asceticum* et *directorium mysticum,* Scavini *theol. mor.* ed. recent. in vol. IV. *appendices,* Benger *theol. pastor.* (Pastoraltheologie), Gaume *Manuel des confesseurs,* Tappehorn *administratio sacramenti poenitent.* (Verwaltung des Busssacramentes), Probst *theoria curae animarum* (Theorie der Seelsorge): quamquam non omnia, quae in singulis scriptoribus reperiuntur, velim commendata habere. Novissime habes J. Aertnijs *theol. pastoral.*

Modus agendi cum diversis poenitentibus eosque in via salutis et[476] perfectionis dirigendi ex multiplici capite diversus esse debet, videlicet 1) diversus pro diverso ingenio et indole, ita ut, qui indole cholerica, sanguinea, phlegmatica, melancholica utuntur, non eadem ratione tractandi sint in remediis, quae praescribantur vel consulantur ad vitia debellanda atque exstirpanda, aut in aliis monitis et exhortationibus, quibus in via perfectionis dirigantur: alii enim erigendi, alii reprimendi sunt; 2) diversus pro diversa habituali conscientia: circa quae confer, quae dicta sunt de conscientia laxa atque scrupulosa diversisque ejus speciebus; 3) diversus pro diverso poenitentium statu atque vitae conditione: quae hîc potissimum attendenda sint, exposita habes in doctrina de diversis statibus et in quarto decalogi praecepto; 4) diversus pro diversis obligationibus, quae extrinsecus poenitentibus oriri possunt: in condonandis injuriis inimicitiisque deponendis, in restitutione sive bonorum fortunae sive famae facienda. — Sed haec suis locis notata sunt, quando illas obligationes explicavimus; quare ea nunc praetermittimus.

Hîc 5) ad eam solam diversitatem poenitentium attendimus, quae magis intrinsecus cum sacramento poenitentiae ejusque partibus cohaereat, atque ministro sacramenti graviores difficultates excitare possit, idque

a) quidem propter difficultatem deprehendendi *necessariam in poenitente instructionem,* ut in pueris, rudibus etc.

b) propter difficultatem *dijudicandi necessariam poenitentis dispositionem,* ut in occasionariis et recidivis,

c) propter difficultatem *conservandi atque augendi poenitentis dispositionem,* ut in tentatis et afflictis, vel piis,

d) propter difficultatem *extremi periculi* praecavendi, ut in moribundis.

Quare haec distinctis paragraphis et articulis tractabimus.

Articulus I.

De agendi ratione cum iis, in quibus necessaria instructio facilius desideretur.

§ 1.

De confessione puerorum.

477 1. Quando in tenera aetate pueri sive puellae confitendi causa accedunt, videndum est, nisi aliunde constat, satisne ratione polleant. Si enim in ipso confessionali clathris ludunt vel digitis et pileo, si circumspiciunt ad socios similiaque agunt, generatim magna praesumptio contra perfectum usum rationis est, ita ut, nisi aliunde de rationis usu melius constat, extra necessitatem mortisve periculum saltem communiter non sint absolvendi: sine causa enim sacramentum fere certae nullitati exponitur. Nam pueri, si modo usum rationis attigerint, potissimum in prima confessione, quam instituturi sunt, generatim magna rei sanctitate percelluntur atque majore reverentia mentisque recollectione agunt.

2. Si usu rationis puer pollet, propter mentis instabilitatem et levitatem non raro periculum subit, levius agendi circa dolorem et propositum; admonitione confessarii autem facile juvari potest, quum in tenera aetate animus veritates illas divinas et aeternas magno affectu suscipere et alte imprimere soleat, si serio et considerate proponuntur. — Igitur magnopere in eam curam confessarius incumbere debet, ut levitate pueri sive puellae superata, intimum dolorem firmumque propositum saltem circa unum alterumve principale peccatum, si quod mortale non habetur, verbis praeeundo cum poenitente eliciat.

478 3. Non erit abs re monere confessarios, ut dispiciant, num forte quaedam peccata a puero habeantur pro gravibus, quae nec gravia nec ita periculosa sint. Nam prorsus evelli debet hac in re erronea conscientia, quam non raro pueri ex imprudenti exaggeratione certorum peccatorum ex se levium concipiunt. Quamquam ex altera parte id etiam curandum est, ut levissimi etiam peccati *horrorem* retineant vel concipiant, modo discrimen peccati mortalis et venialis edocti sint. Quod nota praecipue de mendaciis, furtulis etc.

4. Magna cura et prudentia opus est in tractandis rebus turpibus, ne puer vel puella discat, quae nescivit, neve pergat in iis, quae objective illicita sunt — etsi eorum malitia non ita perspecta sit poenitenti — et quorum emendatio in dies difficilior evadat. Quae si deprehenduntur committi, poenitens prorsus monendus et omni modo retrahendus est a prava consuetudine.

5. Neque id praetermitti debet, grave periculum proximamque peccandi occasionem oriri posse, si pueri puellaeque in eodem lecto dormiant. Qua in re, si accidit, severe arguendi sunt parentes, nec facile admittenda est excusatio propter loci angustias. Imo si infantes aetatem plenae rationis attigerunt et mali suspicio utcunque capi potest, ejusmodi pessima consuetudo nunquam positive permittenda, sed, quantum fieri potest, stirpitus evellenda est; quod si fieri impossibile fuerit, saltem periculum imminuendum est eo, quod parentes filios suos atque filias vestitas lecto committant atque invigilent, donec somno sese dederint; atque insuper id omnino efficiant, ut unus ex filiis, cui fidere melius possint, ipsos prorsus

moneat, quum primum aliquis ex reliquis minimum quid committere conatus fuerit, quod minus deceat.

6. Ceterum si ex confessione puerorum confessarius cognovit occa- 479
sionem proximam, ipsos pueros tractare debet sicut alios in occasione proxima constitutos, eosque etiam aliquando adigere debet, ut apud parentes instent pro separatione. Neque videtur aliqualis suspicio aut infamatio apud ipsos parentes tanti semper aestimari debere, quando sunt pueruli, quanti alias diffamatio aestimatur. Universim autem benigne semper suscipiendi sunt pueri; graviter enim delinquat confessarius, qui moroso et aspero tractandi modo eos a confessione deterreat.

Juvat notare ex Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 11 cap. 4 n. 8, quae statuta fuerint in Conc. Mediol. IV.: „Parochus, ut diligentissime poterit, et Episcopus imprimis, tum auctoritate sua, tum etiam, si opus erit, saecularis magistratûs ope implorata, id maximopere curet, ut ne cum femina quocunque vel arctissimae propinquitatis gradu conjuncta mas simul cubet, etiamsi ambo puerili aetate sunt, ita tamen grandiusculi, ut aliqua inde suspicio, periculum, occasiove impuri flagitii committendi exsistere possit. Nec vero paupertatis, angustaeve habitationis excusationi locus facile relinquatur, quominus istiusmodi impuritatum occasio omnis praecidatur; quum humi potius atque adeo sub dio jacere satius esset.“ Pergit Ben. XIV.: „Item in synod. Fulginatensi anno 1722 illud idem praescribitur, et prohibitio redigitur ad eos, qui septimum annum compleverint; dein inter casus Episcopo reservatos recensetur eorum delictum, qui, curam gerentes filiorum aut nepotum diversi sexûs, permittunt eos simul, mares nimirum et feminas septennio majores, in eodem lecto cubare.“ — Nihilominus accidere potest, ut etiam adulti diversi sexûs simul dormientes nihil mali agant neque mali periculum suspicentur: quare, si hoc contingit, quid indulgeri possit, prudentiae confessarii relinquitur.

7. Optime monet Benger, pueros et puellas ante confessionem immediate esse praeparandos, maxime ad dolorem; odium peccati iis instillandum esse, etiam venialis, — addo tamen: ne unquam venialia pro gravibus tradantur! — etiam de sigillo a sacerdote servando eos institui debere.

§ 2.

De confessione rudium.

Sufficit pauca haec practice notasse: 480

1. Saepe homines, alioqui rudes, in negotio salutis et rerum supernaturalium aeque bene, imo melius instructi apparent, quam qui in rebus humanis optime sunt versati. Verum non semper ita instructi reperiuntur. Quare tum ex accusatione, quam faciunt, tum ex responsis, quae dant, confessarius judicare debet, utrum in necessariis etiamtunc instrui debeant, necne.

2. Ante omnia etiam ii, qui in enumerandis peccatis negligentes non sunt, monendi sunt de dolore et proposito eliciendo: nisi aliunde constat, eos bene hac in re instructos et sollicitos esse. Porro id maxime inculcandum est, ut, antequam confessionale ingrediantur, peccati offensaeque divinae malitiam serio perpendant atque in dolore sese exerceant: non ita raro enim invenire est poenitentes, qui putent sufficere, ut post receptam absolutionem dolorem excitent vel potius aliquam formulam contritionis recitent.

Imo etsi homines rudes se dolorem elicuisse fatentur, nihilominus etiam videndum est atque curandum, ne cum sola formula recitanda contenti fuerint. Quare plerumque praestat, sive per modum exhortationis, sive per modum orationis cum illis ad Deum fundendae motiva doloris subministrare, ita ut attente audientes eo ipso in animo necessarium actum doloris et propositi concipiant.

481 3. Si vix habent, quod accusent, videndum est, unde defectus materiae accusationis oriatur. Fieri enim potest, ut propter uniformem vitam et continuos labores occasiones peccandi vix habuerint atque ita a gravioribus peccatis etiam per longum omnino tempus abstinuerint, leviora autem non ita aestiment. Quod si ita factum esse apparet, paululum juvandi sunt poenitentes, ut etiam leviora peccata vitare proponant; securitatis causa dolorem elicere doceantur de graviore aliquo peccato anteactae vitae.

Si nihil certae materiae extundi potest (incertam materiam voco non solum res objective dubie peccaminosas, sed etiam peccata quidem certa, at leviora neque cum *certo dolore sufficienti* accusata), quando ab aliquot mensibus poenitens non est confessus, de cetero autem neque incurius suae salutis invenitur: sub conditione absolvi potest, post dolorem de peccatis gravioribus in genere elicitum. Lacroix l. 6 p. 2. n. 1808.

Si ratio deficientis accusationis non tam est defectus materiae in se spectatae, quam potius defectus examinis, poenitens monendus est de obligatione discutiendae conscientiae. Relinquitur autem prudentiae confessarii, utrum putet, se posse interrogationibus illum defectum supplere, an potius poenitentem dimittendum esse judicet, ut post quadrantem vel semihoram revertatur.

Cum omnibus illis, qui cum praeparatione tam manca poenitentiae tribunali se sistant, dolorem et propositum etiam eliciendum esse, idque rem summi momenti esse, vix est, quod moneam. Qui enim in aliis partibus deest necessariis, etiam doloris sufficientis concepti argumentum non praebet. De modo vero cum rudibus dolorem excitandi utiliter confertur Lacroix l. c., Reuter *Neoconfessarius* n. 116. Generatim optimum est, exordium sumere a similitudinibus rerum et relationum naturalium atque sensibus subjectarum.

482 4. Aliquando vero defectus accusationis ortum habere potest ex plena inscitia poenitentis, quae etiam necessarios fidei articulos comprehendat. De quibus omnino instruendus est.

Deprehensa igitur tali inscitia, utiliter observatur, quod Reuter l. c. n. 117 et Lacroix l. c. n. 1809 tradunt: „Quodsi quis ita stupidus et hebes reperiatur, ut nec possit apprehendere necessaria necessitate medii, conetur confessarius intelligere, utrum hebetudo orta sit ex peccatis quibusdam, quae mentem obcaecant, ut sunt luxuria et ebrietas, an vero ex naturali complexione[1]. Si prius, differatur absolutio et prius abducatur

[1] Sane intelligit auctor eam hebetudinem, quae confessario relinquat solum aliquod dubium de capacitate intelligendi veritates maxime necessarias, non certitudinem tantae inscitiae: alioqui frustra conaretur cum poenitente elicere actus fidei, spei etc. utpote impossibiles. Ceterum nemo adeo incapax erit, nisi sumas eos, qui propter defectum rationis infantibus adnumerandi sunt, peccandi nondum capacibus.

a peccatis, quia irrita erit instructio[1], durante impetu passionum. Si posterius, sitque poenitens bonae voluntatis et innocentis vitae, inducatur ad eliciendum actus fidei, spei et dilectionis Dei (cum dolore etc.) secundum ejus capacitatem, et sic dispositus absolvatur sub conditione permittaturque accedere ad Sacram Communionem. Indicium est, hebetudinem provenire ex naturali complexione, si ad temporalia quoque hebes sit, si non male vivat, bonaeque sit voluntatis; si autem ad temporalia sit solers et industrius, suspicio est hebetudinem provenire a peccatis. Unde discrete examinandus erit de peccatis luxuriae. — Si autem ita hebes esset, ut nullam cognitionem de mysteriis fidei formare posset, fatuo vel infanti comparandus videretur. — Denique si hebetudo nata esset ex senectute, et senex antea scivisset necessaria medii, etsi non ita clare jam videretur ista credere, absolutio et S. Communio ei dari posset. Si vero ista ignorasset, laborandum esset, ut cito addisceret, quum crescente senio decrescat magis capacitas."

5. Cum hominibus rudibus et inferioris conditionis confessarius ex una quidem parte aliquando severiore agendi et loquendi modo uti potest eos increpando, si durioris sunt ingenii peccatisque dediti neque in iis detestandis diligentes, ex altera autem parte multum cavere debet, ne eos duritie repellat, sed in id incumbere, ut eos soletur Deoque lucretur. Nam mirum est, quantopere etiam rudiores homines duriusculo agendi modo offendantur atque magis quam exculti deterreantur, benignitate vero atque affabilitate attracti, ad bonos mores cum magna docilitate efformentur.

§ 3.

De semifatuis.

1. In dijudicandis iis hominibus, qui ratione plena non utuntur, im- 483
primis distingui debet et investigari, utrum 1) sint certo plene fatui; an 2) certo plene fatui non sint, sed semifatui tantum, ita ut inter bonum et malum morale distinguere atque actus etiam supernaturales elicere possint; an 3) dubium hac de re maneat.

2. Pro diversa hac conditione diversimode agi cum illis debet. Nimirum si constat, hominem esse semifatuum tantum, et alioqui piae indolis, nihil obstat, quominus saepius ad sacramenta admittatur. Reuter *Neoconf.* n. 192 cum Gobat dicit, eum absolvi posse singulis mensibus, si hîc et nunc judicetur habere saltem imperfecte actus ad poenitentiam necessarios. — Si vero major malitia in eo deprehenditur, ita ut fortasse sufficiat ad mortale peccatum committendum, magis etiam urgere potest necessitas eum absolvendi, ne maneat in peccato fortasse commisso, sed etiam major necessitas eum plenius per dolorem aliosque actus disponendi.

3. Si prudens dubitatio est, utrum usus rationis tantus sit, quantus sufficit ad peccatum actusque morales et supernaturales, annon: absolvendus ille homo est sub conditione: 1) omnino in articulo mortis, 2) imo etiam aliquoties in vita, saltem in Paschate, v. Reuter ib.; 3) alias etiam,

---

[1] I. e. compleri per absolutionem instructio nondum potest: ceterum statim aliquam instructionem de actibus necessariis, imo maxime de contritione et caritate, qua se ipsum homo, si velit, juvare possit, dandam esse, nemo non videt.

quando affert materiam, quae aut ex se mortale peccatum sit, aut in qua timeri debeat, ne forte homo ille subjective graviter peccaverit.

Absolutio quidem semper danda est *sub conditione;* attamen etiam praemitti debet instructio de necessariis actibus, qui ope confessarii ejusque auxilio a poenitente eliciantur.

§ 4.

De surdis et mutis.

484 1. De integritate confessionis a talibus hominibus exigendae vide, quae supra dicta sunt n. 328. E scripto scilicet confiteri, non est res certae obligationis, at sane esse potest consilii. Signis autem mutos, quantum fieri possit, confessionem complere debere, habes ibidem l. c.

2. Istorum hominum curam parochus eatenus majorem gerere debet, ut eos instruendos curet, ut ex seipsis satis praeparati ad confessionem accedere assuescant; atque locum separatum illis destinet, ubi libere cum iis agi queat, quoniam in ipso confessionali sine sigilli violatione ejusve periculo non omnia possunt tractari.

3. Si quis surdus idemque mutus est, certe temporibus nostris satis instrui potest. Curari autem debet, ut ab eo instruatur, qui eum etiam christianam doctrinam doceat, atque bene instituat in actibus fidei, spei, caritatis, doloris et propositi eliciendis, idque ex propriis uniuscujusque actûs motivis formalibus; neque solis libris precatoriis hac in re fidendum est, quum reperiantur in iis formulae, quae ne essentiale quidem motivum necessariorum actuum contineant.

De confessionis autem integritate hominis surdi ejusdemque muti confessarius utique sollicitus esse non debet. Agat, quantum fieri potest, signis; aut, si poenitens vult, scripto: verum observa, confessarium non obligari, ut scripto faciat interrogationes atque ita extorqueat responsa; id enim odiosum est poenitenti, neque ipse poenitens ad responsa scripto danda, quibus compleat suam confessionem, tenetur.

Articulus II.

De agendi ratione cum iis, in quibus difficultas est judicandi de sufficienti dispositione morali.

485 Magnum negotium facessunt confessario poenitentes occasionarii, et consuetudinarii recidivi: quum, ut supra jam dictum est, non raro contra eorum sinceram atque firmam voluntatem prudens praejudicium oriri possit.

Quare hîc fusius explicandum assumpsi, quomodo cum hujusmodi hominibus agi debeat. Primum exponam doctrinam de occasione, et quaenam sit obligatio eam auferendi; dein quaenam ratio habenda sit consuetudinis et relapsûs; demum breves regulas subtexam, quae aliquam practicam agendi normam subministrent.

§ 1.

De occasione peccandi.

Praenotanda:

1. Occasio peccandi in genere est quaedam circumstantia homini extrinsecus adjacens, quae eum alliciat et pertrahat ad peccatum.

2. Occasio dicitur aut *remota* aut *proxima*, prout periculum labendi leve est, aut grave et instans: proxima dicitur *absolute proxima*, si pro omnibus hominibus communiter hoc periculum exstat, *relative proxima*, si pro certo homine, accedente peculiari dispositione, illud periculum adest.

Porro proximam esse occasionem, colligitur 1. ex tristi experientia lapsûs, si nimirum homo, quando versabatur in illis circumstantiis plerumque aut saltem satis frequenter re ipsa peccavit: si autem notabiliter rarius peccavit, quam victor mansit, occasio ex lapsuum experientia proxima dici nequit: cf. Reuter *Neoconf.* n. 168; 2. colligitur ex vehementi tentatione, cui homo in illis circumstantiis exponitur; nam etsi lapsus nondum accidit, tamen vehementem tentationem *temere* subire nunquam non secum fert grave omnino labendi periculum: quod *ex dogmate* plane constat.

3. Occasio dicitur continua seu *in esse* aut non-continua *(non in esse)*, prout circumstantia illa alliciens hominem habitualiter comitatur, ut persona in eadem domo habitans, turpis statua, quam dominus detinet etc.; aut tum tandem homini adjacet, quando sese in haec vel illa adjuncta ingerit, ut sunt v. g. cauponae frequentatio et similia.

4. Occasio dicitur *libera* aut *necessaria*, prout homo, si vult, eam removere sive omittere moraliter potest, aut hoc non potest. Non posse dicitur etiam ille, qui sine incommodo *magno* notabilive damno eam occasionem vitare nequit, e. g. alioqui subiturus infamiam, gravem penuriam etc. — Si vero leve est damnum vel incommodum, occasio debet dici libera.

Quibus notatis, haec statuenda sunt principia:

I. Occasio proxima libera peccandi graviter, sive absolute sive 486
relative proxima, omnino vitari debet, ita ut ipsam libere sustinere sive adire jam sit peccatum mortale.

II. Occasionem proximam necessariam vitare seu auferre, non absoluta quidem obligatio est; at obligatio gravis est disjunctiva, sc. aut opportunis remediis eam reddendi remotam, aut eam, quacunque difficultate spreta, auferendi.

III. Occasionem remotam non auferre, etsi specialis causa eam subeundi non adsit, ex se grave peccatum non est, modo maneat occasio *remota*, atque voluntas determinata sit ad repellendam tentationem, si qua oriatur. Verum quo majus est periculum intra ipsos fines remotae occasionis, eo gravius est etiam peccatum veniale, quod ille committit, qui sine causa istud subit periculum: accedente autem ratione plus minusve gravi, omne peccatum abest, modo, ut dixi, voluntas firma persistat non peccandi.

IV. Si de periculo venialiter peccandi agitur, etiam illud temere subire, peccatum veniale est: at si illud, unde periculum oritur, actio in se honesta et utilis est, ex hac ipsa bonitate ratio sufficiens agendi habetur, ita ut illud aliquale periculum non debeamus attendere, sed potius remediis adhibitis nos ipsos praemunire; aliter enim innumerae actiones utiles metu peccandi impedirentur, quod non tam hominis cauti et timorati, quam pusillanimis est. Inutilia autem, quae jam ex se sine aliquali peccato fieri vix possunt, etiam multo magis propterea declinare, quod incitamenta ad alia venialia peccata esse possint, hominis vere prudentis et suae perfectionis cupidi est.

487 **Uberior explicatio.** Nota ad I. 1. Itaque absolvi nequit, qui non vult auferre seu vitare occasionem proximam liberam, in qua jam graviter peccavit, aut eum mox graviter peccaturum esse praevidetur. Imo si est occasio continua, plerumque nullatenus absolvi debet, qui eam nondum removit. Cf. quae supra dicta sunt *„de sententia ferenda“* [1] n. 430.

2. Neque in libera occasione proxima id admitti potest, ut poenitens mediis adhibitis eam remotam reddere conetur. Temeritas enim summa est, divino auxilio fidere in illis circumstantiis, in quibus divina lex fugam praecipiat. Eccl[i] 3, 27: „Qui amat periculum, in illo peribit.“

3. Neque facilius credendum est homini occasionario praetendenti, sibi nimis grave esse gravisque damni causam, occasionem a se dimittere. Praetendunt enim aut imaginantur ipsi sibi damnum et difficultatem, aut graviorem quam re ipsa est, ubi tantum affectus ad peccatum obstat: quare prudenter omnino inquirere debet confessarius in causas et circumstantias.

488 Ad II. 1. Difficile est dicere, quando adhuc permitti possit, ut propter veram difficultatem vitandi occasionem occasionarius potius remediis conetur periculum peccandi remotum facere, quam deserat occasionem; quando, maxime post iteratum lapsum, tandem separatio praecipienda sit.

Quod prudentiae confessarii est relinquendum. Generalis autem regula haec est, ut non sit imponenda *absolute* et *determinate* separatio,

---

[1] Ita etiam S. Carol. Borrom., S. Alph., S. Franc. Xav., S. Thom. a Villanova, qui in tractando foro poenitentiali eximie versati erant: cf. Reuter *Neoconf.* n. 173, qui recte notat: „per se absolvendus non est concubinarius, nisi concubinam dimiserit a se, quamvis ploret et promittat, se, ubi domum redierit, statim dimissurum, maxime si id alias promisit et fidem fefellit. . . . Firmiter tenendum, vix, aut ne vix unum, qui mulierculae cohabitanti aliquoties mortifere adhaeserit, licet res turpis nondum abierit in consuetudinem, . . . emendandum, nisi per separationem; quia peccati et delectationis memoria, objecti praesentia, propensio in talia sensim cor ejusmodi hominis emolliunt“.

Habes theses damnatas ab Alex. VII. 41.: „Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum deficiente illa, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur“; ab Innoc. XI. 62.: „Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.“

si hanc instituere notabiliter difficilius est, quam, manente occasione, per media adhibita peccatum vitare.

2. At in hac re vitanda sunt ex utraque parte extrema. Nimirum in quibusdam peccatis, maxime si relapsus pluries secutus est, valde difficile erit per media adhibita victorem in tentatione evadere, aut etiam, manente occasione, remedia efficacia adhibere: praecipue quum labor ille pugnandi fere continuus sit. Quare quod in se difficilius videtur, facilius tamen una vice perficitur. — Ex altera autem parte dici debet, *gravissimum* damnum, ut jacturam vitae, omniumve bonorum etc., subeundum imprudenter imponi absolute, quum nemo sit, qui, si modo velit, non possit cum divina gratia remedia adhibere etiam efficacia, faciliora tamen, quam gravissima damna ista.

Quare si tanta incommoda cum occasionis fuga conjunguntur, serio quidem poenitenti dicendum est, eum aut unum aut alterum prorsus facere debere, i. e. aut tandem remedia *(assignanda)* fidelius et constantius adhibere, aut etiam cum maximo incommodo peccati periculum a se amovere: prius tamen cum divina gratia in sua esse potestate. Si quis vero poenitens heroica voluntate potius summum aliarum rerum discrimen subire vult, quam in periculo manere, quod ut efficaciter superet, ex tristi experientia rationabiliter timet, nequaquam retrahi debet: nisi forte cum suo damno damnum etiam alienum conjungatur.

Ad III. 1. Aliquando fieri potest, ut praevideatur, id quod nunc 489
adhuc remotum periculum sit, brevi evasurum esse grave seu proximum: quare tunc confessarii est ejusmodi occasionem praecidere eamque poenitenti prohibere, ne sc. brevi in grave peccatum formale labatur.

2. E contrario, si *valde remotum* est certi alicujus peccati periculum, et insuper firma voluntas non peccandi, non videtur ex solo isto periculo etiam sine causa assumpto illa species virtutum laedi, contra quam peccatum istud impingit: secus, si periculum, etsi non proximum, — tunc enim certissimum est, contrariam illam virtutem laedi — tamen aliquatenus notabile (cf. n. 486 III) sine causa subitur.

Ad IV. Quod supra princip. IV. dictum est, intellige non de iis peccatis venialibus, quae proxime disponunt ad mortalia, — de illis enim valet, quod modo (ad III. 1) dixi — sed de iis, quae leviora sunt et certo venialia tantum manent.

§ 2.

De consuetudine et relapsu.

1. Consuetudinarius ille dicitur, qui frequentiâ in certo genere 490
peccandi habitum seu pravam inclinationem eorum peccatorum committendorum contraxit.

2. Quanam vero frequentia ejusmodi habitus contractus esse censeatur, accurate definiri non potest. Sine dubio pro consuetudinario haberi debet, qui per notabile tempus tentationibus ad certum peccatum urgentibus pugnam non opposuit, sed victas manus dedit. Verum quia

frequentius occurrit occasio internis peccatis consentiendi, quam externa perpetrandi, imo frequentius etiam urgere possit tentatio solitaria peccata committendi, quam peccata cum complice: propterea cum distinctione loquendum est, sc. 1. sufficere minorem numerum peccatorum externorum constanter post certum intervallum perpetratorum, quam peccatorum mere internorum, ut censeatur contracta consuetudo; 2. facilius contrahi consuetudinem per uniformem modum relabendi in eadem peccata, quam eodem peccatorum numero, si frequentius quidem uno tempore commissa sunt, sed rarius et post pugnam alio tempore, v. g. facilius dixeris consuetudinarium, qui per certum temporis spatium quintodecimo quoque die se polluit, quam eum, qui, una alterave hebdomada longe frequentius quidem lapsus, aliis hebdomadis cum gravi pugna sese continuit.

S. Alph. *prax. Conf.* n. 70 dicit, eum, qui per notabile tempus quinquies in mense peccaverit peccato operis, dici debere consuetudinarium; imo in materia luxuriae fornicationem (vel graviora peccata) semel in mense per annum commissam consuetudinem peccandi induxisse.

Ceterum haec accuratius definiri, tanti non interest, quando agitur de absolutione poenitenti danda aut differenda. Nam si quis, non obstante vitioso habitu, sinceram voluntatem hujus habitûs impugnandi habet, nihil est, cur propter pravum habitum ab absolutione excludatur. Imo ille habitus contractus facit, ut facilius credamus, poenitentem sinceram voluntatem emendationis habuisse et habere, etsi aliquando relapsus acciderit, modo ne sine seria pugna acciderit. Si vero consuetudinarius fidem aliquoties ita fefellit, ut sine vera pugna semper eodem modo post institutam confessionem peccaverit, jam propter *relapsum* difficilior evadat ejus absolutio, sive homo ille strictiore sensu consuetudinarius est, sive minus stricto.

3. Relapsus igitur vi vocis dicitur peccati jam accusati iterata perpetratio. Verum sensu theologico *recidivi* vocantur ii, qui pluries confessi semper eodem modo relapsi sunt. Ex quo patet, recidivum vix non esse consuetudinarium, non autem quemlibet consuetudinarium posse dici recidivum.

491 4. Relapsus in eadem peccata sine emendatione et sine vi, quam poenitens pugnando contra vitium sibi intulerit, non directe quidem praejudicium contra praesentem poenitentis dispositionem creat, attamen creat *indirecte*. Nam relapsus ille directe praejudicium creat contra dolorem et propositum, quod homo ille in praecedentibus confessionibus exhibuit: qui enim *sincere* dolet et firmiter proponit peccatum aliquod omittere, saltem per aliquod tempus se continębit, neque illico in primo cum hoste congressu victas manus dabit.

Unde iam indirecte non ita raro contra praesentem dispositionem concludi debet: si enim poenitens eodem modo atque antea, nec ferventius et melius asserit se dolore, ejus verbis majorem fidem adhibere non possumus, quam eadem assertio antea merebatur. Hinc:

§ 3.

De quibusdam regulis circa absolutionem recidivorum et occasionariorum.

I. Pro majore vel minore difficultate absolutionis dandae ita fere [492] poenitentes in quasdam classes dividere possumus, sc. eorum,

1) qui versantur in proxima occasione libera eaque continua;

2) qui versati sunt saepius in proxima occasione libera non continua;

3) qui versantur in proxima occasione continua, sed necessaria;

4) qui saepius versantur in proxima occasione necessaria non continua;

5) qui sine externa occasione ex fragilitate interna relapsi sunt.

Scilicet *primi* vix unquam absolvi possunt, antequam re ipsa occasionem reliquerint;

secundi aliquoties absolvi possunt, si serio promittunt vitare occasionem, neque gravis ratio praejudicii contra eos exsistit;

tertii ex parte quidem mitius, ex parte etiam severius tractandi sunt, quam poenitentes secundae classis; nimirum severius saltem exigi debet usus fidelis mediorum, alioqui differenda est absolutio;

quarti adigendi sunt etiam omnino ad adhibenda remedia efficacia: at si tandem *dispositi* esse videntur, raro expedit absolutionem differre;

quinti ordinis poenitentes etiam magis absolutione confortandi sunt, modo sufficientem dispositionem prae se ferant.

II. Poenitentes, qui remedia a prudenti confessario praescripta serio adhibuerunt, atque aliquamdiu contra vitia pugnaverunt, etsi dein paulo negligentiores evaserunt atque iterum relapsi sunt, recidivi *stricto sensu* non censentur; neque propter relapsum ratio est, cur nunc absolutio eis negetur aut differatur, modo dolorem et *absolutam* voluntatem non amplius peccandi concipiant.

Verum id circa ejusmodi homines notari debet, esse, qui ex industria unâ alterâve hebdomadâ a confessione peracta, atque etiam ante confessionem denuo instituendam sese continere consueverint, ut sic quaedam signa sincerae voluntatis confessario possint praebere, sed qui post breve illud tempus semper eodem modo relabantur. Quod si accidit, videri omnino debet, utrum vera voluntas *absolute* abstinendi a peccato adfuerit et adsit, an potius sola voluntas per aliquod tempus sese continendi. Quae voluntas sine dubio plane insufficiens est ad recipiendam absolutionem: atque hujusmodi homines pleno sensu sunt recidivi.

III. Stricto igitur seu pleno sensu recidivi ii sunt, qui ita sunt [493] relapsi, ut merito inde dubium de dispositione in praeteritis confessionibus colligi debeat. Quo non efficitur quidem, ut repetitio harum confessionum jam pro necessaria habeatur; tamen id efficitur, ut iidem homines nunc melius probare debeant praesentem dispositionem.

At qua ratione et quo gradu haec probatio fieri debeat, certâ regulâ definiri non potest. Quo majus praejudicium contra sinceritatem doloris et ejus nudae assertionis ex frequenti relapsu apparet, eo magis insistendum est, ut hoc praejudicium melioribus poenitentiae signis diluatur. Sed si tandem confessarius sibi dicere prudenter debet, non obstante frequenti relapsu, sibi de sincero dolore et proposito solide persuasum esse, non est, cur absolutio dari nequeat, nisi forte obstet obligatio relinquendae occasionis, faciendae restitutionis etc., quae prius implenda sit.

Quando igitur talis obligatio exsistit, jam prima vice pro regula sumi potest, differendam esse absolutionem, dum poenitens officium suum impleverit, si facilius sit ei redire, quam obligationi suae satisfacere: quod multo magis fieri oportet, si poenitens jam aliquando promissis non stetit; imo si ita est, raro omnino ei fidi debet, antequam re ipsa illi obligationi satisfactum sit. Dico, raro omnino fidi debere; nam aliquando per exceptionem id fieri posse, negari non debet, sume, si ex una parte poenitens nunc specialia prorsus signa melioris propositi praebet, et ex altera parte gravissimum onus est illi redire, utpote qui longius iter instituerit, vel aliquid simile.

494 IV. Relapsus, si ex occasione externa ortus est, aliquando manifestam reddit obligationem auferendi occasionem potius, quam eam per remedia reddendi remotam: si nimirum hoc nimis difficile esse experientiâ probatum est, neque *adeo* difficile, quamquam satis onerosum, occasionem removere. Imo etiam quando *absolute* id imponi nequit propter nimiam difficultatem, tamen si alias unquam, in hoc casu confessarii est omnino videre, nonne debeat differre absolutionem, ut voluntatem seriam ejus, qui saepius fidem fregerit, experiatur, neque solis promissis, imo nec lacrymis facilius credat confessarius.

Homo vero relapsus ex interna fragilitate, si satis dispositus ad recipiendam absolutionem non videtur, potius omnibus modis ad seriam voluntatem dolendi et proponendi induci debet, quam remitti. Attamen etiam in hoc poenitentium genere accidere potest, ut rigor adhibendus atque absolutio ad aliquod tempus differenda, vel aliquando saltem Communio interdicenda sit, si nimirum ex frequenti relapsu cum frequenti susceptione sacramentorum apparet, vel existimari debet, horrorem peccati firmamque voluntatem non amplius peccandi defuisse atque deesse. — Si vero relapsus frequentior ex rariore sacramentorum susceptione oriri videtur, ad frequentiorem usum poenitens potius animandus est.

V. Recidivi, etiam si absolvi absolute possunt, tamen aliquando pro remedio ad breve tempus possunt remitti, ut videlicet interim melius de peccati malitia recogitent, atque melius dispositi majorem fructum ex sacramentis hauriant. Verum hujus experimenti usus prudenter omnino fieri debet, maxime nostris temporibus, quibus qualibet difficultate homines infirmi a sacramentis retrahantur. Imo meminisse juvat dicti S^{i} Alph., tunc posse poenitentem etiam *dubie dispositum,*

modo tamen ipse putet se dispositum esse, sub conditione absolvi, si „prudenter timeatur, quod peccator ille non amplius ad confessionem redibit, et in peccatis suis tabescet“: l. 6. n. 432.

Articulus III.

De agendi ratione cum iis, in quibus laborandum est, ut dispositio conservetur atque augeatur.

Intelligo hîc tum eos, qui propter afflictiones tentationesque pecu- 495
liari periculo exponantur, tum eos, qui, utpote pii et devoti, gravem materiam non afferant et in periculo sint leviora etiam levius aestimandi.

§ 1.

De tentatis et afflictis.

Sciri debet, quid sit tentatio, ut discernatur a consensu; unde oriatur, ut convenientia remedia adhiberi possint; quanti sit periculi, quantae etiam utilitatis, ne homo animo cadat, neve superbiâ efferatur; quibus remediis utendum sit, ut re ipsa tentatio vincatur et utilitatem spiritualem ferat. Copiose et erudite hac de re scripsit Hense *Die Versuchungen (de tentationibus)*, Friburgi 1884, ubi utilissima quaeque circa tentationes habes pertractata.

Cum afflictis et tentatis communiter benigne agere debet confessarius, ne afflictionem afflictioni addat atque eum deprimat, quem erigere et juvare debet.

I. Tentatio est provocatio ad peccatum, eaque aut mere externa, aut etiam interna, quando ipse appetitus hominis ad bonum apparens atque fallibile attrahitur et ad agendum contra legem sollicitatur.

Oritur autem tentatio aut ab ipsa natura corrupta, quae inclinat ad vetita atque in appetentia rerum sensibilium legis rationem non habet; aut a diabolo, qui praecipue per phantasiam res sensibiles et peccaminosas menti objicere, atque ipsum etiam appetitum inferiorem vehementer commovere potest; aut ab utroque, ita scilicet, ut diabolus naturali inclinatione utatur eamque promoveat. Quodsi impetus tentationis communem mensuram humanae appetentiae longe superat, signum est diabolicae tentationis. Frequenter tamen in tentationibus non ita extraordinariis diabolus *partem* habet.

Cogitatio igitur importune ingesta, appetitus rationalis ad malum indeliberatus, sensus delectationis atque commotio tentatio sunt, nondum peccatum: hoc in *consensu* consistit, aut in sustentanda deliberate sine sufficienti excusatione cogitatione periculosa. Haec probe distinguenda sunt relate ad homines timoratos, qui habitualiter ita constituti sint, ut mori potius velint, quam Deum graviter offendere. Qui ergo in hac mentis dispositione constituti sunt, minime timere debent, ne consenserint, nisi plane certi sint de consensu dato. Neque id dicitur ad solam certitudinem peccati excludendam, quasi dubium maneat,

utrum homo ille peccaverit necne; sed potius ad stabiliendam certitudinem peccati, gravis saltem, non commissi. Nam peccatum mortale tantum malum est, ut in animam ejus, *qui illud habitualiter horreat,* non possit intrare, nisi plene cognoscatur. Timidas animas juvat comparatio illa a sanctis viris commendata: utut muscae cubiculum intrare possunt, quin animadvertantur, tamen bos non ita intrabit: sic leves quidem defectus homine pio non advertente animam afficere possunt, mortale peccatum non item.

Dein — id quod probe notandum est — etiam in tentationes mere spirituales, ut blasphemiae, odii Dei etc., ipse diabolus imaginationem quandam consensûs fingere potest, animumque quodam complacentiae sensu afficere, ita ut homo tentatus aliquando sibi videatur Deo voluisse maledicere, et cum complacentia impias cogitationes fovisse: quum nihilominus longissime absit a deliberata ejusmodi voluntate, atque statim, quum sui vere compos fiat, ex animo istas impietates detestetur. Cf. Reuter *Neoconf.* n. 267, 3. — Quare si quis turbatur, quasi consensum dederit, confessarius bene perspiciat in poenitente animi dispositionem, ne forte tentationes pro peccato habeat, neve etiam timido responso hominem afflictum in dubio commissi peccati relinquat atque excruciet.

496 II. Tentatio a diabolo quidem movetur aut promovetur in eum finem, ut ad peccatum homines pertrahat: a Deo permittitur ad exercendam pugnam reportandamque victoriam, quo homo copiosiora merita sibi colligat atque in virtutum exercitio proficiat. Tentari igitur non est signum conditionis animi malae, sed tentationibus cedere. Imo quo magis strenue homo ad perfectionem contendit, et quo majus praemium Deus illi praeparavit, eo graviores saepe tentationes sustinere debet secundum Eccl[1] 2, 1: „Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem."

497 III. Quo facilius autem tentationes vincantur, confessarius poenitenti remedia subministrare debet, quae ipsi in promptu sint, tum generalia, tum specialia.

Ad generalia remedia quod attinet, haec sunt praecipua:

1. Humilitas cum diffidentia propriarum virium et vigilantia;

2. oratio, qua statim ad Deum confugere debemus ad implorandum auxilium gratiae;

3. magnus animus ex fiducia in Deum et fortitudine contra inimici aggressus oriundus.

Ad haec juvat addidisse quaedam monita, quae in aureo libello *exercitiorum spiritualium* S. Ignat. de Loyola tradit circa diversos motus animae discernendos, nimirum:

1. Videre debet homo, ex qua parte ipse sit debilior atque ad malum proclivior. Quoniam sc. inimicus ex hac parte facilius animam aggreditur cum majore spe vincendi, hominis est vigilare et ante exortas tentationes sese munire atque contrariae virtutis exercitio magis incumbere.

2. Tentationes molestas homo tentatus aperiat confessario, etsi ipse sibi satis prudens videatur: hanc enim humilitatem Deus praemio donat, neque quidquam magis aversatur diabolus, quam suggestiones suas prudenti confessario vel directori detegi.

3. Tempore tentationis bona proposita non sunt mutanda, vel in examen revocanda, sed potius strenue prosequenda et exercenda.

4. Multum autem juvat consueta bona opera potius augere, orationi atque propriae abnegationi insistere.

5. Timeri non debent inimici nostri tentationes, sed ipse sperni potius debet eique imperterritâ fronte obsisti, non propriis quidem viribus, sed gratia Dei firmiter confidendo, „qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere“ I. Cor. 10, 13: quo enim timidior homo est, eo diabolus erit audacior.

IV. Particularia autem remedia Reuter *Neoconf.* n. 244 et n. 265 493 exhibet. Recole, quae supra dicta sunt n. 447 et sq. Addam sequentia ex scriptore laudato, quae magis spectant diaboli suggestiones, quam tentationes ex propria concupiscentia oriundas:

1. „Si excitatur tentatio de assequenda salute aeterna, aut eam plane neglige tamquam stropham diaboli, aut dic interne: meum est Deo nunc servire, futura disponere ejus est, qui misit Filium suum, ut vitam habeam et abundantius habeam. Nemo speravit in eo et confusus est etc. — Ceterum indoctis non est loquendum, multo minus concionandum de mysterio praedestinationis.

2. Si fatiget haec tentatio: ‚Quid faceres, si hoc vel illud malum tolerare deberes, aut hoc vel illud peccatum perpetrandum esset: quid eligeres? Quid faceres in hoc vel illo casu?‘ ad alia animum convertat, et hanc cogitationem ut otiosam contemnat, vel apud semetipsum dicat: ‚Quicunque casus evenerit, Deo erit cura de me; mihi adhaerere Deo bonum est; ipse me proteget et a peccato servabit‘ — his dictis quiescat agatque agenda, *certus, etsi non videatur sibi posse omnino statuere, non se peccare, sed coram Deo meritum habere.* Caveat autem arrogantiam, sed cum fiducia in Deum sese humiliet agnoscens, nisi Deus gratiâ suâ adjuverit, se certo lapsurum esse.

3. Si daemon immittat tentationes aspicienti res honestas, vel etiam sacras, v. g. imaginem Crucifixi, Beatae Virginis, tentatus non cedat tentatori, sed directe ita aspiciat, etsi experietur imaginationes foedas aut motus turpes: neque enim ista objecta sunt causae talium foeditatum, neque hae homini voluntariae sunt. Proinde ne procedat timide, sed rideat stultam tentationem; timor enim auget et saepe provocat illam; cui si cedit, eo tandem deducetur, ut in omnibus timeat, et nec confiteri nec communicare amplius audeat timens ex his similes effectus, quos daemon aut phantasia similiter producere poterit. Idem est, si ex aspectu talium rerum sacrarum oriantur cogitationes blasphemae, haereticae etc.; nam et hae facile vincuntur, si contemnuntur; hinc etiam errant, qui se ab ejusmodi liberandos putant, si eas confiteantur: nam sic augetur timor, et tentatio magis infigitur, quae oblivione et contemptu melius fuisset dissipata.“

§ 2.

De poenitentibus piis.

499 Etsi ea, quae ultimo loco circa tentationes dixi, ad ipsos poenitentes pios imprimis referri debent, tamen alia quaedam non levis momenti in iis tractandis observanda sunt.

I. Non omnes eodem modo sunt dirigendi. — Attendat igitur confessarius et ad naturalem indolem poenitentis et ad instinctum Spiritûs Sancti.

1. Nimirum aliter sunt tractandi phlegmatici, aliter cholerici, melancholici, sanguinei. Primi excitandi sunt, ne tepidi fiant; cholerici restringendi, ne excedant, at etiam ad nobiliora et excelsiora in Dei servitio dirigendi; in melancholicis cavendum, ne tristitiâ et solitudine absorbeantur neve graviori oneri supponantur; in sanguineis multum cavendum, ne subitaneo aliquo affectu et ardore permoti aliquid supra vires assumant, atque insistendum, ut in omnibus deliberate, sed post deliberationem etiam constanter agant.

2. Confessarius ductum Spiritûs Sancti in poenitentibus suis indagare, eum sequi, non antevertere debet. Sapientissima est sententia S. Ignatii Loyolae: „Res plena periculi est, uno omnes calle cogere velle ad perfectionem; quam varia quamque multiplicia sint Spiritûs Sancti dona, talis non intelligit.“

500 II. Generalia tamen documenta quaedam pro omnibus utilia, qui perfectionis christianae capaces videntur, haec sunt:

1. Doceantur, perfectionem consistere in singulis actionibus iisque quotidianis perfecte faciendis.

2. Non esse per saltum ad perfectionem tendendum.

3. Ne fidant nimis primo ardori et consolationi, sed studeant sese etiam ad desolationem praeparare, Deoque etiam sine consolatione et gustu servire.

4. Extraordinaria confessarius nedum imponat, sed ne permittat quidem facile: haec saltem sit *regula;* exceptiones, quae occurrere possunt, ne facile sibi fingat adesse.

At propterea mortificationes et poenitentiae etiam externae non sunt impediendae. Scilicet quamquam mortificationes secundum vires poenitentis non debet neque potest confessarius prohibere: tamen poenitentem sic instituat, ut ipse eas sibi permitti petat, atque melius est eas sic assumi, ut augeri possint, quam ita, ut minui debeant. Quare caute et prudenter in iis rebus director spiritualis agere debet, ne ultra vires tum corporales, *tum spirituales* quidquam imponat. Vires autem spirituales non ex fervore novitio aestimare debet, sed ex virtute probata.

5. Probationes, quas putat confessarius vel director instituendas esse cum poenitente, ut eum aut exploret magis aut promoveat, *ne sint apertae* — nam si poenitens eas ut probationes cognovit, tales esse desinunt — neque communiter singulare quidquam redoleant. Quae enim sancti viri aliquando fecerunt aut fieri permiserunt, non possunt assumi pro regula, sed admiranda potius, quam imitanda sunt.

6. Attendat confessarius ante omnia, ut alatur obedientia, humilitas, amor crucis et propriae abjectionis et oblivionis rerum mundanarum atque desiderium constanter proficiendi in sequendo Christo patiente, paupere et abjecto. Nisi ad hunc finem omnia spiritualia exercitia et oratio omnis conducant, merito suspecta sunt etiam ea, quae illustria et eximia videntur.

7. De sacramentorum frequentiâ habes, quae notata sunt circa Communionem frequentem. At id semper videndum est, ut accedant bene praeparati, neve ex sola consuetudine agant: una enim S. Communio cum bona praeparatione suscepta praestat pluribus tepide sumptis. Distinguere tamen debet confessarius verum spiritûs fervorem et animi promptitudinem ad quaclibet, quae divinum servitium spectant, a sensibili devotione.

III. Confessarius attendat ad peculiaria pericula atque tentationes, 501
quae hominibus ad perfectionem enitentibus occurrere possunt.

1. Qui ab initio consolatione spirituali perfundebantur, iidem, postea subtracta sensibili devotione, facile animum despondent, atque animi ardorem remittunt: quare jam ab initio praemuniendi sunt, et maxime tunc instruendi, in quonam vera perfectio sita sit.

2. Qui aliquamdiu Deo servierunt, eos diabolus artibus suis facile tentat ad tepiditatem eisque axiomata tepidorum inspirat: quare incipiunt exercitia orationis, mortificationis omittere, leves defectus parvi pendere. Quo fieri potest, ut paulatim deficientes in profundum peccati mortalis irruant. Cf. Reuter *Neoconf.* n. 246. 2. Initium teporis difficulter, progressus facile animadvertitur. Huic malo sedula cura adhibenda est.

Quare si tepor nondum ita progressus est, poenitens moneatur serio, ut omnia devotionis exercitia *serio* resumat aut etiam pro aliquo tempore augeat vel secessum aliquot dierum faciat.

Si autem jam ad pejus homo prolapsus est, primo confessarius eum cum magna benignitate excipiat augeatque fiduciam in Deum, ut eum sic compellat ad pristinum fervorem resumendum: quodsi benigna exhortatio nihil prodest, etiam severitate utendum est atque terror divini judicii addendus.

3. Aliquando etiam accidit, ut homo, qui jam satis magnam per- 502
fectionem attigerat, donisque divinis non ordinariis donatus erat, sibi fidens efferatur, atque misere in peccatum etiam grave cadat.

Quodsi tristis ejusmodi casus confessario unquam occurrat, *prudentia* opus est, scilicet:

1) Ne ullo igitur modo confessarius miretur vel admirationis signa edat, sed magna benignitate poenitentem excipiat, ne ille plane animo cadat.

2) Si ipse poenitens sibi multum indignatur, videndum est, utrum sit indignatio superbiae, an sancti doloris: superbia reprimenda est, non est exstinguendus dolor; quare non semper convenit, solo melle diffluere velle.

3) Erigatur tamen poenitens ad spem plenae misericordiae, imo majoris gratiae, quam antea, quia Deus dives est in misericordia, qui poeni-

tentem Magdalenam et Petrum contritionis dolore flentes majoribus gratiis cumulavit, quam multos, qui ita non ceciderant.

4) Excitetur propterea etiam ex parte sua ad majorem caritatem et majorem fervorem, exemplo eorum, qui ex ipso lapsu occasionem sumpserunt tantae perfectionis attingendae, quantam aliter vix attigissent.

5) Tandem doceatur poenitens adorare divinam justitiam atque seipsum multum humiliare, et deinceps caute vivere. Miro enim modo Deus sibi complacet in animo contrito et humiliato, atque cum proprio quasi dispendio sui offensam permittit, ut homo propria experientia quodammodo cogatur ad abjiciendum fastum, humilitatem sectandam.

503 IV. Quando extraordinariae consolationes, atque extraordinarii orandi modi occurrunt, neque signa hallucinationis apparent: confessarius non incredulâ quidem, at sobriâ mente dispiciat, quid rei sit. Ejusmodi res facilius quidem diabolicis illusionibus expositae sunt; sed si vere a Deo proficiscuntur, non parum juvant ad magnum in virtutibus progressum faciendum divinamque manifestandam gloriam.

Sicut igitur periculum affert quam plurimum, credulitate imprudenti fovere et juvare diabolicas fraudes: ita etiam damnum ingens afferre potest incredulitas et despectus quidam extraordinarii Dei doni.

Hinc confessarius non omnis harum rerum notitiae expers sit oportet. Deus enim in quolibet vitae statu sibi speciali praerogativa animas deligere potest, quibuscum intima utatur familiaritate. Cognoscat ergo confessarius aliquo saltem modo eos scriptores, qui de mystica theologia scripserunt, eosque probatae auctoritatis. Pauca tetigit brevi compendio S. Alph. *„Praxis confessarii“* n. 126—144. Fuse diversos orandi modos extraordinarios describit Scaramelli *Directorium mysticum*. — Regulas vere aureas ad discernendos spiritus in quolibet, etiam extraordinario modo spiritualis vitae tradit S. Ignatius Loy. in libello exercitiorum: ex quibus juvabit, notasse praecipuas:

504 1. Multo magis cautos nos esse debere in consolatione, cui praecedat causa, seu quando antea sensibus, appetitui obversabatur objectum, quod naturaliter ejusmodi solatii causa esse potuit, quam in ea consolatione, qua subito, nulla exsistente praevia causa, rationales animae facultates magno lumine perfundantur: posterioris solum Deum causam esse posse.

2. Divinam motionem non posse non esse ex omni parte rectam et ordinatam, ab initio, in progressu, in fine, semper ad veram virtutem impellentem; daemonis vero illusionem, etsi incipiat cum bono, desinere tamen sive immediate, sive mediate in finem pravum, sive aliquid in se pravum insinuet, sive a meliore bono retrahat, hominemve perturbet; exercitatum tamen oculum requiri, ut haec cauda serpentina animadvertatur.

Quare, ut jam antea dictum est, augmentum verae humilitatis, amor propriae abjectionis, contumeliae non experimenti causa, sed ex animo desideratae, amor crucis et perfectae abnegationis et mortificationis non externi tantum hominis, sed etiam interni, ejusque imprimis in consuetis et quotidianis actionibus exercitium, quae ad munus et officium ipsius poenitentis spectent, lapis lydius est, quo vera aut fucata virtus et devotio discernantur.

3. Nihilominus motioni etiam divinitus datae postea adjungi posse aliquando tentationem diaboli, aut naturalem animae motum minus ordina-

tum, ita ut e. g. non ex quolibet motu superbiae etc. concludi queat, consolationem illuminationemque, quam homo perceperat, a Deo profectam non esse. At si frequenter inordinati motus occurrunt, et homo multum in iis inhaeret, res est saltem valde suspecta.

4. Undecunque tandem motio interna et illustratio veniat, homo contendat oportet ea uti ad proficiendum in contemptu sui tum apud se, tum apud alios, atque ad concipiendum majus desiderium imitandi Christum pauperem, humilem, passum: quodsi serio et constanter homo hunc finem prosequitur, si diabolica fuit illustratio, inimicus fine suo et spe frustratus facile recedet.

5. Obedientia, etiam contra propria sensa, signum bonum est, imo prorsus necessarium. Manifestare cum simplicitate confessario Dei dona, sed cum repugnantia laudis habendae, signum bonum est; sed libenter et leviter manifestare, quae ad propriam laudem videntur esse, aut ex donis extraordinariis propriam laudem quaerere, vel occultare, quae videntur a confessario non approbatum iri, contristari, si non approbantur: signa mala sunt vel, ut minimum dicam, suspecta.

V. Etsi extraordinaria non semper prima fronte ut nugae rejiciendae 505
sunt: ex altera parte novellus confessarius sese etiam praemunire debet contra fraudes et hallucinationes praesertim muliercularum, quae aliquando specietenus tantum pietatem et devotionem colunt, extraordinaria avide sectantur, atque ea sibi contigisse praetendunt.

Ne igitur ipse confessarius cupiat incidere in personas extraordinaria sectantes, neve vanitate quadam ductus sibi complaceat in laudibus ab ejusmodi mulieribus sibi delatis! Qui adeo stultus et vanus est, justo Dei judicio et permissioni adscribere debet, si reperit tandem, in poenam suae vanitatis et imprudentiae a feminis, quae ipsae illusionibus laborant, se quoque deceptum esse atque illusum.

Digna, quae legantur, sunt ea, quae scripsit Benger *Compendium theologiae pastoralis* § 129 n. 775—778.

§ 3.

De directione monialium.

Quae de poenitentibus piis priore § dixi, suo modo huc applica. 506
Sed quoniam speciales difficultates et pericula evitanda, exstirpanda mala, bona promovenda sunt, breviter dicam, quae apprime notatu digna videntur.

I. Confessarius ipse doctus esse debet, versatus in rebus spiritualibus, prudens, caritate et patientia eximius.

Videlicet si omnibus sacerdotibus atque confessariis *doctrina* necessaria est, ea tanto major in confessariis monialium requiritur, quanto majorem videmus ab Ecclesia selectionem fieri in iis deputandis. Extraordinaria, quae accidere possunt, sine solida doctrina saepissime perperam tractantur nec sine damno.

Cur autem confessarius ipse *versatus* esse debeat *in rebus spiritualibus*, non solum theoretica earum scientia imbutus, ratio haec est, quia spiritualia sine propria experientia recte vel plene intelligi nequeunt. Si quis igitur hanc experientiam non habeat, caecus caecos ducet. Idque adeo

verum est, ut in extraordinariis donis divinis, teste Sancta Theresia, Deus non raro directorem vel confessarium experientia instruat, ut alios, qui ejusmodi charismatibus dotati sint, recte instruere et dirigere possit.

Quo magis igitur confessarius sese extraordinariis donis orbatum viderit, eo *prudentior* et cautior esse debet, si forte in animam speciali familiaritate cum Deo utentem inciderit, ne temere eam tractet. — Praeterea in ipsis ordinariis et quotidianis rebus summa prudentia cum monialibus agere debet, ne in consiliis vel responsis sive in dexteram sive in sinistram partem excedat vel deflectat: quo enim sagacioris et suspicacioris indolis sint feminae et quo majus otium ruminandi et indagandi monialibus relinquatur, eo cautior et prudentior esse debet illarum confessarius, ne errorum det ansam. — Sit suo munere plane contentus, ne praeter spiritualium rerum curam etiam rerum temporalium negotia gerere velle videatur, neve cum hac et illa moniali familiarius agens sibi vel illis pericula creet, factionumve atque divisionis animorum ansam praebeat et subministret fomenta.

Caritas autem, eaque supernaturalis, atque patientia necessaria imprimis est, tum ut in spiritualem profectum suarum subditarum promovendum serio incumbat, tum ut defectus, spirituales miserias, aequanimiter ferat atque in utilitatem poenitentium convertat. Quamquam enim paucas animas habet suae spirituali curae concreditas: sciat tamen, paucorum *perfectione* Deum plus honoris percipere, quam multorum studio virtutum imperfecto; insuper attendat, eos, qui divino servitio sese dedant, multo plus quam alios ad sustinendas cujusvis generis tentationes debere esse paratos, neque minimam partem hujus oneris ferendam esse *cum* afflictis ab eo, qui illorum spiritualem curam gerat. Nisi igitur confessarius ea caritate erga Deum et erga proximum ardeat, qua exstimuletur ad gravia sustinenda, ad aliorum curam spiritualem agendam non est aptus.

507 II. Moniales sive stricte dictas, sive latius sumptas dirigere debet imprimis, ut servent plene et perfecte vota, dein ut servent regulas sui specialis instituti, ut cum devotione et fervore exercitia spiritualia obeant, ut quotidiana opera cum supernaturali et perfecta intentione peragant divinae praesentiae saepe memores.

Hinc instructae esse debent in methodo singula spiritualia exercitia fructuose et perfecte peragendi, ut in methodo meditandi, conscientiae examinis faciendi, S. Communionis accipiendae, instituendae confessionis, audiendae Missae, recitandi officium divinum aliasque preces vocales etc.; dein videant, ut in quibuslibet aliis quotidianis exercitiis *certam* virtutem sibi definiant atque exerceant et in ea crescere studeant.

Quae circa majorem perfectionem prosequendam, atque circa extraordinaria dona divina observanda sint, ex priore paragrapho intelligi possunt.

III. Superiorissae quidem non est, internum animi statum monialium penitus introspicere, neque de frequentiore aut minus frequenti Communione definire. Quamquam aliqua communicatio eorum, quae conscientiam

spectant, sane utilis esse potest, nunc plane servandum est decretum Leonis XIII. „*Quemadmodum*“ d. d. 17. Dec. 1890, quod vide ad calcem hujus voluminis in fine append. I. pag. 797: proin confessarius neminem in his rebus sinat excedere. Reverentiam vero et obedientiam erga Superiorissam a subditis omnibus omnino exigat et promoveat.

Neque tamen ita in omnibus Superiorissam adjuvet, ut, si forte ipsa deliquerit vel imprudenter agat, aliarum monialium querelis et consultationibus sese occludat. Interdicat privatas querelas, earumque disseminationem, auctoritatis diminutionem; audiat tamen cum prudentia et perpendat querelas, si quae *justae* esse videantur, quo possit juvare, ceteras succidat.

IV. Circa defectus et peccata praecipue haec sunt, quae curare 503
debet cavenda vel exstirpanda:

1. Omnia, quae vitam communem laedant atque proprietatem quandam sapiant.

2. Inobedientia vel querelae contra Superiorissam, aversio et similia.

3. Laesio caritatis erga sorores: et quamquam apprime dignosci debent, quae sint levia hac in re, quae possint evadere gravia, tamen ne sinat confessarius vel minimum quid in animo radicem figere, quo deliberate laedatur caritas, atque severus sit in exigenda reconciliatione et omnis aversionis exclusione.

Obedientia et caritas duae virtutes sunt, in quibus omnis vita religiosa communis ut in quibusdam cardinibus vertitur.

Discant igitur moniales propriam voluntatem et proprium sensum frangere atque aliis sese accommodare, persuasum habentes, se Deo hac re magis placere, quam aliis etiam gravioribus mortificationibus, quae secundum propriam voluntatem exerceantur.

4. Singularis familiaritas, quae cum una alterave sorore foveatur; ut taceam de sensuali familiaritate periculosa, etiam ea, quae in se periculosa non sit, animum dividit, familiaritatem cum Deo impedit, communem caritatem diminuit, querelarum et detractionum occasionem praebet atque nutrit.

5. Familiaritas vel lubens conversatio cum extraneis: haec enim, praeterquam quod graviora pericula inducere potest, religiosam mentem mundanis rebus et cogitationibus implere atque foedare solet, atque in ipsum monasterium saeculum introducit. — Quare multum vigilari debet, ut clausura stricte servetur, janitrix sit fidelissima; atque si agitur de iis congregationibus, quae labores assumant circa homines extraneos vel etiam forte extra monasterium curam aegrotorum exerceant, confessarius plane prospicere debet, ne cui moniali haec occupatio occasio peccandi evadat. Quod si fieret, agendi modum sumet ex iis, quae de occasione peccandi generatim dixi.

6. Acedia et tepescentia. Videlicet confessarius invigilet, ne paulatim fervor primitivus evanescat neque solum sensibilis devotio — quae tandem non est in hominis potestate —, sed etiam substantialis devotio pereat, atque periculosus tepor vires occupet, qui leviora spernat, propriis viribus fidat, pericula temere subeat. — Quapropter moniales diligenter utantur frequenti spiritûs renovatione, sive menstrua sive

trimestri, sive praecipue annua per arctiorem complurium dierum spiritualem recessum.

Si qua vero monialis unquam turpiter ceciderit atque mortale peccatum commiserit, magis etiam, si forte peccato diu celato, saepius sacrilegi sacramentorum usûs rea evaserit: confessarii est, ante omnia quidem animum ejus erigere, ne illa plane decidat vel desperet, dein vero etiam adjectis stimulis amissum fervorem resuscitare, ut novo studio majoreque humilitate et abnegatione tantum damnum resarciatur, atque pro futuro relapsus omnino praecludatur.

509 V. Confessarius ipse in sua agendi ratione nemini sit familiaris, sed omnes aequa lance tractet; neque specialem familiaritatem erga Superiorissam ostendat, siquidem hoc modo aliarum animos, maxime earum, quae minus bene erga illam affectae sint, plane a se potest abalienare.

In excipiendis confessionibus paternam gravitatem, non mollem quandam agendi rationem prae se ferat, neque prolixus, sed potius brevis sit, ita tamen, ut, quantum satis sit, singularum conscientiis prospiciat.

Ex sua parte extraordinarium confessarium vel directorem libenter admittat, atque ipsam Superiorissam moneat, ne difficilis sit in procurando et admittendo alio confessario, si qua monialis nedum postulet, sed desideret: nisi tamen ratio sit suspicandi, haec non propter pacem conscientiae, sed propter alios fines desiderari.

Tandem animas sibi commissas Deo in suis orationibus et SS. Missae sacrificio frequenter commendet, atque sibi lumen imploret, quo illas in via perfectionis recte ducere possit atque in dies promovere.

Articulus IV.

De agendi ratione cum iis, in quibus extremum periculum curam summam postulat seu de agendi ratione cum moribundis.

510 Si unquam pastoralis cura impendenda est atque zelus sacerdotalis exercendus, sane nunquam id magis exigitur, quam apud moribundos: quidquid enim agitur, si feliciter animae negotium tractatur, fructus manebit aeternus; si opera frustratur, irreparabilis manet defectus in aeternum.

Duo praecipue consideranda sunt: 1) potestas utcunque absolvendi, seu quousque sacerdos progredi possit in danda absolutione, 2) modus certius et copiosius dandi atque augendi absolutionis fructus.

§ 1.

Qui moribundi absolvi possint.

Ut, quae hîc dicenda sunt, intelligantur, necessarium est recolere ea, quae de materia sacramenti poenitentiae deque actibus poenitentis essentialibus sect. I. cap. III. dicta sunt. Quando enim certum est, aliquid essentiale deesse, absolutionem dari non licet, siquidem prorsus vane et proin sacrilege daretur; quando vero aliquo modo, licet tenuiter, probabile est, adesse omnia essentialia, absolutio dari non

solum potest, sed debet. Quod intellige tamen ita, ut exsistere possint casus, in quibus dari possit absolutio, non autem sub peccato dari debeat, quando nimirum plerique theologi negant, absolutionem dari licere, aliquibus tantum docentibus, eam posse dari.

I. Generalia principia et plerique casus occurrentes claram et certam solutionem habent, scilicet:

1. Danda est absolutio moribundo, eaque absolute, quando constat de sufficienti dolore et *aliquali* confessione: nimirum etsi integritas ex impossibilitate non habetur, si modo aliquod peccatum moribundus confessus sit, vel etiam in genere se peccatorem esse seque absolutionem velle dixerit, aut per testem se petere absolutionem sacerdoti manifestaverit. Haec omnia enim in casu necessitatis continere accusationem essentialiter sufficientem, jam in confesso est. Cf. Rituale Rom., *ordo ministrandi sacr. poenit.* § penult., i. e. fere in fine illius cap.

2. Hinc patet, si moribundus per testes ostendit desiderium confitendi, et interim loquelam usumque rationis amisit, de danda absolutione non esse dubitandum; imo de adjicienda conditione „si capax es“ non esse negotium faciendum — Rituale enim dixit simpliciter „absolvendus est“ —: attamen culpandus non est, qui forte conditionem „si capax es“ adjungat, quum *possint* occurrere circumstantiae, quae absolutionis valorem dubium reddant.

3. Danda est etiam absolutio, sed conditionate, quando habetur aliqua probabilitas doloris et desiderii confessionis manifestati.

Sed hîc jam difficultas oritur, quousque dici possit aliqua pro- 511
babilitas adesse. Tene igitur haec:

4. In homine catholico non solum pio, sed etiam eo, qui parum pie vixerit, ista probabilitas aderit, donec non constet de indispositione. — Id relate ad eum, qui sui compos sit atque signa possit edere, facile eruitur. De ejus autem, qui sensibus destitutus appareat, indispositione rarissime constabit, ita ut practice vix non quilibet homo catholicus saltem sub conditione absolvendus videatur. S. Alph. id extendit etiam ad eum, qui in ipso actu peccati sensibus destitutus fuit.

5. Imo ad hominem acatholicum baptizatum id extendi fortasse potest, si modo aliquam rationem positive probabilem habeam, eum in bona fide versari, et libenter admissurum esse adjutorium sacerdotis, si hoc sciat esse necessarium: de quo confer infra n. 515, 2. Difficultas est, quomodo praxis tam benigna theoretice explicetur.

Igitur relate ad eum, qui rationis adhuc compos sit, facile res componitur, si quaeras de *facultate* absolvendi. Monendum tamen est, ne confessarius eum, qui in bona fide circa obligationem aliquam difficilem versatur, facilius exturbet e bona fide, ne periculum malae fidei et aeternae damnationis injiciat.

II. Difficultas tota est, si quaestio agitur de homine, qui neque 512
nunc dare possit, neque antea dederit signum, quo expresse petierit absolutionem, quomodo nimirum sine expressa manifestatione doloris

et expressa petitione absolutionis essentialia sacramenti poenitentiae *cum aliqua probabilitate* salventur. Dico „cum aliqua probabilitate“: nam necessarium non est ostendere, certo adesse omnia essentialia, sed sufficit ostendi, aliquam tenuem probabilitatem saltem afferri posse, qua judicetur, omnia sacramento essentialia adesse.

Nimirum adesse debet 1) probabilis conjectura interni doloris; 2) aliqua externa manifestatio, quae cum probabilitate aliqua sumatur pro doloris manifestatione; 3) aliquod signum externum, quod cum aliqua probabilitate sumi possit pro accusatione, etsi generica tantum.

Sed quomodo hoc reperias in moribundo sensibus destituto, qui neque per se signum sensibile dat, neque antea aliis dederit?

1) Quod ut explicarent, multi recurrerunt ad anxiam respirationem, ictum oculi etc., quibus moribundus ‚fortasse‘ velit dare signum doloris et petitae absolutionis: saepe enim, qui videntur esse sensibus destituti, re ipsa non sunt, sed omnia, quae circa se aguntur, percipiunt atque intelligunt. Quod si velis accipere pro aliquo externo signo, habeas probabilem explicationem: v. S. Alph. l. 6 n. 482.

2) Alii putarunt, se melius nodum rei solvere, si actus poenitentis dicant esse non materiam sacramenti *ex qua*, sed materiam *circa quam*. Verum id ex se nihil juvat, quoniam etiam ii, qui cum Scoto actus poenitentis habent pro materia circa quam, tamen *externam manifestationem* pro *essentiali conditione* sacramenti validi statuunt.

513 3) Relinquitur ergo, ut etiam, quando anxia respiratio etc. non percipiatur, quaeratur aliquis modus probabilis explicandi manifestationem doloris et accusationis.

Videl. A. Ut incipiam de dolore *interno, ut dispositio est,* hunc adesse, praesumere possumus et debemus. Saltem de illius defectu non constabit unquam. Habentur enim exempla eorum, qui aut videbantur sensibus destituti, aut re ipsa destituti erant, qui tamen postea sui compotes effecti testari potuerint, se in ipsis illis momentis vere dolorem de peccato concepisse, quum jam exterius nihil prodere possent: quod de ipsis illis valet, qui in se manus ipsi injecerant, aut in alius peccati actu usum rationis amiserunt. — Ille quidem dolor debet conceptus esse post ultimum mortale peccatum, atque universalitate sua ad omnia peccata saltem nondum deleta extendi. At has conditiones adesse, vel non certo deesse, sumi debet: maxime quum Dei gratia, qui omnes homines vult salvos fieri, adjutura sit.

B. Doloris *manifestatio* fortasse non ita requiritur, ut debeat esse *ejus* doloris, qui dispositio necessaria est, externa manifestatio: sed sufficere videtur, ut poenitens significaverit exterius, se aut habuisse, aut ante absolutionem habiturum esse seu habere velle dolorem necessarium. Quod *cum* qualibet desideratae absolutionis manifestatione et *per* eam revera semper implicite habetur. At haec desideratae absolutionis manifestatio etiam tertium elementum, aliqualem accusationem, aequivalenter continet. Quare de utroque simul quaerendum est.

514 C. *Accusatio aliqualis* igitur, quae utique necessaria est, habetur eo ipso, quod homo exterius manifestavit, se cupere, per sacerdotem in ultimo vitae articulo reconciliari cum Deo: nam eo ipso se peccatorem profitetur idque in ordine ad sacerdotale judicium in suae mortis articulo perficiendum.

Verum homo eo ipso, quod christiane vivit, imo eo ipso, quod ostendit, se velle vivere et mori in unione cum Christi Ecclesia, satis videtur ostendere desiderium suum, quo velit pro ultimo vitae tempore per sacerdotis ministerium reconciliationem cum Deo sibi forte necessariam recipere.

Ergo vere aliquam accusationem generalem publicam facit, eamque ad totam Ecclesiam omnesque sacerdotes, a quibus absolvi possit. Si enim — ut cum quadam exaggeratione Bened. XIV. *de syn. dioec.* lib. 7 c. 15 n. 9 seqq. animadvertit — sufficit, ut per unum testem ocularem petatur in mortis articulo absolutio: quî non sufficiat, si tot adsint hujus petitionis testes, quot sacramenta suscepta, quot virtutis christianae exercitia!

Neque talis desiderii aliqualis manifestatio deest in eo, qui parum christiane vixit, vel in ipso etiam peccato sensibus esse destitutus videtur: nam eo, quod mansit in Ecclesia, ostendit, se sperare et cupere, ut in ultimo vitae tempore per Ecclesiam cum Deo reconcilietur.

Sed estne forte talis desiderii manifestatio intercepta et revocata per mortale peccatum? Si ita, operam perdidimus; nam tunc absolutio valebit fortasse pro eo, qui, utpote peccati mortalis non reus, illa non indiget; pro eo, qui indiget, non valebit. At nequaquam id dicere necessarium est. Revocatus est et interceptus dolor, *ut dispositio necessaria est;* verum manifestatio hominis, se *velle* quantum in se *tunc temporis* dolorem habere, seque cupere absolutionem, revocata non est. Totum inutile manet — id sane damus —, nisi internus dolor denuo, isque sincerus, accesserit: propterea *valde dubius* manet valor absolutionis. At de hoc non quaerimus. Dolorem internum ‚fortasse' accessisse, jure sumimus, et propterea tentare licet absolutionem, quae fortasse juvabit, hominemque attritum gratia sanctificante et vita aeterna donabit, alias in aeternum periturum. Ut *coexsistat* dolor absolutioni, *certo* non requiritur. Cf. Lacr. l. 6 p. 2 n. 1162 cum multis aliis. En explicatio, etsi non certo, tamen aliquantulum probabilis.

Facta sane admiratione digna circa dolorem in ultimo vitae momento habes etiam in libello: *Epistolae de purgatorio* seu *Briefe über das Fegfeuer,* Ratisbonae, Pustet 1883.

III. 1. Haec explicatio excluditur utique in eo, qui antea sacer- 515
dotem repulit, dein sensibus destitutus reperitur. Quem igitur ut absolvere *possis,* ad aliud recurrere debes, nimirum aut ad aliquam, etsi dubiam, declarationem mutatae mentis coram aliis factam, aut ad signum aliquod, quod fortasse pro doloris manifestatione sumi possit, sive aliis sive sacerdoti datum, ut pressio manuum, oculorum obtutus, suspiria etc. Quorum si aliquod, etsi dubie, adest, absolutio conditionata tentanda est.

2. In homine acatholico baptizato etiam difficilius est, ex praeterita vita aliquid colligere, quod pro accusatione atque desiderio absolutionis utcunque sumatur, quoniam absolutionem expresse non cogitavit, vel eam a se desiderari non declaravit: nisi tamen velis contentus esse *bona fide illius hominis, quam probabiliter adesse seu adfuisse, externe sit manifestatum.* Num illa bona fides — modo dolor accesserit — implicite videatur aliquo modo continere manifestatum desiderium recipiendi ea salutis media, quae necessaria sint, adeoque sacerdotis absolutionem, sapientiores judicent.

Si autem tractandum est cum acatholico sensibus non destituto, quem propter instantem mortem et propter periculum inducendi gravem tenta-

tionem, cui forte succumbat, non possim prudenter aperte monere de vera Ecclesia: ante omnia *contritio perfecta* cum aliis actibus praeviis elicienda est; dein ut dari possit clam absolutio conditionata, praestat eum adducere, ut praeterea declaret: „Doleo et accuso me de peccatis meis coram Deo et hominibus, sicut Deus postulat ad remissionem peccatorum", et sibi placere ostendat, ut per me in causa salutis juvetur. Nam, quod aliquando dicitur, proponendum illi esse, num, si sciret necessarium esse, vellet confiteri et absolvi, hoc in se nihil est: non enim quaeritur, quid vellet, sed quid velit et re ipsa faciat. Summum tali velleitate dici potest includi etiam quandam voluntatem et actualem accusationem non velleitate, sed voluntate praestitam; qua ratione explicatio non prorsus improbabilis conficitur.

§ 2.

De modo securius et copiosius juvandi moribundos.

516 Hucusque dixi de potestate sacerdotis circa moribundos. Erant autem hîc plura addenda de practica agendi ratione. Verum quoniam tot libelli praesto sunt, qui de hoc eximio sacerdotis, maxime parochi, officio tractant, summatim tantum quaedam puncta attingam ex aureo libello: *methodus juvandi moribundos,* auctore P. Polanco, Dilingae 1578 deprompta.

I. Antequam confessarius ad aegrotum accedat,

1. recordetur oportet, quanti momenti res sit: nullibi enim gravius erratur; si quis error hîc admittitur, nullo ingenio corrigi potest.

2. Advertat, se ipsum ex se imparem esse tanto negotio: quare *sibi diffidens* totam spem bene gerendi negotii in divino auxilio constituat.

3. Studeat purissimam intentionem habere, ac desiderium vehemens juvandi eos, quos Christus Dominus, cujus vices agit, tanto pretio redemit.

4. Oret pro felici hujus negotii exitu.

5. Res ipsas, quae dicendae vel agendae sunt, ac modum et ordinem earum bene intelligat et in memoria habeat: atque modum procedendi cum aegroto praemeditetur, quoniam longe majoris momenti rem aggreditur, quam est concio, neque tamen ad illam sine praemeditatione accedit.

6. Studeat antea ingenium, mores, conditionem aegroti, quantum fieri potest, ab aliis explorare.

517 II. Cum ipso aegroto acturus

1. ostendat magnam caritatem atque etiam commiserationem.

2. Studeat in aegroto accendere spem et desiderium redeundi in bonam gratiam cum fidelissimo amico Jesu Christo, qui in probationem perfectae amicitiae totum suum sanguinem pro ipso effuderit.

3. Adducat eum ad confessionem quam primum instituendam, ne scilicet eam procrastinet, etsi mors nondum videatur imminere.

4. In instituenda confessione maxime incumbat in excitando dolore de peccatis commissis, etiam memoria elapsis, in exuendo af-

fectu ad peccata et emendatione pro vita futura, quam Deus forte dederit, firmiter proponenda.

Quare motiva efficacia in promptu habeat: quamquam etiam ad rigorem divinae justitiae aliquando recurrere debet, eam tamen considerationem spe temperet atque fiducia, ac prae ceteris motivis beneficia divina et passio Dominica movere solent, ex qua et odium Dei contra peccatum et infinitus amor erga peccatores simul appareat. — Ingerat autem, quantum fieri potest, contritionem et amorem *perfectum.* — Quoad integritatem confessionis, etsi plerumque aliqua generalis confessio suaderi potest, tamen ne in ordinaria quidem confessione, si longa est, ita omnia rigorose investiget, ut aegroto debili et fatigato nimiam molestiam creet.

5. Si qua restitutio, sive bonorum fortunae sive famae facienda est, aut reconciliatio, sive alia quaedam obligatio implenda, viam planet, sed dein etiam, ut haec statim fiant, urgeat: nisi forte aliquando hominem in bona fide exsistentem in ea relinquere satius duxerit.

6. Nisi dispositio de rebus temporalibus aliisque officiis, quae ut paterfamilias etc. aegrotus habeat, jam facta fuerit, exhortetur aegrotum, ut mature omnibus provideat, quo securius et tranquillius ultimo vitae tempore cum solo Deo tractare possit.

7. Prae ceteris curet, ut ab infirmo removeantur omnes peccandi occasiones, v. g. imagines periculosae, maxime vero personae, in quas feratur turpis amor vel odium; idque eo majore diligentia, quo propius videatur mors impendere: v. Gaume *man. confessar.* n. 376. Cf. etiam hoc vol. infra n. 791 *notam.*

III. Juvat quam maxime, si confessarius mente teneat tum modos 518
diversos, quibus, si oportet, instrui ignari possunt de rebus scitu necessariis et ad actus virtutum theologicarum excitari, tum breves oratiunculas et versus S. Scripturae, quae nervose contineant actus diversarum virtutum, eo tempore maxime necessariarum.

1. Si quis igitur reperitur non satis instructus, quando homo rudis est, aperte instrui potest; quando autem in aliis rebus bene instructus est aut sibi esse videtur, quodammodo furtim interdum instrui debet, ne offendatur. Quare tum fidei veritates earumque brevis explicatio dari potest a) per modum orationis, qua Deus exoratur, adjectis motivis vel beneficiis, ita ut facile symboli apostolici explicatio interseri possit; b) per modum gratiarum actionis; c) per modum oblationis; d) per modum sese in spem erigendi. Postea nihilominus addat explicitum fidei actum, commemorata divina revelatione et veracitate suprema, quo securius iis, quae antea fusius explicata fuerint, vera fide aegrotus nunc adhaereat.

2. Contra spem et fiduciam, si unquam, in fine vitae diabolus tentare potest, ansâ sumptâ sive ex naturali pusillanimitate, sive ex multitudine peccatorum, quae commissa sint, sive ex inscrutabilitate divini judicii: aliquando etiam ad nimiam securitatem et praesumptionem tentatio tendit. — Quibus periculis ut occurratur: a) confessarius studeat desiderium aeternae vitae in aegroto excitare, proponens mala et pericula, e quibus effugiamus, et infinita bona, quae illic adipiscamur; b) cum agnitione humanae fragilitatis, imo ex ea sumat ansam eo majoris, sed

humilis fiduciae in Deum excitandae, proposita tum infinita Dei bonitate, qua nos vocaverit ad intimum consortium divinae naturae, tum infinito thesauro meritorum Christi, quem pro nobis et modo adeo mirabili collegerit, tum multitudine eorum, qui pro nobis intercedant in coelis; c) hortetur aegrotum ad orationem, qua divinum auxilium imploret, atque simul se pro ipso oraturum esse promittat.

519 3. Ante omnia caritatem erga Deum quam maximam accendendam, ejusque actus internos quam saepissime frequentandos aegroto commendet. Itaque et motiva, quae praeparent caritatem, et ea, quae efforment actum perfectae caritatis et contritionis perfectae, aegroto bene suggerat, eumque doceat saepius ejusmodi actus elicere, atque instruat, quomodo, maxime in necessitate, per tales actus etiam ante absolutionem remissio peccati acquiri possit. Quoniam enim certum non est, aegrotum in ultimo vitae momento praesentia sacerdotis fruiturum esse, neque certum est, aegrotum in peccatum aliquod non esse lapsurum, siquidem diabolus omnia tentabit, ut hominem in extremam ruinam pertrahat: summi momenti est, aegrotum scire methodum, qua per proprios actus sese cum Deo reconciliet. Imo fidam aliquam personam ex iis, qui aegroto assistunt, confessarius de gravissimo illo negotio moneat, ut saepius, maxime in extremo agone, cum moribundo actus caritatis et contritionis perfectae eliciantur.

4. Sed quoniam tentationes exoriturae vinci non possunt, nisi per adjutorium divinae gratiae, doceatur aegrotus frequenter divinum auxilium *implorare,* adhibita etiam implorata intercessione B. Mariae V. aliorumque sanctorum patronorum et angeli custodis. Solatium etiam magnum aegroto erit, si confessarius se specialiter pro ipso oraturum esse promiserit, et si alios monuerit, ut multum pro moribundo orent.

520 IV. Confessarius zelo divinae gloriae et animarum salutis incensus non solum moribundum contra pericula defendet, sed etiam, ut ejus merita, quantum fieri possit, cumulentur, instanter curabit. Quare suggeret modos eliciendi actus internos valde perfectos, quibus identidem aegrotus se suaque omnia Deo offerat cum plena resignatione et intima cum Christo Domino ejusque infinitis meritis et perfectissima divino Patri placendi intentione.

Quod qui negligit, aut zelo caret aut non cogitat, quam incomparabiliter magna futura sit divina gloria, quae in aeternum resplendeat ex augmento etiam minimo gratiae sanctificantis et beatificae visionis, quam homo justus ex quolibet meritorio actu sibi comparat.

Perfectio autem affectûs pendet ex unione et conformitate cum Deo et Christo.

1. Hinc expedit, pleno affectu sese saepe unire 1) cum divino beneplacito et iis dispositionibus, quas ab aeterno de nobis fecit; 2) cum perfectissima intentione, quam Deus ipse habet in actione sua, qua universum creavit atque conservat, speciatim qua nos ipsos conservat, atque nobiscum in omni actione concurrit, sive naturaliter, sive supernaturaliter; 3) cum

summa illa et divina intentione, qua Christus Dominus in terris divinas laudes dixit, opera sua perfecit, tormenta sustinuit.

2. Aliquando tamen, quo perfectius haec fiant, ad singula accuratius 521
descendendum est, ut explicite excitetur 1) adoratio summa et desiderium supplendi defectus perfecta adoratione illa, qua omnes Sancti et Angeli, imo Christus homo divinitatem adorant, et infinita illa laude, qua in ipsa SS. Trinitate Deus perfruitur; 2) gratiarum actio pro donis omnibus, tum nobis, tum Christi humanitati et B. Virgini atque Sanctis omnibus collatis vel praeparatis, tum iis, qui ipsi gratias agere neglexerunt, cum simili unione cum Christo et Sanctis; 3) amor et complacentia intima de divinis perfectionibus, desiderium Deum quam maxime glorificandi et ad Ejus gloriam beatifica possessione mox Eo fruendi; 4) dolor summus et displicentia de omnibus peccatis, imprimis a nobis ipsis, dein a quolibet homine contra divinam majestatem commissis; 5) oblatio omnium actionum nostrarum, et omnium facultatum animi et corporis cum omnibus, quae egimus et toleravimus, atque acturi passurique sumus ad Dei laudem et honorem in unione cum omnibus bonis operibus omnium creaturarum ac praecipue cum infinitis meritis ac singulis virtutibus et tormentis Christi Salvatoris, Ejusque beatissimae Matris; 6) amor erga omnes homines, maxime, qui nobis aut benefecerunt, aut malum aliquod intulerunt, ut Deus omnes protegat, convertat, gratiis cumulet et ad salutem aeternam perducat, simulque amor erga animas in purgatorio detentas, ut nostris suffrágiis Deus earum poenas minuat atque exstinguat.

3. Quoniam autem aegroti conditio saepe non patitur longiorem at- 522
tentionem, ad augenda merita multi sanctissimi viri cum S. Alph. commendant, ut pactum quoddam cum Deo incatur, idque interdum renovetur: cujus modum aliquem Lacroix l. 6 p. 2 n. 1868 exhibet:

„Itaque, carissime, numquid credis firmiter, Jesum Christum esse verum Deum et hominem pro te crucifixum et mortuum? (Resp. Credo.) Numquid speras certo te fore salvum per merita Domini N. Jesu Christi pro te crucifixi et mortui? (R. Spero.) Numquid poenitet te peccatorum propter Deum summe bonum offensum? et proponis firmissime non amplius peccare? (R. Maxime.) Fac igitur hoc pactum cum Deo et dic ex toto corde: Misericordissime Deus, scis, me in hac infirmitate mea non posse multum precari; opto ergo ex toto corde, ut, quoties cor meum pulsaverit, quoties spiritum traxero, quoties fecero vel minimum motum manûs, oculi vel alterius partis corporis mei, toties Tu benedicaris et lauderis ab omnibus creaturis. Ex nunc pro tunc declaro, mi Domine, toties mihi placere, meque gaudere de eo, quod sis, qui es, perfectissimus, excellentissimus, adeoque potens, ut omnes egeamus Tui, Tu egeas nullius; toties gaudeo, quod sis infinite sapiens, justus, misericors et bonus; toties gaudeo propter opera bona, quae aliquando acta sunt, aguntur in dies, agentur in posterum ex amore Tui, aliaque omnia, quae fieri possent ab iis, quos creasti et creare potuisti, sub quanta possibile est perfectione. Toties laetor plurimum ob ea, quae Dominus meus Jesus Christus, Virgo Sanctissima, Patriarchae, Prophetae, Apostoli, Martyres, Confessores, Sancti Sanctaeque omnes subierunt, necnon ob amorem illum, quo Te aeternum prosequentur cum omnibus angelicis spiritibus. Toties offero Tibi quaecunque sacrificia tibi oblata sunt, offeruntur, offerenturque in posterum, imprimis SS. Missae sacrificium. Toties me in manus Tuas committo, ut de me disponas tam-

quam de re maxime Tua, ex nunc et in aeternum. Toties displicent mihi peccata omnia, quae a mundo condito perpetrata sunt, et usque ad finem perpetrabuntur: utinam, o bonum meum, vice cujuscunque peccati millia millium obsequiorum Tibi impenderentur. Toties dimitto ex corde propter Te omnibus, qui me unquam offenderunt vel offendent, et pro qualibet offensa mihi irrogata peto, Domine, ut des illis insigne aliquod beneficium, et tandem mortem, qualem mihi opto, felicissimam. [NB. Si quis aegrotus forte vindictae tentationibus graviter laborat et periculum est, ne succumbat, melius erit, si ultima verba ‚et pro qualibet etc.' omittantur.] Demum toties offero divinae majestati Tuae, quidquid boni possum offerre, maxime vero vitam, passionem et mortem Redemptoris mei Jesu Christi, ac omne Tuum in Teipso beneplacitum, in gratiarum actionem pro beneficiis, quae a Te accepi, et pro caritate, qua ab aeterno dilexisti me, et pro omnibus donis et gratiis, quibus Angelos et Sanctos omnes, speciatim Beatam Virginem et humanam Christi naturam exornasti, sicut etiam pro omnibus beneficiis iis collatis, qui debitas gratias Tibi nunquam persolverunt. Hunc ipsum actum, quem nunc elicio, toties denuo ratum esse volo, quoties aliquod e signis praedictis edidero. Quoties ergo dicta signa occurrent, declaro, intentionem meam esse, tot vicibus id ratum facere, quot sunt creaturae, imo quot sunt creaturae possibiles, vel toties, quoties hanc intentionem meam iterari cogitatu possibile est; atque hoc intendo pure ob amorem Tui in agnitionem supremae Majestatis Tuae, ex motivis sanctissimis et perfectissimis, quae habere debeo vel possum."

Notat idem Lacroix ib. n. 1864 sapienter: „Expedit, ut quivis recens ordinatus sacerdos sibi componat industrias et modos juvandi moribundos et agendi cum aegrotis." Libelli complures ad manum sunt. Praeter allegata et S. Alphonsi *praxim confessarii* habes e. g. S. Caroli Borrom. *instructiones de cura et visitatione infirmorum* in Act. Mediolan., Scupuli append. ad *pugnam spiritualem* (libell. etiam germanice editum). Breves et nervosas aspirationes diversarumque virtutum actus habes in laudato opusculo S^{i} Alphonsi *prax. confess.*, Schneider *manuale sacerdotum Append. II,* et in ipso Rituali Romano.

Sectio IV. — Appendix.

De remissione poenarum temporalium Sacramentum Poenitentiae complente, seu de Indulgentiis.

523 Post sacramentum poenitentiae convenit, ejus quasi complementum considerari, quód in indulgentiis habetur.

Nam poenitentiae sacramentum gratia quidem est, sed gratia mixta cum justitiae rigore, ita ut nomine Dei Ecclesia reum ad tribunal vocet atque sacerdos in ipsa remittendi actione etiam punire possit et debeat. Nihilominus Christus Dominus sui infiniti meriti et satisfactionis applicationi limites non posuit, atque ipsum divinae justitiae rigorem, quem in sacramentali absolutione misericordia non plane absorbuit, nova potestate indulgentiarum Ecclesiae concessa, vere ligavit atque devinxit.

Imo catholicae doctrinae dogma de indulgentiis, ut mox patebit, quasi compendio quodam complura dogmata eaque solatio plenissima complectitur. Peccati magnitudinem atque foeditatem ostendit, infinita Christi merita eorumque efficaciam illustrat, pientissimam Dei misericordiam atque liberalitatem patefacit, justorum apud Deum acceptabilitatem atque potentiam manifestat, mutuam unionem et caritatem inter fideles commendat, poenitendi animum desideriumque incitat, odium peccati atque peccatorum conversionem promovet, zelum animarum et divinae gloriae inflammat.

At haec ipsa lectori meditanda atque consideranda relinquere debemus; restringimur ad ea capita breviter indicanda, quae cum sacramento poenitentiae et munere confessarii magis cohaereant.

Tridentinum sess. 25 decr. *de indulgentiis* haec pauca definivit: „Quum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi traditâ, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: sacrosancta synodus indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant."

Caput I.

De indulgentiis generatim.

Articulus I.

Summa capita doctrinae de indulgentiis.

I. Indulgentia intelligitur remissio poenae temporalis post deletam 524
culpam Deo aut in hac aut in altera vita exsolvendae, per ecclesiasticam potestatem extra sacramentum concessa: quae aut totalis aut partialis est.

II. In Ecclesia esse potestatem ipsis fidelibus hanc poenam condonandi, tum in S. Scriptura satis indicatur, tum ex Traditione et praxi Ecclesiae plenius ostenditur.

III. Quam potestatem seu remissionem ad ipsos fideles defunctos in purgatorio exsistentes extendi, ex aliis doctrinae catholicae dogmatibus jure infertur, maxime vero ex praxi Ecclesiae indubium evadit.

IV. Modus autem, quo potestas illa exercetur, diversus est, prout circa vivos aut defunctos versatur: erga vivos absolutione et solutione exercetur, defunctis indulgentiae mera solutione per modum suffragii applicantur.

V. Ut indulgentia valeat, requiritur non solum potestas in concedente, sed etiam ex parte rei justa causa, quum aliter a communi ordine divini juris, quod pro peccatis post baptismum commissis etiam deletâ culpâ delinquentis postulat temporaneam punitionem, nequeat recedi.

VI. Ex parte vero ejus, qui lucretur indulgentias, requiritur 1) remissio culpae jam facta, 2) voluntas lucrandi indulgentiam, 3) operum, quae praescripta sint, exacta impletio.

Articulus II.

Explicatio singulorum, quae ad notionem et participationem indulgentiarum spectant.

§ 1.

De *conceptu indulgentiarum* nota:

525 1. Agitur de remissione poenae temporalis *in foro Dei* debitae. Incaute igitur quidam scriptores indulgentias pro remissione poenae in solius Ecclesiae foro debitae acceperunt. Quod jam in Lutheri artic. 19 a Leone X. proscripto: „Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam“ et in conciliab. Pistoriensi etiam clarius damnatum est; videl. Constitutio *„Auctorem fidei“* ita habet: „40. Propositio asserens, ‚indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis ejus poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti‘, quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam: falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in art. 19 Lutheri damnata.“

2. Remissio aut totalis fieri potest, aut partialis. Quare prout totius poenae aut certae illius partis remissio a concedente intenditur, *plenaria* indulgentia habetur, aut *partialis.*

526 3. Partialis indulgentiae concessio olim non raro sic enuntiabatur, ut diceretur concedi v. g. tertiae partis peccatorum remissio. (Notum est enim nomine ‚peccati‘ saepissime ipsum *poenae reatum* designatum esse.) Nunc vero constans usus est, ut concedatur indulgentia tot et tot dierum, annorum, vel tot annorum et quadragenarum. Norma desumpta est ex poenarum canonicarum, quae antea infligebantur, mensura; atque tantum intenditur, ut remittatur poenae coram Deo residuae, quantum poenitentia canonica tot dierum vel annorum coram Deo per ipsam satisfactionem poenalem delevisset. Quod vero quadragenae annis saepe adduntur, ea ratio est, quia in poena canonica imposita a *communi* modo poenitendi per totum assignatum tempus observando certa tempora quadragesimalia distinguebantur, quibus arctiore modo poenitentiae opera peragi debebant.

At quum valor omnium operum ex poenitentia assumendorum coram Deo pluris minorisve aestimaretur pro majore minoreve fervore atque dispositione poenitentis, pronum est, concludere, etiamnunc indulgentias illas partiales apud diversos, qui eas lucrentur, diversum valorem coram Deo habere pro meliore dispositione ejus, qui opera ad indulgentias praescripta exerceat.

4. Plenaria indulgentia olim ita distinguebatur, ut vel plena vel plenior vel plenissima remissio poenarum diceretur. Quae expressio quid proprie sibi voluerit, non omnino quidem convenit inter scriptores. Sed planior modus sensum attingendi videtur esse, si *plena* remissio ad poenas canonice *impositas* et eam poenae Deo debitae partem, quae his respondeat, referatur, *plenior* ad poenas et impositas et secundum rigorem canonum *imponendas*, si forte re ipsa ita impositae non fuerint, *plenissima* ad remissionem omnis poenae Deo debitae, etiamsi excedat debitum secundum canones imponendum. *Nunc* autem *quaelibet plenaria* indulgentia ultimo sensu intelligitur.

5. Plenariam indulgentiam nihilominus saepe homines *non plene* 527
lucrari, patet ex eo, quod saepe non ab omni *culpae* venialis reatu immunes sunt. Quare in illis adjunctis lucrari quidem possunt remissionem omnis illius poenae temporalis, quae pro culpis jam remissis residua est, non vero, quae pro culpis nondum remissis debetur. Quod autem quidam putaverunt, tunc nihil remitti, quasi indulgentia plenaria aut plenissimo sensu omnem poenam temporalem deleret, aut nullam, id sine ulla ratione sumitur. Et quoniam tandem res ex mente S. Pontificis concedentis pendet, quomodo suspicari possunt, Pontificem, qui animum amplioris gratiae concedendae prae se ferat, quam si partialem indulgentiam largiatur, revera ita comparatum esse, ut eam gratiam tam multis hominibus illusoriam reddat et multo infra partialis indulgentiae valorem deprimat!

§ 2.

Probatur Ecclesiae potestas.

1. Christus Dominus contulit Apostolis suis et imprimis S. Petro ejus- 528
que successoribus plenissimam potestatem ligandi et solvendi, quaecunque cum fine Ecclesiae praestituto atque continua praxi probato connectuntur. Matth. 16, 19: „Et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.“ Verum sicut pro peccatis commissis puniendo ligare, ita non culpae tantum reatum, sed etiam poenas coram Deo debitas solvere cum fine Ecclesiae intime cohaeret, quippe quae ad hoc instituta sit, ut hominum cum Deo reconciliationem atque unionem beatam perficiat. Idque eo magis dicendum est, quia aliunde ex catholica doctrina certum est, temporalis poenae reatum et propria et aliena satisfactione posse exstingui. Neque ratio est, cur illa Ecclesiae potestas ad solam sacramentalem poenae temporalis diminutionem restringatur: amplissima enim potestas, prout verbis Christi continetur, non alios limites patitur, nisi qui ex natura rei aut ex positiva Christi voluntate exigantur; sed Christum restrictionem apposuisse non probatur, natura vero ipsius temporalis poenae non exigit, ut per solum sacramentum remittatur.

2. Idem comprobatur ex II. Cor. 2, 10, ubi S. Paulus Corinthio incestuoso in persona Christi poenam pro peccatis antea impositam remittit: quod vix convenienter explicatur, nisi admittatur, hanc remissionem ita factam esse, ut etiam coram Deo homo ille a reatu et culpae et poenae liber evaserit.

529 3. Traditio vero ecclesiastica tum dictis tum factis probat, hanc facultatem poenas temporales remittendi et agnitam et usu comprobatam jam a primis saeculis fuisse. Sufficit, unum hoc factum commemorasse, sc. martyrum seu confessorum intercessione et meritis fidelibus lapsis reconciliationem et poenitentiae remissionem concessam saepius esse. Quo vero sensu haec remissio intellecta fuerit, Tertullianus, Montanista factus, catholicis exprobrans clare ostendit. „Sufficiat", inquit, „martyri, propria peccata purgasse. Si peccator es, quomodo oleum faculae tuae et tibi et mihi sufficere potest?" (*De pudic.* c. 22.) Si autem peccata putabantur purgari posse aliorum perpessionibus, necesse est fateamur, poenas pro peccatis *coram Deo* debitas purgatas seu remissas esse.

4. Posterioribus temporibus constat, quam frequentissime indulgentias secundum hodiernam formam vel similem concessas a Summis Pontificibus esse.

§ 3.

De applicatione indulgentiarum erga defunctos.

530 1. Quam fieri posse convenienter, colligitur ex communione Sanctorum, quae inter membra ecclesiae triumphantis, militantis, patientis intercedat. Nam propriis fidelium operibus bonis atque sacrificio Missae defunctorum animas in purgatorio exsistentes juvari posse, aliunde constat. — Quare ratio non est, cur S. Pontifex mediantibus bonis operibus fidelium ex thesauro Ecclesiae propter merita Christi et Sanctorum augere opem illam non possit, quam alias fideles ex sese defunctis praestare valent.

2. Ab antiquo tempore exempla exstant indulgentiarum etiam defunctis concessarum. Sic videtur Joan. VIII. (v. Baronium ad annum 878) militibus Ludovici regis pro defensione christianae religionis pugnantibus, „qui ceciderant aut de reliquo pro ea re casuri essent", indulgentiam plenam Apostolica auctoritate concessisse.

Postremo tempore Pius VI. in Constit. „*Auctorem fidei*" n. 42 haec statuit contra conciliab. Pistoriense: „Item in eo, quod superaddit: ‚Luctuosius adhuc esse, quod chimaerica isthaec applicatio transferri solita sit in defunctos'; falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxim et sensum universalis Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22 Lutheri."

§ 4.

Modus concedendi indulgentias.

531 1. Quum secundum ordinem divinae sanctitatis et justitiae nullus reatus sive culpae sive poenae sine satisfactione remittatur, remissio nemini contingere potest, nisi sufficiens Deo solutio fiat; at sufficit solutionem fieri applicatione meritorum sive satisfactionum Christi et Sanctorum [1]. Verum

[1] Multi difficultatem in eo inveniunt, si quaeritur, quo modo satisfactiones Sanctorum in indulgentiis concurrant, et utrum semper cooperentur, annon. Equidem plane puto, eas semper cooperari, atque mihi videor rem considerare posse hac ratione: Deus certo in omni remissione poenae temporalis, quum moveatur meritis et satisfactionibus Christi, ad *quaelibet* Christi opera respicit. Quamquam enim

haec applicatio et solutio aliter fit pro vivis, aliter pro defunctis. Vivos Summus Pontifex *absolvere* potest — quae absolutio efficax utique non esset, nisi Deo exhiberetur simul solutio ex thesauro Ecclesiae. At in defunctos Summus Pontifex potestatem jurisdictionis non habet, neque in eos immediate agere potest; sed actio immediate solum erga Deum versatur, ipsi offerendo solutionem ex thesauro Ecclesiae pro defunctis. Id quod scriptores sic exprimere consueverunt (cf. Bellarm. *de indulg.* l. 1 c. 5), ut vivis dicant indulgentiam conferri per modum absolutionis (quae tamen includit solutionem), defunctis per modum solutionis.

2. Alter dicendi modus est, quo defunctis indulgentiae dicuntur applicari *per modum suffragii:* quod formaliter quidem non dicit per modum impetrationis, re ipsa tamen cum illa expressione converti potest; atque usus in lingua germanica consecravit hanc formulam „per modum intercessionis" seu „fürbittweise". Videlicet applicantur indulgentiae defunctis, sicut opera bona satisfactoria fidelium pro refrigeratione defunctorum offerri possunt, quae vocantur suffragia sive opitulationes; illa autem re ipsa sic applicantur defunctis, ut non ex justitia quadam, sed ex misericordia et liberalitate divina hanc vicariae satisfactionis acceptationem exspectare debeamus: verum quod proxime ex misericordia et liberalitate pendet, per modum intercessionis seu impetrationis efficaciter acquiritur.

3. Hinc etiam fit, ut transfusionem indulgentiarum in defunctos fieri 532
posse, in genere quidem certum sit omnino, neque ullo modo dubitari possit, quin certos defunctos pro electione nostra juvare possimus: nihilominus applicatio totius valoris atque in certam personam infallibilis non est, quia certae rationes divinae justitiae et sapientiae obstare possunt, quominus aut totus indulgentiae valor, aut huic illive personae indulgentia applicetur[1]. Hunc esse sensum Ecclesiae, tum ex praxi patet, qua consuevit multas indulgentias etiam plenarias pro uno eodemque defuncto concedere atque offerre, tum ex responso S. Congr. Indulg. dato circa sensum indulgentiae altaris privilegiati (28. Julii 1840 *in S. Flori* Decreta authentica n. 283): „Per indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus potestatis clavium, intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indul-

---

singula opera infiniti sint meriti atque infinitae virtutis satisfactoriae, tamen re ipsa Deus non tantum propter poenas infantiae Christi, sed etiam propter labores in vita publica exantlatos, propter cruciatus in cruce toleratos poenas peccatis hominum debitas relaxat. Verum Christus non est solus in hac singulari persona, sed sibi corpus mysticum Sanctorum adjunxit. Quum primum igitur Deus invenit superabundantes satisfactiones in corpore Christi mystico, haec etiam, eaque omnia, quae exstant, respicit, quotiescunque poenas temporales relaxat. Semper enim totum Christum, i. e. Christum cum mystico suo corpore respicit, sibique in toto Christo complacet: et sicut nulla est ratio, cur in acceptatione vicaria satisfactionum Christi excludat unquam ullum opus Christi, ita nulla est ratio, cur unquam excludat ullum opus superabundans Sanctorum, quod exstat. Utut sit minimum, non est nihil; utut minimum valeat ad relaxandas poenas, tamen valet aliquid, neque unquam timendum est, ne virtus satisfactoria exhauriatur. Quantumvis paucae et parvae fuerint satisfactiones Sanctorum, — re quidem vera non tam paucae sunt — ex conjunctione satisfactionum Christi totus thesaurus est et manet infinitus et inexhaustus.

[1] Cf. ea, quae supra dicta sunt de applicatione Missae pro defunctis n. 181.

gentiam, cujus mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet."

4. Applicatio indulgentiarum pro defunctis non a solis fidelibus pendet; sed ut applicari possint, Summus Pontifex seu ille, qui concedit indulgentiam, hanc facultatem concedere seu indulgentiam ut defunctis etiam applicabilem concedere debet: quod si concessum est, fideles pro sua voluntate eam aut sibi aut defunctis lucrari possunt. Quodsi volunt lucrari defunctis, mensura indulgentiae ex intentione Summi Pontificis, quando partialis est, intelligitur secundum dicta superius n. 526, si plenaria est, secundum necessitatem ejus animae, cui homo christifidelis opitulari vult, seu tanta, quae sufficiat ad animam illam e purgatorio liberandam.

533 Applicatio autem fieri potest erga animam singularem, aut etiam erga plures vel omnes animas fidelium in purgatorio exsistentes. Posterior applicatio facile intelligitur de qualibet partiali indulgentia, cujus certa mensura dividi potest in multos: circa plenariam autem indulgentiam, quam aliquis dividere velit in plures, aut dicendum est, Deum tum determinare certam mensuram, quam accipiat et dividat, aut Deum eligere certam animam quandam pro virtuali vel habituali voluntate illius, qui indulgentiam offert, ut, si divina justitia et misericordia permittat, illa anima plene liberetur.

Pia praxis fidelium pro defunctis indulgentias lucrantium est, ut eligant certos defunctos sive in individuo sive in cumulo pro sua quisque devotione, quibus intendunt succurrere speciatim: scil. modo iis, qui sibi necessitudine, familiaritate, amicitia, beneficiis conjuncti sint; modo iis, qui sibi nocuerint aut quibus fortasse ipsi temporaliter vel spiritualiter nocuerint; modo iis, qui in terris degentes speciatim defunctis succurrerint, certos Sanctos speciatim coluerint; modo iis, qui liberationi proximi ideoque quam primum Deum glorificaturi sint; modo iis, qui a sua liberatione sint quam remotissimi, aut qui maxime sint derelicti etc.

534 5. Per se nihil impedit, quominus, si suppetat justa causa, Summus Pontifex ita indulgentias concedere possit, ut vivi non tantum sibi aut defunctis eas lucrari valeant, sed etiam, ut unus pro altero vivente eam lucretur. Verum id *a praxi* alienum est, neque ullum exstat exemplum talis concessionis re ipsa factae. Imo generatim id ne expedire quidem neque justâ causâ inniti videtur, quum facili modo quivis fidelis sibi ipse indulgentias lucrari possit.

6. In concessione indulgentiarum id fieri consuevit, ut certa quaedam bona opera peragenda praescribantur. Theologi igitur inquirunt de nexu inter illa opera et ipsam indulgentiam seu poenarum temporalium remissionem. Communior et planior opinio est, opera illa praescripta considerari tamquam *conditiones tantum*, ita ut immediata et tota causa remissionis poenarum consistat in thesauro Ecclesiae seu in satisfactionibus Christi et Sanctorum: — quod non impedit, quominus illae ‚conditiones' influere possint in determinandam aliquo modo mensuram et valorem indulgentiae secundum ea, quae n. 526 dicta sunt. — Novum quendam modum Cardinalis de Lugo ingeniose excogitavit, quoad indulgentias pro defunctis, qui utique possibilis est et qui difficultates removet explicandi, quomodo potestas Pontificis in ipsorum defunctorum levamen redundet. Nimirum *de poenit.* disp. 27 n. 70 sqq. exponit, Summum Pontificem elevare posse opera aliqua fidelium ad vim satisfactivam ex opere operato eamque longe majorem,

quam ex sese habeant, atque hanc vim satisfactivam ex thesauro Ecclesiae eo modo eaque mensura a Summo Pontifice operibus praescriptis attribui, quae respondeat indulgentiae enuntiatae. Posse vero ex potestate clavium opera nostra elevari, ita ut ex opere operato condignum ipsius operis valorem satisfactorium superent, ostenditur revera ex sacramento poenitentiae, in quo satisfactio sacramentalis pluris valet, quam ipsius operis condignitas est. — Aliis vero haec explicatio utpote nimis artificiosa non ita placet.

§ 5.

De indulgentiarum causa justa.

1. Justam causam requiri, ab omnibus theologis admittitur. Com- 535
plures tamen putant, sufficere eam causam, quam S. Pontifex seu is, qui concedit indulgentiam, prudenter putaverit justam et proportionatam esse, etsi re ipsa non sit proportionata: v. Lugo l. c. n. 145. Quam sententiam tenent cum Suarez disp. 54 sect. 3 n. 11 plures alii, „quia ab oeconomo non requiritur, nisi ut operetur juxta regulas prudentiae“: „quod“, ait Lugo, „probabile et pium est.“ Recte autem dicit, id probabile esse; nam certum non est.

2. Justa causa aliquando repetitur ex ipsis operibus praescriptis, ut si Pontifex cuilibet hanc vel illam orationem fundenti, vel devotionis exercitium peragenti indulgentias concedit; vid. mens concedentis est, ejusmodi pietatis exercitia fidelibus ex sese valde utilia proposito praemio promovere. Et revera, si crescit sanctitas et perfectio interna fidelium, prudenter propter hoc ipsum poenae temporalis quaedam relaxatio conceditur.

Aliquando causa petitur extrinsecus, maxime ex publica Ecclesiae utilitate, splendore promovendo, calamitate avertenda etc.: quo ferventius omnes excitentur, ut ad communem utilitatem ex suis contribuant. Sic etiam peti potest ex liberali quadam gratitudine aut remunerandi studio erga aliquem, qui ad bonum Ecclesiae laboravit; decet enim vicarium Christi profusa quadam liberalitate in spiritualibus donis concedendis summam Christi liberalitatem imitari. Hinc patet, ex eo, quod pro operibus admodum levibus aliquando indulgentiae quam maximae et multae proponantur, inferri minime posse, causam deesse sufficientem.

3. *Potestas* autem concedendi suprema est in R. Pontifice; in aliis 536
Ecclesiae praesulibus nunc facultas multum restricta est, ita ut Episcopi *ordinaria* potestate possint solum concedere indulgentiam 40 dierum, et in die consecrationis ecclesiae *unius* anni; Cardinales in ecclesiis sui tituli 100 dierum, Nuntii 100, 200, 300 dierum, nunquam usque ad annum: ex Conc. Later. IV. Qui autem ordinaria potestate indulgentiam concedere potest, eam etiam per specialiter delegatum potest exercere. Hanc *delegatam* potestatem S. Pontifex non raro pro certis adjunctis communicat.

§ 6.

De conditione ad lucrandas indulgentias prima seu de statu gratiae.

537 1. Ut aliquis sibi indulgentiam lucrari possit, ex jure divino et interna necessitate requiritur *status gratiae.* — Quod saepe etiam in indulgentiae concessione indicatur per verba: *„corde saltem contrito“.* Qua clausula nihil aliud significatur nisi, eum, qui lucrari velit indulgentiam, debere esse in *statu* contritionis, seu in statu gratiae sanctificantis, eamque sanctificantem gratiam, si forte amissa fuerit, debere praevie reparatam esse saltem per actum perfectae contritionis: qui vero in statu gratiae est, actu contritionis non necessario indiget. — Ita ad abundantiam declaravit expresse S. Indulg. Congr. 17. Dec. 1870 in una *Urbis et Orbis* Decr. auth. n. 427. — Quando vero dicitur „qui confessi et Communione refecti haec et haec praestiterint“, quid necessarium sit, v. infra.

2. Quare, si in indulgentiae concessione dicitur, „qui corde contrito devote haec et haec fecerit“, nemo, qui in statu gratiae non sit, ullo modo eam indulgentiam lucrari potest, ne pro defunctis quidem.

3. Quando autem illa clausula deest, non pauci theologi putant (ut Bellarm. *de indulg.* l. 1 c. 14, Suarez *de poenit.* disp. 53 sect. 4 n. 6, atque Biel, Richard, Raynaud, Cherub. Mayr, Minderer *de indulg.* p. II. n. 28), etiam eum, qui in tristissimo statu peccati exsistat, operibus illis bonis, quibus indulgentia annexa sit defunctis applicabilis, eam non sibi quidem, sed defunctis lucrari posse: quod, etsi probabile videri possit, certum non est; v. Lugo *de poenit.* d. 27 n. 75. Videlicet quia non operis neque operantis dignitas respicitur, sed satisfactio ex opere operato illi operi annexa, ex se non repugnat, indulgentias aliquem sic lucrari posse; imo id aliquo modo suadetur ex efficacia satisfactionis sacramentalis, quae, etsi in statu peccati praestita, efficientiâ suâ non destituitur, sed, licet pro tunc operanti applicari nequeat et proin suspendatur, nihilominus postea remoto obice propter valorem, quem ex opere operato habet, reviviscit. At in indulgentiis applicationi erga defunctos obex essentialiter non creatur: nihilominus quum applicatio per modum suffragii et intercessionis fiat, ceteris paribus Deus facilius accepturus est, quae ei ab homine justo, quam quae a peccatore pro animabus defunctorum offeruntur.

§ 7.

De conditione lucrand. indulgentiarum altera, i. e. de voluntate eas lucrandi.

538 Voluntas saltem illa requiritur, quae necessaria est ad voluntariam susceptionem donorum et gratiae. Attamen:

1. Sine causa requiratur specialis et expressa intentio indulgentiae lucrandae in singulis illis operibus, quibus forte annexa est. Imo ne cognitio quidem indulgentiae requiritur.

2. Sufficit igitur voluntas habita, idque saltem *implicite,* neque retractata, seu intentio habitualis implicita, i. e. voluntas lucrandi in-

dulgentias debuit aut formaliter sive in se aliquando adesse, aut debet illa in altero objecto voluntatis implicite contineri, deinde voluntas esse non retractata. Quae intentio, quam aliqui, etsi minus accurate, interpretativam vocant, prorsus sufficere debet, modo opera ipsa rite perficiantur.

3. Ut vero majore fervore voluntas in indulgentias lucrandas feratur, pia praxis est consulenda, ut quotidie in precibus matutinis renovetur intentio eas indulgentias lucrandi, quae operibus bonis occurrentibus annexae sint: at id ad valorem exigi, sine ulla vel minima ratione praetendas.

4. Ut indulgentiae defunctis applicentur, utique expressior voluntas ex parte lucrantis, seu exercentis opera praescripta requiritur. Quum enim in actione hominis ex sese non habeatur voluntas in alterum ejus utilitatem transfundendi, sed potius eam sibi acquirendi: illa liberalis transfusio expressiore modo fieri debet. Verum si quis semel aut omnium aut certarum indulgentiarum donationem erga defunctos eosque secundum suam devotionem determinatos fecerit, non est, cur in singulis indulgentiis ejus intentionis renovationem requiramus. — Nihilominus ad *hanc* intentionem frequentius renovandam fideles eo magis utiliter exhortamur, quo magis et frequentius id agentes eximiam caritatem exerceant atque sibi ipsi coelestia *merita* accumulent.

§ 8.

De conditione lucrandarum indulgentiarum tertia, i. e. de praescriptis operibus implendis.

1. Indulgentiae partiales saepissime adnexae sunt precum certarum 539
devotae recitationi. In quibus notandum est indultum a S. Pontifice 29. Dec. 1864 specialiter concessum, „indulgentias adnexas precibus *(ergo quibuslibet)* valere, quocunque idiomate recitentur, dummodo versiones sint fideles“. De versionis fidelitate ut constet, sufficere declarationem sive S. Congregationis Indulg., sive alicujus ex Ordinariis loci, in cujus linguam nativam versio facta sit, habetur ex declaratione ejusdem S. Congr. 29. Dec. 1864: Decr. auth. n. 415.

2. Pro indulgentia plenaria plerumque statuuntur: confessio, S. Communio, visitatio ecclesiae et preces ad certas intentiones S. Pontificis ad Deum fusae. Quae conditiones, etsi non omnes necessario in statu gratiae perficiendae sunt, tamen ultimum complementum omnino in statu gratiae, ut per se patet, exerceri debet.

3. Quamquam dicitur, „qui confessi et S. Communione refecti hoc vel illo die ecclesiam visitaverint etc.“: nihilominus visitationem ecclesiae confessioni et Communioni praemittere licet, modo die assignato fiat. Ita ex approb. Pontificis 19. Maji 1759: Decr. auth. n. 214.

4. *Confessio* semper requiritur, si dicitur „qui confessus etc.“: quamquam, si quis sola venialia peccata habet, absolutio non necessario requiritur. Decr. auth. n. 295 et 359.

a) Hebdomadaria confessio sufficit pro omnibus indulgentiis occurrentibus, ad quas lucrandas confessio praescribitur (excipe indulgentiam

jubilaei[1]), modo ne peccatum grave fuerit interim commissum; quod si sit commissum, confessio et absolutio denuo necessaria est. Ita Clem. XIII. 9. Dec. 1763, et Pius IX. 12. Mart. 1855: Decr. auth. n. 231 et 364.

b) Hebdomadaria autem confessio reputatur eorum, qui *semel saltem in hebdomada* confiteri *consueverunt;* neque requiritur, ut quaelibet confessio a sequenti *aequali spatio* septem dierum distet[2].

c) Si indulgentia ratione *festi* conceditur, in *illis locis,* ubi penuria est confessariorum, petentibus indulgetur, ut valeat pro indulgentia confessio *infra hebdomadam* ante festum peracta etiam pro iis, qui hebdomadariam confessionem peragere non *consueverunt.* Attamen pro aliis regionibus id applicari nequit, quum pro generali regula hoc indultum minime latum sit. Cf. Decr. auth. 252, 264, 295.

d) Jam antea indultum erat, ut, si ratione festi a primis vesperis indulgentia concederetur, confessionem cum Comm. peragere liceret in toto pervigilio. Nunc vero 6. Octob. 1870 (Decr. auth. n. 426) concessum est, ut, *cuicunque diei annexa sit indulgentia, pridie* peragi possit sive confessio et Communio, sive sola confessio, si modo reliqua opera praescripta ipso die praescripto impleantur. In jubilaeo autem semper ipsum tempus jubilaei retineri debet, neque sufficit confessio aliunde praescripta, nisi specialis concessio hac in re habeatur. Incipit autem jubilaeum cum primis vesperis primi diei: Scavini t. 4 n. 348, XLI.

---

[1] Sume e. g. aliquem secundum consuetudinem suam Fer. VI. confessum esse; vi illius confessionis lucrari nequit indulgentiam jubilaei, cujus initium fuerit sequenti die Dominico, alias indulgentias plenarias, si quae illi diei Dominico annexae sunt, potest lucrari.

[2] Neque puto, ullo modo contrarium probari responso illo dato 23. Nov. 1878 (Decr. authent. n. 439) et 25. Febr. 1886 „hebdomadam intelligi stricte spatium *septem*, non *octo* dierum“: id enim verissimum est, idque verificatur, etsi poenitens hac hebdomada feria II, sequenti hebdomada feria IV, subsequenti fer. III confitetur. Nam in exemplis allatis verum est, poenitentem semper intra quodlibet spatium a Dominica usque ad Sabbatum inclusive, i. e. *septem* dierum, aliquam confessionem instituisse. Negavit autem jure S. Congregatio, intelligi posse spatium *octo* dierum: alias pronum esset concludere, sufficere, ut aliquis v. g. confiteretur *primum* Dominica die 13. Junii, *secundo* 28. Junii; nam ille vere confessus esset infra duo *octidua* sibi succedentia, i. e. primo die prioris octidui et ultimo secundi octidui, verum qualibet *hebdomada* confessus non esset, quum confessio incidat in Dominicam primae, et in feriam II tertiae hebdomadae. Nihilominus, qui frequentius confessionem *ultra septimum diem* protrahit, jam dici nequit consuevisse quavis hebdomada confiteri; potest autem optime, si hoc una vice facit, altera vice brevius spatium observaturus. Imo si casu raro aliqua hebdomada sine confessione excidat, ne id quidem quidquam obest, quoniam *consuetudinem* hebdomadariae confessionis non destruit: in ipso etiam decreto (Decr. auth. n. 231) et in *‚Raccolta‘* pag. XI. edicitur, si quando ob legitimum impedimentum exceptio fiat a regula hebdomadariae confessionis, id non obesse indulgentiis lucrandis. — Summum de hoc dubitari potest, num si quando aliquis sine legitimo impedimento confessionem ultra hebdomadam protraxerit, ille post elapsos septem dies, sequenti die plenariam indulgentiam lucrari possit.

5. S. Communio, utique digna, fieri necessario non debet in illa ecclesia, cujus visitatio praescribitur, nisi forte in speciali casu id expresse indictum sit: verum si in illa Ecclesia S. Communio sumitur, eadem visitatione preces ad intentionem S. Pontificis indictae fieri possunt, ita ut satisfiat eodem tempore et ecclesiae visitationi et orationi praescriptae simul cum S. Communionis sumptione, si modo tempus ipsum sit lucrandae indulgentiae aptum. „Raccolta" edit. anni 1886, pag. XXV (ed. a. 1898 pag. XIII). De cetero nota:

a) Communionem *pridie* sumi posse v. modo supra.

b) Excepto jubilaeo, S. Communio non tam inter ipsa opera praescripta computatur, quam pro praerequisito habetur: quare sufficit extra jubilaeum etiam Communio paschalis ad lucrandas indulgentias; imo una eademque Communio ad lucrandas plures indulgentias plenarias (quamquam solum defunctis tunc re ipsa applicari possunt) eodem die occurrentes, quarum singulae Communionem exigunt, modo reliqua opera pro *singulis* indulgentiis singula ponantur, resp. repetantur. S. Congr. 29. Maji 1841 et 10. Maji 1844; Decr. auth. n. 291, 1° et n. 327.

c) Porro ii, qui impedimento aliquo physico et permanente im- 540
pediantur, quominus domo exire possint, ut qui morbo detinentur, propter difficultatem saepius recipiendi S. Communionem accipere possunt commutationem S. Communionis et visitationis ecclesiae in alia opera pia ab ipsorum confessario, et sic acquirere omnes indulgentias plenarias, quas acquirerent visitando ecclesias illius loci, ubi vivunt: ex Decr. *Urbis et Orbis* 18. Sept. 1862 (Decr. auth. n. 393). Quod quidem decretum excipiebat eos, qui in communitate viverent: nunc vero Leo XIII. d. 16. Jan. 1886 ad hos quoque, *si* impediti fuerint, eum favorem extendit.

d) Pro pueris ad S. Communionem nondum admissis generalis dispensatio seu facultas dispensandi facta non est, sed specialis tantum pro jubilaeis: quare aliarum indulgentiarum, quae S. Communionem requirunt, participes esse nondum possunt.

6. Si visitatio ecclesiae ad *certas ecclesias* restringitur, eas visitari 541
opus est, quae in indulto indulgentiarum notantur. Accuratius haec adverte:

a) Si in genere *alicujus ecclesiae* visitatio praescribitur, intelligitur tum ecclesia proprie dicta, tum oratorium *pleno sensu publicum:* non censeri publica oratoria (illo pleno sensu) ea, quae canonice erecta fuerint in monasteriis, seminariis etc., aditu *publico* fidelibus non patente, declaravit S. Congr. 22. Aug. 1842 in *Verdunen.* Decr. auth. n. 310. — Privata enim illa oratoria, in quibus quidem S. Sacramentum asservatur, summum pro ipsis religiosis substitui consueverunt, ne cogantur extra monasterium versari, si indulgentiarum velint esse participes.

b) Si prae multitudine fidelium affluentium ad ecclesiam locus non omnes capit, sufficit ante fores ecclesiae cum reliqua multitudine sese conjungere: alioquin ecclesiam intrare consultius est.

c) Visitatio, quae pro certo die, in quo indulgentia lucranda est, praescribitur, facienda est, quando *propter festum* indulgentia conceditur, intra spatium a prioribus festi vesperis usque ad occasum solis (scil. crepusculo incluso) ipsius diei festi; si vero festivus dies non est, intelligitur dies a media nocte ad mediam noctem. Ita Decrum 3. Julii 1754 correctum jussu Pii IX. 12. Jan. 1878 (Decr. auth. n. 201 et 434). — Confessionem et Communionem potest vel sequi vel *praecedere*, etiamsi dicatur *„confessi et S. Communione refecti“* (ibid. n. 214).

542 7. Preces fundendae ad intentionem S. Pontificis in ecclesiae visitatione fundi debent, si visitatio ecclesiae praescribitur; alias *ubique* fieri possunt.

a) Intentio illa ad mentem S. Pontificis sufficit *confusa:* ad fervorem excitandum tamen convenit, illius intentionis expressius et distinctius recordari, scil. exaltationis et propagationis S. Ecclesiae, exstirpationis haeresum et errorum, pacis inter principes populosque christianos.

b) Situs inter orandum non praescribitur: raro pro quibusdam orationibus indulgentia ditatis genuflexio praescribitur; quod si obtinet, haec est conditio ad lucrandas indulgentias *necessaria*, ut in oratione illa *‚Sacrosanctae‘* post officium divinum dici solita, quam solummodo ratione infirmitatis salva indulgentia recitari licet genibus non flexis. Cf. Decr. 18. Sept. 1862 in *Bituric.* Decr. auth. n. 398 et 7. Jan. 1857 apud Prinzivalli n. 654.

c) Quamquam in precibus ad mentem S. Pontificis fundendis determinatum aliquid praescriptum non est: tamen non videtur sufficere *minima omnino* oratio. Sufficit communi opinione 5—7 Pater, Ave, Gloria recitare. — Optimum consilium est mentaliter Deum exorare, ita tamen, ut *aliqua vocalis* oratio adjungatur.

d) Pro surdo-mutis (et mutis) Pius IX. concessit, ut sufficiat, 1) si visitatio ecclesiae cum precibus praescripta sit, ibi mente orare, vel si publicae preces fiant, cum reliquo populo devote sese conjungere; 2) si preces privatim fundendae sint sine visitatione ecclesiae, „confessarii surdo-mutorum valeant easdem orationes in alia opera pia externe aliquo modo manifestata commutare, prout in Domino judicaverint“: 15. Martii 1852, decr. *U. et O.* (Decr. auth. n. 355). Quod „Racc. (a. 1886) pag. XVI in quibuslibet precibus, quibus indulgentia annexa sit, fieri posse sumit; quare confessarius poterit indicere, ut mentaliter cum devoto corporis habitu externo orationes illas ad Deum fundant, quamquam reliqui fideles — id quod indubium est — eas *recitare*, non sola mente percurrere debent.

Caput II.

De Jubilaeo speciatim.

Articulus I.

Summa doctrinae capita.

I. Jubilaeum ad similitudinem anni jubilaris Legis Vet. inductum [543] post varias mutationes a longo jam tempore 25. quoque anno celebrari consuevit: qui etiam *annus sanctus,* sive *jubilaeum majus* vocatur, in distinctione a jubilaeo minore, quod Pontifices certis quibusdam occasionibus, ut initio sui Pontificatûs vel in publicis calamitatibus, concedere consueverunt, atque „indulgentiam *ad instar jubilaei*" vocant.

II. Jubilaeum, sive majus sive minus, hac re ab indulgentia plenaria alio modo concessa distinguitur, quod certi quidam favores et gratiae ad plenariam indulgentiam addantur.

III. Opera praescripta revocantur ad haec: visitationes certarum ecclesiarum et orationem ibi fundendam, certa jejunia, eleemosynam, confessionem et Communionem.

IV. Favores jubilaeo annexi versantur circa absolutionem a censuris et peccatis reservatis atque quibusdam irregularitatibus, commutationem votorum.

V. Verum quo magis excitentur Christifideles, ut Romam petant [544] atque Urbis sanctuaria devote visitent, 1) *intra annum sanctum* suspenduntur aliae indulgentiae vivis concessae, paucis exceptis; sed indulgentiae defunctis non applicabiles eo anno illis applicabiles fiunt. Ita Ben. XIII. Constit. *„Salvatoris"* 28. Apr. 1725, quod dein (per Ben. XIV.) evasit regula generalis. — At anno sancto elapso omnia reviviscunt, atque eo tempore consuevit concedi, ut in toto orbe indulgentiam seu jubilaeum Christifideles lucrari possint, ne, qui Romam petere nequeant, tanto favore priventur.

2) Facultates quaedam *absolvendi* a casibus et censuris reservatis, *commutandi* vota, *dispensandi* ab irregularitatibus, impedimentis etc. *tempore anni sancti*, si consueto modo celebratur, extra Urbem suspendi consueverunt. Attamen non semper eodem modo haec suspensio facta est, ut narrat Bened. XIV. *„Inter praeteritos"* §§ 29—32: quare tandem in quolibet jubilaeo ipsa bulla inspici debet. Intelliguntur communiter facultates regularibus, congregationibus, locis piis etc. datae.

Ab illa autem suspensione attingi non solent (v. Bened. XIV. *„Cum nos super"* 7. Maji 1749 § 2):

1) facultates S. Inquisitioni datae et iis, qui ad illius munus utcunque deputati sunt;

2) facultates, quae a S. Poenitentiaria Missionariis *pro locis Missionum dantur;*

3) facultates Episcopis sive a Conc. Tridentino, sive speciali privilegio a S. Sede datae;

4) facultates, quae regularium Superioribus collatae sunt in ipsos regulares subditos exercendae. Ceterum semper consule bullam jubilaei.

VI. Nisi bulla, qua jubilaeum indicitur, aliud quid statuit, censentur validae manere regulae a Bened. XIV. occasione jubilaei 1750 datae in Constitutionibus *„Inter praeteritos“* et *„Convocatis“*: praecipuas mox afferam, quum fere totae sint in explicandis operibus praescriptis et adjunctis favoribus. Cf. Decr. S. Congr. 16. Febr. 1852 in Decr. auth. n. 353.

545 Pauca addam de notione jubilaei.

1. Primo cogitantem occupare poterit mentis admiratio, quod aliquando tam profusa manu Pontifices jubilaea concedunt, quasi hac agendi ratione non satis provideatur divinae justitiae ordini. At qui ingentes fructus poenitentiae, sinceras tot peccatorum conversiones, justorum in fervore incrementum perspexerit, potius etiam hîc divinam providentiam adorabit, quae tandem et justitiae rigorem et misericordiae relaxationem in salutem animarum dirigit.

2. Jubilaeum minus, seu quod dicitur dari „ad instar jubilaei“, plerumque ad aliquot hebdomadas, vel unum alterumve mensem aut a Summo Pontifice determinatum aut per Ordinarios locorum determinandum restringitur. Neque illud consuevit sic concedi, ut aliquis pluries indulgentiam jubilaei consequi possit, nisi forte in bulla jubilaei id expresse notetur. Jubilaeum autem anni sancti censetur toties acquiri posse, quoties aliquis praescripta opera repetierit. Ita expresse Ben. XIV. *„Inter praeteritos“* § 84.

Atque eodem modo indulgentiam jubilaei pluries lucrandi facultas adcrit, si jubilaeum extraordinarium ad longum tempus conceditur: paucis, quum jubilaeum sit aliquod favorabile, tamdiu dicendum est, adesse facultatem pluries lucrandi, quamdiu ex bulla jubilaei aliisve *indubiis* decretis contrarium non probatur.

3. Exemplum extraordinarii jubilaei longissimi temporis, cujus exemplum in Ecclesiae historia aliud non exstat, habes in jubilaeo occasione Concilii Vaticani promulgato: quod etiam post suspensionem Concilii expressa declaratione Pii IX. perduravit, et quamquam occasione anni sancti 1875 eo anno suspendebatur, tamen eo elapso, ex ipsis verbis bullae, qua jubilaeum anni 1875 indicebatur, videri poterat iterum revixisse; attamen subsequentia acta Leonis XIII. satis ostendunt, illud pro exstincto esse habendum. Ejusmodi autem jubilaea extraordinaria, quae per diuturnum omnino tempus perdurant, consueverunt Romani Pontifices ita concedere, ut fideles illud pluries lucrari valeant: ut ipsum illud jubilaeum Vaticani Concilii, et jubilaea a Leone XIII. concessa.

Articulus II.

De operibus, quae in jubilaeo praescribi consueverunt, singillatim consideratis.

546 1. Pro jubilaeo minore vel extraordinario consueverunt praeter confessionem et Communionem praescribi jejunia, eleemosynae, visitationes ecclesiae certo numero definitae: pro jubilaeo vero anni sancti praeter confessionem et Communionem solum visitationes certarum

ecclesiarum, at majore numero, nimirum quatuor basilicarum visitatio devota cum oratione per 30 dies, qui numerus, exsistente magno peregrinorum concursu, solet ad 15 dies reduci. Ceterum in hac et in qualibet alia re inspici debet accurate bulla indictionis jubilaei. Regula communis est, opera praescripta ea intelligi, quae *non jam aliunde sint debita,* nisi in bulla jubilaei contrarium expresse conceditur: *„Inter praeteritos“* § 53.

2. Quando in jubilaeo visitatio plurium ecclesiarum praescribitur — quod consuevit fieri, maxime in jubilaeo anni sancti —, Ordinarii pro iis locis, ubi *una tantum* est ecclesia, facultatem habent toties visitationem illius unius ecclesiae praescribendi, quot ecclesiarum visitationes bulla per se injungit. Quod decreto generali *U. et O.* 15. Martii 1852 concessum est (Decr. authent. n. 353); quare etsi bulla jubilaei id non exprimit, nihilominus Ordinarii ita agendi auctoritate pollent.

3. Regulares autem, quamquam alias facultatem habent, suas ecclesias visitando omnes lucrandi indulgentias, quas lucrarentur, si ecclesias loci, ubi degunt, visitarent, jubilaei indulgentiam non lucrantur, nisi visitent ecclesias ab Ordinario *designatas:* quare, ut in *suis* ecclesiis lucrari possint, aut designatio Ordinarii fieri debet pro ipsis religiosis, si ea facultas in literis Apostolicis confertur, aut singuli religiosi, si justâ causâ a visitandis aliis ecclesiis impediti fuerint, a suo confessario illam commutationem debent accipere.[1]

4. Aliquam orationem vocalem, etsi quis mentales preces ad in- 547
tentiones consuetas peregerit, faciendam esse, habetur ex Const. *„Inter praeteritos“* § 83.

5. Jejunia, quae in jubilaeis extraordinariis praescribuntur, intelligi debent sensu ecclesiastico stricto, i. e. conjuncta *cum abstinentia,* quae in ecclesiastico jejunio per se observanda esset, si indultum nullum

---

[1] Communico hac de re complures declarationes S. Poenitentiariae:

A. ex anno 1875: „An religiosi jubilaeum lucrari valent peragentes in propria ecclesia visitationes ad id praescriptas?“ R. *Negative.* (*Acta S. Sedis* vol. 8 pag. 554.)

B. ex d. 24. Apr. 1886. Circa jubilaeum illius anni quaesitum erat: „I. Utrum regulares in claustris degentes indulgentiam jubilaei lucrari valeant ex sola dispositione literarum *‚Quod auctoritate Apostolica‘* visitando propriam ecclesiam, quin opus sit aliqua concessione vel commutatione? — II. Et quatenus negative ad primum, utrum Ordinarius id ipsis concedere valeat? — III. Utrum potius recurrere debeant singuli ad confessarium pro commutatione obtinenda? — IV. Utrum sub titulo *‚ecclesiae publico cultui addictae‘* adscribi valeat ecclesia vel capella alicujus monasterii, in qua singulis diebus per annum Missa conventualis et Horae canonicae publice celebrantur, etsi mulieres ex consuetudine ab ingressu hujus ecclesiae arceantur?“ — **S. Poenit.** R. „Ad I. *Negative.* — Ad II. *Providebitur in sequenti.* — Ad III. *Affirmative.* — Ad IV. *Respondebitur, quum recurrerit Ordinarius.*“ (Nouv. Revue théol. t. 18 pag. 318.)

C. Eodem anno quaesitum erat: „Utrum abbates et praelati regulares, utpote jurisdictionem quasi-episcopalem in subditos intra septa sui respective monasterii habentes, ecclesiam seu oratorium monasterii proprii suis subditis visitandum designare valeant ad lucrandam jubilaei indulgentiam?“ **S. Poenit.** R. die 15. Dec. 1886: *„Negative.“* (*Nouv. Revue théol.* t. 19 pag. 28.)

exsisteret. Quare indulta circa delectum ciborum alias per annum concessa pro jubilaeo non valent, nisi aut specialis concessio S. Pontificis facta est, aut ex *justa et gravi causa* commutatio a singulis fidelibus per confessarium fuit obtenta. — Num jejunia, si tria indicantur, *eadem* hebdomada peragenda sint, ex tenore bullae indicti jubilaei sumi debet. Pro jubilaeo Concilii Vaticani evidenter concessum erat, ut liceret jejunia in plures hebdomades distribuere; antea communiter praecipiebatur, ut in *una* hebdomada perficerentur. — Si jejunium *stricti juris* indicitur, servanda est abstinentia etiam a lacticiniis.

548 6. Eleemosyna, si praescribitur, „prout devotio suggesserit", quaelibet sufficit, modo ne *pro conditione personae* tantilla sit, ut donator censeatur nihil facere velle; si vero indicitur eleemosyna „pro uniuscujusque facultate", ditiores certe debent majorem aliquam eleemosynam facere suis facultatibus proportionatam: S. Alph. l. 6 n. 538 Q. XI. — Verum pauperes obtinere possunt a confessario *commutationem,* vel quodlibet minimum contribuere; religiosi aut commutationem possunt obtinere, aut satisfaciunt consentiendo in eleemosynam, quam Superior totius communitatis nomine facit: S. Alph. ib. Idem dic de filiisfamilias aliisque, qui sub aliorum potestate constituti nihil proprium habent: v. S. Alph. ib. dub. 1.

NB. L. c. S. Alph. discutit quaestionem, num lucretur jubilaeum, qui dederit eleemosynam distribuendam, si postea (durante jubilaeo) non distribuatur. Diversi diversimode opinantur. Verum dubitari de acquirendo jubilaeo, mea opinione, nequit, *si dominus dominium rei, quam pro eleemosyna destinavit, a se abdicaverit.* Nam si hanc voluntatem habuit, alter (ut procurator) rem sibi traditam *jam tenet* nomine pauperum aut piae causae, si modo ea determinata sit, ita ut dominus, si repeteret, injustitiam prorsus committeret; at si res tradita jam transiit in dominium piae causae, etsi nondum in ejus physicam possessionem, eleemosyna perfecta est ex parte dantis, nec quidquam domino oberit, si procurator forte injuste rem sibi retineat, sicuti nihil obesset danti eleemosynam, si fur donum ipsum a paupere statim surriperet.

549 7. Confessio et Communio non possunt eae computari, quae ex praecepto Ecclesiae jam fieri debeant. Quapropter Communio paschalis — attamen S. Pontifex speciale indultum in certis adjunctis dedit — non sufficit: cf. n. 539.

Ita constanter S. Sedes declaravit, quamquam nonnunquam certis regionibus specialem dispensationem largita est: cf. resp. S. Congr. Ep. 5. Martii 1847, Scavini tom. IV. n. 348 I, Decr. S. Poenitentiariae ex speciali mandato Pii IX. 25. Jan. 1875: „4. declarat, unica confessione et Communione non posse satisfieri praecepto paschali et simul acquiri Jubilaeum" etc. Idem declaratum est jussu Leonis XIII. pro jubilaeo anni 1879, et anni 1881 a S. Poenitentiaria 25. Martii 1881. Praeterea nota:

a) Verum, quia confessio non necessario pro tempore paschali praescribitur, scite S. Poenitentiaria postea declaravit (v. Acta

S. Sedis vol. 8 pag. 361) ad quaest. VII.: „Ex S. Poenitentiariae responsis certum est, haud satisfieri posse praecepto paschali et jubilaeum lucrari unica confessione et Communione; potestne unus et alter attingi finis duabus Communionibus et unica confessione?

„R. Affirmative; firma tamen manente obligatione satisfaciendi, si nondum quis satisfecerit, praecepto *annuae* confessionis."

Quare ei, qui ante tempus jubilaei in illo anno confessus jam est peccata mortalia, tempore paschali cum jubilaeo coincidente, sufficit semel confiteri et bis paschali tempore S. Eucharistiam sumere. Aut qui confessus nondum est, confessionem et Communionem primo facere potest pro jubilaeo, uno alterove die postea sine nova confessione (modo ne lapsus fuerit in peccatum grave) praeceptum paschalis Communionis implere; at si forte intra cursum ejusdem anni in grave peccatum lapsus fuerit, tenebitur vi praecepti annuae confessionis, iterum confiteri: quodsi se immunem servet, non tenetur, eo quod necessariam confitendi materiam non habet.

b) Qui, antequam omnia opera praescripta perfecerit, post factam confessionem et Communionem in mortale peccatum inciderit, reliqua quidem opera repetere non tenetur, confessionem denuo peragere debet, ut a suo peccato sacramentaliter absolvatur, nec sufficit perfectam contritionem elicere. Ben. XIV. l. c. § 79.

Articulus III.

De favoribus indulgentiae Jubilaei annexis.

§ 1.

Expenduntur singulae facultates.

Favores jubilaei indulgentiae annexi circa absolutionem, votorum 550
commutationem etc. dantur non directe confessariis, sed potius Christifidelibus jubilaeum lucrari volentibus. Quare

a) dicitur facultas eligendi confessarium ex approbatis, a quo absolvi etc. possint. Quae facultas datur etiam regularibus, nisi forte aliqua religio peculiarem constitutionem obtinuerit, ne socii etiam vi jubilaei absolvi possint ab aliis, nisi ab iis, quos Superior designaverit. Nihilominus a tempore Ben. XIV. S. Pontifices consueverunt tam amplam facultatem omnibus concedere, ut etiam speciali illi constitutioni derogarent: quare cujuslibet jubilaei indictio videri debet.

b) Moniales autem et earum novitiae communiter nequeunt confiteri, ne in jubilaeo quidem, nisi apud eos, qui saltem pro aliquo loci monasterio specialem approbationem obtinuerint: v. Ben. XIV. in Const. *„Celebrationem"* 1. Jan. 1751. Quod practice valet de omnibus illis mulieribus in communitate viventibus, quarum confessiones audiendi potestatem Episcopus ita sibi reservavit, ut eam a communi approbatione confessariorum exemerit atque *specialem* approbationem neces-

sariam esse declaraverit: nam confessarii communes relate ad eas feminas non sunt approbati confessarii.

551 c) Facultas igitur absolvendi extenditur ad quoslibet casus et censuras reservata, nunc solum exceptis casibus contentis in Const. *„Sacramentum poenitentiae“*, atque iis censuris, quae forte latae fuerint nominatim contra aliquem; etiam cautius agendum est in iis, quae ex natura rei publicam retractationem et reconciliationem exigant.

d) Facultas dispensandi in irregularitatibus non datur, nisi quatenus in ipsa bulla exprimitur; exprimi solet sola irregularitas ex violatione censurae contracta. — Anno 1901 data est facultas dispensandi in compluribus impedimentis matrimonii.

e) Facultas circa vota non versatur: 1) circa vota reservata (saltem non circa votum castitatis perpetuae et religionis); 2) circa vota, in quibus jus tertii intervenit; 3) circa vota poenalia praeservativa, nisi opus substitutum aeque bene praeservet a peccato. — Ita bullae indictionis expresse monere solent. — Commutatio autem seu ‚dispensando commutare‘ sic intelligitur, ut *non* liceat opus *notabiliter minus* substituere. Ceterum ratio seu causa commutationis probabiliter non alia requiritur, quam ipsum jubilaeum: S. Alph. l. 6 n. 537 Q. IV.: quae commutatio, in quantum fieri potest, facienda est in opera ejusdem naturae.

552 f) Exercitium facultatis absolvendi, commutandi *in confessione sacramentali* fieri debet: Ben. XIV. l. c. § 63.

g) Invalide est absolutio a censuris, votorumve commutatio, nisi poenitens sincerum animum habet opera pro jubilaeo injuncta praestandi; ergo etiam invalida est, si confessio est sacrilega: nam favores annexi solummodo conceduntur in ordine ad jubilaeum lucrandum. Verum si quis postea tantum mutat animum, quem antea serium habuit, manet absolutus, votaque manent commutata; utrum autem, qui sic agat, graviter peccet, non est concors theologorum sententia: v. Ben. XIV. l. c. § 86 et bullam Pii IX. *„Gravibus Ecclesiae“* pro jubilaeo a. 1875.

h) Confessarii poenitentibus, non obstante jubilaei indulgentia, sacramentalem poenitentiam injungere, poenitentes eam implere debent. Ben. XIV. l. c. § 65.

i) Qui opera pro jubilaeo praescripta peregit, aut peragere, quando confessus est, voluit, sed in confessione sincera facta peccati vel censurae reservatae oblitus est, etiam post tempus jubilaei a quocunque confessario approbato absolvi potest, quum *reservatio* sublata sit: S. Alph. l. 6. n. 537 Q. IV.

k) Etiam ille non excluditur a favore absolutionis, qui peccatum commisit spe obtinendi absolutionem vi jubilaei, modo sincere doleat: S. Alph. ib. Q. VI.

l) Etiam votum non petendi commutationem commutari per se potest; atque ille, qui jubilaeum non solum in confessione lucrari sibi *proposuit,* sed operibus impletis illud *lucratus est,* etiam elapso tempore jubilaei a quolibet confessario votorum commutationem neglectam obtinere potest, quae, quum jubilaeum lucraretur, jam emiserat, modo

ea postea ne renovaverit, S. Alph. ib. Q. IV.; hujus commutationis jus ex jubilaeo adeptus est.

m) Quamquam Ben. XIV. constituit, usum facultatum sive gra- 553
tiarum annexarum in solo foro sacramentali fieri posse, atque pronum videtur inde concludere, etiam operum injunctorum commutationem a confessario peragi non posse, nisi in sacramentali confessione, nihilominus pro jubilaeo anno 1865 celebrato respondit S. Poenitentiaria 16. Martii 1865: „An eveniente justa causa commutandi opera injuncta praescripta in Brevi praesentis jubilaei, ejusmodi commutatio fieri possit extra actum sacramentalis confessionis? Resp. Ex declaratione facta a SS. Domino Papa Pio IX., affirmative“ (v. *Acta S. Sedis* vol. I. p. 177).

Quod, licet pro *illo* jubilaeo tantum quaerebatur, facile ansam dare poterat, ut consuetudine subsequentium jubilaeorum haec communis regula evaderet. Verum interim tutius hucusque mihi semper visum erat, intra confessionem etiam hanc commutationem facere. Immo contraria praxis, ne lex fieret, intercepta et abolita est, quum S. Poenitentiaria rogata, ut concedat vel declaret, commutationes fieri posse extra actum sacramentalis confessionis, d. 30. Jan. 1886, annuente Leone P. P. XIII., responderit: *Non expedire* (Nouv. Revue théolog. XVIII, 89). Aliter de commutatione, quae fiebat anno 1900 vi Constit. *„Aeterni Pastoris“* pro aegrotis etc.

n) Quando jubilaeum fideles saepius lucrari possunt, haec operum commutatio a Ben. XIV. in numero eorum favorum collocatur, quorum poenitentes *semel tantum* participes fieri valeant: cf. *„Convocatis“* n. 52 et 39. Quare ex Const. Bened., ut pluries cum impeditis fieri possit illa commutatio, in bulla, quae jubilaeum indicit, haec amplior concessio videtur debere contineri. At 1881 responsum est, commutationem pro impeditis fieri posse *toties quoties (Archiv für kath. Kirchenr.* XL, 259); anno 1900 concedebatur, ut commutatione, *semel tantum* accipienda, impeditus *pluries uti* posset (*Anal. eccl.* VIII, 360).

o) Commutatio confessionis nunquam, Communionis pro solis pueris, qui ad primam Communionem nondum admissi sunt, fieri potest: reliquorum operum commutatio fieri potest quidem, sed solum propter justum impedimentum, alias non valet; quamquam omnimoda impossibilitas praescripta opera peragendi non requiritur. Cf. Ben. XIV. *„Convocatis“* n. 21. Qui autem tempore jubilaei opera praescripta incipit, at se complere non posse praevidet, aut commutationem operis, aut, si Bulla id concedit, prorogationem temporis obtinere potest. Ita dic etiam de eo, qui ultimo die venit, si nunc sincere confitetur.

§ 2.

De usu facultatum iterato sive non iterato.

1. Etiamsi jubilaei indulgentiam aliquis pluries lucrari potest, 554
annexis tamen favoribus semel tantum potest frui: ita constanter Bened. XIV. *„Inter praeteritos“* § 84 et *„Convocatis“* n. 52. S. Poenitentiaria 1. Junii 1869 dixit „prima vice tantum“ vel „una vice tantum“.

2. Id autem sic intelligitur, ut, qui prima vice, qua lucratus est jubilaeum, gratiis concessis usus sit, si iterum indigeat, vi jubilaei non possit amplius iis frui, etsi opera praescripta repetat: verum si prima vice non indigebat, nunc vero infeliciter indiget, videtur posse hac vice, quando opera praescripta denuo implere vult ad indulgentiam iterum lucrandam, si modo indulgentia jubilaei pluries acquiri possit, etiam gratiarum annexarum particeps fieri. Ita concludi licet ex Bened. XIV. l. c. § 84 et ex allegato responso S. Poenitentiariae, quum dicatur, eum, qui semel absolutus sit a censuris etc., non posse amplius facultatibus uti, si *de novo* indigeat[1]. Ceterum videri debet, num forte currente jubilaeo strictior etiam decisio facta sit.

555 3. Alia dubitatio in jubilaeo longioris temporis incidere potest, sc.: Poenitens censuris reservatis ligatus confitetur et absolvitur; verum antequam reliqua opera praescripta perfecerit, in censuras reservatas iterum incidit: — potestne denuo absolvi, ut jubilaei indulgentiam lucrari possit?

R. 1. In jubilaeo anni 1875 a S. Poenitentiaria haec proposita quaestio negativum responsum tulit. Scilicet ex mandato S. Pontificis 25. Januarii 1875 responsum est: „Declaravit (Sanctitas sua), vi praesentis jubilaei (fideles) una tantum vice absolvi posse a censuris et casibus reservatis (et similiter semel tantum acquiri posse ipsius jubilaei indulgentiam).“ — Magis etiam eodem die S. Poenitentiaria idem declaravit *suo* responso: „An confessarii absolvere possint poenitentem, qui jam a reservatis et a censuris absolutus in ea denuo inciderit, antequam opera impleverit ad jubilaeum acquirendum praecepta?“ Resp.: „Virtute jubilaei posse una vice tantum absolvi a reservatis et a censuris, seu negative.“

R. 2. Pro jubilaeo anni 1869, cujus indulgentiam pluries acquiri posse, concessum erat, responsum de negato usu iterato favorum annexorum quaestionem nostram non dirimit; videlicet auctoritate Summi Pontificis declaratum est 1. Junii 1869: „An tempore jubilaei ille, qui vi jubilaei ejusdem fuerit a censuris et a casibus reservatis absolutus, si iterum incidat in casus et censuras reservatas, possit secunda vice absolvi peragens iterum opera injuncta.“ R. „Negative.“[2] Dixi, hoc responso non ita clare propositam nostram quaestionem solvi; nam sane sermo est de eo, qui jam semel lucratus sit jubilaei indulgentiam operibus omnibus peractis, nos vero

---

[1] Imo postea comperi, in privato responso ad literas Episcopi Novocomensis diei 1. Jan. 1873 dato S. Poenitentiariam id clare et expresse enuntiasse, videlicet: „Titus, postquam pluries praesentis Jubilaei indulgentiam obtinuerit, in censuram reservatam lapsus est. Hinc quaeritur: I. An possit a confessario suo absolvi, eo quod nunquam fuerit in anteactis confessionibus aliquo reservato irretitus, ac propterea nunquam hoc jubilaei privilegio usus sit. II. Si affirmative, utrum Titus denuo debeat opera praestare, quae ad Jubilaeum consequendum injuncta sunt? *R. ad I et II affirmative.*“ Ex *Nouvelle Revue théol.* Tornac. vol. XVIII pag. 62. — Quam sententiam eo magis in quolibet jubilaeo, cujus indulgentia pluries acquiri potest, sustinendam esse puto, si in dubio sequenti n. 555 discusso negativa sententia pro lege statuatur.

[2] Responsa illa cum aliis multis collecta habes in folio periodico *„Archiv für kath. Kirchenrecht“* vol. 45. pag. 353 sqq.

quaerimus de eo, qui, antequam praecepta opera absolverit, iterum in censuras incidat. — Neque ita patet, responso anni 1875 *generalem* regulam statui pro futuro tempore. Hinc existimo, pro futuris jubilaeis respiciendum omnino esse, quid tunc statuatur: alioqui, nisi res aliter definiatur, stari posse edictis Ben. XIV., cujus regulae, nisi postea mutentur, in generalem normam transierunt.

R. 3. Porro sensus Constitutionis Ben. XIV. „*Convocatis*" § 84 in fine videtur sane esse, posse eum, qui, antequam indulgentiam semel lucratus sit, iterum inciderit in censuras reservatas, ut valeat tandem semel indulgentiam lucrari, denuo a reservatis peccatis et censuris absolvi. En ipsa verba: „Illum, si semel illarum (gratiarum) particeps est prima vice, qua *jubilaeum consecutus fuit,* iterum earum participem fieri non posse, si *post primam jubilaei acquisitionem* iterum in censuras incurrit etc." Ergo a) indirecte et *e contrario* videtur satis innui, eum, qui *jubilaeum consecutus nondum sit,* posse, si iterata absolutione indigeat, iterum absolvi; b) idque ex communi regula, favores late nos interpretari debere, confirmari videtur, et c) ex mente Ecclesiae, quae, nisi aliud certo constituerit, cuilibet vere poenitenti censeatur facultatem saltem semel jubilaei lucrandi praebere velle. — *Idem* sentit Card. D'Annibale *summula* ed. 3. t. I. n. 348. In jubilaeo anni 1901 ipsa haec interpretatio vim legis habuit.

Caput III.

Appendix de quibusdam indulgentiis atque indulgentiarum regulis obviis in particulari.

I. Regulae et praecepta.

1. Collectio earum indulgentiarum, quae omnibus fidelibus patent, seu 556
ad quas lucrandas unio cum certis sodalitatibus, congregationibus, ordinibus etc. non requiritur, authentica, „quae sola in quolibet dubio vel controversia circa quamcunque indulgentiam modumve eam lucrandi excitata consulenda est" ex decl. Pii IX. et decr. S. Congr. Indulg. 3. Jul. 1877, eodem anno Romae in lucem edita est, atque complura menda, quae in alias collectiones irrepserant, correxit: cujus altera editio an. 1886 apparuit.

2. Summaria seu collectiones indulgentiarum ex diversis concessionibus nunc in unum collectarum imprimi nequeunt sine approbatione S. Congr. Indulg.: d. 22. Jan. 1858 a Pio IX. sancitum, v. Decreta authentica n. 383. Singulae autem indulgentiae aut collectiones jam a S. Congreg. approbatae possunt cum licentia et approbatione Ordinariorum imprimi, nisi forte de certo quodam elencho aut collectione specialis prohibitio exstet *(ibid.).* Quae prohibitio est circa indulgentiarum elenchum, quae annectuntur rosariis, crucibus, numismatibus etc. a Summo Pontifice vel ex ejus commissione benedictis, ne videlicet ullibi ille elenchus imprimatur sine speciali S. Congregationis licentia.

3. Indulgentiae generales, quae conceduntur a Summis Pontificibus ad aliorum instantiam, v. g. pro recitantibus hanc vel illam orationem, exhiberi debent documento authentico apud Secretariam S. Congreg. Indulg.; *alioqui non valent,* ut ipsi Summi Pontifices decreverunt: v. decr. 28. Jan. 1756 a Pio IX. confirmatum, Decr. auth. n. 205 et 371. Verum si hujus documenti exhibitio facta non est, *quum primum postea fit,* indulgentia va-

lere incipit sine nova Pontificis concessione; ut exempla exhibitionis omissae et postea factae probant: consuevit enim in collectione indulgentiarum notari dies *concessionis olim* factae.

4. Conditiones ad indulgentias quaslibet praescriptae ad amussim impleri debent: verum si defectus relative valde parvus est, ex communi opinione theologorum id indulgentiae non obstat. Cui consonat Raccolta edit. 1898 p. VIII: „Si qualecunque opus praescriptum, sive totum sive secundum notabilem partem, sive ex ignorantia, sive per negligentiam, sive ex impotentia omittitur, aut si aliqua ex conditionibus temporis, loci etc. praescriptis ob quamcunque rationem non observatur — nisi forte legitima commutatio intercesserit —: indulgentia nequaquam acquiritur".

Attamen illud „secundum notabilem partem" non potest adeo late intelligi. Si enim de indulgentia recitantibus hymnum concessa agitur, Sancta Congregatio habuit pro defectu relative satis notabili, ita ut indulgentia non esset salva, solam ultimae strophae mutationem.

557 II. Particulares quaedam indulgentiae potioris momenti.

1. Indulgentia altaris privilegiati.

Notio. Intelligitur indulgentia plenaria solis defunctis applicanda, effectu non infallibili: v. supra n. 532.

Distinguitur privilegium altaris *locale* et *personale;* primum, si indulgentia conceditur propter celebrationem Missae in *certo altari,* posterius, si *certo sacerdoti,* quando sub praescriptis conditionibus celebrat in quocunque altari, ille favor conceditur.

Conditiones: a) Semper exigitur, ut quando Rubricae non obstent, celebretur Missa ‚de Requiem' 11. Apr. 1840, 22. Febr. 1847, 2. Maji 1852: Decr. authent. n. 281, 399, 357. At quando Rubricae prohibent, quominus Missa ‚de Requiem' celebretur, aut si secundum Rubricas id minus convenit (ut in expositione publica SS. Sacramenti etiam in altaribus lateralibus, in diebus ex concursu populi in foro festivis), celebratio Missae de die, vel respective votivae privilegio altaris lucrando non obstat: Decreta authentica n. 404.

b) Saepe concessio favoris altaris privilegiati ita sonat: „ut *animae defuncti, pro qua Missa celebratur,* indulgentia plenaria applicari possit", sive: „qui Missam pro defuncto in tali altari dixerit, liberat animam etc.": quod si dicitur illis similibusque verbis, requiritur praeter Missae formam, ut modo sub a) explicatum est, applicatio Missae pro defuncto, cui celebrans privilegium altaris applicari cupit. — Si dicitur: „qui pro defuncto *sive pro defunctis* celebrat", celebrans Missam applicare potest pluribus defunctis, privilegium vero altaris *uni ex illis* applicare. (NB. In die commemorationis omnium defunctorum — 2. Nov. — omnia altaria sunt privilegiata, Missae autem dici possunt sive pro uno, sive pro pluribus, sive pro omnibus fidelibus defunctis.) — Si autem de applicanda Missa nihil dicitur, opinio erat consultoris S. Indulg. Congregationis, privilegium altaris ita esse ab applicatione Missae separabile, ut Missa uni, alteri altaris privilegium applicari posset. Ita S. Congr. Indulg. 31. Jan. 1848, Decr. auth. n. 348. Quare tum non videbatur altaris privilegio obstaculum fieri, etiamsi pro vivis ad certam intentionem (sive pro stipendio, sive aliter) Missa applicaretur: eo quod haec applicatio minime impediret, quominus in Missa et per eam simul orari posset pro defuncto atque ei ex thesauro Ecclesiae per dispensationem

Summi Pontificis plenaria indulgentia applicari. Hoc sensu videbatur sumendum esse privilegium altaris, quod quotidie lucrari potest sacerdos, qui actum heroicum, i. e. cessionem omnium satisfactionum, pro defunctis fecit, siquidem in concessione quotidiani privilegii altaris, qua Pius IX. 30. Sept. 1852 illum heroicum actum ditavit, applicationis Missae pro defuncto vel defunctis non fit mentio. Nihilominus S. I. C. responso d. d. 18. Dec. 1885, quod per Leonem XIII. die 19. Dec. approbatum est, recessit ab hac sententia. Nam interrogata (Dub. V), „utrum indulgentia plenaria altaris privilegiati personalis debeat a sacerdote, qui actum heroicum emisit, applicari animae, pro qua Missam celebrat", dixit: „Affirmative, hoc enim modo privilegium altaris conceditur a Summo Pontifice." Qua responsione seu S. Pontificis voluntate satis manifestatâ res est composita.

c) Praeter celebrationem vel applicationem Missae ex parte sacerdotis nihil requiritur. Id autem evidens est, sacerdotem propter altaris privilegium, quod habuit, non impediri, quominus vi Missae celebratae seu sumptionis Sacrae Eucharistiae in Missa alias indulgentias lucrari possit, quae Sanctam Communionem requirant, si modo etiam pro sacerdote concessae sunt.

2. Indulgentiae viae crucis. 553

De harum indulgentiarum extensione nihil opus est dicere, maxime quum prohibitum sit, ne in tabellis indulgentiae singulis viae crucis stationibus annexae recenseantur. Sunt autem quam plurimae.

I. Illud juvat notare, requiri 1) legitimam viae crucis erectionem et benedictionem, 2) modum legitimum peragendi hanc devotionem.

Quid ad legitimam erectionem requiratur, longius est hîc exponere. Id solum noto, benedictionem cadere in cruces *ligneas*, quae debent esse *conspicuae*, i. e. ita collocatae, ut non tegantur neque a tergo picturae vel statuae collocentur, sed cerni possint a fidelibus (Decr. auth. n. 442), verum picturae statuaeve non sunt necessariae (Decr. auth. n. 258 et 264). Neque obstat temporanea remotio crucium e loco suo, modo circiter in eodem loco reponantur: etsi una crux cum altera permutetur. — Neque obest, si deficientibus aliquibus crucibus in locum illarum, *in minore tamen numero*, substituantur non benedictae, modo ab initio quatuordecim cruces rite benedictae fuerint. Ita S. Indulg. Congr. 30. Jan. 1839 etc.; Decr. auth. n. 258. 270. 275. 328.

Non raro habetur etiam facultas benedicendi crucifixos cum indulgentiis viae crucis: quod sic intelligitur, ut illi, qui legitime impediti sint, quominus viam crucis peragant, easdem indulgentias cum crucifixo sic benedicto lucrari possint, modo recitent 20^{ies} Pater, Ave, Gloria (v. Decr. 8. Aug. 1859), 14^{ies} pro 14 stationibus, 5^{ies} in honorem quinque vulnerum Salvatoris, 1 ad intentionem Romani Pontificis pro consuetis finibus. — Pro graviter aegrotis autem 18. Dec. 1877 singulare illud privilegium concessum est, ut easdem indulgentias cum crucifixo sic benedicto lucrari possint, modo loco 20 Pater, Ave, Gloria recitent brevem oratiunculam a P. Generali Franciscanorum assignandam [1]. — Denique 19. Jan. 1884 a Leone XIII. concessum est, ut, si

[1] Ut autem ii, qui ejusmodi crucifixum possident, illa gratia frui possint, ejus quidem communicatio per P. Generalem Franciscanorum vel per sacerdotem ab illo specialiter delegatum requiritur. Pro oratiuncula ille qui tunc temporis erat

plures se devote componant ad orandum communiter, atque unus tantum teneat ejusmodi crucifixum benedictum, nihilominus omnes, qui simul 20 Pater etc. orent, indulgentias valeant lucrari: Rescripta auth. n. 447.

Quando autem ipsa via crucis peragitur: I. in privato exercitio nihil aliud in rigore requiritur, nisi ut 1) quilibet ab unaquaque ad alteram stationem sese corporali motu transferat (Decr. auth. n. 278 die 26. Febr. 1841), 2) ad quamlibet stationem breviter meditetur seu recolat passionem Dominicam, scil., ut videtur[1], partem illam passionis, quae stationi juxta consuetam et antiquitus introductam repraesentationem 14 stationum respondeat. — Consulitur tamquam pia praxis, ut ad singulas stationes eliciatur brevis contritionis actus, et *Pater* et *Ave* dicatur. Quod si in honorem Dominicae passionis cum recordatione stationis occurrentis fit, pro praescripta meditatione sufficere potest, maxime si agitur de iis hominibus, qui meditationi propriae dictae assueti non sunt. Cf. Decr. auth. n. 100. 257. 259.

559 II. Si publicum exercitium viae crucis peragitur, quando pertubatio excitari facile potest, observetur methodus „ut unoquoque de populo suum locum tenente sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat, ac sistens in qualibet statione ibique recitans peculiares consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus“ 6. Aug. 1757 a Summo Pontifice approbata: v. Decr. auth. n. 210. Clarum non est, utrum requiratur aliquis motus, ita ut singuli ex populo genuflectant et iterum surgant, an sufficiat plane immotos eos in loco suo manere.

Ut autem in ipso altari summo sacerdos consistere atque ex eo loco solum pro singulis stationibus certas preces cum populo recitans exercitium viae crucis peragere salvis indulgentiis possit, necessaria est *specialis concessio,* in certis quidem locis impetrata; nihilominus etiam tunc id saltem praescriptum est, ut ad singulas stationes, quae in libello precum occurrant, surgatur et genuflectatur[2].

Generalis Ordinis, assignaverat versiculum „Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti“ corde contrito recitandum, *vel* actum contritionis eliciendum. Ejus vero successori anno 1890 Leo XIII. eandem facultatem pro tempore sui generalatus renovavit, ea tamen conditione, ut injungendum sit illis aegrotis, ut 1) ore recitent actum contritionis, 2) recitent dictum versiculum, 3) mente saltem sequantur recitationem ab alio adstante factam 3 Pater, Ave, Gloria.

[1] Cf. Prinz. decr. n. 487. An indulgentiae viae crucis . . . datae sint ob Christi Domini passionis meditationem *in genere,* an vero taxative pro meditatione illarum stationum 14, quae a fidelibus generaliter cognoscuntur? Resp. negative ad I., affirmative ad II. 16. Febr. 1869. — Ceterum alii putant, sufficere meditationem quamlibet de quavis phasi Dominicae passionis.

[2] Die 10. Sept. 1882 S. C. I. interrogata respondit: „Ex documentis non constat, indulgentias pro pio exercitio viae crucis concessas toties lucrari, quoties praefatum exercitium iteratur“, i. e. in uno eodemque die: Rescripta auth. n. 443. Ergo res neque affirmatur, neque negatur, sed relinquitur objective dubia, quamdiu SS. Pontifices indulgentias antiquitus concessas noluerint mutare vel interpretari. Inclino tamen in eorum opinionem, qui putent, illas pluries, i. e. toties quoties acquiri posse, nisi *eas* eximas, quas fortasse antiqui S. Pontifices pro visitantibus loca terrae sanctae *certis* quibusdam diebus *prae aliis* annexas esse voluerunt. Quoad has enim obstare videri potest decretum Innoc. XI. *„Delatae“,* quod vide infra in nota ad n. 561; quoad reliquas, nisi positive facta sit restrictio, potius sumere debemus latam interpretationem, quae iteratae acquisitioni faveat.

3. Scapularia. 560

Ut aliquis legitime ad piam scapularium diversorum unionem admissus sit, necesse est, ut sacerdos a) legitimam facultatem admittendi habeat, b) in benedictione scapularis, in impositione et receptione *non defecerit in essentialibus;* S. Congreg. Indulg. 24. Aug. 1844: quod 18. Aug. 1868, approbante Pio IX., ita declaratum est, ut etiam *verba substantialia* proferri debeant. (Decr. auth. n. 329 et 421.) Per Pium IX. 18. Sept. 1862 facta est sanatio pro Orbe, si quae receptiones invalidae fuerint propter defectum facultatum, vel propter defectum in scapularium forma: Decr. auth. n. 394. — Denuo d. 20. Julii 1884 SS. D. Leo XIII. concessit, „ut adscripti cum aliquo defectu, ut in precibus (vid. quoad ‚omnes receptiones invalidas bona fide peractas'), abhinc indulgentias singulis scapularibus proprias lucrari valeant." — Postea receptiones ad scapulare *de Monte Carmelo ex quocumque defectu invalidae* sanatae sunt d. 3. Julii 1901. Cf. *Anal. eccl.* IX, 356.

Primum scapulare, quo aliquis utitur, debet esse legitime benedictum: quamquam in admissione seu receptione, si scapularia desunt, sic omnes vestiri possunt, ut uni post alterum idem scapulare ab ipso sacerdote imponatur. Attamen postea saltem ad singulos sic receptos scapulare rite benedictum transmitti debet. — Post primum autem scapulare, quo quis usus est, detritum sive amissum, aliud etiam non benedictum, modo sit ex legitima materia et juxta legitimam formam confectum, substitui privatim potest. Vide Beringer, *Die Ablässe* ed. 12 p. 388. Qui semel legitime ad scapulare admissi sunt, nova admissione non indigent, etsi diu scapulare non gestaverint, sed sufficit illud resumere, ut favoribus illius frui possint, quibus interim non fruebantur. Nova admissio tum tandem requiritur, si quis, *nolens amplius* sodalitati scapularis adjungi, illud deposuit vel si in deponendo scapulari ita se gessit, ut illa voluntas piae sodalitati valedicendi implicite adesset, e. g. si ex contemptu deposuit; sicut enim nemo nolens admitti potest, ita nemo nolens in illa pia sodalitate retinetur.

Inter diversa scapularia eminent 1) Scapulare de Monte Carmelo, 561
2) Scapulare Immaculatae Conceptionis. *Prius* antiquissimum est, atque eminet inter alia omnia singulari protectione, quam B. Maria V. pie creditur promisisse illis, qui hoc scapulare devote gesserint in eoque moriantur, imo speciali privilegio, quo dicitur V. B. sodales illos, qui certas preces vel abstinentiam insuper persolverint, ditasse, ita ut Sabbato post mortem potenti Beatae Virginis intercessione liberationem e poenis purgatorii sperare liceat. *Posterius,* quod in honorem Immac. Conceptionis institutum est cum eo fine, ut sodales orationibus suis et operibus bonis incumbant in peccatorum conversionem, excellit quam plurimis indulgentiis, quas post plures Summos Pontifices Pius IX. contulit atque firmavit. Praeter magnum numerum dierum, quibus sodales sub consuetis conditionibus plenariam indulgentiam sive sibi sive defunctis lucrari valent, alius singularis favor concessus est, ut sodales toties, quoties in honorem Sanctissimae Trinitatis, B. Mariae V. sine labe conceptae atque pro consuetis intentionibus Summi Pontificis recitent devote *sexies* Pater, Ave, Gloria, lucrentur indulgentias Portiunculae, Jerusalem, 7 Urbis basilicarum, S. Jacobi de Compostella, idque quocunque loco et tempore, sine conditione confessionis et Sacrae Communionis peractae, etiam defunctis applicabiles. Ita decr. S. C. I. 31. Martii 1856 a Pio IX. 14. Apr. ejusdem anni approbatum. Intelligitur

tamen, orantem debere esse in statu gratiae, ut sibi lucretur indulgentiam et probabiliter etiam, ut lucretur defunctis [1].

562 4. Indulgentia Portiunculae.

In Martyrologii Romani appendice, Martyrologio Ordinis Seraphici, die 2. Augusti annuntiatur, Christum ipsum S. Francisco plenariam indulgentiam concessisse pro iis, qui dolentes de peccatis sacellum *Portiunc.* visitarent, cum mandato, ut eam a Pontifice impetraret; eamque indulgentiam ab Honorio III. confirmatam, a Gregorio XV. ad omnes ecclesias Franciscanorum extensam esse. — Bened. XIV. *de syn. dioec.* lib. 13 c. 18 refert, authenticum documentum *primaevae* concessionis deesse quidem, verum authentice constare de testimonio duorum religiosorum anno 1277 exarato, qui referant, se integram illius primaevi facti historiam audivisse a P. Matthaeo de Marignano, qui fuit unus ex sociis S. Francisci, quique cum ipso Perusiam se contulit ad Honorium III., quum is indulgentiam illam, suspecta Dei voluntate, sit elargitus. — Hanc indulgentiam plenariam postea Romani Pontifices ita extenderunt, ut fideles confessi [2] et Sacra Communione refecti die 2. Augusti toties lucrari possint plenariam indulgentiam, etiam defunctis applicabilem, quoties aliquam ecclesiam ordinis S. Francisci vi-

[1] Nuper in dubium vocatum est, num revera *omnes* illas indulgentias non partiales tantum — nam de his nullum est dubium —, sed etiam *plenarias*, quae illorum locorum visitationi annexae sunt, fideles possint lucrari *toties quoties*, idque si minus sibi, saltem defunctis. Atque negativa sententia Romae praevaluit. Ratio dubitandi est decretum Innoc. XI. 7. Martii 1678 „*Delatae saepius*“ (Decr. auth. n. 18), quod servandum esse etiam relate ad indulgentias caerulei scapularis, ipsa S. Congr. et Pius IX. expresse edixerant: Decr. auth. n. 374 et Rescripta auth. Summar. 57 scil. pag. 577 in nota. Sed hoc decretum in ipso illo authentico summario l. c. sic exhibetur, ut indulgentiam plenariam *pro vivis* concessam in certum diem locum pium visitantibus non posse acquiri dicatur nisi semel. Quod si ita est, facile intelligitur, id non obstare, quin indulgentiae illae, etiam plenariae, acquiri possint pluries defunctis. At verba ipsius decreti eam restrictionem „*pro vivis*“ non exprimunt; sed dicitur absolute: „*semel autem dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.*“ Num igitur S^a Congregatio erravit in exhibendo et explicando illo decreto? E contrario videmur rationem habere affirmandi, non verba quidem ad amussim esse servata, sed *sensum*. S^a enim Congregatio probe sciens, decreta favores restringentia esse strictae prorsus interpretationis, videtur perpendisse, verbum illud „*lucrifieri*“, si late sumatur, dicere sive sibi sive defunctis acquirere, si strictiore sensu, solum sibi acquirere; nam qui pro defunctis acquirit indulgentiam, remissionis poenarum temporalium lucrum non facit, sed eam in alios transfert. — Immo videtur etiam alio modo ostendi posse, indulgentias confratribus caerulei scapularis pro recitando 6 *Pater etc.* concessas, etiam plenarias (quamquam fortasse non omnes), pluries in die acquiri posse. Nam decretum illud Innocentii XI. loquitur de indulgentiis *in certos dies* concessis. Si quae igitur indulgentiae plenariae pro visitatione Basilicarum Urbis, Compost. etc. *in certos tantum dies* concessae sunt, hae a confratribus caerulei scapularis semel tantum in die possunt acquiri; quae autem sine certorum dierum determinatione, eas pluries in die a confratribus 6 Pater etc. recitantibus acquiri posse existimo. Atque cum hac explicatione videtur plane consentire, quod habetur in Summario indulg. Ordinis Seraphici (Resc. auth. *Summar. 15 n. 8*), quo eaedem indulgentiae recitantibus 6 Pater etc. coram Ss. Sacramento concessae exhibentur, idque ita, *ut saepius in die acquiri possint, utpote quae non habeant* limitationem aut *determinationem temporis*. At, re manente dubia, authentica decisio desideratur.

[2] Confessio sufficit a die 30. Julii facta: ita Leo XIII. d. 14. Jul. 1894; Racc. p. 557.

sitent, i. e. quoties in eam ingrediantur, ut parumper orent: cf. etiam decr. S. C. I. 22. Febr. 1847 (8. Julii 1850): neque requiritur inter diversas visitationes notabile spatium, sufficit egredi, et iterum ingredi ecclesiam, ut ipsa S. I. C. declaravit. — Pro ipsa ecclesia Sanctae Mariae Angelorum Innoc. XII. 18. Aug. 1695 concessit, ut *singulis diebus* idque sine Communione eo modo lucrari possint fideles indulgentiam, quo die 2. Aug. (v. Craisson n. 4618).

Quae indulgentia visitationi ecclesiae ut soli causae annexa id singulare omnino habet, quod fideles eam toties quoties lucrari possint: atque pro ea decretum Innoc. XI. hîc in nota praecedenti allatum non valere, expresse declarat Raccolta pag. XIX. Est igitur ampla facultas succurrendi defunctis.

5. Rosaria. — Inter varia rosaria indulgentiis ditata eminent: 563

1) *Rosarium consuetum* quinque aut quindecim decadum, quod a Patribus O. Pr., vel ab iis, qui eandem facultatem acceperunt, benedicitur et indulgentiis afficitur: benedictionis *formula peculiaris requiritur*, ut indulgentiae valeant. Praecipuae indulgentiae sunt:

a) pro recitantibus quindecim aut quinque decades 100 dierum indulgentia pro qualibet oratione Dominica et salutatione angelica;

b) recitantibus per integrum annum quotidie, sub consuetis conditionibus plenaria indulgentia semel aliquo die;

c) *sociis sodalitii Sanctissimi Rosarii* in multis festis per annum plenaria indulgentia conceditur, imo pro qualibet rosarii recitatione ingentes indulgentiarum copiae dantur, quas descriptas habes in Leikes *Rosa aurea;*

d) in recitatione rosarii pro capacitate recitantis requiritur, ut aliquo modo mysteria recolat. V. Rescr. auth. n. 51. 373; Decr. auth. n. 92. 273. 373.

2) *Rosarium S. Birgittae,* quod sex decadibus constat, quarum singulae continent *1 Pater, 10 Ave, 1 Credo;* in fine totius coronae adduntur *1 Pater et 3 Ave:* quo compleantur 63 *Ave* in honorem 63 annorum, per quos fertur Beata Maria Virgo in his terris degisse, et 7 *Pater* in honorem 7 dolorum et gaudiorum ejusdem B. M. V. — Benedictio reservatur per se ordini Sanctissimi Salvatoris.

Verum saepe conceditur per S. Sedem facultas applicandi rosariis indulgentias a S. Birgitta nuncupatas: quod, ut declaratum est, sic omnino intelligi debet, ut non sit facultas illa rosaria peculiaris formae benedicendi et indulgentiis ditanti, sed consuetis rosariis S. Dominici quinque aut quindecim decadum indulgentias Birgittinas applicandi: neque requiritur specialis formula benedictionis. Decr. auth. n. 268. 271. 281.

Praecipuae indulgentiae sunt: a) Qui coronam 6 decadum recitat (etiamsi ipsum rosarium grana quinque tantum decadum habet), acquirit pro qualibet oratione Dominica, salutatione angelica, symbolo apostolico, quod occurrit, 100 dierum indulgentias.

b) Non requiritur meditatio mysteriorum.

c) In articulo mortis sub consuetis conditionibus plenaria indulgentia conceditur iis, qui consueverunt saltem semel in hebdomada ejusmodi coronam recitare: v. Decr. auth. n. 273, Rescr. auth. n. 19 et 20 et ibid. Sumar. 3.

3) *Rosarium septem dolorum,* quod ordini Servitarum est proprium, constat ad recolendos septem dolores B. V. septem partibus, quarum quaelibet orationem Dominicam et septies salutationem angelicam comprehendit, quibus in fine tres aliae salut. angel. adduntur in honorem lacrimarum Beatae Mariae Virginis. Qui haec rosaria benedicendi et indulgentiis ditandi facultatem habet, etiam ad valorem adhibere debet *specialem benedicendi formulam.*

Indulgentiae annexae sunt quam plurimae; a) 100 dierum indulgentia pro qualibet oratione Dominica et salutatione angelica, ubicunque et quocunque die rosarium recitatur a vere contritis et confessis, vel cum proposito confitendi;

b) 200 dierum pro quolibet grano, si ita recitetur rosarium in ecclesiis Servitarum;

c) item 200 dierum in quolibet loco, si ita recitatur rosarium feriis sextis, aut in praecipuis solemnitatibus septem dolorum cum suis octavis, aut quolibet die quadragesimae;

insuper: d) centum annorum, si recitatur rosarium praevia contritione et confessione, aut saltem firmo confitendi proposito;

e) 200 ann., si recitatur *post conscientiam exacte discussam et confessionem institutam* et insuper preces funduntur ad consuetam intentionem S. Pontificis;

f) indulgentia 150 annorum pro iis, qui, vere poenitentes et confessi, eam recitant, feriis II, IV, VI et omnibus festis de praecepto; v. Rescr. auth. Summar. 80 append. sc. pag. 650.

564 6. Benedictio Papalis pro mortis articulo.

1) Facultatem moribundis benedictionem Apostolicam dandi cum plenaria indulgentia quam plurimis sacerdotibus, aut Ordinariis cum potestate eam suis sacerdotibus subdelegandi SS. Pontifices jam a longo tempore concesserunt. Cf. Decr. auth. n. 440, Rescr. auth. n. 408.

2) Haec indulgentia sic intelligitur, ut moribundus re ipsa eam accipiat in *vero* mortis articulo, seu eo momento temporis, quo mors realiter sequitur: quando igitur sacerdos delegatus benedictionem dat, adhuc *suspensa manet* indulgentia. Hinc est, 1) cur repetitio benedictionis — utpote nullius utilitatis — non sit in eodem mortis periculo facienda: cf. Decr. auth. 9. 257. 263. 286. 300. 362; 2) cur liceat neque aegroto detrimentum ullum inferat, benedictionem dari statim post extr. unctionem, etiamsi periculum mortis *nondum sit imminens:* cf. decr. S. I. C. a Leone XIII. approb. d. 19. Dec. 1885, in quo dicitur, „hanc praxim *ex natura rei* valere".

3) Formula autem benedictionis omnino ad valorem indulgentiae requiritur, ita ut, si Viaticum, extrema unctio et Apostolica benedictio *simul* dantur, nihilominus *ter Confiteor* debeat recitari: si autem instat mors, breviore formula in ipsa instructione provisum est. Cf. Decr. auth. 286. 444.

4) Conditiones ad lucrandam hanc indulgentiam in rigore non sunt Confessio et S. Communio: quamquam necessarium est, a) ea Sacramenta, si fieri potuit, antea esse suscepta; si vero id impossibile est, sufficit, ut moribundus sit vere contritus seu in statu gratiae: imo Bened. XIV. in Constit. *„Pia mater"* videtur pro conditione injungere *conatum* eliciendi *actus* ferventissimae *caritatis et contritionis,* si pro statu moribundi possibile sit. b) Certo essentialis conditio est, *ut nomen Jesu pie invocetur,* idque etiam ore, si possibile est, alioquin saltem corde: ita expresse declaratum est 20. Sept. 1775: cf. Decr. authent. n. 237 ad 7m. c) *Certo etiam pro conditione* injungitur, *ut ipsa mors aequo ac libenti animo de manu Domini suscipiatur:* quod quo *melius* fiat, Instructio ab eodem Bened. XIV. approbata atque Rituali Rom. addita monet sacerdotem, ut „moribundum instruat atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum, quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit."

Tractatus VI.

Sacramentum Extremae Unctionis.

Cf. inter alios S. Thom. Suppl. q. 29—32, S. Alph. l. 6 n. 706—733, Gassner *Pastoral* p. 1063—1082.

Post poenitentiae sacramentum ejusque complementum, quod in 565
indulgentiis habetur, aliud quoddam complementum, idque quod sacramenti rationem habet, considerandum est, extremam unctionem dico, quae in extremo agone in hominibus fidelibus effectus poenitentiae complet atque perficit, ac fere eodem modo refertur ad poenitentiam, sicut confirmatio ad baptismum. Quum autem tota hujus sacramenti doctrina sat facilis sit, breviter ea, quae practice observanda sunt, his capitibus complectemur, acturi 1) de rationibus sacramenti intrinsecis, i. e. materiâ, formâ, effectu; 2) de rationibus extrinsecis, ministro scil. et subjecto eorumque obligationibus.

Caput I.

De Extremae Unctionis rationibus intrinsecis.

Sacramentum quodlibet est signum gratiae efficax. Quare ut cujuslibet sacramenti ratio recte intelligatur, declaretur oportet *cujusnam gratiae* sit efficiens, et *quale signum externum* (materia et forma) sit necessarium.

§ 1.

De gratiis per Extr. Unctionem conferendis seu de Extr. Unctionis effectu.

I. Extremam unctionem esse verum sacramentum, solemniter definitum est a Concilio Trid. sess. 14 can. 1 *de extr. unctione:* „Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.“

II. Extrema unctio per se et primaria sua institutione est sacramentum vivorum, quod supponit, hominem fidelem peccatorum mortalium remissionem jam accepisse: id ex constanti doctrina Ecclesiae colligitur, atque ex perpetua illius praxi, qua extremam unctionem post absolutionem sacramentalem, imo etiam post S. Viaticum dare consuevit.

III. Gratia specialis hujus sacramenti, quae ut in omnibus sacramentis in gratia sanctificante collata vel aucta fundatur, est jus specialis divini auxilii, quo aegrotus spiritualiter sublevetur atque confortetur, scil. ad sustinendos insultus atque tentationes diaboli easque

vincendas; ad ferendaque cum patientia et merito morbi incommoda et dolores, imo ad ea auferenda sanitatemque restituendam, si ad salutem aegroti expedierit.

Breviter et clare haec ex Jac. 5, 15 Synodus Trid. l. c. cap. II. exponit.

IV. Ex secundaria sua institutione (non solum per accidens) hoc sacramentum id habet, ut etiam peccata mortalia deleat, si aegrotus inculpabiliter in statu peccati manserit, modo veram attritionem de peccatis commissis elicuerit. Haec sententia contra paucos scriptores *pro certa* statuenda est ex S. Thom. Suppl. q. 30 a. 1, S. Alph. l. 6 n. 731, Suar. *de extr. unct.* disp. 41 sect. 1 n. 19, innumeris aliis, qui „id clare colligi ex verbis S. Jacobi et ex Trid." jure dicunt: cf. n. 568.

566 **Uberior explicatio.** Ad I. **De veritate sacramenti.** Praeter Concilii decreta ad eam probandam et omnium ecclesiarum etiam ab unitate Romanae Ecclesiae separatarum liturgiae et effata SS. Patrum praesto sunt: quae videre est in scriptoribus dogmaticis. Sed vix ullum sacramentum clarius ex ipsa Sacra Scriptura probatur, quam extrema unctio. Nam verba S. Jacobi: „Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei", et signum sensibile, unctionem aegroti cum oratione sacerdotis, et efficaciam gratiae, in remissione peccatorum necessario contentam, plenissime ostendunt.

Ad II. **Ex se est sacram. vivorum.** Extremam unctionem ex sese id postulare, ut aegrotus Deo jam reconciliatus sit, 1) innuitur etiam ex ipsis verbis S. Jacobi, quae conditionate tantum proferuntur: „*si* in peccatis sit"; cf. Trid. l. c. c. 2: „*si qua* (delicta) sint adhuc expianda"; 2) id certissime sequitur ex doctrina de necessitate sacramenti poenitentiae, quod secundum fidem catholicam *medium salutis necessarium* aut re aut voto suscipiendum dicitur omnibus, qui post baptismum graviter lapsi sunt. At si aliud sacramentum per se primaria sua institutione peccata gravia deleret, illa Ecclesiae definitio falsa evaderet. Quapropter *ante* extremam unctionem aut confessio aut perfecta contritio per se fiat oportet a quolibet, qui gravis peccati reus sit. Cf. Suarez l. c.

567 Ad III. **De E. U. effectibus.** 1. Specialis gratia hujus sacramenti quaenam sit, tum ex positiva et expressa sacrorum fidei fontium doctrina, tum ex fine institutionis et ipsis formae sacramentalis verbis colligitur. Dicitur vero communiter alleviatio spiritualis, vel reliquiarum peccati abstersio. Utrumvis idem significat, sed quadam explicatione indiget:

Verba formae „*indulgeat* tibi Dominus, *quidquid* deliquisti", non solum culpae remissionem significant, sed plenissimam indulgentis Dei misericordiam, qua auferat, quidquid per peccatum contra hominis salutem obstaculi seu periculi ortum fuerit.

Idem dicitur, si effertur „*abstersio reliquiarum peccati*".

Reliquiae autem peccati praeter certam et definitam poenam temporalem post culpae remissionem adhuc residuam — quae non totaliter aufertur — potissimum sunt 1) justa quaedam abundantioris auxilii

divini denegatio, 2) quaedam diaboli servitus atque sub ejus tentationes atque assultus subjectio, 3) spei et fiduciae salutem assequendi per timorem depressio quaedam atque detentio.

Porro sacramentum extremae unctionis 1) conciliat abundantiora gratiae auxilia; 2) diaboli vim frangit, sive ejus tentationibus Dei imperio remotis, sive hominis tentati viribus auctis, ita ut facile victor evadere possit; 3) timorem pellit atque firmam spem fiduciamque adauget.

Quibus fit, ut mentis serenitas animique gaudium in locum timoris atque tristitiae succedat, atque aegrotus vere sublevetur.

2. Sanitatem ipsam vi hujus sacramenti, si ita expedierit, aegroto restitui, docet Trid. l. c.; neque raro experientia id comprobat. Ille autem effectus non sic intelligendus est, ut Deus propter sacramentum apertum miraculum patret, sed solum ita, ut speciali providentiâ naturalia remedia dirigat atque juvet. Quare, ut recte theologi monent (cf. Bellarmin *de arte bene moriendi* l. 2 cap. 8), ii se ipsos hoc effectu privant, qui sacramenti extremae unctionis susceptionem tamdiu differant, dum sine miraculo sanitati restitui non possint.

3. Peccata venialia etiam quoad culpam ex ipsa hujus sacramenti institutione ejusque fine remitti, facile omnes concedunt: atque idem dici debet de poenis temporalibus post remissam culpam residuis; quas non omnes quidem, sed partem saltem pro minore melioreve dispositione aufert. Omnia haec optime explicat Suarez l. c. n. 14 sqq. Sacramentum enim illud institutum est, ut juvet peculiari modo hominem moribundum, eique omnia ea conciliet, quibus tunc temporis egeat.

Quae quodammodo complecti possumus uno verbo, *disponi animam et praeparari proxime ad introitum gloriae,* gratiam finalis perseverantiae (quamquam hanc non infallibiliter) conciliando, obstacula gloriae removendo.

Ad IV. **E. U. secundarie sacrament. mortuorum.** Non ad sola venialia 568
peccata, aut peccatorum poenas solvendas effectus extremae unctionis restringi, sed ipsa mortalia peccata deleri posse, magis declarabo. Id enim non fit tantum eo modo, quo alia sacramenta vivorum, praecipue SS. Eucharistia, id aliquando efficere dicuntur. Illa enim hunc effectum habere, *pia conjectura,* ut recte ait Suarez, colligitur; hoc vero sacramentum eum effectum producere, *satis certe* ex textu S. Jacobi atque ex doctrina Tridentini Concilii elucet. Quare iis omnibus fidelibus, qui, utpote sensibus destituti, per se vel alios desiderium absolutionis recipiendae sacerdoti manifestare non potuerint, extrema unctio longe securius remedium est, quo peccatorum remissionem consequantur, quam absolutio vel Viaticum. Dummodo enim *interna* attritio adfuerit, extrema unctio aegrotum justificabit; absolutionem vero id facere, ad summum probabile est, sed minime certum, eo quod non certo constat de accusatione, quae tamen est essentialis; neque plus quam probabile est, Eucharistiam hunc fructum ferre, quia ex sua institutione solummodo est sacramentum vivorum. Cf. etiam Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 8 c. 6 n. 5 et c. 7 n. 3, et hoc vol. n. 512 sq.

Imo in iis haereticis baptizatis, quos in bona fide versari sumi potest, *fortasse* remedium reconciliationis erit, applicabile utique tantum, si sen-

sibus destituti fuerint, atque si externae sint conditiones ejusmodi, ut sine majoris mali periculo haec adjumenta adhiberi valeant: quamquam etiam quoad hoc remedium satis dubium est, num in piis illorum hominum actibus, qui praecesserint, sufficiens intentio contineatur.

§ 2.

De materia et forma.

569 I. Ut sacramentum extremae unctionis certo valeat, materia remota debet esse 1) oleum olivarum, 2) ab Episcopo aut a sacerdote a S. Pontifice delegato benedictum, 3) idque speciali benedictione olei infirmorum.

II. Materia proxima, ut certo valida sit, debet esse unctio singulorum quinque sensuum, ita ut singulae unctiones, sive ab eodem sive a diversis sacerdotibus fiunt, moraliter uniantur.

III. Singulis unctionibus, ut omnis dubitandi possibilitas absit, singulae formae correspondere debent, eaeque essentialiter integrae.

IV. Forma autem haec est: Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum . . . deliquisti. Amen.

V. Ad liceitatem requiritur: 1) ut sacrum oleum sit ejusdem anni, 2) ut per se gemina fiat in singulis sensibus unctio [1] (excepto ore seu labiis), 3) eaque per modum crucis, 4) ut, excepta dispensatione Sedis Apostolicae, addatur unctio pedum, vel etiam pro tempore et personis unctio renum; 5) ut excepto casu necessitatis aliae preces in Rituali notatae recitentur, adhibeantur vestes sacrae atque lumen.

570 **Uberior explicatio.** Ad I. notanda sunt: 1. Oleum olivarum requiri certum est: v. Conc. Florent.

2. Benedictionem episcopalem per se requiri, etiam extra dubium est, ita ut ne in summa quidem necessitate sacerdos oleo a se benedicto uti possit, nisi a Sancta Sede hanc potestatem acceperit. Quod plane constat ex duplici decreto S. Inquis. a Summis Pontificibus Paulo V. et Gregorio XVI. confirmato: vide Denzinger *Enchir.* n. 1494 et 1495, sc. 14. Sept. 1842: „. . . an in casu necessitatis parochus ad validitatem sacramenti extremae unctionis uti possit oleo a se benedicto? R. Negative ad formam decreti fer. V. diei 13. Jan. 1611, vid. ‚quod sacramentum extremae unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit', propositionem esse *temerariam et errori proximam.*" — Imo Scavini exhibet interrogationem, quae expresse fiebat pro „casu extremae necessitatis, quum moribundus sensibus destitutus nullum doloris signum ante dedit, neque praebet". R. semper negative; etiam sess. 12. Jan. 1850 coram Pio IX.: Scav. vol. III. n. 585 (ed. 10).

3. Summum Pontificem vero simplici sacerdoti hanc consecrandi olei facultatem dare *posse*, extra omne dubium est, tum quia sic fert consuetudo orientalis ecclesiae, ut sacerdotes ipsi in hujus sacramenti admini-

---

[1] Ad odoratum gemina unctio in naribus, i. e. in partibus *lateralibus* fiat; cujus rei etiam practica ratio est, ne, si fiat in superiore parte, sternutatio excitetur.

stratione oleum benedicant, tum quia Summi Pontifices Clem. VIII. et Ben. XIV. hanc facultatem etiam graeco-italis sacerdotibus concesserunt; cf. *de syn. dioec.* l. 8 c. 1.

4. Alia olea ab Episcopo consecrata, ut catechumenorum oleum aut chrisma, sunt materia *dubia:* quare in necessitate uti iis licet vel oportet sub conditione. Ceterum si oleum infirmorum praevidetur defecturum esse, licebit oleum olivarum non benedictum in minore semper quantitate admiscere, idque, si opus sit, deinceps pluries, neque tum dubitari potest de materiae valore: v. Rituale Romanum, *Rub. de extrema unctione* fere ab initio.

Ad II. et III. 1. **Unctiones** posse valide a pluribus sacerdotibus fieri, 571
comprobat usus orientalis ecclesiae: in latina tamen licebit tantum occurrente necessitate mortis adeo instantis, ut periculum sit, ne aegrotus ante omnes unctiones ab uno sacerdote faciendas decedat; alias grave peccatum esset. S. Alph. n. 724. Quare si sacerdos in ungendo aegroto deficiat, alter, si statim adsit, unctiones *peractas* non debet iterare, sed residuas explere. — Post notabile vero temporis intervallum — S. Alph. dicit circiter horae quadrantis — quum dubia sit necessaria unio, sub conditione omnes unctiones ab initio resumendae sunt.

In singulis autem unctionibus debere et unctionem fieri et respondentem formam pronuntiari ab *eodem* ministro, vix necesse est commemorari.

2. Quum probabile sit, quinque sensuum unctionem easque singulas in singulis sensibus ad essentiam sacramenti pertinere: ii, qui sensûs alicujus usu perpetuo caruerunt, ut caeci, surdi etc. a nativitate, nihilominus in illis organis ungendi sunt, neque forma „quidquid per visum etc. deliquisti“ falsa redditur, siquidem peccata, quae ad visum referuntur, committere potuerunt, v. g. impatientiam de visûs carentia; ii vero, qui organo sensûs inungendo carent vel truncati sunt, in parte viciniore unguntur, ut, qui manibus truncatus est, ungitur in proxima parte brachii.

3. Probabile tamen omnino est, singulas unctiones sufficere ad 572
valorem, ita ut in prima unctione gratia conferatur, in sequentibus vero eatenus tantum augeatur, quatenus interim melior fiat *dispositio* suscipientis sacramentum: sed quum res dubia sit, securiora, quatenus possibile est, amplectenda sunt.

4. Probabilius etiam haec unctio unica valida est, si cum ea forma generalis singulos sensus exprimens adhibeatur. Cf. Ben. XIV. *de syn. dioeces.* l. 8 cap. 3 n. 3.

5. Vix non moraliter certo valebit unctio, si minister pronuntians generalem formam: „Per istam S. Unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per sensus: visum, auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum“, unget ad vocem ‚sensus‘ frontem, ad vocem ‚visum‘ oculum, ad vocem ‚auditum‘ aurem et sic porro singulos sensus. Quam formulam in instanti periculo adhibere summopere suadendum est, atque ita quidem, ut forma prolata jam sensum quendam completum habeat ante singulorum sensuum expressionem (probabile enim est dictis verbis „deliquisti per sensus“

factaque unctione in fronte tamquam in summa omnium sensuum sede, sacramentum jam valere; multo etiam probabilius, postquam celeriter modo explicato singuli sensus uncti fuerint). Inclinandum tamen est, saltem si aegrotus alia sacramenta secure suscipere non potuit, in repetitionem conditionatam unctionum singularum sub suis formis particularibus. Nam licet internam rationem nullitatis sacramenti vix ullam videam, extrinsecus accita auctoritas aliquorum theologorum, qui de valore talis modi *dubitanter* loquuntur, ratio sufficiens est, cur sacramentum, quod adeo necessarium esse possit, conditionate repetatur. (Subdubitant enim de valore Reuter, Gury, Mazzotta, Lacroix, Coninck, Suarez.) — At si alterutrum eligendum est, aut aliquos unctione singulorum sensuum singillatim facta munire, ita ut alii praevideantur nullatenus juvari posse, aut omnes modo mox proposito juvare, videtur ultimum praeferendum esse: excipe, si forte unus alterve in summa necessitate versatur, reliqui non item; alias enim melius videtur esse omnibus medio vix non moraliter certo subvenire, quam, aliis derelictis, pauciores remedio paululum tantum securiore juvare.

573 Ad IV. **Forma** 1. in hoc sacramento per modum deprecationis enuntiari debet: quod colligitur ex verbis S. Jacobi supra allatis. Eo vero impediri non videtur, quominus verba sensum assertorium prae se ferentia valere possint, quum *intentione* Deum precandi enuntiari queant, atque haec Deum precandi intentio ex ipsa actionis natura sese videatur manifestare. Bened. XIV. *de syn. dioeces.* l. 8 cap. 2.

2. Ad essentiam formae pertinent verba: 1) „per istam unctionem“, 2) „indulgeat tibi Dominus“, 3) „quidquid deliquisti“, 4) expressio sensûs eaque probabiliter singulatim facta. — De verbis illis „per suam piissimam misericordiam“ aliqui auctores etiam ita loquuntur, ut eorum omissionem pro essentiali aliquo defectu habere videantur (S. Alph. 711 dub. 2): quare, etsi ratio eorum gravis non est, eo quod verbum „*indulgeat* tibi Dominus“ misericordiae divinae intervenientis necessitatem satis exprimere videtur, nihilominus tutiora sequenda sunt. Conveniunt vero omnes, horum verborum voluntariam omissionem peccatum grave esse.

NB. Ex iis, quae de valore certo, probabili, dubio dicta sunt, facile quivis colliget, quandonam propter defectum in unctione sive culpabiliter sive inculpabiliter commissum, repetitio conditionata sive omnium unctionum, sive alicujus unctionis facienda sit.

574 Ad V. 1. Culpabilis omissio renovationis sacri olei censetur grave peccatum: v. S. Alph. n. 708.

2. Idem dicendum videtur de neglecta unctione alterutrius ex partibus geminis, nisi excuset aut instans mortis periculum aut nimia difficultas *vertendi* infirmum et attingendi *geminas* partes.

3. Inversionem ordinis in unctione singulorum sensuum praescripti S. Alph. l. c. habet pro *gravi peccato;* attamen Suarez, qui citatur, disp. 40 sect. 2 dicit tantum, ordinem negligi „sine *aliquo* peccato non posse“, quod indubie peccatum tantum veniale significat.

4. In unctione renum pro viris, imo etiam simpliciter in unctione *pedum,* quae certo de essentia sacramenti non est, servandam esse consuetudinem ecclesiarum, S. Alphus approbans commemorat l. c.; vide etiam Reuter p. 4 n. 430, Del Vecchio t. II. n. 781: quare earum omissio ex quadam rationabili causa etiam praeter consuetudinem facta videtur aut nullum, aut leve peccatum esse. S. R. C. tamen optavit, ut tales consuetudines sensim emendarentur: in *Utraj.* 14. Aug. 1858; Gard. n. 5271.

5. Preces in Rituali praescriptae nisi necessitas urget, tum post tum ante unctionem sub gravi obligant, attamen ex parvitate materiae fit peccatum veniale, ut si ex tribus orationibus una solum omittatur: litaniae vero atque psalmi poenitentiales non praescribuntur, sed commendantur.

6. Extra necessitatem omnem vestem sacram omittere etiam pro gravi habetur; luminis autem omissio pro levi materia reputatur, sicut etiam omissio ministri, cujus vices ipse sacerdos etiam supplere potest, si minister difficulter habebitur. Cf. Del Vecchio t. II. n. 785.

7. Antiquitus extrema unctio ante Sacrum Viaticum administrabatur; nunc vero quum praxis et ordinatio Ritualis contraria sit, sine rationabili causa id non est faciendum: sed ordinis mutatio per se gravis deordinatio non est. Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 8 c. 8 n. 2.

Caput II.

De causis externis Sacramenti Extremae Unctionis.

§ 1.

De Ministro et Subjecto Unctionis.

I. Minister valoris est quilibet sacerdos; licitae administrationis 575
minister, excepto casu urgentis necessitatis, solus parochus est aut alius sacerdos ex ejus *licentia.*

II. Subjectum E. U. est quivis homo baptizatus, capax peccati, periculose aegrotans, quem non constet velle decedere in statu peccati: idque quoties in novo mortis periculo constituitur.

III. Obligatio E. U. suscipiendae per se *gravis* non est, per accidens gravis evadere potest, sive propter spirituale aegroti periculum, sive propter sacramenti contemptum, scandalumve aliorum: dispositio subjecti illa esse debet, ut exsistat status gratiae prudenter existimatus, vel potius ea peccati gravis, si commissum est, revocatio, quae *putetur* saltem reconciliationem cum Deo perfecisse, atque ad minimum *re ipsa* talis sit, ut cum sacramento peccati remissionem operetur.

IV. Obligatio administrandi hoc sacramentum, imo etiam curandi, ut administretur, in iis, qui spiritualem aegroti curam habere debent, facilius gravis est, quam suscipiendi obligatio pro ipso aegroto.

Uberior explicatio. Ad I. **De ministro.** Jus exclusivum parochi quoad extremae unctionis collationem extra casum necessitatis, sive ejus, qui parochi loco est, tam severe protegitur ab Ecclesia, ut in *regulares,* qui sine ejus vel Episcopi licentia hoc sacramentum administrent, excommunicatio lata sit: vide infra *de censuris.*

Et quamquam id, quod antea in illa lege cavebatur, ne sine *expressa* licentia unctionem conferrent, nunc suppressum est, et tantum dicitur „sine parochi licentia“, tamen difficulter admodum praesumpta facultate uti licebit, maxime regularibus.

576 Ad II. **De subjecto.** 1. Ut extrema unctio valide, atque ita etiam, ut licite conferri possit, requiritur periculum mortis, non extrinsecus, sed intrinsecus impendens, i. e. ex afflicta valetudine sive ex periculoso morbo, sive ex vulnere, sive ex solo senio.

Sufficit et requiritur *probabile periculum*, ne brevi vita finiatur: nullatenus requiritur, ut mors jam immineat, aut ut *instantis* mortis periculum adsit. Ergo sufficit morbus gravis seu periculosus, qui vitam brevi finire possit, aut morbi ex natura sua diuturni (ut phthisis) ille status, in quo juste timeri possit, ne vita brevi finiatur; senectutis talis conditio, ut vires in dies deficere videantur. S. Alph. n. 714.

Quapropter quum primum tale probabile periculum exsistit, multo magis, quando certum est, sacramentum conferri potest, vel potius debet, ne aegrotus tantis gratiis propter dilationem privetur. — Sed antequam tale periculum probabile exsistat, extrema unctio dari nequit. Ergo dari nequit: a) in proelium profecturis, b) *ante* operationem chirurgicam periculosam, nisi jam aliunde valetudo periculose affecta sit, c) capitis damnatis etc.

2. Dari potest et debet extrema unctio iis, qui modo usum rationis attigerint, aut unquam habuerint, ita ut peccatum actuale committere potuerint. Igitur deneganda non est: 1) amentibus et delirantibus, qui unquam antea rationis usum habuerint — praecavenda tamen omnino est *irreverentia*, quae communiter caveri potest, etsi forte aegrotus propter furorem ligari debeat —: 2) pueris, modo rationis aetatem attigerint, quamquam antea neque confessi sunt neque S. Eucharistia donati — quae Sacramenta, quantum fieri potest, tum quidem omnino danda etiam sunt —: imo extremam unctionem in dubio usu rationis dandam sub conditione esse, auctor est S. Alph. cum aliis multis n. 719, eaque obligatio gravissima est, quando per absolutionem non ita secure subveniri potest pueri saluti, si forte peccaverit; 3) modo baptizatis, etsi post baptismum peccatum nullum commiserunt; sufficit enim ante baptismum peccasse vel peccare posse, siquidem non omnes peccatorum „reliquiae“ seu *effectus* per baptismum auferuntur, v. g. non auferuntur malae inclinationes, neque subjectio sub diaboli infestationes et tentationes: ex quibus periculum spirituale, contra quod muniendus sit, aegroto impendet: v. Alph. l. c. et Reuter p. 4 n. 434 etc.

577 3. Quoad judicium de dispositione subjecti ferendum id notari debet, etsi, quantum fieri possit, dispositio necessaria et status gratiae certissime procurandus sit: nihilominus quando plus haberi nequeat, sufficere, ut non constet de indispositione, quia in extremo periculo omnia tentanda sunt. Neque adjici debet conditio „si dispositus es“; extrema unctio enim *absolute* conferri debet, si homo capax est unctionis sacramenti *valide recipiendi*, sub conditione tum tantum, quando dubium est, num *valide* recipere possit.

Quare excludi non debent ab extrema unctione: 1) sensibus destituti, qui parum christiane vixerunt, 2) neque qui in ipso actu peccati, signo poenitentiae non manifestato, sensibus destituuntur: quibus quamquam S. Eucharistia danda non est, tamen cum conditionata absolutione extrema unctio omnino concedenda est. Nam si forte internum actum attritionis miser peccator habuit, longe tutius, imo *certo* ejus salus procurabitur per unctionem, per absolutionem valde dubie. Cf. Mazz. *de extr. unctione* cap. 3 *Quaeres* 2.

4. Iterare potest resp. debet extrema unctio: 1) si post recuperatam sanitatem homo postea iterum aegrotat; 2) in morbo diuturno, si periculum mortis evanuit et post notabile tempus denuo periculum mortis instare videtur. Sufficit, ut mortis periculum propinquum *probabiliter* cessaverit, et iterum inducatur, modo intervallum satis diuturnum, ut unius mensis, intercesserit. — Ita in phthisi, hydropi aliisque morbis tenendum est, ex quibus saepius mortis periculum imminere probabiliter videri potest, imo etiam re ipsa adesse, postea tamen satis iterum remotum exsistere. S. Alph. n. 715 cum Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 8 c. 8 n. 4 haec habet: „Unde adverte, quod in morbo diuturno, si infirmus post unctionem certe mansit in eodem mortis periculo, non poterit rursus ungi. Secus vero, si dubitetur . . . nempe quando probabile est (positive) infirmum jam exiisse a periculo mortis.“ Tunc enim dicit Ben. XIV. expedire ad sacramenti iterationem *propendere,* eo quod haec sit uniformior veteri Ecclesiae consuetudini, et per eam novum spirituale subsidium infirmo obveniat. — Quapropter saepius accidere potest, ut *liceat* iterum conferre sacram unctionem, *obligatio* vero iterandi non adsit.

Ad III. **Obligatio E. U. suscipiendae.** 1. Longe communior sententia cum 578
S. Thoma in IV. dist. 23 q. 1 a. 1 q. 3 sol. 3 et S. Alph. n. 733 negat, per se exsistere obligationem *gravem* suscipiendi hoc sacramentum: esse tamen, si suscipi possit, ejus neglectum peccatum veniale, eo quod homo sine causa sese privet subsidio a Christo Domino specialiter instituto contra spiritualem necessitatem tum temporis maxime urgentem.

Grave igitur peccatum ab infirmo committi, ex sola ipsius necessitate vix unquam concludi potest. Nam si propria voluntate postulare potest hoc sacramentum, etiam alia sacramenta vel remedia adhibere *potest,* quae strictam *necessitatem* sublevent. Si vero extrema unctio propter extremam necessitatem necessaria est (sc. homini sensibus destituto), ipse certe per ejus neglectum peccare jam non potest. At *scandalum aliorum,* qui ex neglecto hoc sacramento propter peculiares circumstantias male de infirmo ejusque recta fide sentire debeant, aut contemptus sacramenti, quem modus, quo infirmus illud recuset, prae se ferat, ratio aliquando esse potest, cur grave peccatum ab infirmo committatur.

2. Ceterum pro variarum regionum atque incolarum indole curandum est parocho, ut stultas quasdam et superstitiosas opiniones eliminet, quae aliquando rudium mentibus inhaerent, quasi post susceptam extremam unctionem de vita conclamatum sit, vel recuperata sanitate nudis pedibus pavimentum attingere non liceat, vel saltare propter pedum unctionem susceptam grave peccatum evadat, et similia.

3. Supra dictum est, pro dispositione ex parte infirmi *per se* habenda requiri et sufficere statum gratiae prudenter existimatum, sive per sacramen-

talem absolutionem sive per contritionem perfectam: semper tamen, ut status gratiae infirmo tamquam effectus sacramenti secundarius restitui *possit*, requiri absoluta necessitate, ut re ipsa saltem verus actus attritionis adfuerit.

Verum practice dici debet, aegrotum, qui in statu peccati versetur et confiteri possit, confiteri peccata sua antea omnino debere; quia haec confitendi obligatio, si unquam, in mortis periculo *per se* urget ex divino praecepto; aegrotum, qui confiteri non possit, absolvendum sive absolute sive conditionate antea esse.

579 Ad IV. **Obligatio E. U. administrandae.** Legenti fortasse mirum videbitur, cur graviorem culpam ejus esse statuamus, qui omiserit hoc sacramentum administrare aegroto vel administrandum curare, quam ipsius aegroti, qui voluntarie omittat recipere. Quodsi eos respicimus, qui solo *communis* caritatis praecepto erga aegrotum tenentur, recte gravior culpa *negatur*, imo levior est ceteris paribus eorum culpa, nisi forte aegrotus, ut ungatur, petiit.

At si ad eos advertimus, qui titulo *officii* vel specialis pietatis (ut domestici proximeque cognati) curam aegroti habent: longe alia ratio est. Illi enim non expressam solum infirmi voluntatem respicere debent, sed etiam ejus voluntatem interpretativam, etsi formalis voluntas contraria *videatur;* imo ut tantum spirituale bonum atque fortasse tantopere necessarium libenter admittat ipse aegrotus, eum impellere atque movere debent. Nam grave nocumentum, vel privationem magni boni, qua ego me sine gravi peccato afficere possim, alter, cujus munus sit, illud providere, mihi negligentia sua inferre sine gravi peccato nequit. Quare:

1) parochus graviter peccat, qui aegroto petenti sacram unctionem non confert, etsi aegrotus in tanta necessitate non est: jus enim habet recipiendi; nisi forte periculum gravioris damni sit: S. Off. 23. Mart. 1656.

2) etiam graviter peccat, si prudentem diligentiam non adhibet, ut aegroti, qui sui incurii sint, tempestive admoneantur et adjuventur hoc sacramento;

3) domestici, maxime parentes, filii, conjuges graviter peccare possunt eo quod nolunt aegrotum, qui sibi illudit, ad mortis periculum sive per se ipsos sive per parochum vel medicum attentum reddere.

2. Quae S. Congregatio Conc. compluries statuit de obligatione parochi circa visitationem infirmorum, vide infra *de sacramento ordinis* c. III. art. II. § 2 n. 647.

580 Appendix. Graviter igitur peccatur praecipue ab eo:

1. qui ex incuria circa materiam vel formam sacramentum reddit dubium;
2. qui, sine necessitate, non geminas unctiones in geminis sensibus facit;
3. qui postquam oleum recenter benedictum habere potuit, vetere adhuc utitur;
4. qui preces in Rituali praescriptas notabiliter omittit extra casum necessitatis;
5. qui sine urgente necessitate sine ulla sacra veste unctionem administrat;
6. qui, quum curam aegroto debeat, non providet, ne sine extrema unctione decedat;
7. qui sciens in statu peccati extremam unctionem suscipit.

Tractatus VII.

Sacramentum Ordinis.

Cf. S. Alph. l. 6 n. 734—830, S. Thom. Suppl. q. 34—40, Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 8 cap. 9—11 et l. 12 cap. 3 et 4, Craisson *Manuale juris can.* n. 1666—2053.

Sacramenta illa, de quibus hucusque egimus, singulorum hominum 581
sive fidelium necessitatem atque utilitatem respiciunt: priora tria utilitatem atque perfectionem per se intentam, posteriora duo, poenitentia et extrema unctio, per accidens tantum (vid. ad necessitatem ex peccato ortam referuntur). Quapropter haec a B. Maria Virg. suscepta non sunt, utpote omni peccato carente, tria priora vero: baptismum, confirmationem, Eucharistiam B. Virgo sine dubio suscepit.

Sacramenta, quae restant, ordo et matrimonium, necessitatem communitatis seu generis humani ut talis respiciunt, non tantopere singulorum necessitatem: ordo communitatem spiritualem et supernaturalem, matrimonium societatem conjugalem.

De his jam agendum est: atque breviter quidem de ordine, fusius de matrimonio, quippe quod multis legibus ecclesiasticis circumdatum sit, quo melius ejus sanctitati provideatur.

Caput I.

De Ordinis rationibus internis.

§ 1.

De natura Ordinis, eaque sacramentali.

I. Ordinis sacramentum in Ecclesia vere exsistere, de fide cath. definita est. Inter alia v. Trid. sess. 23 can. 3: „Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, . . . A. S.“

II. Etsi non omnes, tamen *aliquos* ordines rationem sacramenti habere, ita ut sacramentum ordinis potius genericam quandam rationem, quam infimas species vel partes exprimat, certa catholica doctrina est. Id enim certissime colligitur ex variis canonibus Trid. Concilii.

III. Ordines quatuor, qui dicuntur minores, sc. ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus, sacramenti rationem non habent, quum sint ecclesiasticae institutionis[1]. Quae sententia hodie communis est, contra non paucos antiquiores scriptores, qui omnibus ordinibus etiam minoribus sacramentalem characterem vindicare studuerunt. Cf. Voit vol. II. n. 995.

---

[1] Ante ordines minores *„tonsura“* confertur, quae certo ecclesiasticae institutionis est atque initiatio quaedam ad *statum clericalem*, quo juridica distinctio fit a laicis.

582 **Uberior explicatio.** 1. Ex ordinibus majoribus subdiaconatus etiam a sacramenti ratione videtur excludi debere, quum 1) neque in S. Scriptura aut traditione divinae institutionis probationes contineantur, 2) neque in materia et forma quidquam occurrat, quod gratiae sanctificantis collationem clare innuat. Insuper apud orientales pro sacro ordine non habetur.

2. Certum autem est omnino, tum diaconatum, tum presbyteratum, tum episcopatum rationem sacramenti habere; neque hac in re ulla est apud catholicos controversia. Nam id quod in utramque partem theologi disputant, hoc solum est, utrum episcopatus characterem a sacerdotali plene distinctum conferat atque ita sacramentum a presbyteratu distinctum constituat, an *extensio* quaedam sacerdotalis characteris et sacramenti sit. Saltem potestatis extensionem, et alterum sanctificantis gratiae augmentum in episcopali ordinatione conferri, extra omne dubium et controversiam est.

583 3. Divina institutio horum trium ordinum est fide definita certa. Sess. 23 can. 6 Concilium Trid. dicit: „Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, presbyteris, et ministris, a. s.“: quibus verbis post Episcopos et presbyteros evidenter comprehenduntur saltem diaconi, seu ministri primi gradûs.

Consonat ritus, qui in eorum ordinatione observatur. Nam idem Concil. ib. can. 4 de ordinatione generatim loquens ait: „Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: ‚Accipe Spiritum Sanctum etc.‘, a. s.“ Porro in ordinatione sive Episcopi, sive presbyteri, sive diaconi, non vero in reliquorum ordinatione occurrunt verba: „Accipe Spiritum Sanctum“. Inde consequens est, ut in illorum ordinatione Spiritus Sanctus vi ipsius ritûs detur atque verae rationis sacramentum fiat.

4. Effectus igitur ordinis cum omnibus sacramentis *communis* est, ut Spiritus Sanctus detur ad propriam sanctificationem, seu quum hîc agatur de sacramento vivorum, ad augendam gratiam sanctificantem; *peculiaris* effectus, ut praeter characteris impressionem peculiaris auxilii jus quoddam acquiratur, quo ordinatus rite et sancte munera sua obire atque graves suas obligationes implere queat.

§ 2.

De diversorum Ordinum effectibus.

584 I. Ordinis definitionem si ex effectu potissimum petas, hanc merito cum S. Thoma *supplem.* q. 34 art. 2 tradere licet: „Signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas ordinato tribuitur.“ Quae definitio tum iis ordinibus, qui sacramentum non sunt, tum iis, qui sacramentum sunt, suo modo convenit. Id tamen discriminis est: Ordines, qui sacramentum sunt, *ex se* gratiae sanctificantis augmentum atque actualis gratiae auxilia ad munia ecclesiastica digne obeunda ordinato conciliant; qui vero sacramentum non sunt, similem effectum non ex opere operato, sed tantum ex impetratione Ecclesiae atque ex piis actibus ipsius ordinandi producunt.

II. In minoribus ordinibus munia quaedam ecclesiastica deputantur, quae antiquitus quidem clericis reservabantur, ex hodierno tamen usu pleraque etiam a laicis licite exercentur, videlicet:

1. *Ostiariatu* committitur officium templorum fores aperiendi et claudendi, ad officia divina datis signis christianam plebem convocandi, arcendi indignos.

2. *Lectoratu* committitur officium, ex libris sacris Veteris et Novi Testamenti assignatas lectiones publice in ecclesia legendi, atque prima fidei rudimenta rudibus explicandi.

3. *Exorcistatu* traditur potestas super energumenos manus imponendi, atque exorcismos ab Ecclesia approbatos super eos legendi daemonesque expellendi. — Attamen hodie hanc potestatem publico nomine exercendi facultas solis presbyteris, consulto quoad publicum exorcismum Episcopo, conceditur.

4. *Acolythatu* committitur officium ad Ss. Missae sacrificium luminaria deferendi, atque vinum et aquam pro sacrificio ministrandi. Acolythi igitur, quum jam propius ad altare atque Missae sacrificium accedant, ad quod potissimum ordines referuntur, supremi sunt inter initiatos minoribus ordinibus.

III. Ordines majores sive sacri sic distinguuntur: 585

5. *Subdiaconatu* committitur potestas post diaconum assistendi presbytero in sacrificio Missae et solemniter cantandi epistolam. — Officia vero subdiaconi pleniore sensu haec sunt: in sacrificio Missae aquam ad offertorium vino affundere, diacono ministrare, calicem et patenam ad Missae sacrificium diacono offerre, solemniter epistolam cantare, in aliis etiam liturgicis functionibus diacono et post eum presbytero ministrare et assistere, pallas altaris et corporalia abluere.

6. *Diaconatu* potestas confertur in Ss. Missae sacrificio aliisque sacris functionibus sacerdoti immediate ministrandi et solemniter cantandi evangelium; plenius: Potestas *ministrandi* intelligitur etiam de facultate S. Eucharistiam ministrandi et solemniter baptizandi, modo id fiat ex necessitate et commissione sacerdotis. — Potestas cantandi evangelium annexam habet facultatem *praedicandi* ex commissione Episcopi.

7. *Presbyteratu* confertur potestas in Corpus Christi verum et in corpus Christi mysticum, i. e. potestas Missam celebrandi et S. Eucharistiam consecrandi, et potestas sacramenta alia fidelibus conferendi (exceptis iis, quae episcopalem characterem requirunt). Quibus natura sua annectitur potestas benedicendi, populum instruendi doctrina christiana et concione, quamquam *sub* Episcopo.

8. *Episcopatus* autem est sacerdotii complementum et apex, quo potestas in Corpus Christi verum et corpus Christi mysticum completur.

NB. Quae autem de potestate in corpus Christi mysticum, seu fideles dicta sunt, intellige de potestate *sacramentali,* non de potestate *jurisdictionis:* haec enim non ordinatione, sed institutione seu *officii collatione* confertur.

§ 3.

De materia et forma singulorum Ordinum.

A. Praenotanda:

586 1. Quamquam, ut dictum est supra, ordines minores sacramenta non esse communis sententia est, subdiaconatum non esse, valde probabile: tamen in omnibus ordinibus de materia et forma loquimur, siquidem singuli ordines *simili* modo conferuntur. Id unum adverti debet, materiam et formam in minoribus ordinibus non sumi pro *sacramentali* materia et forma ex sese gratiae efficaci, sed de *ecclesiastico* ritu per analogiam sacramenti instituto.

2. Unde sequitur: 1) Horum ordinum materia et forma multo minus theologorum disputationi subesse potest, sed eam prorsus esse materiam et formam fateamur oportet, quam Ecclesia in Pontificali ex praescripto assignat, sive convenit cum ritu priore aetate usitato, sive non: sicut enim instituere potest illos ordines, ita eorum validam collationem determinare et immutare.

2) Valor horum ordinum dijudicandus est secundum regulam consuetam earum rerum, quae ab Ecclesiae potestate pendent, vid.: si secundum *probabilem* interpretationem ecclesiastici praescripti omnia essentialia observata sunt, ordinatio non probabiliter tantum, sed *certo* valida est. Nam a) communis regula est, non plus requiri ad actûs valorem, qui ab humana potestate pendeat, quam quod *certo* demonstretur requiri, seu id certo excludi a necessariis valoris conditionibus, quod probabiliter non requiritur; b) si quae vere probabilis praescripti interpretatio falsa forsitan sit, Ecclesia, quod ab ipsius potestate pendet, supplere omnino consuevit.

3) S. Pontifex, si vult, pro suprema sua potestate omnes defectus etiam essentiales in horum ordinum collatione forsitan exortos, sola voluntate exterius significata emendare potest, i. e. hac sua voluntate eos, quos vult, efficere potest clericos ordinum minorum. Nam omnis haec ordinatio seu consecratio consistit essentialiter in assumptione ad certum gradum ecclesiastici servitii et cultûs divini, vel in deputatione ad tale servitium a legitima auctoritate facta; modus et forma, qua id fiat, *supremo* Ecclesiae Superiori praescripta est nulla, reliquis ordinantibus utique ad valorem ea praescripta est, quam supremus Superior observari voluerit.

Neque potest hac in re ullum discrimen ostendi inter ordinationem (seu consecrationem) hominis, ut fiat clericus, et inter consecrationem vasorum, altarium etc., ut fiant sacra. Quae sola Pontificis voluntate consecrari posse, extra omnem dubitationem est; re ipsa in casu difficili S. Pontifex ejusmodi res exsecratas sola sua voluntate declarata consecratas reddidit. (Cf. Gardellini collect. decr. S. C. R. ed. 3 n. 5053, ubi S. Pontifex defectum in consecrandis altaribus *sanavit;* simile quid habes Decr. auth. S. C. I. n. 389, ubi Pius IX. sanavit benedictiones coronarum etc.)

3. Aliud omnino est de ordinibus illis, qui sacramenti rationem habent. Quare in iis — etiam in subdiaconatu, quippe quem sacramenti rationem habere, graves auctores defendant — id omne observari plane debet, quod probabiliter tantum, etiam ex ratione non adeo gravi, ad valorem sacramenti pertinere putatur, ne scilicet sacramentum nullitatis periculo subjiciatur. Ceterum pro praxi hoc discrimen non leve notari debet, vid. pro valore episcopatûs requiri quidem omnino presbyteratum valide collatum,

ad *valorem* vero presbyteratûs nullum ex inferioribus ordinibus, ne diaconatum quidem, esse necessarium.

Quibus praenotatis haec pauca observa: 587

B. Materia et forma ordinum minorum:

I. Ostiariatus confertur *traditione clavium ecclesiae,* quas successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice *dicente:* „Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur."

II. Lectoratus confertur *traditione libri lectionum,* quem Pontifex omnibus tradit manu dextera tangendum, sub *verbis:* „Accipite, et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio."

III. Exorcistatus confertur *traditione libri exorcismorum* (cujus loco tradi potest Pontificale vel Missale), quem manu dextera singuli tangunt, Pontifice *dicente:* „Accipite et commendate memoriae, et habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos."

IV. Acolythatus confertur duplici traditione: 1) *candelabri cum candela exstincta,* quod successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice *dicente:* „Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari, in nomine Domini. Amen"; 2) *urceoli vacui,* quem similiter tangere debent, Pontifice *dicente* communiter omnibus: „Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini." R. „Amen."

C. Materia et forma ordinum sacrorum: 588

I. Subdiaconatus, ut certo valide conferatur, duplici ritu partiali cum sua materia et forma perficitur:

1) Pontifex accipit et tradit omnibus *calicem vacuum cum patena* vacua superposita, quem successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice *dicente:* „Videte, cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis."

2) Pontifex accipit et tradit omnibus *librum epistolarum* (vel Missale), manu dextera ipsum simul tangentibus, *dicens:* „Accipite librum epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis: in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti." R. „Amen."

II. Diaconatus quamquam in Ecclesia orientali sola manûs impositione cum oratione confertur, in Ecclesia latina tamen, ut certo de valore constet, iterum duplex partialis ritus observari debet:

Prima partialis materia est *impositio manûs* Pontificis, forma verba concomitantia: vid. Pontifex solus manum dexteram extendens ponit super caput cuilibet ordinando, et nullus alius . . ., *dicens singulis:* „Accipe Spiritum Sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus: in nomine Domini."

Quibus subsequitur oratio, qua Pontifex manu dextera extensa, dona Spiritûs Sancti in eos deprecatur.

Secunda partialis materia et forma est traditio *libri evangeliorum* sub certis verbis; sc. Pontifex accipit et tradit omnibus librum evangeliorum, quem manu dextera tangunt, *dicens:* „Accipite potestatem legendi evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis: in nomine Domini.“ R. „Amen.“

589 III. Presbyteratus in orientali Ecclesia similiter sola manuum impositione confertur cum certis verbis et orationibus. In Ecclesia vero latina, ne dubium ullum circa valorem exsistat, *triplex ritus* cum sua materia et forma observandus est.

1) *Impositio manuum* Episcopi in singulorum caput (subsequitur similiter impositio manuum aliquorum presbyterorum, qui adsint), quam Episcopus cum presbyteris quodammodo continuat *extensione manûs* dexterae versus ordinandos, dum adhortatur ad orandum: „Oremus, fratres charissimi etc.“, et demissa manu, exorat gratiam Spiritûs Sancti.

2) *Traditio sacr. vasorum cum pane et vino* sub verbis mox citandis; nimirum „Pontifex tradit cuilibet successive calicem cum vino et aqua, et patenam superpositam cum hostia, et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos, et cuppam calicis et patenam simul tangunt, Pontifice singulis *dicente:* ‚Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo Missasque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis: in nomine Domini.‘ R. ‚Amen.‘“

3) *Impositio manuum* Episcopi sub finem Missae cum *verbis:* Accipe Spiritum Sanctum. Scil. Pontifex „imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium, dicens cuilibet: ‚Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis; et quorum retinueris, retenta sunt.‘“

IV. Episcopalis consecratio essentialiter perfici videtur illa actione, quae secundum Pontificale Rom. post litanias recitatas incipit a *manuum impositione* et *impositione libri evangeliorum* super cervices ordinandi, atque completur per *verba* „Accipe Spiritum Sanctum“ cum sequentibus precibus, quas per modum praefationis Consecrator effundit, ungendo caput consecrandi continuat et postea prosequendo finit: quae preces saltem quoad sensum substantialem ad formae essentiam propterea pertinere dicendae sunt, quia ita tantum praecedentia verba „Accipe Spiritum Sanctum“ ad verum sensum *episcopalis consecrationis* satis certe determinantur atque contrahuntur.

Ceterum paulo plura addenda sunt circa presbyteratum.

590 **Uberior expositio.** Ad III. igitur nota: 1. Valde probabile est, sola prima manuum impositione (cum subsequenti extensione) et orationibus illis, sc. admonitione illa „Oremus“ cum precibus „Exaudi etc.“ totam ordinationem presbyteralem essentialiter esse peractam: v. Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 8 c. 10.

NB. Id tamen non approbo, *impositionem manuum* sub silentio faciendam ad essentiam certo non pertinere, eo quod fiat sine forma. Nam si qua impositio manuum ad quamlibet consecrationem requiritur, videtur potius *haec impositio* quam subsequens *extensio* necessaria

esse [1]; rectius autem hanc extensionem ab impositione non distingues, sed pro impositione signo externo continuata habebis cum Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 8 cap. 10 n. 4. — Pro forma autem longe probabilius habeo orationem „Exaudi" cum sequenti „praefatione", quam praeviam illam exhortationem „Oremus". Et quamquam S. R. C. 18. Febr. 1843 *in Avenion.* (v. Acta S. Sedis vol. 3 pag. 648 not.) respondit *extensionem* manûs faciendam esse juxta Pontificale R. inter solam illam orationem „Oremus, dilectissimi", non inter orationem „Exaudi etc.": id solummodo probat, non requiri immediatam sive physicam coëxsistentiam materiae et formae, sed sufficere continuationem totius ritûs [2].

2. Probabile etiam est hanc manûs impositionem ut materiam compleri postea per formam „Accipe potestatem sacrificium offerendi etc." ad *partialem ordinationem*, qua detur potestas *consecrandi.* Ita Lugo et alii: quorum sententia melius explicat decretum Eug. IV. ad Armenos. Magis etiam probabile mihi est verba illa *„Accipe potestatem . . ."* constituere formam *posse*, si quo vitio praevii ritus ordinatio valida nondum effecta sit.

3. Secundum hanc Lugonis sententiam traditio calicis et patenae solummodo eatenus requiritur, quatenus signo aliquo externo resumatur materia antea posita, i. e. manuum extensio, et visibiliter conjungatur cum *forma* sacramenti, ita ut traditio instrumentorum recte vocari possit materia *accidentalis.* Quamquam alii hanc ipsam instrumentorum traditionem et tactum pro *essentiali* habent. Quidquid igitur est, hic ritus majoris securitatis causa deesse nullo modo debet, quatenus a Pontificali praescribitur.

4. Qui autem sive per solam instrumentorum traditionem, sive per eam traditionem ut conjunctam cum priore manuum impositione partialem sacerdotis consecrationem perfici putant, necessario addunt pro altera partiali consecratione illam ultimam manuum impositionem in fine Missae cum verbis: „Accipe Spiritum Sanctum etc."

5. Practice igitur plus minusve dubia est ordinatio presbyteri: 591

a) si omissa sit illa prima manuum impositio vel extensio, imo tunc valor plane improbabilis est;

b) si substantialiter vitiata sit vel oratio „Oremus, dilectissimi", vel oratio subsequens „Exaudi" cum „praefatione", quae post unctionem manuum tandem protrahitur, vel verba postea proferenda: „Accipe potestatem etc.";

---

[1] Practice *utraque* necessaria est: S. Off. 6 Jul. 1898 et 19 Jul. 1899 (*Anal. eccl.* VI, 337; VII, 340) jussit conditionatam repetitionem propter omissam manus extensionem vel ejus dubium, et 28. Jan. 1898 repetitionem diaconatus propter caput non physice tactum in imponenda manu (*ib.* VI, 56). Quoad ordinationem vero presbyteri, in qua prima illa manus impositio sub silentio peragenda facta quidem erat, sed sine tactu physico capitis ejus, qui ordinandus erat, S. Offic. d. 4 Julii 1900 approbante Leone XIII decrevit: „ordinationem esse iterandam ex integro et secreto, quocumque die": *ib.* VIII, 339. — Verum *physicus* tactus adesse potest, etsi non nudae sint manus ordinantis vel caput ordinandi: *ib.* V, 144.

[2] De quo nunc habes clarum decretum S. Officii fer. IV d. 30 Nov. 1898: „Si post tactum physicum capitis ordinandorum Episcopus manum extensam habuerit super ordinandos, saltem immediate ante recitationem *Oremus* etc., ordinationem esse certo validam, ut in decr. S. Officii fer. IV 12 Sept. 1877. Si autem nequidem immediate ante recitationem *Oremus* etc. manus extensio facta fuerit, ordinationem esse iterandam secreto et sub conditione, quocumque die, facto verbo cum SS°, ut etiam suppleat ad cautelam de thesauro Ecclesiae pro Missis usque adhuc celebratis." Quod Leo XIII d. 2 Dec. approbavit (*Anal. eccl.* VII, 60). — Eodem principio innixi PP. S^{i}. Off. idem responderunt ei, qui instrumenta tetigerat quidem, sed antequam formula proferretur, ipso illo momento frustra ea tangere conatus erat: v. *ib.* V, 203.

c) si in porrectione instrumentorum verum vinum aut verus panis triticeus porrectus non sit (cf. d. d. 6 Jul. 1898 et 11 Jan. 1899: *Anal. eccl.* VI, 338; VII, 145);

d) si ordinandus neque calicis cuppam, neque patenam immediate manu sua tetigerit: nam si alterutrum tetigit, satis certa est ordinatio;

e) si ultima manuum impositio aut ejus verba omissa resp. essentialiter corrupta sint.

NB. Auctores antiquiores nonnulli in dubium vocant ordinationem, si *hostia* patenae superposita immediate tacta non sit ab ordinando: verum sine ratione. Nam 1) S. Alph. ordinationem valere dicit moraliter certum esse; 2) *practica* certitudo eruitur ex mox dicendis de tactu patenae vel calicis; 3) extra omnem dubitationem est, tactum instrumentorum, qui *certo* non est divinae institutionis, non alium nec ulteriorem requiri, quam quatenus ab Ecclesia praescribitur (imo solummodo eum, qui ab Ecclesia *certo* praescribitur): at ut legenti Pontificale patet, Ecclesia *praescribit* solum tactum cuppae calicis et patenae, non immediatum tactum hostiae, dicens: „Tradit calicem cum vino et patenam superpositam cum hostia, et ipsi (ordinandi) illam accipiunt inter indices et medios digitos etc.“ Quibus verbis manifeste assignatur non hostiae, sed patenae contactus: nam a) vox „illam“ obvio sensu grammaticali ad patenam refertur; b) modus dicendi in Pontificali analogus, quo pronomen refertur ad verbum non proximum, sed remotum, occurrit in ordinatione subdiaconi „calicem vacuum cum patena superposita, *quem* tangunt . . .“; c) in forma ordinationis presbyteralis impossibile est, vocem „illam“ ad aliud referri, nisi ad patenam, siquidem patena utique inter indices et medios digitos accipi potest, hostia minime, quae summum solis digitis indicibus potest tangi.

Immo si possimus stare iis, quae S. R. C. judicavit, rigorose sufficere tactum aut calicis aut patenae: jam inde habes, multo magis sufficere tetigisse calicem *et* patenam, non vero hostiam. Scil. (v. *Decreta S. R. C. authent.* n. 1221) in una *Galliarum* 3. Dec. 1661 ad scrupulum Fr. Ephrem, nempe se non tetigisse tactu physico calicem in sua ordinatione ad presbyteratum, respondit: „Posse continuare celebrationem SS. Sacrificii absque ullo scrupulo ac tutâ prorsus conscientiâ“. Quo ostenditur ritum illum non consideratum esse ut ex Christi institutione, sed ut ex Ecclesiae praecepto profectum.

Et quamquam S. C. C. de sola tacta patena consulta d. 28. Maji 1796 in una *Santandriensi* responsum dedit pro conditionata ordinationis repetitione, *S. Offic.* d. 8. Maji 1895 in dubio de tacto calice resp.: *„juxta exposita acquiescat“: Anal. eccl.* III, 484; similiter d. 17. Martii 1897 ei, qui exposuerat, se tetigisse patenam et hostiam, non calicem, etsi connisus esset: *ib.* V, 202. Quae ultima responsa quum approbationem S. Pontificis tulerint, jam extra dubium collocant in posterum ordinationem sic collatam. Nam illa instrumentorum traditio quum certo sit *ecclesiasticae* institutionis, *si* ad valorem pertinet, non pertinet ad illum ultra voluntatem Ecclesiae seu supremi ejus Pastoris. Verum si supremus Pastor declaravit acquiescendum esse, etsi alterutrum sacrum vas non fuerit immediate tactum, certo manifestat suam voluntatem, se nolle ad *valorem* ordinationis ulteriorem et accuratiorem tactum pro necessario habere. Hinc si vel antea fuisset necessarius vel dubie necessarius, abhinc certo non amplius necessarius esset.

6. Praeter ritus sive certo sive dubie essentiales alii sunt, qui ad valorem quidem non pertinent, sed *sub gravi* omnino observari debent, immo quorum aliqui, si omissi sint, debeant suppleri. — Inter quos numerant a) unctionem manuum, b) traditionem vestimentorum, c) recitationem canonis cum Episcopo; verum rigorosius id extendas ad omissionem consecrationis in canone: Cf. S. Alph. l. 6 n. 759; Sanchez *consil. mor.* l. 7 c. 1 dub. 13; Lacroix l. 6 p. 2 n. 2322; Gobat tr. 8 n. 132: immo etiam de *supplenda* canonis recitatione non videtur constare.

Caput II.

De Ordinis rationibus extrinsecis.

§ 1.

De ministro Ordinis quoad ordinationis valorem.

I. De fide definita est, potestatem ordinandi non esse presbyteris 592
cum Episcopis communem, ex can. 7 sess. 24 Conc. Trid.

II. Certum est, ordinationem presbyteri a solo Episcopo fieri valide posse.

III. Dubium non est, S. Pontificem presbytero potestatem minores ordines conferendi committere posse.

IV. Idem probabiliter de conferendo subdiaconatu valet; imo etiam de diaconatu quidam dubitant, an hoc asseri debeat.

Explicatio. Nota ad II. Ex constanti Ecclesiae praxi et Patrum testimonio semper rejectae fuerunt ordinationes a simplici presbytero factae. Imo notum est, unam ex rationibus firmissimis, cur sectis Novatorum saeculi decimi sexti presbyteros et sacramentorum ministros deesse, catholici palam semper edixerint, fuisse, quod nullos haberent *Episcopos,* qui valide ordinare presbyteros possent.

Ad III. Antiqua praxis a Tridentino, etsi ad legitimos limites red- 593
acta, tamen confirmata est, secundum quam abbatibus aliisque exemptis praelatis Episcopo inferioribus liceat suis subditis regularibus tonsuram et ordines minores conferre: v. sess. 23 *de ref.* cap. 10. — Idque, si teneas, minores ordines ecclesiastici instituti esse, non mireris: nam quod ecclesiastici instituti est, Summus Pontifex, cui vult, committere potest. Licet igitur solis „praelatis“ de facto id commiserit: tamen dubitari nequit, quin aliis etiam presbyteris — qui tandem eundem sacramentalem characterem habent — id committere possit, imo etiam iis, qui presbyteri nondum sint.

Ad IV. Eadem *saltem* probabilitate, qua dicitur, subdiaconatum sacramentum non esse, sed ordinem institutionis ecclesiasticae, dici debet, Summum Pontificem facultatem subdiaconatûs conferendi communicare posse presbyteris. — Imo etsi sacramentum sit, nondum illico sequitur, hanc facultatis communicationem fieri non posse: nam quod ex sese facultati presbyteri desit, aliquando per Romanum Pontificem ut supremum Ecclesiae principem, suppleri posse, constat ex confirmatione delegatione Apostolica per presbyterum conferenda. Cf. hoc vol. n. 96 sqq.

Quare consulenda est traditio et praxis Ecclesiae. Quae certos nos facit, facultatem presbytero transferri posse *relate ad subdiaconatum.* (Cf. jam ex antiquo tempore epistolam I. Gelasii I., qua monet presbyteros, ipsis nulla ratione concedi, ut subdiaconum vel acolythum ordinent *sine concessione Summi Pontificis.*) Posterioris aetatis exempla plura adsunt.

Dubium relinquitur relate *ad diaconatum.* Si verum est, quod refertur, in ipsa Urbe anno 1662 Abbatem Cisterciensem ordinasse suos subditos in subdiaconos et diaconos, Alexandro VII. non contradicente, itemque subsequenti anno Gandavi: dubium videtur satis sublatum esse. Verum quum non satis constet, authenticam esse hanc relationem, quaestio sub lite posita manet. Cf. J. Wex *„Ariadne Carolino-canonica“* Aug. Vindel. 1708 part. V. tract. 3 controv. 2.

§ 2.

De ministro quoad licitam Ordinum collationem.

594 I. Quamquam valida est ordinatio facta a quolibet Episcopo, i. e. episcopali charactere per consecrationem insignito, quantumvis excommunicato et ab Ecclesia sejuncto: nihilominus licita non est ordinum collatio (cui ipsa tonsurae collatio adnumeratur), nisi ab Episcopo proprio aut cum ejus licentia.

II. Episcopus *proprius* dicitur sive ratione *originis ordinandi,* sive ratione *domicilii,* sive ratione *beneficii jam obtenti,* sive ratione *famulatûs:* ex Constit. Innoc. XII. *„Speculatores“* 4. Nov. 1694: quam vide in Bullario vel etiam apud Lacroix l. 6 p. 2 n. 2166 sqq.

III. Regulares, etiam exempti, nisi de contraria consuetudine aut de speciali privilegio constet, ordinari debent ab Episcopo dioecesis, in qua monasterium situm est: qui si ordinationem non habeat, Superior regularis, accepta per Episcopum vel Vicarium generalem attestatione ordinationis ab Episcopo loci non habendae, suos subditos ad alium Episcopum transmittere potest. Cf. Lacroix l. c. n. 2236: quod post decretum Clem. VIII. extra dubium est. S. Alph. n. 768.

Uberior explicatio.

595 Nota ad I. 1. Non idem, quod de ordinatione a quolibet Episcopo facta dicitur, dici potest de ordinatione, quam contulit presbyter seu praelatus Episcopo inferior. Nam si delegatio Romani Pontificis nullatenus aderat vel erat revocata: ordinatio quaelibet invalida est; verum si quis Abbas indultum conferendi ordines (minores) habens limites indulti excessit, conferendo illos ordines etiam non subditis, S. C. C. compluries ejusmodi ordinationem *validam* pronuntiavit in *Conimbr.* 26. Junii 1655, in *Panorm.* 16. Martii 1647, in *Cataniensi* 23. Nov. 1641: v. Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 2 c. 11[1].

2. Aliqui scriptores male intelligentes facta quaedam saeculi noni putabant, ordines ab haereticis vel schismaticis collatos pro invalidis habitos esse. Verum id falso asserunt. Res gestae Pontificiae exhibent quidem aliquas *reordinationes,* quae vocantur. At perperam aliquis haec accipit pro *sacramentalis* ritûs iteratione. Ritus materialiter quidem fere iidem recte adhiberi poterant, ac in ipsa sacramenti ordinis collatione, non ad hoc conferendum, sed ad male ordinatos reconciliandos vel nomine Ecclesiae deputandos. Utraque enim, et *deputatione* et *reconciliatione,* indigent: reconciliatione, ut cum pace Ecclesiae exerceant, quod sacrilega violentia sibi usurpaverunt; deputatione, ut scilicet id, quod per sacramentum valide susceptum immediate nomine Christi agere possunt, ex solemni deputatione etiam nomine Ecclesiae rite faciant. Quae quidem deputatio, quando sacramentum ordinis rite confertur, cum ipsa sacramenti collatione perficitur. Plerique enim ritus ordinationis, etiam qui propter dubium practice essentialibus adnumerantur, non tam essentiam continent, quam ecclesiasticam de-

[1] Ratio est, quia Abbatibus amplior facultas re ipsa data erat, restrictio autem quoad solos subditos non ita facta, ut certo afficeret praeter liceitatem etiam valorem. — Nihilominus S. C. postea in casu proposito contrariam opinionem secuta pro nullitate sententiam dixisse fertur: contrarias autem factas esse sententias eo minus mirum esse debet, quod agatur de re, quae tandem legislationi Ecclesiae subjecta est.

putationem; imo ritus etiam certo essentiales ad eam designandam omnino apti sunt.

Aut si mavis in reconciliationis conceptu insistere, ipsa manuum impositio, quae in „reordinatione“ fiebat, ex usu et praxi Ecclesiae reconciliationem proxime denotat; ex quo consequens est, eum, qui sacrilege consecratus erat, si reconciliationem Ecclesiae acceperit, posse rite et legitime ordinum functiones in posterum obire.

3. Id vero semper supponi debet, quando ordinatio ab haeretico, schismatico etc. facta valida esse dicitur, ritum essentialem rectamque intentionem nullatenus fuisse mutatam. Quoniam vero ejusmodi corruptionis fundata suspicio facilius quoad hominem haereticum etc. adesse potest: minor etiam certitudo ordinationis valide peractae habetur, quam ea est, quae habetur in ordinatione a legitimo ministro intra Ecclesiam facta.

Ad II. 1. Ratione *originis* ille dicitur Episcopus proprius, in cujus 596
dioecesi ordinandus natus est, seu rectius, ubi parentes seu pater tempore nativitatis ordinandi domicilium suum habebant (siquidem non *casualis* nativitas respicitur, sed *naturalis,* ut dicitur in Bulla Innocentii; naturalem vero eam esse, quam dixi, habetur ex S. C. C. 15. Febr. 1704: v. Scavini tom. 3 n. 602).

Si vero ordinandus est filius illegitimus, attenditur domicilium *matris.*

Si fuit *expositus,* attenditur locus, ubi expositus *repertus est;* vel, ut alii putant, ubi est *baptizatus:* Vering *Kirchenrecht* Buch 2 § 58 Note 8.

Si est *infidelis* baptizatus, pro *origine* sumitur locus, ubi *baptismum recepit:* ita ex Const. Pauli III. *„Cupientes“.*

2. Ratione *domicilii,* ut ab originis titulo distinctus adsit titulus, requiritur aut decennalis habitatio, aut translatio majoris partis bonorum cum habitatione notabilis temporis (quod Episcopi judicio relinquitur); in utroque casu insuper requiritur jurata assertio, qua ordinandus fateatur, sibi in animo esse, perpetuo ibi habitare. — Ita Bulla *„Speculatores“.*

3. Ratione *beneficii* intelligitur ille Episcopus proprius, in cujus dioecesi ordinandus obtinuerit beneficium ecclesiasticum, quod 1) ordinandus debet jam pacifice possidere, 2) debet post detracta onera sufficiens esse ad honestam sustentationem, neque admittitur supplementum per patrimonium. — Insuper exhiberi debent literae *testimoniales* Episcopi tum originis tum domicilii de vita, moribus, aetate, natalibus ordinandi.

4. Ratione *famulatûs* ille Episcopus (dioecesanus; nam Episcopo, qui est titularis tantum, id non licet) ordines conferre potest, cui candidatus per triennium famulatus sit et cujus expensis vixerit — etsi non in domo episcopali, si modo in loco aut prope locum Episcopi (imo distantia unius alteriusve milliarii non obstat, quominus *prope* locum Episcopi vivere dici possit). Sed conditio est, ut ordinato infra mensem beneficium sufficiens conferat, aut ad titulum pensionis vel patrimonii eum ordinet. Requiruntur pariter literae testimoniales de vita, moribus, aetate etc.

NB. Nomine familiaritatis etiam famuli famulorum ordinari possunt, modo fraus desit.

5. Hi sunt tituli jure communi admissi, ex quibus Episcopus *ordines conferre possit:* qui distinguuntur a titulo *sustentationis* seu *mensae,* vi cujus ordinandus petat ordinationem, quamquam beneficium obtentum etiam titulum sustentationis facit.

597 Ad III. 1. Novitii (cf. S. Alph. n. 765, Lacr. l. 6 p. 2 n. 2237) probabiliter ordinari possunt ab illo Episcopo, a quo ipsi religiosi ordinandi sunt sive ex jure communi sive ex speciali religiosi ordinis privilegio: attamen indigent *titulo mensae.* Immo eos posse ab Episcopo loci monasterii vel cum ejus dimissoriis ordinari ex eo sequi putaverim, quod, si sua secum tulerint, ibi vere habeant domicilium: verum Episcopus videtur ab iis exigere posse vel debere juramentum, quo fateantur, sibi in animo esse post novitiatum vota religiosa emittere. — At quum stricte religiosi nondum sint, dubium non est, quin possint etiam ab Episcopo originis ordinari, aut domicilii si quod adhuc aliud retinent. Disces tamen *limitatam* facultatem superioris regularis in illis ad ordines admittendis ex iis, quae infra notantur § 3 ad II n. 7.

2. Putant aliqui (v. adnotat. Ratisb. ad Gury), secluso *speciali privilegio,* post Constitutiones Pii IX., quibus nunc religiosi pro tempore ante solemnia vota emittere jubeantur simplicia, hos professos votorum simplicium, si cum titulo mensae ordinentur, ordinari *debere* ab Episcopo originis, aut domicilii ante ingressum habiti: verum id mihi non probatur. Nam si probabile est — uti S° Alph. est —, ipsos *novitios non debere* ab illo Episcopo ordinari, multo minus ita *debent* ordinari professi simplicium votorum. Quod vero ex Act. S. Sedis vol. I. p. 366 affertur, quasi S. C. sic decreverit, id non respicit sodales alicujus religiosi ordinis, sed saecularis congregationis; neque licet, quod de his statutum est, ad illos transferre, quod docet inter alia decr. S. C. Epp. et Reg. in *Rhedonensi* d. 27. Febr. 1891 (Act. S. Sed. vol. XXIII. p. 629 sqq.)

§ 3.

De subjecto ordinationis.

598 I. Ad valorem ordinationis in subjecto requiritur, ut sit mas baptizatus, et si de suscipiendo episcopatu agitur, ut valide presbyteratum acceperit: dein in homine, qui ad usum rationis pervenit, requiritur, ut susceptio ordinum sit voluntaria saltem habitualiter.

II. Ut vero licite ordo suscipiatur, ordinandus debet 1. in statu gratiae exsistere;

2. sequentibus conditionibus munitus esse: 1) debet esse confirmatus, 2) inferioribus ordinibus instructus, 3) nulla irregularitate aut censura impeditus, 4) tot annos natus, quot canone requiruntur, 5) debitâ scientiâ institutus et comprobatus, 6) divina vocatione donatus, 7) titulo sustentationis instructus, 8) pro circumstantiis literis testimonialibus vel dimissoriis munitus, 9) debito tempore et post debita interstitia admissus.

599 **Explicatio.** Nota ad I. 1. Certum est, feminas jure divino ab ecclesiastico *munere* excludi: quare, quum ordinatio tendat ad hominem in ecclesiastico munere constituendum aut ad illud praeparandum, femina *cujuslibet* ordinis incapax est.

2. Baptismus requiritur ad valorem sicut reliquorum sacramentorum, ita etiam ad sacramentum ordinis; ad quemlibet etiam ordinem, qui sacramenti characterem non habeat, ex ea ratione requiritur, quod nemo potest ordinarium munus ecclesiasticum gerere, qui non sit Ecclesiae membrum.

3. Ad valorem episcopatûs requiri presbyteratum rite susceptum, jam supra dictum est, siquidem episcopatus est sacerdotii complementum tantum. Ad sacerdotii vero *valorem* non requiri ceteros ordines praevios, extra controversiam est.

4. Circa voluntatem, qua ex parte subjecti voluntaria esse debet ordinis susceptio, hoc notandum est: 1) valide ordinari infantem, sicut recipit reliqua sacramenta, ex praxi Ecclesiae et ex rationibus theologicis, seu paritate rationis cum reliquis sacramentis, constat; 2) nihilominus, quia cum ordinibus sacris simul suscipitur obligatio gravis ad coelibatum et reliqua onera: quid faciendum sit, si quis illicite sic ordinatus sit, antequam proprium consensum dare potuerit, vide infra n. 618 *de coelib.;* 3) ut vero ordinatio hominis, qui unquam usum rationis habuerit, valeat, certum est requiri et sufficere, ut susceptio sit *habitualiter voluntaria,* id est, ut candidatus voluntatem expresse habuerit, neque retractaverit: quamquam in praxi vere impossibile est, eum, qui sui compos sit, non habere saltem virtualem intentionem.

Cf. S. Alph. l. 6 (de sacramentis in genere) n. 81.

Ad II. 1. Confirmatio praerequiritur quidem, quum et a Conc. Tri- 600
dentino et a Pontificali Romano ante ipsam tonsuram postuletur: attamen per se *sub veniali* tantum (S. Alph. 786).

2. Qui ante inferiores ordines rite susceptos superiorem sumit, dicitur *per saltum* ordinari; idque ex se *grave peccatum* est: S. Alph. n. 793. Verum id dic, quando de inferiore ordine nullatenus dato aut certe invalide collato constat; si enim solummodo dubius aliquis defectus in ordinatione occurrit, consultum quidem semper est, sub conditione repetere ordinis probabiliter accepti collationem, idque eo magis, quo altior jam ordo est: verum nisi agatur de defectu in presbyteratu commisso (idem dic de episcopatu), ratio necessaria et omnino obligans non est, cur, qui secundum probabilem juris sententiam valide ordinatus sit, contento esse non liceat.

3. De irregularitatibus et censuris v. postea: cum his ordinari, grave peccatum est.

4. Aetas a lege ecclesiastica requisita est:

1) pro episcopatu annus 30. completus: v. S. Alph. n. 799;

2) pro presbyteratu annus 25. inceptus: cf. Trid. sess. 23 *de ref.* cap. 12;

3) pro diaconatu annus 23. inceptus l. c.;

4) pro subdiaconatu annus 22. inceptus l. c.;

5) pro minoribus ordinibus et tonsurâ certa aetas non praescribitur, legitima aetas censetur a 7—14 annis; videtur autem Episcopus certam aetatem ultra septennium exigere posse (cf. Ben. XIV. Constit. *„Inter sollicitas“*).

Aliquando Episcopi vi specialis privilegii dispensare possunt *infra annum* aetatis requisitae, sed *solum quoad sacerdotium:* amplior dispensatio omnino S. Pontifici reservatur; v. *Facult. quinquennales* pro Germaniae Epp.

601 5. Scientia a Trid. (v. sess. 23 *de ref.* capp. 4. 5. 7. 11. 13. 14) requisita ea est, ut

1) pro tonsurâ accipiendâ sciant rudimenta fidei et sciant legere et scribere;

2) pro ordinibus minoribus intelligant linguam latinam;

3) pro subdiaconatu et diaconatu sint tum in literis, tum in officiis suis et in exercendis suis ordinibus instructi (quare si officia sua et ordines suos sciunt et exercere possunt, reliqua in doctrinis instructio et scientia latam prorsus patitur interpretationem);

4) pro presbyteratu idonei sint ad docendum populum in rebus fidei necessariis et ad administranda sacramenta; id quod saltem relate ad eos ordinandos, qui ad curam animarum adspirant seu destinantur, intelligitur etiam aliquatenus de sacramento poenitentiae administrando. Ceterum S. Alph. n. 790 sqq. admittit, minorem scientiam sufficere pro religiosis iis, qui ad curam animarum non destinentur, quia tum suum finem facilius assequantur, tum in reliquis facilius a sodalibus suum auxilium praesto habeant: ita ut instructionem requisitam, quam nondum habent, brevi assequi possint. (Quod in casibus necessitatis, si urget collatio subdiaconatûs, ad alios etiam transferri licet, quando defectus *praesentis instructionis* similiter suppletur.)

NB. Haec scientia debet diligenti examine ab Episcopo esse approbata: v. Trid. ib. cap. 12 et 14. Imo examinatio versari debet, praeterquam circa mores etc., circa doctrinam, munera sacra ordinibus suscipiendis annexa, cantum, exercitium ordinis suscepti. Episcopus autem in ordinandis religiosis *acquiescere potest* testimonio Superioris circa doctrinam etc.; verum ex Bulla Bened. XIV. *„Expositi nobis“* anno 1747 potest Episcopus ordinans etiam regulares examinare (S. Alph. n. 792); nisi habeant speciale privilegium, cujus privilegii non communicabilis exemplar est in Const. Greg. XIII. 22. Sept. 1582 et decreto Innoc. XII. 17. Aug. 1695 apud Lacroix l. 6 p. 2 n. 2194, ubi dicitur, ut ordinentur a quibuscunque Episcopis, quos maluerint, absque ulla inquisitione de cantu, caerimoniis ecclesiasticis, idoneitate etc., cum sola approbatione a suis Superioribus obtenta. Imo recentioribus temporibus usu venit, ut simul cum concessione recipiendi ordines *a quolibet Antistite* omnes illi, quibus hoc privilegium datum sit, habeantur exempti ab examine de doctrina aliisque rebus subeundo, ut censet Riganti in *Reg. XXIV. Cancell.* § III. n. 290. — Verum decreto generali d. d. 4. Nov. 1892 ex mandato Leonis XIII. pro religiosis sive stricto sive latiore sensu sumptis haec statuuntur: „Professi tum votorum solemnium tum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros ordines non admittantur, nisi, praeter alia a jure statuta, testimoniales literas exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agitur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu, et quoad presbyteratum saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo.“

602 6. De divina vocatione hic imprimis noto, debere positiva probatione constare de vitae probitate tum Superiori, ut ad ordines, maxime sacros, admittere possit, tum ipsi candidato, ut sacrum ordinem suscipere sibi liceat. Quare recte S. Alph. docet, communiter non sufficere, ut clericus hucusque in vitio turpi consuetudinarius sincerum dolorem de peccatis suis conceperit et firmiter proponat caste vivere — quod utique ad sacramentalem absolutionem per se sufficit —, sed requiri aut aliquam temporis diuturnioris experientiam, aut tam extraordinaria

signa majoris gratiae divinae, ut moralem certitudinem de *constantia* in bono proposito faciant: alias ejusmodi candidatum eo ipso, quod *temere* statim onus perpetuae castitatis in se sumere velit, idque cum periculo et propriae salutis et scandali alieni, absolutionis incapacem esse.

Ceterum circa vocationem ad clericatum (maxime ad sacros ordines) aliquo modo conferri possunt, quae de vocatione ad statum perfectionis, et speciatim ad statum religiosum, dicta sunt vol. I. n. 506 sqq. Videlicet similia in utrisque requiruntur, imo in candidatis saecularis cleri ex parte plura, quam in candidatis religiosi statûs. Requiritur scilicet 1) recta intentio, qua quis quaerat non otium vel honorem hujus vitae, sed divinam gloriam et propriam perfectionem. — Requiritur 2) aptitudo ad subeunda munera, quae in statu clericali impleri debeant; hinc pro iis, qui ad sacerdotium cum cura animarum adspirant, aptum ingenium et scientia, judicium prudens in rebus et negotiis gerendis, conscientia timorata neque nimis scrupulosa, ne ex una parte periculum subeant tepescendi in quotidiana rerum sacrarum tractatione, neve ex altera parte in tot negotiis ceteroqui summi momenti haerere et timere soleant. — Requiritur 3) virtus probata et animi constantia.

Circa paupertatem quidem et obedientiam religiosus graviora onera in se sumere debet; quare et vitae communis amor et submissi animi indoles ab eo requiruntur, a clero saeculari non tanto gradu; at propriae animae pericula graviora, minora adjumenta hunc circumstant, quam religiosum, praesertim quam religiosum, qui vitae activae non ita sit deditus.

Unde concludes, gravissimi momenti esse in seminario munus tum directoris, tum confessarii, ut mature alumnos dirigant, eorum animos efforment, defectum aptitudinis aperiant, imo, nisi in confessario confessionis sigillum vel simile secretum obstat, ineptos etiam relegandos curent.

7. 1) Titulus sustentationis congruae ostendi debet in susceptione primi 603
ordinis sacri, i. e. subdiaconatûs: qui si periit, ante alium sacrum ordinem denuo aliquis requirendus est. Si vero post susceptum presbyteratum amittitur, sacerdos propterea quidem non est eo ipso suspensus, sed Ordinarius tenetur eum compellere ad alterius tituli subrogationem. Ad quam tenentur etiam religiosi dimissi vel saecularizati; in locis Missionum saltem probare debent, sibi suppetere, unde vivant: cf. in *Collect. Mission.* n. 785, 11 et 12 Instr. S. C. de Prop. F. 17. Febr. 1871. Imo nunc ex decr. 4. Nov. 1892 quicumque alumni institutorum relig. in s. ordinibus constituti, qui vota sive solemnia, sive simplicia eaque vel perpetua vel temporanea emiserunt: a) si „*expulsi vel dimissi* fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a. S. Sede alio modo eis consulatur, ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint"; b) si post vota simplicia *sponte dimissionem* ab Apost. Sede obtinuerint, vel dispensati vel ob tempus elapsum soluti fuerint, „e claustro ne exeant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint; secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum".

2) Legitimus titulus per se est a) *beneficium* ecclesiasticum re obtentum et sufficiens; b) *patrimonium* proprium, quem titulum Episcopus pro suo arbitrio ob necessitatem vel utilitatem suae ecclesiae admittere *potest;* atque Episcopi est, pro consuetudine loci patrimonii magnitudinem taxare; debetque curari, ut sit in re immobili fundatum vel saltem aequali certitudine gaudeat, neque alienabile est sine consensu Episcopi et alterius tituli suffectione: cui accedit titulus *pensionis,* si aeque certa est et perpetua.

3) Aliquando Episcopi recipiunt facultatem ordinandi ante beneficii collationem, modo providere possint clericorum in cura animarum laborantium honestae sustentationi sive per pensionem sive alio modo. Sic in Anglia ordinantur presbyteri titulo *missionis*, quum solemni promissione servitio ecclesiae sese addicere debeant, sustentantur autem collectis et oblationibus fidelium[1]: alibi vocatur titulus *servitii ecclesiae.*

4) Religiosis solemniter professis sufficit titulus *religiosae paupertatis.* Verum ille non admittitur pro novitiis neque pro professis votorum simplicium, ut expresse cautum est per S. Congr. Reg. Quare si ratio est illos religiosos ante solemnem professionem ad sacros ordines promovendi, alius titulus mensae exhiberi debet. Pius IX. enim 12. Junii 1858 ad declarandas literas encycl. S. Congregationis Reg. (a die 19. Martii 1857) n. VIII. statuit: „Superiores regulares, ad quos spectat, concedere poterunt hujusmodi professis literas dimissorias dumtaxat ad primam tonsuram et ad ordines minores.“ Privilegium igitur speciale exhibitum a Lacroix l. c., alumnos promovendi etiam ad sacros ordines post vota *simplicia* exactâ probatione emissa, per communicationem ab uno ad alios religiosos ordines non transfertur. (Cf. etiam Const. Leonis XII. „*Plures inter*“ 11. Julii 1826.)

Attamen religiosis non stricte dictis, i. e. institutis votorum tantum simplicium, concedi solet, ut similiter titulo *mensae communis* vel *missionis* ordinari possint, verum ex decreto 4. Nov. 1892 cum hac restrictione „illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia, sed perpetua jam emiserint et proprio instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea instituta, quae ultra triennium perpetuam differant professionem.“ (Act. S. Sed. vol. XXV. p. 312 sqq.)

604 8. Quicunque non a suo Superiore ordinatur, *dimissoriis* literis indiget; qui vero a suo quidem Superiore ordinatur, at notabili tempore (puta circa *sex* menses in aetate septennio majore) extra ejus dioecesim versatus est, videl. per tale tempus, ut potuerit contrahere impedimentum canonicum, ab illius loci vel illorum locorum Ordinariis literas *testimoniales* habere debet. Vide Constitutionem Innoc. XII. „*Speculatores*“ 4. Nov. 1694.

Relate ad regulares sufficit illa informatio, quae in admittendis novitiis praecedere debet sive ex Constit. Pii IX. (25. Jan. 1848 „*Romani Pontifices*“) sive ex peculiari instituti regularis praescripto. (Illa Constitutione exiguntur literae testimoniales „tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit“.) Ita puto quoad exemptos. Pro sodalibus religiosi instituti votorum tantum simplicium, quorum Ordinarius quoad ordines idem

[1] Neque in Americae Sept. Statibus Foeder. circa ordines eosque sacros conferendos hucusque eae leges induci poterant, quae sunt communis ecclesiarum norma. Quoniam beneficia ecclesiastica non exsistunt, neque patrimonii titulo tot sacerdotes ordinari possunt, quot curae animarum sufficiant: indultum est a SS. Pontificibus, ut Praesules Americani *titulo missionis* ordinationes conferre possent. — Verum 1) id solummodo per modum privilegii conceditur, quod cum aliis suo tempore denuo a S. Sede peti et renovari debeat. 2) Dein contra vota PP. Baltim. Pius IX. voluit, ut retineretur lex, secundum quam clerici ante subdiaconatum juramento promitterent, se suae dioecesi vel missioni perpetuo inservituros (ita Pius IX. 6. Oct. 1867; v. Coll. Lac. III. col. 385). Quod nunc secundum votum PP. Concilii plen. Balt. III. ita moderatum est, ut liceat, idque sine novo juramento, intra eandem *provinciam eccles.* ex una dioecesi in aliam transire de consensu utriusque Ordinarii: cf. Acta et decreta Conc. plen. Balt. III. pag. CIV.

est, qui ante instituti ingressum, literae dimissoriales et testimoniales requiruntur ut pro non-religiosis; eaeque formaliter pro suscipiendis ordinibus dari debent. S. C. Epp. et Reg. 6. Maji 1864. Cfr. Buccerone, D'Anibale; Bizzari, *Collect.* pag. 760 sqq. in una *Tarvisina.*

Poenas inflictas in transgredientes v. infra n. 989 sqq.

9. Tempus ordinationis A. jure communi est: 605

1) pro *tonsura:* quaevis dies, hora — quilibet locus (v. Rubr. Pontific.);

2) pro *ordinibus minoribus* (modo ne sit ordinatio *generalis*): dies Dominicae et de praecepto festivae (etsi festa sunt nunc *suppressa*), modo *mane* fiat ordinatio; Missae celebratio non rigorose requiritur;

3) pro *ordinibus sacris:* Sabbata a) quatuor temporum, b) ante Dominicam Passionis, c) ante Pascha; idque solum *intra Missam.*

B. Ex privilegio autem sive conferendi sive recipiendi ordines etiam sacros „extra tempora" licet ordines conferri etiam sacros quibuslibet diebus Dominicis et festivis de praecepto sive adhuc servatis, sive suppressis.

Imo contendunt nonnulli scriptores, necessarium non esse, ut sit dies festivus de praecepto. Verum S. Congr. constanter videtur sic interpretata esse privilegia, ut illa ad solos dies de praecepto festivos restringeret. Quare huic interpretationi standum est, nisi forte diuturna consuetudo legitimâ praescriptione ampliorem sensum legitimum alicubi reddiderit. V. S. Alph. n. 797 dub. 4; Responsa S. Congr. v. Gury-Ball. II. n. 712 not. et in *Marianopol.* 18. Maji 1883. (N. Rev. théol. tom. XV. p. 495.)

Potuit autem ipse tenor privilegii, quod vi quinquennalium etc. datur, laxiori interpretationi ansam dare, non adeo quidem propter verba illius indulti, quod S. Alph. l. c. affert pro regularibus, dicentis, „extra tempus diebus festivis duplicibus" — nam expressio „diebus festivis" ex iterato responso SS. Pontificum et S. Congr. designat festa, quae aut sunt, aut fuerunt ex praecepto a fidelibus in foro externo servanda[1] —, sed propter tenorem ejus indulti, quod, omissa quavis clausula, simpliciter dicit „extra tempora et non servatis interstitiis", sicut re ipsa facultas exprimitur pro Episcopis Germaniae, Americae etc.

Interstitia igitur, nisi aut privilegium Apostolicae Sedis, aut in ali- 606
quibus casibus dispensatio Episcopi intercedat, servanda sunt haec:

Ex Trid. Concilio 1) inter singulos ordines minores intercedat oportet *aliquod* interstitium: verum ex qualibet causa Episcopus dispensare potest: quare jam in pluribus locis consuetudo obtinuit, ut eodem die tonsura cum omnibus ordinibus minoribus conferatur. Cf. S. Alph. l. 6 n. 795; Laym. *de sacram. ord.* c. 8 n. 7: „Nihil prohibet, quominus quatuor minores ordines eodem die conferantur: ita ex consuetudine ecclesiarum."

2) Inter ordines minores et subdiaconatum intercedat (sess. 23 c. 11) *unus annus,* nisi necessitas vel utilitas ecclesiae *judicio Episcopi* aliud exposcat: facile igitur ab hoc interstitio Episcopus dispensare potest.

3) *Idem* dicitur de interstitio inter subdiaconatum et diaconatum, scilicet ut ante annum non ascendant, *„nisi Episcopo aliter videatur".*

---

[1] Quod autem pro celebrandis officiis divinis in *Caerimoniali Epp.* dies festivi intelligantur *de quolibet festo chori duplici* (S. R. C. 22. Sept. 1703 in *Vien. Austriae:* Gard. n. 3664 ad 3), ad rem *nostram* non pertinet.

4) Ut autem a diaconatu ad presbyteratum ascendatur, Tridentinum magis urget interstitium unius saltem anni; excipit tamen utilitatem ac necessitatem ecclesiae.

Privilegium S. Sedis non raro tribuit facultatem conferendi ordines etiam majores, *„interstitiis non servatis“:* quod si exstat, tamen ex hoc privilegio etiam simul cum altero recipiendi ordines extra tempora, nondum licet duobus vel tribus diebus continuo sibi succedentibus, etsi incidant festa de praecepto, ordines sacros recipere.

Nam ut hoc liceat, id expressius in privilegio debet contineri, ut e. g. „promoveri liceat tribus Dominicis aut festis diebus *etiam continuis* ad sacros, etiam presbyteratûs, ordines“ (cf. Lacroix l. c. n. 2194, S. Alph. n. 796 dub. 2); siquidem juris communis prohibitio, ne suscipiantur duo sacri ordines *diebus continuatis* — ut ait S. Alph. — distincta est a lege, quae statuit interstitia servanda. Ita *saltem* est dicendum, si privilegium *personale* alicui datum est.

Prorsus autem prohibetur sub gravi, ne duo ordines sacri eodem die suscipiantur: v. S. Alph. n. 796, Trid. sess. 23 c. 13.

Imo, nisi contraria consuetudo legem elevavit, graviter prohibitum est, quominus eodem die ordines minores simul cum subdiaconatu suscipiantur (S. Alph. n. 797), sive „plures ordines, quorum unus sacer sit“.

10. Trid. l. c. cap. 11 innuit etiam, exercitium ordinis suscepti in interstitiis exigi posse ante ulterioris ordinis collationem. Verum obligatio id exigendi non satis exprimitur, ut etiam S. Alphus videtur concedere (n. 801): quare multo minus id exigi potest ab eo, cui ex privilegio diebus continuo sibi succedentibus majores ordines suscipere licet.

607 **Notanda praeterea.** 1. Pontificale monet, ut ordinandi recipiant S. Communionem: quod relate ad ordines minores, si intra Missam conferuntur, consilium est, non praeceptum; imo, secluso presbyteratu, ne in aliis quidem ordinibus sacris id sub gravi praecipi videtur. (Cf. S. Alph. l. c., Lacroix l. c. n. 2225.) In presbyteratu autem S. Doctor recte dicit, susceptionem S. Eucharistiae sub gravi obligatoriam esse, quum illa cum Episcopo concelebratio id exigat. — Hinc, seclusa S. Eucharistiae sumptione, ordines *minores* in statu peccati suscipere grave sacrilegium non videtur, quum satis probabiliter constet, eos sacramenti rationem non habere.

2. Relate ad preces et Missas, quae ordinatis secundum Pontificale injunguntur, dicendum est: 1) ex sententia S. Alphonsi de *obligatione* non constare inter theologos, quum alii dicant esse gravem obligationem, alii non esse gravem, alii nullam veram sub peccato obligationem (vide S. Alph. n. 829).

2) Quod ad Missas neopresbyteris injunctas attinet, sola Missarum *forma,* non applicatio indicitur, ita ut sine ulla dubitatione stipendium pro illis accipi possit: neque prius dicendae sunt, quam occurrat dies, in quo secundum rubricas Missam votivam celebrari licet. Id autem certum est, si ante ejusmodi diem occurrat sive festum Pentecostes, sive festum aliquod B. Mariae Virg., per Missam illam festivam satisfieri oneri injuncto celebrandi Missam de Spiritu Sancto, aut de B. Maria Virg.

3) „Nocturnus talis diei“, qui injungitur subdiaconis et diaconis, ex ultimo decreto S. R. C. (*decr. auth.* n. 4042 ad I) d. d. 27 Jul. 1899 „intelligendus est Nocturnus ferialis vel primus festi aut Dominicae in Psalterio, prout ordinatio in feria, festo aut Dominica habenda sit“. Potest vero Episcopus ordinans, si vult, alium Nocturnum injungere.

Reliqua, quae obligationes per ordines assumptas spectant, sequenti jam capite breviter exponenda esse duxi.

Appendix. 608

Praeter ea, quae ex communi doctrina de sacramentis intelliguntur, gravia peccata, quae in collatione et in susceptione ordinum occurrere possint, sunt praecipue haec:

1. ordinatio candidati vel irregularitate vel censurâ affecti;
2. ordinatio per saltum;
3. ordinum plurium, saltem si uterque sacer est, uno die collatio, sive susceptio, ac generatim ordinatio illegitimo tempore facta;
4. ordinatio sine legitimo titulo sustentationis;
5. ordinatio a ministro illegitimo;
6. ordinatio sine debita vocatione candidati;
7. ordinatio sine voluntate implendi onera ordinibus annexa.

Caput III.

De oneribus et favoribus ordinibus, praecipue sacris, annexis.

Cf. praeter scriptores supra allatos: Craisson l. c. n. 2051—2453, Coll. Lac. in omnibus fere conciliis provinc., Phillips *Lehrbuch des Kirchenr.* §§ 158—170.

Articulus I.

De obligationibus clericorum communibus.

Pleraque, quae hîc tractantur, clericos in sacris constitutos et 609
quoslibet beneficiatos et religiosos spectant, non ita clericos, qui sine alio statu in solis minoribus ordinibus constituti sint. Ceterum id in singulis §§ adnotabimus.

§ 1.

De veste clericali[1] *et tonsura.*

I. Ad vestem clericalem et tonsuram tenentur per se sub gravi clerici in sacris constituti, et clerici beneficiati.

II. Quamquam clerici ordinum minorum, quando beneficium ecclesiasticum non possident, non tenentur per se sub ullo rigoroso praecepto ad habitum clericalem; tamen qui tertio admonitus ab Episcopo habitum clericalem (vestem et tonsuram) non assumit, amittit privilegium et fori et canonis (v. infra), S. Alph. l. 6 n. 827.

III. Vestis clericalis vel lege vel communi usu est talaris et nigri coloris, idque Episcopus stricte praecipere potest. Cf. Ben. XIV. loc. infra cit. — Ubi autem neque Episcopi praeceptum neque consuetudo vim legis habens ita urgent, et color similis et forma brevior

[1] Quinque prioribus saeculis clericalis vestis propria non videtur exstitisse; attamen a saeculo sexto et deinceps apparet discrimen inter vestitum laicorum et clericorum; posteriores veste oblonga utebantur, imo in compluribus conciliis ejus usus praescribebatur. Cf. Bened. XIV. *de syn. dioec.* lib. 11 cap. 8.

ad talarem accedens tolerari potest. Sixtus V. quidem *vestem talarem* praecepit „*Cum sacrosanctum*“ 9. Jan. 1589; sed ejus lex videtur jam subsequente saeculo non stricte fuisse in vigore.

IV. Etiam pro clericis per se sub gravi obstrictis parvitas materiae admittitur, ad quam determinandam non ad solum temporis spatium, quo aliquis habitum praescriptum deposuerit, sed etiam ad varias circumstantias attendi debet. — Seclusa igitur circumstantia aggravante, Lacroix l. 1 n. 672 spatium 4 vel 6 dierum saltem pro materia levi habet, idque ex multorum auctoritate confirmat. — De sola autem tonsura si sermo est, tempus multo longius ad gravem materiam requiritur.

V. Ut sine culpa clericalis habitus totaliter dimittatur, *gravis causa* requiritur, e. g. imminens persecutio, transitus per loca infidelium seu haereticorum cum periculo gravis injuriae: nisi forte legitima dispensatio causas illas latius nonnihil extendit.

610 **Explicatio.** Nota ad I. Trid. sess. 14 c. 6 *de ref.* dicit: „Oportet clericos vestes proprio ordini congruentes semper deferre, ut per decentiam habitûs extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant.“

Ad II. Poenae aliae, quae a lege indicantur contra eos, qui habitum non deferunt, ferendae sententiae sunt.

Ad III. Facilius permittitur vestis brevior, modo tamen clericum a laico omnino distinguat, in itinere; at videnda est semper loci consuetudo.

Ad IV. 1. Certe grave peccatum est, dimittere habitum: a) *ex contemptu;* b) *cum scandalo,* ut, si quis clericus publice personatus incedat; c) *ad pravum finem,* quo liberius peccari possit; verum d) *sola negligentia* si accidit, debet aut notabile tempus adesse, aut notabilis discrepantia ab habitu clericali consueto: notabilis enim ejusmodi excessus sive quoad tempus sive quoad formam pro quadam temeritate contra ecclesiasticam legem habetur; cf. Conc. Trid. l. c. cap. 6. Quando autem ille notabilis excessus temeritatem redolens graviterque peccaminosus adsit, morali aestimationi circumstantiarum relinqui debet. Cf. Laym. l. 5 tr. 9 c. 12 n. 3 et Tamb. l. 7 de sacram. c. 2 § 6 n. 16 sqq.

2. Circa tonsuram multo mitius theologi loquuntur. Plerique pro materia gravi ratione diuturnitatis habent spatium integri anni: v. S. Alph. l. 6 n. 820, Gury-Ballerini II. n. 48; ex Tamb. l. c. autem concludere licet, complures auctores ne id quidem pro gravi materia habere, si clericus de cetero clericali habitu incedat.

§ 2.

De prohibitis artibus et officiis.

Punctum I.

De negotiatione.

611 I. Negotiatio interdicitur clericis in sacris constitutis, beneficiatis, omnibus religiosis etiam laicis: ita ut neque per se neque per alterum, nec pro se, nec pro altero negotiari possint. V. Mazzotta tract. III. disp. 3 Q. 1 cap. 3, S. Alph. l. 3 (al. 4) n. 831 sqq., Scavini IV. n. 93. — Cf. imprimis Ben. XIV. „*Apostolicae*“ 25. Febr. 1741.

II. Nomine negotiationis intelligitur rem ex intentione eam non mutatam cum lucro vendendi emere et postea vendere: ad quam

accedit venditio rei, in qua mutatio quidem fit, sed ipsa mutatio per modum emptionis, ita ut res mutetur per labores eorum, qui ad hoc pretio conducantur, idque ex intentione lucri: v. S. Alph. l. 3 (4) n. 381, Craisson n. 2067.

III. Haec prohibitio gravis est: quamquam materiae parvitatem admittit.

Uberior explicatio. Nota ad I. 1. Necessitatis causa, scil. ad se suosque alendos secundum statûs decentiam, permitti potest negotiatio: S. Alph. n. 837. Ut autem negotiatio, quae fit necessitatis causa, aut quae devolvitur ad clericum v. g. per haereditatem, continuari possit, etsi per alterum, requiritur concessio Episcopi, si agitur de hac re extra Italiam, concessio vero S. Congr. Conc. sive Sedis Apostolicae, si intra Italiam: vide Bened. XIV. ibidem, Clem. XIII. *„Cum primum“* 27. Sept. 1759; cf. S. Alph. n. 833.

2. Alias autem non admittitur negotiatio, etsi pro causa pia fiat: extra conditiones igitur determinatas licentia S. Sedis ut necessaria ubique requiritur.

Ad II. 1. *Negotiatio non est:* 1) vendere fructus ex agris propriis 612
collectos; 2) emere pecora, eaque in propriis praediis saginata vendere, aut alere greges, ut foetus, lana etc. vendantur; 3) artem proprio statui convenientem exercere, et opera vendere; 4) emere fructus et animalia iis saginata vendere, quum proprii potius labores ad lucrum capiendum vendantur, quam res non mutatae; 5) emere ad proprios usus, etiam large, et postea, quae supersunt, vendere: imo quum pretium crescit, etiam ex industria parcius utendo res venditionis causa conservare.

2. *Negotiatio est,* aut ei tamquam prohibita actio aequiparatur: 1) pecora in alienis agris seu pascuis conductis saginare, et saginata vendere, quum proprius labor non intercedat; 2) agros alienos conducere et fructus eorum vendere: v. S. Alph. n. 834 ex antiqua prohibitione, Craisson n. 2071; 3) similiter fructus, v. g. uvas *emere,* et ex iis *per operarios conductos* vinum facere, quod cum lucro vendatur: Lugo *de just.* d. 26 n. 34; 4) dein negotiationi comparatur quaelibet diversarum rerum ex materia coëmpta fabricatio, quae fit per operarios conductos; ideoque etiam per modum „societatis“ in sola fabricatione industriali partem habere; 5) eodem modo negotiationi clericis per se vetitae comparatur, haberi seu emi ejusmodi fabricationis participationem per eas, quas vocant „actiones“, aut emi ejusmodi chirographa, vi quorum jus habeatur ad lucrum annuum *mutabile („Dividende“)* ex lucrosa institutione vel associatione hauriendum. Sed nostra aetate Ecclesia hac in re plus indulget, maxime si finis associationum non est ipsa negotiatio [1].

[1] Exstat hac in re decretum S. C. Concilii d. d. 30. Jan. 1846 ad Quaesitum Episcopi Castellani, num liceret clericis suis per „actiones“ partem habere associationis (en commandite), cujus finis erat argentariam facere: quod quum nimis evidenter esset negotiationem exercere, quamquam per interpositas personas, S. Congr. respondit omnino: *Non licere,* ut videre est apud Bizzarri *Collectanea ad usum secretariae S. C. C.* pag 582. — Verum de *actionibus* aliarum societatum aliter jam decrevit S. Officium 1. Apr. 1857: *„Sanctissimus concedit facultates Episcopis communicandas per S. Congr. Episcoporum permittendi ecclesiasticis, ut accipiant actiones viae ferreae de propria pecunia tantum.“* — Imo licentiam generalem dedit idem S. Officium d. 17. Nov. 1875: „Non sunt inquietandi, qui nomina vel actiones viarum ferrearum similiumque societatum aut arcarum publicae utilitati inservientium de sua pecunia acquirunt, dummodo parati sint stare mandatis Sedis Apostolicae et certo sciant, eas societates nullum habere propositum finem illicitum vel quomodolibet

3. Aliud etiam jam ex rei natura dicendum est de iis quae vocantur *obligationes,* quibus habetur jus ad annuum censum fixum et determinatum. Nam qui eas emit, aliud non facit, quam qui pecuniam suam alteri tradit pro annuo foenore: quod hodie non censetur negotiatio, etsi alter cum accepta pecunia negotiatur.

Ad III. *Aliquoties* tantum negotiationem non turpem, neque in magna quantitate facere, censetur *leve peccatum:* S. Alph. n. 381; ita semel in magna, sed non enormi quantitate negotiationem facere, plerumque veniale est ex probabili S. Alphonsi (ibid.) cum Cajetani et aliorum opinione: at hoc trahi *nequit ad missionarios,* de quibus loquuntur Constitutiones SS. Pontificum et decretum S. Officii jussu Pii IX. 4. Dec. 1872 renovatum: cf. infra *de censuris, excomm. non reservat.* § 5, n. 979.

Punctum II.

De non exercenda arte medica.

613 I. Exercitium chirurgiae, seu medicae artis cum incisione aut adustione — excepto casu necessitatis, quo alius peritus non adsit — saltem clericis in sacris constitutis, beneficiatis, et quibuscunque religiosis certo interdicitur: v. c. *‚Sententiam', ‚Ne clerici vel monachi':* decretal. l. 3 tit. 50 c. 9. Cf. S. Alph. l. 7 n. 384 et infra *de irregularitate* n. 1017.

II. Multi scriptores idem dicunt de quocunque medicae artis exercitio, nisi fiat erga pauperes aut propinquos. At revera, aliis scriptoribus consentientibus, de hac prohibitione non constat; siquidem textus juris can., qui afferuntur, solum vetant, ne clerici ordinum sacrorum, beneficiati, religiosi *addiscant* artem medicam aut leges civiles.

Videlicet severiorem sententiam tenent Schmalzgrueber in III. decret. t. 1 § 1 n. 46 cum Sylv., Suarez *de censur.,* Sanch., Pellizar., Pirhing, Wiestner, Reiffenstuel, Bened. XIV. *de syn. dioec.* l. 13 c. 10 n. 5 sqq. — Et quamquam Schmalzgrueber cum aliis in ea ratione insistit, quod *negotia saecularia generatim* clericis interdicantur, id tamen non probat, quodlibet medicae artis exercitium clericis peritis prohiberi, vel eos dispensatione Sedis Apostolicae indigere.

Recte igitur recentiores scriptores, ut Scavini, Craisson n. 2062, docent, prohibitionem *per se* non exsistere.

III. Nihilominus Episcopis jus competere interdicendi, si id judicaverint expedire, 1) omnis medicae artis exercitium, 2) idque relate ad quoslibet clericos, etiam ordinum minorum clericalem vitam agentes, satis colligitur ex recentioribus Conc. provinc. Cf. Baltimor. IX. et Baltim. plenar. II. Collect. Lac. t. III col. 180 et 443.

---

suspectum, et dummodo nullam in iis societatibus administrationis partem suscipiant, neque actionum earundem societatum negotiationem exerceant."

Habetur etiam Resp. recentius S. Officii d. 15. Apr. 1885, quod in speciali causa sic datum est: „Juxta exposita et attentis peculiaribus temporum circumstantiis personas ecclesiasticas non esse inquietandas, si emerint vel emant actiones seu titulos mensae numulariae, dummodo paratae sint stare mandatis S. Sedis et se abstineant a qualibet negotiatione dictarum actionum seu titulorum et praesertim ab omni contractu, qui speciem habet, ut vulgo dicitur, dei giuochi di borsa." V. *Nouv. Revue théol.* vol. 25 p. 608 sqq. — Attamen inde non videtur sequi, licere emere *quaslibet* cujuslibet societatis, etiam pure mercatoriae, actiones.

Punctum III.

De aliis artibus vel officiis.

I. Ratione indecentiae ipsius rei prohibentur *omnibus clericis* ea, 614
quae eorum statum dedecent, ut: ars macellaria, tabernaria, joculatoria etc. Cf. Scavini t. I. n. 4. 479, S. Alph. l. 4 n. 189.

II. Ratione cujusdam cum statûs mansuetudine repugnantiae clericis sacrorum ordinum, religiosis (et ex parte beneficiatis) non licet: a) judicem agere in causa sanguinis; b) militiam suscipere; c) armatis incedere seclusa necessitate: quae ex se sub gravi prohibentur; nisi quod ultimum parvitatem materiae admittere fatendum est. Cf. Scavini l. c. n. 481, Ben. XIV. *notif.* 101.

III. Ratione implicatae curae clericis ordinum sacrorum etc., ut supra, 1. non licet officium agere: tutoris, curatoris, procuratoris, administratoris bonorum, nec quodvis ministerium publicum, ex quo obligentur ad reddendas rationes de justitia aut de bonis administratis: neque advocati, notarii etc. in curia saeculari.

2. Licebit tamen tutorem vel curatorem agere eorum, qui clerico proxime cognati sunt; etiam suscipere administrationem bonorum causae piae, procurationem pro persona privata indigenti; atque etiam causam propriam, suae ecclesiae, personae propinquae usque ad quartum gradum in saeculari judicio defendendam suscipere.

3. Administrationem bonorum alienorum, seu procurationem suscipere lucri causa ad decentiorem sustentationem propriam vel suorum, clerico peccato mortali non vertitur, nisi propria ministeria negligat. S. Alph. l. 3 n. 358 in fine. — Canonicae leges, quando graviter puniunt ejusmodi officia a clerico suscepta, loquuntur de iis, qui „officio clericali neglecto, fluctibus saeculi se immergunt“ c. *„Sed nec“* decretal. l. 3 tit. 50 cap. 4.

§ 3.

De prohibitis ludis animique relaxationibus.

Punctum I.

De venatione.

I. Venatio quamquam Concilio Lat. IV can. 15 „universis 615
clericis“ interdicitur, tamen hodie vix alios haec prohibitio adstringit, nisi clericos sacrorum ordinum, quoslibet religiosos.

II. Sub gravi prohibitione sola ‚clamorosa‘ venatio prohibita censetur, idque si *pluries* fiat, et cum scandalo aut magnis expensis conjuncta, S. Alph. l. 4 n. 606: pro religiosis tamen *facilius* scandalum adesse censetur: alioqui manet peccatum veniale, nisi severior prohibitio particularis accessit.

III. Venatio quieta, quae fiat laqueis, retibus, imo etiam sclopeto, sed cum uno alterove tantum cane sine magno strepitu, non censetur

ex se prohibita, adeoque omni culpa vacat, si fit raro, moderate, sine scandalo: S. Alph. ib. Quamquam Episcopus etiam talem venationem prohibere potest. V. etiam Craisson n. 2072—2078.

Punctum II.

De frequentatione theatri et tabernae.

616 I. Spectaculis publicis interesse communiter pro gravi scandalo habetur et gravi indecentia statui clericali illata, saltem si agitur de clericis sacrorum ordinum: adde periculum pro morum honestate.

Imo post Trid. (v. sess. 22 cap. 1 *de ref.*), teste Benedicto XIV. *de syn. dioec.* l. 11 c. 10, synodi provinciales et dioecesanae consueverunt sub gravi obedientiae praecepto, vel etiam poena gravi addita talem spectaculorum scenicorum frequentationem prorsus prohibere.

II. Idem dici debet, imo sub aliquo respectu magis etiam, si clericus ordinis sacri chorcis saltando intersit: v. Scavini I. n. 471.

III. Relate ad tabernas et popinas frequentandas Conc. Later. IV. habet: „Tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti.“

Quare indiscriminatim cum aliis clericos sacrorum ordinum in tabernis versari, est res per se graviter indecens; idque multo magis, si cum aliis minus honeste jocentur, aut bibendo temperantiam — etsi non ex se graviter — laedant.

Verum quidem est, si omnia honeste agantur, aliquorum locorum consuetudinem posse, ubi sit, indecentiam multum diminuere, ita ut nolim statim mortalis peccati id incusare; minus etiam, si clerici ibi in cubiculum separatum conveniant — quod si ex rationabili causa fiat, in se peccaminosum esse non videtur, ubi scandalum nullum creatur. Nihilominus, quum abusus facile accedat, fieri potest, ut vel loci consuetudo vel lex Episcopi quamlibet cauponae frequentationem severius prohibeat. Cf. hac de re statuta quam plurima in Coll. Lac. t. III. *in indice* ad vocem „sacerdos“ n. 70.

Punctum III.

De ludis aleatoriis.

617 I. Canonicis sanctionibus antiquis (v. Conc. Later. IV. can. 16, Trid. sess. 22) prohibetur: „Clerici ad aleas et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint“: quam prohibitionem consuetudo et praxis multum temperavit.

Imo pro aliqua norma hodiernae legis capienda juvat inspicere verba Concil. Baltim. plenar. II. tit. III. cap. 6 n. 154 (v. Coll. Lac. t. III. col. 443): „Nonnulli sunt ludi, qui licet privatim et domi fiant, clericum tamen dedecent. Alii sunt, in quibus aleae quidem et chartae, quas vocant, pictae adhibentur; verum quatenus animum honeste recreare et oblectare possint, a sacris canonibus non vetantur. Ludos igitur clericus fugiat illicitos; licitis sic utatur, ut ne per excessum aut scandalum illiciti fiant.“

II. Quare prorsus assentiri possumus S° Alph. l. 3 (al. 4) n. 900, falso confundi ludos mixtos cum aleatoriis seu merae sortis; priores

non esse clericis illicitos, nisi extrinsecus ratio peccati accedat, posse tamen etiam eos facilius venialiter malos evadere.

Praecipue igitur spectandam esse 1) rationem scandali, maxime coram laicis, 2) dissipationem pecuniae forte expositae, 3) jacturam temporis cum sacri ministerii vel officii neglectu.

III. Porro apud eundem S. Doctorem n. 896—899 habes: ut clerici saeculares ordinum sacrorum aut beneficiati ludo aleatorio *graviter* peccent, praeciso scandalo, — quod in publico aleatore lucri causa ludente aderit —, requiri, ut aut 1) frequenter ludant cum magna pecuniae jactura, aut 2) frequenter et diu: non autem peccare graviter eos qui raro, moderate et privatim aleis ludant, imo ne venialiter quidem, si recreationis justae gratia id fiat, in loco, ubi canones non tam rigide observentur, — quod multo magis de ludis mixtis dici debet.

IV. Quoad Episcopos autem, et quoad religiosos ‚strictioris observantiae' S. Alph. ib. multo severius loquitur circa ludum aleatorium cum pecuniae expositione etiam semel tantum exercendum et circa ludi mixti frequentiam.

Gravitas autem peccati, quod occurrat, aestimari debet 1) e vigente prohibitione sive vi legis particularis, 2) e scandalo, 3) e periculo relaxandi disciplinam religiosam vigentem, 4) e neglectu officiorum vel gravi temporis jactura: praeterquam quod paupertas laedi potest. Quare ipse rigor S. Doctoris videtur nonnihil temperandus esse.

V. Quod ergo additur „nec hujusmodi ludis intersint", multo rarius sub gravi obligat. S. Alph. n. 903 dicit, mortaliter ab eo peccari, qui a) causa sit ludi mortaliter peccaminosi; b) aut negligat, quando debeat corrigere lusores; c) aut de ludo, quatenus mortaliter peccaminosus sit, sibi complaceat; d) aut propter singularem statûs sui decentiae laesionem assistendo scandalo sit.

§ 4.

De coelibatu ejusque custodia.

I. In Ecclesia latina[1] indubitata lex est, ut clerici a primo ordine 618
sacro, sc. subdiaconatu, perfectam castitatem servare debeant. V. Trid. sess. 24 can. 9 et Pontificale *de ordin. subdiaconi* ab initio.

II. Quae obligatio non solum ut aliae leges obligat, sed simul *per modum voti* clericos adstringit atque *consecrationis.*

[1] Legem coelibatûs non eodem modo in orientali atque in occidentali Ecclesia servari, notum est. Apud Graecos, qui ante sacros ordines uxorem duxit, in illo matrimonio, dum vixerit uxor, potest manere, nisi factus fuerit Episcopus. Quam antiqua autem sit, ita ut ad Apostolorum usque tempora ascendat, perfecti coelibatûs lex vel consuetudo, vide apud Phillips *Lehrbuch des Kirchenrechts* § 70 et Bickell *de Coelibatûs institutione apostolica* in *libell. Oenipont.* t. 2 pag. 26 sqq. et t. 3 pag. 792 sqq. S. Gregorius M. in Romana Ecclesia ab ipso subdiaconatu exegit castitatis promissionem; quae disciplina mox ab aliis ecclesiis recepta est: zelosissimos autem coelibatûs propugnatores et restitutores fuisse S. Greg. VII. atque S. Petrum Damianum, nemo est qui ignoret.

III. Quare quaelibet castitatis laesio, etiam solis internis peccatis, rationem sacrilegii et laesi voti habet.

IV. Nec juvat, aliquem fortasse coelibatûs obligationem nescivisse; nam qui adulta aetate libere ordines sacros suscipiat, in tali ignorantia versari vix potest; neque eam potest Ecclesia attendere; quare nihilominus lege ecclesiasticâ adstringeretur, idque ex motivo religionis per modum voti sive emissi sive emittendi. Qui vero ante usum rationis sacrilege ordinatus sit, ei post annos pubertatis et coelibatûs cognitionem electio datur aut redeundi ad statum laicalem sine ullo ordinis exercitio, aut cum observatione coelibatûs in exercitio ordinis manendi. Idem dic de eo, qui ‚ex gravi metu' ordines susceperit, modo ne postea remoto metu ordinationem ratihabuerit. S. Alph. l. 6 n. 811. Tutius tamen est petere dispensationem; imo id plerumque necessarium est.

V. Vir conjugatus ordines suscipere nequit, nisi consentiente uxore et castitatem vovente, idque tum saltem in monasterio monialium, quando vir Episcopus fit, aut quando religiosus fit neque uxor jam senex est extra omnem suspicionem posita. De quo cf. *Decretal.* l. 3 tit. 32 cap. 4—6. At cf. etiam infra n. 710 et 712.

VI. Ad majorem castitatis custodiam leges ecclesiasticae interdixerunt clericis, ne cum mulieribus in eadem domo habitarent:

Decretal. lib. 3 tit. 2 c. 9 ‚*A nobis*': „Cum clericis quoque non permittas mulierculas habitare, nisi forte de illis personis exsistant, in quibus naturale foedus nil permittit saevi criminis suspicari."

619 **Uberior explicatio.** Ad I—III. **De natura obligationis coelibatus.** 1. Dissensus quidem est inter theologos, utrum obligatio coelibatûs ex sola lege ecclesiastica, an simul ex voto oriatur; cf. S. Alph. l. 6 n. 809, Gury-Ballerini II. 41, Laurin *der Coelibat der Geistlichen nach canonischem Recht;* nam legem ecclesiasticam exsistere, nemo est qui dubitet; ac sunt perpauci, qui ad ipsam legem *divinam* provocent, perperam id quidem, ut et praxis orientalis Ecclesiae ostendit, atque dispensatio a Summis Pontificibus ex gravissima causa aliquando facta (cf. quae dicta sunt de voto), et Trident. sess. 24 can. 9 satis innuunt.

2. Verum intercedere etiam voti obligationem, ex declaratione Bonifacii VIII., *decret.* l. 3 t. 15 in 6. plane habetur: „. . . illud solum votum debere dici solemne, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut professionem factam . . (religiosam)". Idem ut notum supponit Benedictus XIV. in Constit. *„Inter praeteritos"*, ubi § 41 poenitentiarios negat habere facultatem dispensandi „in votis solemnibus castitatis etc. et in solemni religiosa professione sive in ordinum sacrorum susceptione emissis".

3. Haec sententia, quae ex voto immediate repetit castitatis obligationem, melius evitat omnes difficultates, quas contra sacrilegii malitiam aliquis movere possit quoad peccata mere interna: quibus tamen sacrilegii reatum inesse, nemo ausus fuerit aut possit negare.

4. Quod autem aliqui, etiam nostra aetate, voti obligationem propterea prorsus excludere volunt, quia sacri ordinis candidati non jam interrogentur, neque promittant coelibatum; id nititur in neglecta distinctione inter

promissionem expressam et tacitam. Nam si hanc distinctionem adhibeas, facile explices, quomodo voti obligatio exsistat etiam in eo, qui expresse non voverit, imo qui de voto emittendo ne cogitaverit quidem expresse. Nam candidatus ordinis sacri de obligatione coelibatûs ex religionis motivo suscipienda sane instruitur, neque in ea suscipienda aut non suscipienda aliter liber est, nisi quatenus liber est in suscipiendo ordine. Quare si accedit ad ordinem sacrum suscipiendum, eo ipso se in honorem Dei castitatem servaturum tacite promittit coram Ecclesia; scit enim, hunc accessum ab Ecclesia pro promissione, eaque quasi onerosa, haberi, siquidem sub hac conditione Ecclesia eum assumit in numerum sacrorum ministrorum. Quo fit, ut, si quis forte contrariam mentem in accessu ad sacros ordines habeat, mendacem et fictam promissionem faciat, quae eum nihilominus liget similiter, ac si veram promissionem fecerit; proin sacrilegii reatum a laesa castitate tam parum excutere potest, quam sacrum sui statûs characterem pro libitu suo deponere.

Ad VI. **Prohibitio circa cohabitationem cum mulieribus.** Haec a primis temporibus Ecclesiae jam facta saepiusque renovata est. Attamen lex

1. admisit per se proxime cognatas (in primo et secundo gradu consanguineas, et affines primi gradûs);

2. facilius etiam admisit famulas provectioris aetatis; hodie a multis synodis statuitur, ne admittantur ancillae infra aetatem 40 annorum;

3. ubi ejusmodi prohibitiones non exsistunt aut non urgentur, legis graviter violatae non tam facile accusari potest clericus. Attamen ipsa lex naturalis dictat, ut omnis occasio, imo omnia, quae aliis sint minori aedificationi, removeantur; atque in ipsis admittendis cognatis ratio sacerdotum hospitum haberi debet. — Cf. Craisson 2090—2100.

§ 5.

De divini Officii seu Breviarii recitatione.

Punctum I.

De obligatione ejusque gravitate.

I. Officium divinum, quod vocatur etiam officium ecclesiasticum 620
vel canonicum, breviarium, horae canonicae, est certa precandi formula ex psalmis et lectionibus S. Scripturae atque SS. Patrum praecipue composita, quam quotidie secundum praescriptam formam sacri ministri persolvere debent nomine Ecclesiae, sive in choro collecti, sive privatim pro se quisque; semper tamen rationem publicae orationis habet, quum a persona publice deputata Deo offeratur, atque vim impetratoriam non ex sola persona privata recitante, sed ex dignitate totius Ecclesiae, a qua sacer minister deputatus est, desumit. Cf. Suarez *de orat.* lib. 4 cap 1.

Constat autem officio nocturno et diurno. Officium nocturnum comprehendit, prout diversum est officium, unum aut tres ‚*Nocturnos*' et ‚*Laudes*'; officium diurnum presse sumptum (late enim sumitur officium *totum* pro officio diurno, i. e. unius diei) distinguitur in ‚*parvas horas*', sc. Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, et in ‚*Vesperas*' et ‚*Completorium*'.

II. Antea permultae ecclesiae particulares suam propriam habebant breviarii formam: sed ad majorem unitatem inducendam S. Pius V. novum breviarium Roman. correctum edidit Const. *„Quod a nobis“* 7. Julii 1568, atque alia omnia breviaria, quae nondum a ducentis annis legitima consuetudine introducta essent, abolevit. Quod breviarium Romanum denuo correctum est a Clem. VIII., Urbano VIII., Leone XIII., singulis officiis Sanctorum continuo a SS. Pontificibus augeri consuevit, atque etiam officiis certis, quae pro singulis locis, dioecesibus, familiis religiosis indulta sunt, auctum est. Qui vero non secundum breviarium sibi legitimum recitant officium divinum, obligationis non impletae rei sunt, ac si officium nullatenus recitaverint: v. Const. cit.

621 III. Obligatio recitandi incumbit 1) clericis sacrorum ordinum, 2) clericis beneficiatis, etsi sacrum ordinem nondum receperunt, 3) religiosis utriusque sexûs solemniter professis et choro destinatis.

IV. Obligatio autem ad chorum relate ad domum religiosam gravis est, at religiosos singulos non adstringit per se sub gravi, si modo chorus non tollitur (quid de canonicis dicendum sit, vide infra), sed ad recitationem utcumque tenentur aut vi solemnis professionis, aut vi sacri ordinis.

V. Haec recitandi officii obligatio singulis diebus affixa est, et cum die exspirat. Est autem obligatio gravis, ita ut non tantum totius diei officium sub gravi obliget, sed ea etiam materia pro gravi habeatur, quae parvae horae aequivaleat: haec communissima theologorum sententia, quam cum laxiore opinione commutare sane temerarium est.

VI. Obligationi gravi in privata recitatione satisfit, si modo totum officium a media nocte ad mediam noctem recitatur (addita etiam facultate anticipandi officium nocturnum): ut autem a veniali etiam culpa aliquis immunis sit, id observare debet, — nisi legitima adsit excusatio, — ut recitet Matutinum et Laudes aut pridie aut tempore matutino, Primam et Tertiam tempore antemeridiano, Sextam et Nonam pro libitu tempore aut antemeridiano aut pomeridiano, Vesperas et Completorium tempore pomeridiano (nisi extendas tempus pro facultate recitandi Vesperas in Quadragesima, ut in breviario notatur).

622 **Singulorum explicatio.** Ad I. Circa officium defunctorum, B. Mariae Virginis, psalmos graduales etc., quae suis locis notantur in breviario, haec observanda sunt:

1. Haec additio fieri debet sub gravi quoad officium defunctorum pro die commemorationis omnium defunctorum (2. Nov.) ab omnibus, qui ad recitandum breviarium obligantur: potest tamen etiam Matutinum cum Laudibus privatim anticipari post Matutinum et Laudes diei occurrentis. (S. R. C. 4 Sept. 1745). — Gravis etiam obligatio ex communi sententia exsistit quoad litanias, quas sive festo S. Marci, sive tribus diebus Rogationum dicendas esse, rubrica monet: v. S. Alph. ib.

2. Aliae illae additiones: officium defunctorum, officium B. Mariae Virginis, psalmique poenitentiales, graduales, quae per annum in rubricis occurrunt, privatim recitantes non obligant.

3. Chori obligationem, excepto officio B. Mariae Virginis pro iis locis, ubi consuetudo vigeret, S. Pius V. sustulit pro utentibus breviario Romano quoad illas partes accessorias.

Quare 4. Obligatio chori aderit: 1) si tempore Pii V. consuetudo recitandi aderat pro iis, qui aliud ac Romanum breviarium adhibent, circa omnia additamenta; 2) pro iis, qui Romano breviario utuntur, solum quoad officium B. Mariae Virg., si consuetudo exsistebat; 3) si postea consuetudo obligans inducta est, haec servari debet secundum consuetudinis extensionem.

Ad II. 1. Ubi igitur in aliqua ecclesia legitimum breviarium alterius 623
formae exsistit, publicum chori officium fieri *debet* ex hoc breviario particulari, nisi Episcopus *cum consensu totius capituli* maluerit Romanum breviarium inducere: v. Const. cit. Pii V.

2. Singuli clerici, qui ad chorum non tenentur, possunt proprio arbitratu loco particularis breviarii Romanum assumere.

3. Attamen officia, quae dicuntur „propria dioecesis, ordinis", etsi *ex indulto* dioecesi, ordini concessa sunt, a singulis clericis recitari *debent*, quando semel ab ecclesia particulari, ordine etc. adoptata sunt: ut constat ex Resp. S. R. C. 16. Sept. 1730 in una *Ordinis Hierosolym.* ad 6, et 6. Sept. 1738 *Ord. min. ref. Franc.*, cf. Gard. n. 3991 et 4078.

4. Ecclesia, quae semel assumpsit breviarium Romanum, ad aliud breviarium privilegiatum redire nequit. S. R. C. 15. Martii 1608.

5. Similiter, si quando mutatio sive alteratio breviarii legitima consuetudine praescripti facta est, non solum breviarium sic mutatum illegitimum est, sed etiam, prioris breviarii privilegio exstincto, ad Romanum breviarium absoluta evadit obligatio: ita Respons. S. Sedis ad Archiep. Bisuntin. 28. Aug. 1856, v. Gury II. 57.

Ad III. 1. Pro clericis beneficiatis obligationem sub gravi ad reci- 624
tandum officium divinum adesse, colligitur ex poenis gravibus contra negligentes statutis Conc. Later. V. et Const. S. Pii V. *„Ex proximo"* 20. Sept. 1571; imo expresse ibidem dicitur „grave peccatum intelligat se commisisse."

2. Pro quibuslibet clericis sacrorum ordinum hanc obligationem eamque gravem Constitutiones Conciliorum et SS. Pontificum supponunt potius adesse, quam imponunt; adeo indubia iis haec obligatio semper visa est. Cf. cap. *„dolentes"* decretal. l. 3 tit. 41 c. 8, quod sic habet: „districte praecipientes in virtute obedientiae, ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote".

3. Circa religiosos et moniales ad chorum destinatos, si hoc solo titulo teneantur, moverunt quidem aliqui dubium, gravisne obligatio pro singulis adsit; verum altera opinione prorsus improbabili relicta statuendum est omnino, diuturna consuetudine satis constare, pro singulis etiam gravem obligationem exsistere: neque laxior illa paucorum opinio hodie, quantum scio, ab ullo defenditur: v. S. Alph. n. 142 *(de statibus)*.

Ad IV. 1. Verum qui in ordine religioso vota solemnia nondum emisit, sed interea simplicibus votis adstrictus est secundum novum jus a Pio IX. inductum, necdum ordinem sacrum habet, si est inter destinatos ad chorum (i. e. non inter conversos seu laicos): ad chorum quidem tenetur, ut solemniter professi, sed ad privatam recitationem non tenetur.

Ita declaratio Summi Pontificis Pii IX. 16. Aug. 1858, v. Sentis. *lib. 7 decret.* p. 87.

2. *Ad chorum* sive solemniter professus, sive professus votorum simplicium *per se*, ut dixi, sub veniali tenetur: quare causa non adeo gravis excusat. Verum si ipsius culpa est, cur chorus non habeatur, graviter peccat; similiter, si obedientia Superioris vel peculiaris instituti grave praeceptum imposuit. Solemniter professum autem teneri saltem ad recitationem privatam, si choro non interfuit, jam ex modo dictis ad III. elucet.

625 Ad V. 1. Matutinum cum Laudibus licite recitatur privatim pridie sub vesperam; sed quo tempore haec anticipatio incipi possit, non omnes conveniunt.

1) Communis et certa regula est, posse fieri, quum primum sol se *magis* ad occasum a meridie inclinaverit, seu quando sol perfecerit medium cursum inter meridiem et occasum; pro quo tempore, utpote mutabili, jam consueverunt fieri tabellae pro variis regionibus.

2) Alii nolentes tantum discriminis inter tempus aestivum et hiemale facere, putant, per totum annum fieri posse anticipationem circa horam quartam pomeridianam: ita Lacroix; — aut etiam circa horam tertiam cum dimidia, nimirum quando tempus canonicum vesperarum et completorii jam elapsum sit: ita ex Suarez de horis canon. (*de orat.* l. 4) c. 27 n. 14 deducere licet; quae sententia videtur etiam probabilis, ita ut secundum utramque, prout convenientius sit, recitari possit.

3) Sunt etiam, qui ulterius progrediantur, et toto anni tempore, secluso etiam privilegio S. Sedis, hora secunda pomeridiana anticipationem jam fieri posse contendant: quam opinionem pro certo probabili habere non possum, eo quod rationes pro illa allatae infirmiores videntur esse; nolim tamen, si quis secundum illam opinionem egerit, obligationem iterandi imponere, quum externa auctoritas eorum, qui benignam illam sententiam tuentur, me prohibeat eam certo improbabilem dicere, atque tempus et consuetudo eam reddere possit probabiliorem.

Id autem notari debet, non omnes scriptores, qui pro hac ultima opinione afferuntur, vere eam defendere. Sic perperam concluditur ex verbis S. Thomae, qui solum concedit, anticipationem posse fieri „de sero“, quod dein explicat „post tempus Vesperarum“; sed certe, si tempus vesperarum canonicum sumimus, ex hac determinatione S. Thomae vix habeas horam quarta priorem.

Quod autem aliqui „tempus Vesperarum“ nunc ita determinant, quasi sumi possit pro eo tempore, quo liceat ex hodierna praxi privatim Vesperas recitare, siquidem cum Vesperis dies canonica incipiat: id, si stricte sumitur, ad opinionem illam legitime ducit, quam vix ullus audeat defendere, videl., posse sine privilegio statim post meridiem, recitatis Vesperis et Completorio, officium sequentis diei jam recitari. Quod nihilominus per privilegium nunc interdum conceditur; cfr. concessio P. O. Capucinis facta ad decennium d. 20. Nov. 1896: *Analect. eccl.* V, 25. — Sanchez, qui ceteroqui in hac re benigne loquitur, (*consil. moral.* l.7 c. 2 dub. 37), ex *sua* opinione hora secunda jam anticipare *sine causa, peccatum* veniale esse dicit. Suarez autem suo tempore horam secundam pomeridianam sine privilegio tempus legitimum jam esse, „sine dubio“, inquit, „dicendum non est“, eamque „ampliationem nimiam“ esse putat.

626 2. Si quis erravit in officio diei, unum cum altero mutando, servet haec axiomata: 1) Officium pro officio, et: 2) Error corrigitur, ubi deprehenditur. Attamen si officium *notabiliter* brevius sumpsit, v. g. pluribus psalmis minus (ut officium Sancti pro Dominicali), videtur omnino aliquid

ex officio vero supplendum esse; attamen ut propter majorem brevitatem ille, qui inculpabiliter erravit, supplere debeat, materiam gravem latius extendere debemus, quam quae parvae horae aequivalet. Vide S. Alphons. n. 161 q. III.

3. Ex industria unum officium cum altero mutare, per se veniale peccatum tantum est, modo ne sit notabiliter brevius, neque fiat valde frequenter, ita ut annuus ordo officiorum sit permultum perturbatus. Cf. S. Alph. l. c., Laym. c. 5 n. 4 etc.: quamquam alii severius, alii etiam laxius loquuntur. Hinc fit, ut illa permutatio ex mediocri causâ raro facta peccatum non sit, v. g. si quis loco officii proprii recitat idem „de communi", quando proprium officium sine incommodo habere nequit.

4. Si quis autem mutando officium erraverit, potest quidem postea officium omissum restituere in locum alterius jam recitati, si specialem causam sic agendi habet; at convenientius est, ut etiam bis idem officium recitans nunc rectum calendarii ordinem sequatur; imo S. R. C. sic *debere* fieri, respondit. Gard. n. 2634.

5. Ex breviario alieni ritûs officium desumere non licet; nam quum ex praescripto Pii V illa recitatione ne quoad substantiam quidem satisfiat, gravem hanc esse deordinationem dicere debemus.

6. Circa mutationem [1] officii in aliud multum brevius et a vero difforme habes thesim proscriptam 34 ab Alex. VII: „In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit praecepto"; cui adde ib. thes. 35: „Unico officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti et crastino."

7. Quamquam valet axioma „officium pro officio", id tamen sic intelligi nequit, ut, qui *bis eandem* horam recitaverit, propterea aliam possit omittere: quum ne forma quidem officii et distinctionis horarum servata sit.

8. Materia gravis non sunt Vesperae in Sabbato Sancto: nam quam- 627
vis sit hora integra, tamen objectum absolute nimis parvum est. — Si quis ex pluribus horis partem omisit, hae omissiones utique intra diem coalescunt; quare si tantum evadant, quantum parvae horae consuetae aequivalet, materia gravis est. Quod etiam dicendum est de omissione horae parvae *moraliter totius*, ita ut, quae recitata fuerint, sint aliquid minimum, v. g. solum „Deus in adjutorium etc.": v. Lacr. l. 4 n. 1202.

---

[1] Peregrinus recitare debet officia secundum calendarium ecclesiae, cui adscriptus est. At gravis non censetur hujus ordinis sequendi obligatio, quum ex Lacroix n. 1253 complures theologi putent, causam justam, cur mutari officium sine peccato possit, esse „si alibi exsistas, ubi sit officium diversum a tuo, quamvis non diu, seu peregrinando ibi exsistas." Quam opinionem nunc a S. R. C. 12. Nov. 1831 sic mutatam accipe: „Beneficiati tenentur semper ad officium propriae ecclesiae; simplices vero sacerdotes conformari *possunt* officio loci, ubi *morantur; vagis* consultius est, ut dioecesis propriae calendario utantur, quia secus magna confusio officiorum oriretur."

Pro regularibus autem traditur regula, ut si in aliena domo sui ordinis morentur, etsi ad breve tempus, sequi debeant officium illius domûs. Verum haec regula evidenter refertur ad religiosos choro obligatos; additur enim in responso (Gard. ed. 3 n. 4874 et 5175) a S. R. C. dato at Quaesitum *PP. Capuc. et Reg. S. Franc. de Paula:* „quia debent choro ibi interesse." Quare religiosi ad chorum non obligati, nisi diuturna sit commoratio in alieno monasterio, convenientius officia *suae* domûs recitabunt.

9. De recitatione horarum, ut cesset obligatio, debet quidem constare, at sufficit, si probabiliter constat. Quare in dubio, num quid omiseris, sive partem horae, sive integram, sufficit, ut habeas probabilem conjecturam recitationis factae: quae, si de *parte* alicujus horae sermo est, multo facilius habetur, quam de tota hora. — Itaque in his dubiis prudent. existimatione utendum est et judicio secundum communiter contingentia, ac male facit, qui propter ejusmodi dubium repetit, quia viam aperit scrupulis: vide Sanchez *consil. moral.* l. 7 cap. 2 dub. 34, Lacroix l. 4 n. 1236 cum aliis.

10. Qui totum unius diei officium voluntarie omittit manens semper in hac prava dispositione, peccatum numero unum censetur commisisse: potest tamen secundum regulas de distinctione peccatorum vol. I. n. 241 internis peccatis pluribus peccare, si mutat et renovat pravum propositum.

628 Ad VI. 1. In publica chori recitatione multi theologi docent grave peccatum committi, si ordo atque statuta tempora violentur. Attamen nisi haec rerum perversio cum scandalo gravi fiat, de *gravi* peccato non constat. S. Alph. n. 171 cum Sanchez, Laymann etc. negat, grave praeceptum exsistere circa ordinem et statas horas servandas.

2. In privata recitatione non solum Matutinum cum Laudibus, utpote quod jam pridie dici possit, sed etiam parvae horae, a Prima usque ad Nonam toto matutino tempore, etiam *ante auroram* licite dicuntur: hodie enim de lege horas illas discernendi et suo canonico tempori ad amussim adaptandi ne sub veniali quidem constat, quamquam prioribus temporibus veniale praeceptum exsistebat. Ita Suarez l. c.

3. De sacerdote celebrante notat rubrica, celebrandum esse post recitatum saltem Matutinum cum Laudibus. (V. *de praeparatione sacerdotis* rubricas *de defectibus.*) Imo Innoc. IV. anno 1254 dicit: „ne antea sacerdotes Missas celebrare praesumant". — Quare non desunt inter antiquos theologos, qui defectum non praemissae recitationis Matutini cum Laudibus pro mortali peccato habeant, nisi gravis causa excusans adfuerit, ut S. Antoninus aliique. Verum hodierna praxis hunc rigorem certe temperavit, ita ut quam plurimi scriptores *gravem culpam adesse negent*, e. g. Bellarm., Tolet., Less., Laym., Lacroix, S. Alph. l. 6 n. 347, Bened. XIV. (*de sacr. Missae* l. 3 c. 13), Suarez *de Euch.* disp. 82 sect. 1 etc., atque adeo „quamlibet mediocrem causam rationabilem ab omni culpa excusare" (v. S. Alph. ib.).

Nimirum Constitutio Innoc. IV. desuetudine vim suam, saltem ex parte, amisit; per illas rubricas autem Missalis contendunt multi non tam imponi praeceptum, sed mentionem fieri eorum, quae aliunde aut praecipiantur aut consulantur. Hinc etiam est, quod aliqui scriptores, ut Quarti, Tambur. etc. (v. S. Alph. l. c.) per se nullam culpam esse dicant, ante recitatum Matutinum cum Laudibus Missam celebrare: imo etiam Suarez, qui culpam venialem adesse putat, hanc culpam non tam ex praecepto illo repetit, sed potius ex eo, quod generatim post Missam dies jam ita progressus sit, ut tempus pro recitatione Matutini per se debitum jam notabilem dilationem pati debeat: quod non semper ita est.

4. Dicunt tamen communiter, in choro Missam conventualem ante officium nocturnum in choro dictum celebrare, nisi adsit gravis et publica causa, quae scandalum removeat, grave esse peccatum. S. Alph. l. 6 n. 348.

5. Pridie diei anticipare Matutinum et Laudes, privilegium est, non 629
obligatio: quare qui ipso die prorsus impeditus est, quominus officium divinum recitet, laudabiliter agit — idque ut fiat consulendum est — si tempus praevertit; at vera obligatione non tenetur.

Gravior difficultas est, num idem dicendum sit de eo, qui in certa diei parte impeditus est, ita ut *canonico* tempore horas recitare nequeat. Qua in re dicendum est:

1) Qui mane impeditus est, sed in fine diei recitare potest, adhuc tenetur ad totum officium, quia tempus obligationis nondum transiit, sicut ille, qui summo mane die Dominica Missam audire nequit, potest autem circa meridiem, aut etiam, si celebratur adhuc Missa, hora prima etc. post meridiem, eam audire certe debet: neque sententia aliquorum laxior probabilis ullatenus dici potest: cf. Salmant. tr. 16 c. 3 n. 49 et 50.

2) Qui tempore pomeridiano impeditus est, saltem tenetur mane eas horas dicere, quae secundum hodiernam praxim in choro mane jam dici solent; i. e. totum officium usque ad Nonam inclusive (imo tempore Quadragesimae etiam Vesperas). Plerique etiam tenent, eum debere quolibet anni tempore sub gravi etiam Vesperas et Completorium recitare: v. Salmant. ib., Sanchez *cons.* l. 7 dub. 55; at, num haec rigorosa *obligatio* exsistat, merito videtur dubitandum esse.

3) Qui vero non necessarium, sed liberum impedimentum subit, omnino tenetur, etiam antevertendo tempus vel postponendo, integrum officium sub gravi persolvere; nam rationabilis causa a servando ordine illa quidem excusat, sed non illico a substantia officii divini.

6. Quoad temporis determinationem utile est referre responsum Sacrae Poenitentiariae 18. Junii 1873 ad Card. Archiep. Neapolit. datum, qui haec quaesiverat: „Omnia horologia Neapolitana moventur ita, *ut indicent tempus medium Romanum.* Hinc fit, ut media nox non differat tantum a vera ratione temporis medii, sed etiam ratione diversi meridiani, adeo ut differentia interdum non leviter superet horae quadrantem. His rebus consideratis, possuntne fideles Neapolitani in servando jejunio naturali aliisque Ecclesiae obligationibus sequi horologia horas indicantia juxta tempus medium Romanum, an potius debeant ea horologia sequi, quae indicant tempus verum Neapolitanum?“

S. Poenitentiaria mature perpensis expositis, Reverendissimo in Christo Patri S. R. E. Cardinali Archiepiscopo Neapolitano respondet: „Ad primam partem *affirmative, negative* ad secundam partem.“

Vide Acta S. Sedis vol. VII. p. 399 et cf. supra n. 159.

Idem igitur tene de tempore publico aliarum regionum, etsi dirigatur secundum meridianum alterius loci, ut urbis principalis provinciae.

Punctum II.

De modo et circumstantiis recitandi officii divini.

I. Recitatio debet esse vocalis, integra, continuata: ita ut nota- 630
bilis omissio in pronuntiatione materiam gravis peccati constituat.

II. Recitatio debet esse devota; attamen ad grave peccatum evitandum sufficit cum intentione orandi observasse attentionem, quam vocant externam, i. e. eas actiones cum recitatione breviarii non con-

junxisse, quae sua natura veram seu internam, quae dicitur, attentionem impediant.

III. Corporis habitus et locus in privata recitatione quilibet sufficiunt, qui non sint contra reverentiam Deo debitam: quare non solum genuflexus, sed etiam ambulans, sedens, imo curru iter agens, vel ex rationabili causa decumbens officium divinum recitare aliquis potest; neque gravis deordinatio ratione sitûs vel loci committitur, quamdiu *necessaria* attentio servari potest.

Explicatio singulorum. Ad I. **De pronuntiatione:** 1. Vocalis pronuntiatio haberi potest, etsi recitans se non audit: sufficit enim voces et syllabas suis organis efformasse. Ita S. Alph. n. 163; idque docet in distinctione a pronuntiatione in celebranda Missa, et maxime in consecratione, sicut in omnium sacramentorum formis requisita. Nam ubi de valore sacramenti quaeritur, non sufficit probabilia eligere; sed probabile tantum est, eam prolationem sufficere, quae ne a loquente quidem *exterius audiatur*. At quia probabile est, sufficit, sic recitasse breviarium.

2. Sufficit cum socio alternatim recitasse et auditione eorum, quae ipse profert — etsi non ita distincta — cum eo communicasse: sic enim chori recitationem imitantur. Imo unus solus potest lectiones omnes recitare, quibus alter subjunget partem responsorii: ib. n. 162.

In choro aliquis etiam facilius excusatur, etsi pauca quaedam, sive ob perturbationem, sive quia occupatus est in officio chori, ex *sua* parte omittit; chorus enim supplet. Cf. S. Alph. ib. n. 163 Q. II.

3. Mentaliter autem tantum officium divinum percurrere, certo non sufficit: nisi forte a legitimo Superiore ob gravem causam talis dispensatio facta est.

4. Notabiliter verba et syllabas corrumpere, mutilare, ita ut sensus notabiliter corrumpatur, aut ut, v. g. in choro, scandalum generetur, grave peccatum esse potest, atque ad iterationem quandam obligare: si tamen ita notabilis corruptio non est, atque sensus verborum moraliter loquendo manet, veniale peccatum est, neque repetendi obligatio inducitur. S. Alph. n. 165. Imo nullum peccatum, si levis corruptio ex naturali quodam defectu balbutiendi, aut ex inveterata consuetudine, quam recitans nunc studet emendare, fortasse procedit.

5. Quare cum socio sic non notabiliter corrumpente recitare, si causa aliqua subest, non est peccatum; ex libera electione ita agere, aliquod veniale peccatum est. Ad repetendum vel supplendum autem non tenearis, nisi *constet* de notabili corruptione ex parte socii. S. Alph. ib.

6. Qui in choro recitans surdus est, ita ut partem alteram nullatenus percipiat, videtur etiam hanc partem submisse pro se dicere debere: S. Alph. n. 163 Q. III.; qui autem surdaster tantum est, atque aliquatenus aliorum recitationem percipit, modo oculis hanc partem in libro lustrando sese juvet nonnihil ad eam intelligendam, satisfacit, neque ad aliud quid obligatur.

Reliqua v. infra ad II. de attentione in ‚audiente' n. 637.

631 7. Horam interrumpere sine causa, veniale peccatum est, cum causa etiam non gravi, nullum. Quare postea absolute loquendo, saltem si causa interrumpendi erat, pergi potest, ubi recitatio fuerat relicta; convenit tamen, si diuturnior interruptio neque multum recitatum erat, aut horam,

aut saltem psalmum ab initio resumere. — Hinc, si ad manum non habeas breviarium, et scias ex memoria psalmos, possis, ne temporis dispendium facias, lectiones Nocturnorum remittere, postea suppleturus, et reliquum Nocturnorum nunc recitare. Similiter horas parvas, si ex memoria recitare possis reliquum praeter orationem, et similia.

8. Interrumpere unum Nocturnum ab aliis, etsi fit sine causa, non est peccatum, modo ne nimia sit interruptio — S. Alph. concedit tres horas. — Laudes autem etiam interposita nocte separari possunt.

Utrum vero, si aut Nocturnus a Nocturno, aut Laudes a Nocturnis separentur, concludendum sit addita Oratione officii et ‚Pater noster', et postea incipiendum a *Pater* et *Ave,* an sufficiat statim incipere ab invocatione „Deus in adjutorium etc.", non convenit inter theologos. S. R. C. saepius dixit, concludendum Oratione officii, Laudes inchoandas ut in psalterio: cf. in *Marianopolit.* 18. Maji 1883. Quare, etsi minus constet de vera obligatione *universali,* convenientius tamen ubique est, orationem addere; in nocte Nativitatis Domini ipsa rubrica id praecipit.

9. Ordinem singularum horarum non servare, adeoque non suo ordine horam unam post alteram dicere, est veniale, si fit sine causa; ex mediocri causa, v. g. ratione socii, qui jam ultro progressus est, ita agere, ut posterior hora ante priorem recitetur, nullum est peccatum.

Idem dic, si incipiatur Matutinum sequentis diei ante praesentis diei Vesperas: imo aliqui id facilius etiam permittunt, quum non sit nexus idem inter officia diversorum dierum, qui sit inter ejusdem diei singulas canonicas horas.

Quare etiam qui advenit ad chorum, jam incepta recitatione, potest cum choro pergere, et omissa postea privatim supplere.

10. In ipsis commemorationibus, si quae fieri debent, observandus quidem est ordo secundum rubricas: at hujus ordinis laesionem peccatum esse non constat, quum complures eas rubricas inter mere directivas collocent.

Ad II. **De attentione.** 1. Necessarium est ad legem divini officii 632
recitandi implendam, ut fiat ex intentione *orandi* seu Deum colendi, non ex intentione instructionis causa legendi, vel simili motivo. — At de hac intentione orandi nemo sanae mentis dubitare potest, si assumit *consueto modo* breviarium, et recitare incipit, modo ne expresse ad alium finem lectionem assumat.

2. Praeter hanc intentionem attentio seu devotio saltem sub veniali eatenus requiritur, ut homo etiam mente cum Deo divinisque rebus, quae ore tractat, occupetur atque voluntarias distractiones vitet.

3. Gravis autem disputatio est inter theologos, num haec attentio sub gravi peccato requiratur adeoque ad *substantiam* rei praeceptae pertineat, ita ut, qui notabiliter illi defuerit, officium divinum ejusve partem repetere debeat. Quae quaestio, antequam tractetur, exigit praeviam explanationem diversae attentionis.

4. Attentio igitur vera seu interna potest esse:

1) in singulas voces, ut rite pronuntientur, etsi sensus non rite percipiatur. Quodsi mens recitantis in hoc defigitur, est vera attentio ad orationem sufficiens, quum oret ex persona Ecclesiae, cujus deputatus est;

propterea enim sufficit attente quasi legere literas seu epistolam ab Ecclesia ad Deum directam.

2) Attentio ferri potest in sensum verborum et versuum: quod cum majore minoreve perfectione possibile est. Perfectior attentio haec habetur, si mentem ejus, qui intelligit sensum, etiam affectus comitatur, i. e. si conatur eosdem similesque affectus erga Deum ciere, qui in sacris precibus exprimuntur, quos Spiritus Sanctus intendit, quos Christus Dominus in vita sua terrena psalmos precando fovit.

3) Attentio ferri potest in alia mysteria divina, ea meditando, contemplando, dum lingua psalmos aliasve preces recitat.

Quae ultima attentio a pluribus dicitur omnium optima et perfectissima: quod sic intelligi debet, ut *supposita secunda attentione* simul conjungantur altiores animi affectus, qui per mysteriorum divinorum contemplationem excitentur et caritatis ardore mentem impleant. Nam si nimis abstrahit illa meditatio ab affectibus, qui verbis respondent, profecto non est optima attentio, multo minus, si ne aliquo quidem modo attentio ad sensum verborum dirigitur. Verum ejusmodi contemplatio mirum in modum juvare potest recitantem, ut perfectissime affectus suos verbis adaptet; quod si fit, etsi in uno alterove affectu haeretur, atque plura interim dicuntur cum imperfectiore attentione ad verba, sane optimus precandi modus est. Cf. Less. *de just. et jure etc.* l. 2 c. 17 dub. 11 n. 70.

633 5. Multi igitur theologi plane contendunt, sub gravi requiri aliquem ex illis modis verae internaeque attentionis: attamen si quaeritur, quinam gradus requiratur, in explicatione non multum discrepant ab iis, quae a benigniore sententia supra in n. II. notata requiruntur; aliis dicentibus sufficere „attentionem virtualem", ut Suar. *de hor. can.* c. 36 n. 13; aliis, sufficere „attentionem ad verba, ne erretur"; aliis, „ut aliquis dicatur non satisfacere officio, non solum requiri, ut voluntarie se distrahat, sed etiam ut plene advertat, se distrahi *ab officio*", aut ut cum „contemptu vel industria se divertat" (cf. S. Alph. n. 177).

Quodsi ita tandem conditiones extenuantur, iis etiam deficientibus vix amplius habebis *intentionem* orandi seu Deum colendi: quae si ne virtualiter quidem ullo modo perdurat, nemo est, qui dicat satisfieri.

Nihilominus in quacumque suppositione ut graviter peccetur ab eo, qui necessariam attentionem non servat, requiritur aut a) contemptus quidam vel scandalum grave, aut b) voluntas postea non repetendi, vel c) impossibilitas id faciendi praevisa.

6. Neque omnes scriptores, qui internam attentionem sub gravi requirunt, eam ita extenuant, neque, si sibi constare volunt, ita extenuare possunt, sed tandem in eo sistere debent, ut cum Suarez l. c. n. 19 dicant, sub gravi excludi debere „totalem distractionem voluntariam, etiam eam, quae non sit directe voluntaria, sed ex supina negligentia procedat" (modo perduret per notabilem officii partem). Nunc igitur praestat breviter indicare et perpendere rationes et hujus sententiae et contrariae.

En argumenta praecipua: 1) ex cap. „*Dolentes*" Conc. Lat. sub Innoc. III. *Decretal.* l. 3 tit. 41 c. 8, ubi severe arguuntur, qui inter officium divinum „intendunt exterius collocutionibus laicorum, dumque auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina"; dein pergitur: „Haec igitur et similia . . . penitus inhibemus, districte praecipientes in virtute obedientiae, ut divinum officium nocturnum pariter ac diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote";

2) sine attentione ulla vera oratio non videtur subsistere;

3) Ecclesia praecipit sine dubio actum, qui procedat ex intellectu et voluntate, non ex sola imaginatione.

Verum *primam* rationem non satis rem probare, ipse Suarez fatetur, quoniam ex contextu agitur de iis, qui „externam attentionem" graviter laedebant, neque ullatenus participabant in iis, quae altera chori pars cantu lectioneve persolvebat. Quare strictum illud obedientiae praeceptum de devotione seu attentione saltem externa intelligere possumus.

Ad *tertiam* rationem responderi potest, posse Ecclesiam utique etiam sub gravi internam attentionem praecipere, at eam ita egisse non probari, siquidem multorum theologorum aliter sentientium opinionem plane toleret: neque inde fieri, ut evadat recitatio officii actus nullatenus humanus: revera enim procedit a voluntate colendi aliquatenus Deum ac proin etiam ab intellectu, etsi non actualiter, sed virtualiter.

Summa igitur ratio est in eo, quod cum plene voluntaria distractione oratio non consistat ullatenus. Quare

7. Theologi, qui benigniorem opinionem tenent, in eo potissimum 634
sunt, ut probent, orationem nihilominus substantialiter posse consistere (sententiam hanc defendunt Lugo *de Euchar.* d. 22 n. 25 etc., S. Antonin., multique alii; S. Alph. l. c. eam *„satis probabilem"* vocat).

Nimirum: 1) orare est loqui ad Deum, Deo desideria animi manifestare; at hoc fieri potest ab eo, qui voluntarie distractus est, sicuti ille ad regem loquitur, qui petitionem suam e scripto legit, dum interim plane diversa mente volvit. Quod in divino officio eo magis valet, quia Ecclesiae ministri non suo solum nomine, sed maxime nomine Ecclesiae preces ad Deum dirigunt: hinc fit, ut irreverentia ministri deputantem non reddat Deo ingratum.

2) Qui votum ex proposito facere vult, re ipsa autem illud facit cum plena distractione, vere et valide vovet: at etiam votum est locutio ad Deum.

3) Nemo in dubium vocat validam sacramentorum administrationem cum plene voluntaria distractione factam: at haec est actio cultûs divini, imo Extrema Unctio pro forma precationem habet; ergo necesse est, ut concludatur, substantiam orationis posse cum plena distractione consistere.

4) Imo si quis contrarium defendere vult, videtur etiam dicere debere, distractionem totalem involuntariam relinquere quidem voluntatem orandi, at impedire, quominus re ipsa oretur, adeoque etiam involuntarie distractum divino officio non satisfacere: quod nemo dixerit.

8. Quare ad substantiam divini officii dicamus satis probabiliter 635
sufficere cum intentione orandi observasse attentionem ‚externam': seu sub gravi prohiberi, — nisi quis forte postea velit repetere caveatque rationem gravis scandali etc. — quominus inter divini officii recitationem eae actiones fiant, quae necessario internam attentionem graviter impediant.

Ejusmodi actiones censentur esse: pingere, scribere, attente alios audire loquentes, magnâ curâ exterius aliquid agere, quod totum hominem occupat, attente lustrare picturas, etc.; quare ab his etiam in privata recitatione quilibet abstinere debet, ut quoad substantiam satisfaciat, nisi forte de una alterave actione *certo sciret,* se nihilominus

cum ea attentionem servare posse; nihilominus etiamtunc generatim saltem venialiter peccaret, eam simul exercendo: v. Lacroix n. 1335.

Aliae actiones sunt leves omnino, quae ex natura sua attentionem non impediant; quas nemo sub gravi vitare tenetur, imo pro circumstantiis ne sub veniali quidem: lente vestibus se induere, vel exuere, prata agrosque aspicere, manus lavare, paucos flores colligere, etc., a fortiori: ambulare, et similia; quare si quis nihilominus distractus fuit, haec distractio non censetur causata esse ex hisce actionibus. Lacroix ibid.

Tandem aliae sunt actiones mediae, quae utrum cum officii divini recitatione sine substantiali laesione (ex causa igitur sine peccato) conjungi possint, necne, a subjectiva recitantis dispositione pendet; ita ut evitari *debeant* ab eo, qui scit, se *per* illas actiones ab attentione interna etiam infimi gradûs impediri; inter ejusmodi actiones quidem numerant: celeriter se vestire, calamos aptare etc.; cf. S. Alph. l. c., Lacroix ibid.

636 9. Licet igitur hucusque infimos limites descripserimus, quibus obligatio divini officii quoad substantiam contineatur, tamen monere debemus, eum, qui sine aliqua causa loca occupationesve attentioni minus congrua quaerat, a veniali culpa vix immunem esse. Insuper, ut quae sentiam dicam, valde dolendum est, si quis, quum possit, non adhibeat apta adminicula, quibus magis arceat etiam non voluntarias divagationes, et quibus magis magisque devotionem sanctosque affectus excitare valeat atque augere. — Agitur enim de sanctissima atque nobilissima actione, quae bonam partem vitae sacerdotalis occupare debeat, in qua et in cujus fructibus Ecclesia universa multum confidat, per quam Ecclesia Deum placare atque exorare velit pro tot necessitatibus, quibus ipsa continuo premitur, quibusque totum mundum immersum esse dolens et moerens intuetur. Quare pudore suffundi sacerdos debet, si negligentiâ suâ et socordiâ se tot meritis privat, Ecclesiam tot bonis destituat, quae majore devotione et fervore a Deo consequi facile possit. Media autem quaedam eaque diversa a pluribus subministrantur. Cf. S. Alph. n. 177 in fine, Lacr. n. 1347, Gobat tr. 5 n. 849—856, De Ponte *lumina pretiosa* pag. 8 n. 6—9, Nilles *de rat. festorum Sacratissimi Cordis etc.* l. 3 c. 3 § 6 (ed. 3 pag. 658 sqq.).

Brevissime tantum pauca indicare possum:

1) Cum Christo sese conjungere secundum oratiunculam „Domine, in unione illius divinae intentionis . . .“, eosque affectus excitare, quos probabiliter Christus Dominus in se excitavit; quod eo facilius fit, quia complures psalmi aut messianici sunt, aut Messiae facile accommodantur.

2) Mentem occupare aliqua consideratione eorum, quae in passione Dominica occurrerunt: ita valde antiqua praxis singulas horas canonicas in diversas phases Dominicae passionis distribuit, quod quilibet pro sua devotione poterit facere. — Simile quid dic de aliis mysteriis considerandis.

3) Per singulas horas divini officii vel psalmos singulas virtutes efflagitare a Deo, vel in alios diversos fines dirigere, e. g. in gratiarum actionem pro variis beneficiis divinis etc.

4) Sibi proponere Deum praesentem, vel alternare cum Beatis in laude divina.

5) Quandoque renovare propositum bene orandi, e. g. ad „Gloria Patri".

6) Cum animo suo pacisci, ut hunc saltem psalmum devote dicamus.

7) Expedit aliquando, piam praxim mutare, quum variatio mentem magis attentam reddat.

10. Is, qui alternatim recitat, sive cum socio, sive in choro, quando 637
nullatenus attendit ad ea, quae ab altero dicuntur, sed distractionem plene voluntariam attentionem prorsus excludentem fovet, sane ne quoad substantiam quidem satisfacit: nam qui ipse recitat, utcunque saltem canonicum pensum absolvit; qui vero alterum sinit recitare, nihil cum ulla attentione audiens, quoad hanc partem nihil facit.

Imo hac in re ipsa involuntaria distractio, si attentionem penitus sustulit, facessit difficultatem: nihilominus jure ita legem ecclesiasticam interpretari debemus, ut propter eam noluerit ad aliquid repetendum obligare, sicut communiter sentiunt theologi; alioquin in choro aliquis difficulter satisfaciat. Cf. Reuter p. II. n. 262, 6; Gobat tr. 5 n. 691. Atque illa benigna interpretatio videtur applicanda esse omnino, etsi distractio aliquo modo voluntaria subrepserit, siquidem etiam illa non necessario omnem attentionem superficialem impedit. Quare nisi quis plene voluntarie distractus etiam satis adverterit, se attentionem nullam praestare posse, de obligatione repetendi non constare censeo. Cf. etiam Tamb. *in decal.* l. 2 cap. 5 § 4 n. 8 sqq. Et revera illa assistentia, quam choro adhuc aliquo modo pia mente praestat, et participatio cum aliis aliquantulum supplere potest proprium defectum.

Hac ratione etiam S. Alph. n. 143 excusat eum omnino, qui in choro antea perlegit lectionem, ne erret, alias erraturus: quum enim interim levis tantum pars officii recitetur a choro, illa communis utilitas accuratae lectionis excusat ab omissione tam parvae materiae.

Similiter Sanchez, qui sub mortali peccato non in sola auditione, sed in *recitatione* quoque aliquam internam attentionem postulet, tamen *consil.* l. 7 cap. 2 dub. 33 ita dicit: „Qui vexatur a somno, sed adeo resistit, ut pronuntiet suas horas . . . ea attentione, ut saltem videat, quod non omittat dicere aut audire ullum versum vel verbum, etsi propter gravitatem somni non advertit ad significationem . . . non peccat mortaliter" [addiderim: imo pro causa ne venialiter quidem].

11. Consueverunt scriptores pro scrupulosis etiam speciales regulas tradere; sed iis fere supersedere possumus, quoniam ex iis, quae de omnibus dicta sunt, facile colligitur, vix unquam scrupulosum habere posse rationabilem causam dubitandi, an obligationi quoad substantiam defuerit: nam externam attentionem ille, nisi simul sit laxissimae conscientiae, sine dubio servavit, neque intentionem orandi, nisi stultus, mutavit.

Sapienter igitur notat S. Alph. n. 177 in fine ex Gobat, scrupuloso, si graves anxietates patiatur, „aliquando interdici posse recitationem officii, donec videatur posse recitare sine tanto incommodo; quum magnum incommodum excuset per se a praeceptis Ecclesiae".

Punctum III.

De causis a recitatione officii excusantibus.

638 I. Causae per se excusantes revocantur: 1) ad impossibilitatem physicam; 2) ad quandam impossibilitatem moralem seu magnum incommodum, quod cum recitatione officii per accidens conjungatur; 3) ad occupationem urgentem pietatis vel caritatis causa suscipiendam, quae majoris momenti sit.

II. Verum ex eo, quod aliquis non possit recitare totum officium, nondum excusatur a qualibet hora, utpote quarum singulae obligationem gravem inducant.

III. Quando causa per se quidem excusans non est, at similis quaedam circumstantia, dispensatio Superioris supplere potest, ut licite recitatio officii omittatur.

IV. Superiores infra Papam sine causa dispensare valide non possunt, Papa, quamquam potest, tamen id facere non censetur, nisi causa, prout sincere exposita sit, exsistat.

Explicatio uberior. 1. Ille, qui breviarium amisit, aut secum ferre omisit, neque aliud sibi comparare potest, certo nunc excusatur, nisi memoriter possit recitare; peccavit tamen, si voluntarie breviarium abjecit vel reliquit; imo tunc a restitutione, quae secundum *Punctum seq.* imponitur, pro rata omissionis mea sententia excusandus non est.

2. Caecus etiam excusatur, nisi memoriter officii partem notabilem sciat.

3. Qui aegrotat graviter, ita ut seriis rebus mentem occupare nequeat, excusatur: imo etsi jam incipit reconvalescere, si tamen merito timere debet gravem defatigationem, capitis gravedinem, stomachi cruditatem etc., non tenetur officium divinum recitare.

Imo si tantas vires resumpsit, ut aut celebrare, aut officium divinum recitare possit, utrumque simul non possit: praeeligere potest Missae celebrationem, quum sacerdoti gravius sit celebrationem debere omittere, et ipsa SS. Missae celebratio opus sit multo praestantius quam officium divinum. Ita saltem equidem opinor. Cf. Elbel de stat. partic. n. 176.

4. Si quis aegrotus non totum officium recitare potest, dubitat an partem, ad nihil tenetur, ne anxietatibus res exponatur. V. S. Alph. n. 154, Gury II. 95. — In casibus igitur infirmitatis, si fieri potest, convenit judicium Superioris sequi, qui etiam dispensatione juvare potest; ceterum sufficit stare judicio prudenti et probabili sive alieno, sive proprio: S. Alph ib.

5. Qui vero propter aliam impossibilitatem, e. g. carentiam breviarii, excusatur, certo debet partem, quam potest, recitare, modo sit notabilis pars tum in se ratione materiae, tum in ordine ad formam officii divini. Ergo 1) qui horam fere integram ex memoria recitare potest, id debet facere; 2) qui ex longiore hora partem notabilem, quae parvae horae aequivaleat, recitare potest, ut plures psalmos Nocturnorum secundum ordinem divini officii, id ex sententia practice tenenda facere

debet: v. S. Alph. n. 158 cum aliis; 3) qui autem modo ex una, modo ex altera hora singulos tantum psalmos scit, ita ut nulla *cohaerens* materia ad gravem accedat, non tenetur se pro obligato habere ad quidquam: quidquid igitur recitat, recitabit ex convenientia quadam et consilio. Quare axioma illud: „qui potest recitare, quantum est parva hora, tenetur", non sic intellige, quasi valeat etiam de materia ex multis valde levibus partibus collecta.

Expressam declarationem Ecclesiae in hac re ex thesi ab Innoc. XI. damnata n. 54 habes: „Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem."

639 6. Exempla aliarum occupationum, quae magis urgeant, habes:

1) Excusatur, qui ex improviso vespere vocatur ad aegrotum, neque ante elapsum diem naturalem liber est.

2) Eodem modo excusatur ille, qui extraordinario tempore per totum diem occupatur in excipiendis confessionibus, quando poenitentes sine magno gravamine remittere nequit: neque tenetur propterea a necessario somno et corporis refectione desistere, maxime si *per plures dies* his laboribus incumbere debet. At revera raro expedit, propter talem causam se eximere: Gobat tamquam laxam atque inauditam sententiam rejicit doctrinam Caramuelis, eum excusari, qui per 12 horas confessionibus excipiendis similive labore occupatus fuerit. — Causam autem dispensandi similia adjuncta Superiori utique videntur praebere.

3) Si quis omni tempore indigeat ad concionem etc. parandam, quam sine gravi nota omittere non possit, utique excusatur. At peccavit, si, quum potuerit, negotium non antevertit; atque etiam post habitam concionem id, quod ex officio adhuc potest recitare, persolvere utique debet.

7. Qui non potest solus recitare officium, potest autem cum socio, id facere debet, quando socium commode habere potest, sive ille ad dicendum divinum officium tenetur, sive non; neque hoc est extraordinarium medium. Verum si commode non invenitur, multa inquisitione opus non est.

Num vero beneficiatus ex fructibus beneficii teneatur *conducere* socium, si aliter non occurrit, non omnes eodem modo loquuntur. Videtur tum tantum talis obligatio esse, quando beneficiatus continenter impeditus est, quominus solus breviarium recitet. Ille igitur ad id videtur obligatus esse, maxime si breviarii recitatio solum onus est, quod beneficio adjungitur: aut, si mavult, quaerat dispensationem vel commutationem. Cf. S. Alph. n. 158 in fine.

8. Religiosi *ejecti* per sententiam, quoniam status religiosus in iis quasi exstinctus est, non tenentur amplius ad breviarium, nisi forte *ratione ordinis sacri.* S. Alph. n. 142.

Religiosos clericosve ad triremes damnatos S. Alph. ib. dicit, probabiliter non teneri ad officium etiam iis diebus, in quibus a laboribus illis cessent, tum quia cedat in dedecus statûs clericalis, si se ut clericos exhibeant, tum quia in tam misero statu illo onere non videantur insuper gravandi esse. — Quod ad similes poenas publicas applicari potest. Sola tamen incarceratio per se non excusat ab obligatione divini officii, quum et tempus et opportunitas exstat.

Punctum IV.

De restitutione fructuum beneficii propter neglectum divinum officium.

640 I. Beneficiati, quamquam statim ac beneficium possident jure in re et pleno dominio, ad canonicas horas obligantur sub gravi peccato, tamen propter neglectum pensum non tenentur fructus restituere prioribus sex mensibus: cf. Later. V. sect. 9 § *„Statuimus“* et S. Pius V. *„Ex proximo“* anno 1571.

II. Dicunt tamen plures auctores (v. S. Alph. n. 144, 4 et l. 3 n. 674), eos non teneri ratione beneficii, quorum beneficii fructus tam tenues sint, ut tertiam partem mediocris sustentationis non adaequent. — Verum potest illis tunc imponi brevior pars canonicarum precum: quam si negligant, sicut reliqui ad restitutionem teneantur.

III. Obligatio restitutionis fructuum non exsistit, nisi propter omissionem divini officii ejusve partis graviter culpabilem; est autem obligatio pro singulis *horis* omissis.

IV. Quando praeter divinum officium alia onera beneficio adnexa sunt, solummodo pars quaedam pro divini officii recitatione atque pro restitutione ex neglecto officio computari debet.

Explicatio uberior. Ad I. 1. Ut clericus beneficiatus dicatur, debet habere beneficium ecclesiasticum stricte dictum, auctoritate Ecclesiae constitutum; attamen pensiones, quae a Guberniis in locum bonorum ecclesiasticorum occupatorum quotannis clericis solvuntur, pro beneficiis computari debent, ut in simili quaestione dixi vol. I. n. 903.

Beneficium non est: 1) pensio saecularis: si vero pensio *ecclesiastica* clerico ut clerico datur, imponitur (cum eodem onere restitutionis) recitatio officii B. Mariae V.: v. S. Alph. l. 4 n. 138.

Beneficium non est: 2) praestimonium, quod datur in subsidium studiorum: verum considerandae sunt circumstantiae.

2. Quaenam beneficii *possessio* requiratur et sufficiat, accuratius vide apud S. Alph. l. 3 (al. 4) n. 664.

641 Ad III. 1. Obligatio restituendi fructus respondentes omissioni adest ante omnem sententiam judicialem, ut patet tum ex thesi damnata vicesima Alex. VII., tum ex ipsa re, quia negligentes officium divinum fructus beneficii nunquam fecerunt *suos:* quare obligantur ad restitutionem ex possessione rei alienae.

2. Attamen haec restitutio *ut poena* imponitur: quare supponitur culpa theologica, eaque per se gravis. Determinavit autem S. Pius V. restitutionem sic, ut pro Matutino cum Laudibus *dimidia* pars fructuum unius diei, pro reliquis horis altera *dimidia* pars esset restituenda, pro una ex illis reliquis horis *sexta* pars: quam sextam partem Mazzotta (tom. I. tract. 2 disp. 1 q. 2 cap. 1 § 3 *Quaeres* 10) ita explicat, ut sit sexta pars *diurno* officio respondens, seu duodecima pars fructuum officio integro respondentium. Ex quo inferre licebit, pro omissione unius Nocturni festivi quartam partem dimidii, seu octavam partem fructuum unius diei restitui debere.

3. Quae restitutio fieri debet aut fabricae beneficii (ita ut in augendis agris etc. impendatur), aut fabricae propriae ecclesiae, aut quibuslibet

pauperibus: unde colligunt, posse etiam fieri restitutionem ita, ut sumatur summa restituenda pro stipendiis *consuetis* Missarum aliorumve suffragiorum pro levamine animarum purgantium. S. Alph. l. 3 n. 672.

Imo eleemosynae, quae post commissum peccatum neglecti divini officii datae sunt, etsi sine recordatione restitutionis faciendae, computari possunt propter uniuscujusque interpretativam intentionem prius satisfaciendi obligationi justitiae, quam merae misericordiae et liberalitatis.

Ad IV. In beneficio curato major pars pro *aliis* muneribus computari potest, atque eo major relativa, quo majora sunt reliqua onera, et quo minus est beneficium: (sc. tunc jam alia onera fere merentur omnes beneficii fructus). Quare pro diversis adjunctis sufficit, ut tertia vel quarta pars omnium fructuum pro recitatione divini officii computetur; imo si beneficium sat tenue est, et alia onera magna, etiam solum quinta vel sexta pars: v. Laym., S. Alph. l. 3 n. 673 cum Sanchez, Soto, aliis.

Articulus II.

De obligationibus clericorum in particulari.

§ 1.

De speciali obligatione Episcoporum.

Opusculum omni laude superius hac de re tractans habes S. Gregorii 642
Magni *„De cura pastorali“*, ex scriptis S. Caroli Borromaei *Acta ecclesiae Mediol.* et *Pastorum instructiones;* brevi compendio obligationes comprehendit S. Alph. *H. Ap.* tr. 7 n. 47—66; praeterea cfr. Lucidi *de visit. limin. Apost.,* et Zitelli *apparatus juris ecclesiastici* pag. 76 sqq.

Obligationes speciales Episcoporum hae praecipuae sunt:

I. Residentia jure ecclesiastico et aliqua ratione divino praecipitur, Trid. sess. 23 cap. 1 *de ref.,* nisi forte necessitas aut evidens Ecclesiae utilitas, maxime obedientia erga Rom. Pontif., aliud exigat. Cf. Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 7 c. 2 n. 4.

Nihilominus conceditur Episcopis, ut ex „aequa“ causa per 2—3 menses abesse possint: ut autem diutius sine culpa absint, requiritur *gravis* causa, eaque, nisi evidens et urgens sit, a S. Sede approbata. Nimirum antea approbatio aut S. Sedis pro Cardinalibus Romanae Ecclesiae, aut metropolitani Praesulis pro suffraganeis, aut antiquioris suffraganei pro metropolitano vel aliis suffraganeis in illius absentia sufficiebat; nunc ex Bulla Bened. XIV. semper recursus ad Summum Pontificem requiritur: v. Scavini n. 482, 6.

Qui autem contra hanc legem delinquit, non facit fructus suos, sed restituere debet. Quantitas restituenda non ea est, ut pro residentia annua omnes reditus annui computari debeant, sed pars; atque ex ea pro rata indebitae absentiae sine ullo judicis interventu restitutio debita est (Trid. sess. 23 c. 1). Sed judiciali criminis declaratione *insuper* majorem poenam „ipso facto incurrendam“ reus subit, ita ut suae ecclesiae vel pauperibus *loci* applicare debeat mediam partem fructuum, quos fecerat suos, si per totum annum abfuit, quartam, si per sex menses abfuit, nimirum tres alios menses ultra tres permissos: v. Trid. sess. 6 c. 1 *de ref.* et Ben. XIV. *„Ad universa“;* cf. Craisson n. 894, Lucidi l. c. vol. I. cap. 2.

II. Visitatio dioecesis (cf. Trid. sess. 24 c. 3 *de ref.*) sive per se ipsos, sive impedimento occurrente per visitatorem. Trid. quidem singulis saltem bienniis visitationem dioecesis praescribit: ubi autem nimis amplae sunt dioeceses, videtur nonnihil indulgendum; Episcopus autem alio modo fini visitationis provideat.

In visitatione praecipua cura esse debet, ut videatur:

1. qui sit status cleri, quum ab illius moribus et zelo reliquorum vita pendeat;

2. qui sit status morum in dioecesi, utrum scandala publica exsistant, utrum quaedam correctione indigeant, necne; Episcopus enim (*Hom. Ap.* tr. 7. n. 63) strictius, quam parochus, tenetur ad corripiendos subditos et ad occurrendum scandalis; quod ut facere possit, monet S. Alph., non solum a parochis et vicariis foraneis eum informationem petere debere, sed etiam ab aliis;

3. quaenam querelae a variis afferantur: quare id agere debet Episcopus, ut adiri facile possit, ne fideles a se repellat, sed quidquid exponere velint, libenter excipiat;

4. ut detur opportunitas recipiendi sacramentum confirmationis: vide, quae in tractando hoc sacramento dicta sunt n. 100.

III. Visitatio liminum Apostolorum, ut nimirum suo tempore referat apud S. Sedem de statu dioecesis: quae relatio, si adest legitimum impedimentum pro ipso Episcopo, fieri debet per procuratorem. Tempus praestitutum est pro diversa a S. Sede distantia diversum, sc. singulis 3, 4, 5, 10 annis. Vide fuse et exacte omnia, quae hoc munus spectant, apud Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 13 cap. 6, et egregium opus Lucidi supra laudatum, praecipue prout exstat *tertia* editione recusum et recentibus Constitutionibus RR. Pontificum auctum a J. Schneider, Romae 1883.

643 IV. Cura circa ordinandos. Quantam curam circa candidatos ordinum sacrorum, eorum educationem, morum inquisitionem etc. agi oporteat, non est, quod hîc exponatur. Ausus non sum omnia illa referre, quae S. Alph. l. c. n. 47 sqq. dicit; verissimum est, hoc esse Episcoporum munus gravissimum, sanctissimos praesules, si in ulla re, in hac ipsa timuisse rationem, quam de ea Deo reddere debeant. — Cum quo munere cohaeret, ut invigiletur continuo confessariis, aliisque sacerdotibus curam animarum exercentibus, ut si quid corrigendum sit, corrigatur.

V. Etiam peculiaris cura impendenda est monialibus, ut observentur, quae de earum confessariis sapientissime a RR. Pontificibus constituta sunt, et ut in earum admissione plena libertas servetur etc.

VI. Praedicatio verbi divini est unum ex praecipuis officiis Episcopi. Quamquam autem ipse per se non debet a praedicatione abstinere, tamen facilius hoc munus per alios exercere potest, quam parochus. Saltem ergo id agendum est, ut provideatur populo de instructione, maxime etiam rudibus et pueris, ut bene instituantur in doctrina christiana.

VII. Quae de obligatione orandi et Missam celebrandi pro populo dicenda sint, vide jam exposita in ‚*Sacrificio Missae*'.

§ 2.

De speciali obligatione parochorum.

Cf. de hac materia praeter opera modo ad § 1 laudata S. Alph. *H. Ap.* l. c. n. 14—47, Scavini tom. I. n. 490—518, Zitelli op. laud. pag. 177 sqq. Aliorum operum recensionem magna cura confectam habes apud Amberger *Pastoraltheologie* edit. 4. § 49—53.

I. Parochus tenetur ad residentiam, idque in domo parochiali 614
ecclesiae propinqua (cf. Trid. sess. 23 cap. 1 *de ref.* atque S. C. C. decreta), eamque non otiosam.

II. Debet curam habere ecclesiae, ut et ipsa ecclesia atque sacra utensilia decore conserventur, et sacrae functiones consuetae celebrentur.

III. Debet pro parochia sua orare et diebus Dominicis et festis Sacrum pro populo suo applicare.

IV. Debet populum sibi commissum et sacramentis pascere, et doctrina christiana tum per catechizationem tum per conciones instruere, delinquentes corrigere, scandala, quantum potest, removere.

V. Debet maximam curam infirmorum habere, neque solum extremis sacramentis munire, sed etiam postea eos juvare, maxime in ipso vitae exitu.

VI. Debet instruere obstetrices et matres, ut in necessitate sciant baptismum rite conferre infantulis periclitantibus aut etiam foetibus abortivis.

Quoniam pleraque, quae hîc notantur, fusius alibi suis locis tractantur seu tractata sunt, sufficit pauca majoris explicationis causa addidisse [1].

Explicatio. Ad I. **De residentia.** 1. Absentia parocho conceditur ad duos menses in anno ex causa rationabili et licentia Episcopi: quam licentiam ut concedat, Episcopus debet se non difficilem praebere; sed requiritur insuper, ut parochus relinquat vicarium idoneum ab Episcopo approbatum.

---

[1] Parochi proprie dicti quidem in Foederatis Americae Statibus in paucis omnino regionibus inveniuntur: sunt tamen loco parochorum ii, qui vocantur missionarii rectores, a populo nomine „parish priest" insigniuntur. Hi ergo quamquam tandem jure mutari sede possunt, non debent facile removeri vel transferri inviti, quum e contrario sacerdotes auxiliares ad nutum Episcopi amovibiles sint. — Officia sacerdotum quasi-parochorum vix distinguuntur ab iis, quae muneri proprii parochi inhaerent; applicandae Missae obligationem tamen non habent eandem.

In causa criminali etsi non requiratur idem processus judicialis, qui secundum canones in depositione parochi praescriptus est, tamen ne omnia Episcopi arbitratui nimis paterent, Leo XIII. instructione per S. Congr. de Prop. F. die 20. Julii 1878 datâ complura servanda accurate praescripsit, quo judicialis agendi modus *communis juris* similis evaderet. Archiv für kath. Kirchenrecht vol. 41 pag. 401 sqq. — Simile quid constitutum est pro Anglia, ubi fere eadem est sacerdotum missionariorum conditio. — Sed nunc post Concil. pl. Balt. III. fere ubique in Foed. St. Americae sept. jus obtinuit nova Instructio S. C. de Prop. F. „*Cum magnopere*" anni 1884, abrogatâ illâ priore: cf. S. B. Smith *The New Procedure* apud Pustet 1887.

2. Ut autem ultra duos menses absentia concedi possit, requiritur causa *gravis:* attamen si causa est evidenter justa et urgens, modo relictus sit vicarius, S. Alph. censet, parochum incusari non posse, si, misso nuntio ad Episcopum, proficiscatur ante licentiam acceptam.

3. Infra hebdomadam ex rationabili causa recedere (modo ne occurrat dies festus de praecepto), relicto vicario idoneo, non censetur illicitum ex se, etsi licentia Episcopi petita non sit: verum jus est Episcopo id statuendi etiam sub gravi, ut nemini liceat sine licentiâ acceptâ (aut si negotium urgeat *petitâ*) recedere ultra triduum vel biduum: alias materia gravis, ut adsit, censetur extendi ad spatium 2—3 hebdomadarum, si vicarius idoneus adest: v. Const. Concil. Rom. an. 1725.

4. A mane usque ad vesperam abesse die feriato, modo ne quis ex parochianis graviter decumbat, et modo raro fiat in anno, etsi Superioris licentia quaesita non sit, non censuit prohibitum S. Congr. 8. Febr. 1747: v. Scavini t. IV. n. 100 g.

5. Qui ultra duos menses abest sine causa ab Episcopo probata, amittit fructus suos, seu potius *non facit fructus suos,* nimirum eos, qui respondent absentiae et residentiae seu exercitio munerum parochialium.

645 6. Residentia autem propterea praecipitur, ut officia parochialia exerceantur, praecipue instructio populi per catechismum et conciones et sacramentorum administratio. Quare qui notabili tempore haec negligat, otiose residere dicitur, neque fructus suos facit: v. Bened. XIV. Constit. „*Grave*“ d. d. 15. Aug. 1741.

7. Parochum tempore contagiosi morbi parochiam relinquere non posse, jam alibi agentes de sacramentis diximus, hoc vol. n. 36 sqq.

Quae n. II. et III., **curam templi** et **applicationem Missae,** spectant, in tractatu de Eucharistia satis explicata habes.

Ad IV. **De populo instruendo.** 1. Relate ad concionandum grave peccatum censetur, si parochus notabiliter ultra mensem (v. g. per duos menses) continue omittat concionari, aut si notabiliter ultra tres menses discontinuos in anno. Imo puto pro diversis regionibus facilius etiam ratione scandali graviter peccari posse: nam per se praecipitur, ut saltem diebus Dominicis et festis sermo ad populum habeatur.

2. Modus concionandi debet esse captui populi accommodatus: quare praecipue intendere debet parochus ad instructionem christianam; vide Trid. l. c.

3. Materiam autem, in quam maxime intendat, discere licet a S. Alph. *H. Ap.* tract. 7 n. 35—44. Nimirum summopere commendet:

1) necessitatem orationis seu petitionis a Deo, praecipue tempore tentationis;

2) instruat bene homines circa necessaria ad sacramentum poenitentiae;

3) edoceat actum perfectae contritionis, atque id urgeat maxime, ut eliciant statim post infelicem lapsum, ne peccata peccatis cumulentur;

4) inculcet necessitatem evitandi occasionem peccandi, tabernas, familiaritates . . .; atque stimulet conscientiam parentum, ut in filios invigilent, a teneris annis eos adducendo ad pietatem et supprimendo pravas inclinationes, avertendo pericula et occasiones; [fidei pericula doceat vitare];

5) doceat modum frequenter eliciendi actus virtutum theologicarum et bonam intentionem; atque hortetur ad instituendas diligenter preces ma-

tutinas et vespertinas: si vero animas nobiliores et capaciores invenit, eas instruat in aliqua meditatione;

6) commendet maxime sacrificium Missae, devotionem SS. Sacramenti, passionis Dominicae, SS. Cordis, Beatae Mariae Virginis.

4. Si qui autem sunt in parochia, qui ad ecclesiam accedere nequeant: eos adire debet, aut saltem per alios idoneos *instruendos curare,* ut post Lacr. (lib. 2 n. 174 et l. 3 p. 1 n. 747) S. Alph. l. c. n. 35 omnino monet, neque grave incommodum praetexere potest parochus, ut hanc *gravem* obligationem negligat.

5. Gravis omnino obligatio etiam est curandi, ut instruantur pueri 646
et puellae post annos discretionis, atque ad confessionem praeparentur et admittantur. Gravissimum enim abusum esse, jam vol. I. n. 1203 dixi, si parochus illos remittat usque ad annum 10—14, quo ad primam Communionem eos praeparaturus est. Nam confessio instituí debet, quum primum periculum fuerit, ne forte pueri peccaverint et in peccato permaneant: quod sane non raro ante septennium, imo aliquando non parum ante sexennium accidit.

6. Quoad corrigendos parochianos et removenda scandala regulae quidem prudentiae opus est adhibeantur, sicut in qualibet correctione fraterna et paterna; at quum correctionis obligatio privatum hominem non ita facile sub gravi teneat, parochum multo facilius adstringit, modo prudens spes fructûs adsit. Neque propter grave incommodum, quod subire debeat, parochus ab officio suo excusatur. — Multo magis cum gravi vel etiam supremo periculo avertere debet spiritualem parochiae ruinam, si qua per seductionem, pravae doctrinae disseminationem etc. impendeat. — Quo melius curam suis subditis adhibeat, plurimum conducit, interdum missiones, quas vocant, instituendas curare.

Ad V. **De visitatione infirmorum.** Circa eam 1. etiam recentius 647
decretum est, ut servetur praescriptum Ritualis Romani. Quod parocho injungit, ut, quantum fieri possit, assistat etiam moribundo in vitae exitu, atque propterea domesticos moneat, ut se vocent, si videatur finis vitae instare, quamquam aegrotus sacramentis omnibus jam rite munitus sit. Ratio autem manifesta est, quia in fine vitae et periculum peccandi gravius est propter inimici insidias, et damnum irreparabile.

2. Quae obligatio utrum gravis an levis sit, non potest una generali regula definiri. Nam si de homine peccatis assueto agitur, nemo non videt, esse, etsi grave incommodum subiri debeat, gravem obligationem, ab eo periculum aeterni interitûs non leve omni modo depellere; multo minorem esse obligationem, si agatur de moribundo pio, quem non amplius peccaturum esse, moraliter certum sit.

3. Imo si periculum notabile pro aegroto non adsit, causas parochum excusantes adesse posse, S. C. noluit negare; at hoc negotium ex magna parte conscientiae parochi tandem visa est committere, utrum scil. censeret causam adeo gravem esse, ut putaret, se ad illam moribundi assistentiam non teneri, an secus.

4. Ceterum, si ita est, ut parochus non possit assistere, eo minus omittere debet — quod etiam alias summi momenti est — ut admoneat aegrotum atque unum ex assistentibus, hominem fidum et pium, ut saepius eliciatur actus perfectae caritatis et contritionis. Quare methodum id faciendi apprime doceat aegrotum et eum, qui aegrotum curat. Ab hoc enim aeterna salus multorum pendere potest; aeternae gloriae *augmentum* multum ex eo dependere, est certissimum (cf. resp. S. C. C. 23. Martii 1879).

Ad VI. **De cura baptismi.** Quum causa baptizandi infantes gravissima sit, quando vita illorum periclitatur, non est, cur multa verba hac de re faciam. Nota verba S. Alph. *H. Ap.* l. c. n. 45: „Tenetur diligenter examinare obstetrices, si (num) ipsae sciant, quod ipsas oportet scire ad conferendum baptismum in casu necessitatis.“ Cf. Scav. t. III. n. 83 et ea, quae supra attuli *de baptismo* n. 73 sqq. — Addam, monendos etiam esse *medicos,* quum hodie quam plurimae matres nobiliores medici ope loco obstetricis utantur, neque desint inter ipsos medicos catholicos, qui foetus abortivos baptizandi curam habeant vix ullam. Cf. Capellmann *medica pastoralis* cap. ‚baptismus‘.

Ceterum, ut in ea, quae ad n. V. et VI. notavi, parochus sedulo incumbat, non solum officii suscepti ratio et caritatis erga proximum obligatio postulat, sed ipsa caritas sui ipsius. Quo enim meliore modo et securiore parochus efficere potest, ut sibi faciat amicos in coelis? Quot animas salvaverit, tot intercessores apud Deum habebit, qui in periculis ipsum protegant, atque maxime in fine vitae potenti patrocinio finalem perseverantiam atque coelestis gloriae assecutionem implorent [1].

---

[1] Ex parochi officiis quasi fluunt jura quaedam et facultates, quae parocho competunt. Haec quidem exponere et demonstrare juris canonici est. Pro majore autem commodo lectoris praecipua hîc subjicio, contracta ex Bouix *de parocho* parte IV., et Craisson *manuale* n. 1288—1514.

Distingui possunt 1) *jura stricte dicta,* quae facultatem excludendi alios continent, ita ut alii in iis rebus licentiam parochi (vel pro re nata Episcopi) indigeant; et 2) *jura minus stricta,* quae facultates et functiones sunt parochis quidem propriae, non ita tamen, ut alios ab iis excludere possint.

Ad 1mum genus pertinet:

1. Jus eligendi sibi sacerdotem auxiliarem seu vicarium, si propter numerosiorem populum eo indiget: (non vero eligendi eos qui in officium stabile capellaniae etc. canonice erectae instituantur, neque eligendi vicarii, qui in locum vel adjutorium parochi ex infirmitate senio aliisve causis muneris sui imparis judicio Episcopi necessarius sit.) De idoneitate vicarii Episcopus quidem debet recognoscere; atque si non idoneus repertus sit, parochus autem tempore sibi praefinito alium eligere neglexerit, Episcopus vicarium, si parochiae populo necessarius est, destinare et eligere potest.

2. Jus administrandi bona tum sui beneficii, tum suae ecclesiae sub dependentia ab Episcopo: verum quoad alienationem, imo diuturniorem locationem, vel ipsius Episcopi potestas valde restricta est. — Pro rerum autem adjunctis causarumque gravitate ecclesiae bonorum administratio ab Episcopo etiam laicis committi potest; cui dispositioni parochus tum acquiescere debet.

3. Jus solemniter baptizandi eos, qui in parochia domicilium habent, sive infantes, sive adultos qui ad fidem convertuntur.

§ 3.

De obligatione speciali Canonicorum.

Cf. S. Alph. *in dec.* (l. 3) n. 675 et *de stat. partic.* (l. 4) n. 129—132; Scavini t. I. n. 485—488, 653, t. IV. n. 77; Lucidi et Zitelli ll. cc.

I. Residere debent*. Attamen 648

1. Permittitur eis absentia trium mensium ex causa non gravi, non postulatâ licentiâ, nisi forte *extra dioecesim* abire voluerint (v. S. C. Conc. anno 1626, Scavini IV. l. c.), neque factâ alterius substitutione. Verum

---

4. Jus conferendi infirmis S. Viaticum et Extr. Unctionem (nisi urgeat necessitas), atque parochianis simpliciter sumptis Communionem paschalem. — Similiter jus retinendi clavem tabernaculi et rerum quae ad sacramenta spectant.

5. Jus assistendi matrimonio suorum parochianorum, atque solemnis benedictionis matrimonii dandae.

6. Jus benedicendi solemniter campos et peragendi adjurationem animalium: atque etiam benedicendi domos Sabbato Sancto. Ceteroquin privatim benedicere campos, naves et similia cuilibet sacerdoti licebit „de licentia Episcopi“: Gardell. n. 3124.

7. Jus ad certas oblationes fidelium, sive quae re ipsa liberaliter fiunt, sive quae ab Ordinario determinari et imponi possunt congruâ parochi sustentatione aliter deficiente. — Quaenam vero ex iis, quae occasione sacrarum functionum a fidelibus dantur, parocho obveniant, etsi alius sacerdos functiones fecerit, accuratius ex lege vel consuetudine loci decernendum est.

8. In funeribus parochianorum jura quaedam sive honoris, ut deferendi stolam, deducendi corpus defuncti e domo ad ecclesiam in qua exsequiae peragendae sint, sive emolumenti temporalis parocho reservantur; atque ita, ut parocho quaedam cedi debeant, etsi defunctus forte alibi quam in ecclesia parochiali vel coemeterio communi sibi exsequias et sepulturam elegerit. Accuratiora vide apud canonistas.

Ad 2dum genus pertinent:

9. Jurisdictio fori sacramentalis in ea civitate seu eo oppido, ubi parochia sita est, idque jure communi; imo in ipsos parochianos ubique etiam extra dioecesin jurisdictionem sacramentalis fori exercere potest.

10. Facultas ex justa causa cum parochianis singillatim dispensandi in praecepto jejunii vel abstinentiae; atque etiam in praecepto dierum festorum sive quoad Missam audiendam, sive quoad requiem ab opere servili: ita ex consuetudine potestatem parochi interpretari licet.

11. Quam plurima habes puncta, quae in controversiis et litibus circa jura parochorum, confraternitatum etc. decreto U. et O. d. d. 10. Dec. 1703 decisa sunt circa quasdam functiones sacras; ex his notari merentur sequentes, quae exhibentur ut functiones parochiales, non ita tamen, ut *ex se* de juribus mere parochialibus sint: Benedictio fontis baptismalis, benedictio puerperarum, Missa solemnis fer. V. in Coena Domini aliaeque functiones hebdomadae sanctae, benedictio candelarum, cinerum, palmarum, ignis etc. (Gardell. n. 3670.)

12. Attamen parochus non solum nequit se opponere regularibus, quominus in ecclesiis suis sacras functiones peragant; sed neque prohibere potest, quominus in ecclesiis vel oratoriis separatis confraternitatum congregationes, conciones, aliaeque functiones sacrae confraternitatum habeantur, modo ne impediantur officia parochialia.

* Haec obligatio, ut patet, non obligat, ubi propter penuriam sacerdotum canonici extra urbem episcopalem curam animarum exercent neque pro canonicatu beneficio ecclesiastico fruuntur, ut in Anglia: nam ibi ecclesiasticum quidem honorem et munus consiliariorum Episcopi habent, obligationes vero, quae cum *beneficio* ecclesiastico conjunguntur, non habent.

non tot simul abesse licet, ut chorus tollatur, nec absentiam incidere in tempora solemniora.

2. Si diutius abfuerunt, exceptâ gravi causâ per licentiam Superioris approbata, amittunt pro rata fructus suos ipso facto (Trid. sess. 24 c. 12 *de ref.*), ita tamen, ut non omnes fructus pro residentia computari opus sit, sed partem etiam pro privata divini officii recitatione; et insuper poena ferendae sententiae statuitur, ut priventur primo anno, quo delinquant, dimidia parte, secundo anno omnibus fructibus, quos etiam ratione residentiae et praebendae fecerint suos.

3. Distributiones quotidianas non lucrantur iis diebus, quibus absunt, etiam legitima concessione usi: v. S. Alph. l. 4 n. 129 circa med.

II. Chorum habere ibique psallere debent sive cantare divinum officium, non submisse tantum orare[1].

Quodsi in choro solum *submissa voce* officium recitant, ita ut chori partem non faciant, amittunt saltem et partem fructuum beneficii et quotidianas distributiones (nisi forte quoad fructus beneficii tempus illud, quo consueverunt submissa voce recitare, computent inter tempus absentiae a Tridentino permissum, i. e. inter tres illos menses). Vide Constitutionem Ben. XIV. *„Quum super oblatas“* et subseq. Breve *„Dilecte Fili“* 19. Jan. 1748 — S. Alph. l. 3 n. 675.

III. Ad Missam conventualem tenentur, nimirum 1) assistere quotidie debent, 2) eam, si ipsi non canunt, per vices celebrandam curare debent, i. e. canendam, etiam soluto stipendio, atque applicandam pro fundatoribus et benefactoribus in genere.

IV. Assistere debent Episcopo solemniter Pontificalia exercenti.

V. Tandem vacante Sede debent Vicarium Capitularem intra octo dies eligere, ad quem totum jurisdictionis exercitium transit.

Per se sunt consiliarii Episcopi: quorum consilium Episcopus in certis rebus audire debet, sequi tamen non semper; quibus in rebus consilium, in quibus consensus capituli requiratur, vide Phillips *Lehrbuch des Kirchenr.* § 159. Alicubi tamen consuetudo majora jura sive Capitulo sive Episcopo contulit: v. Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 13 c. 1, Phillips l. c., Zitelli pag. 148 sqq.

649 Relate ad absentiam ejusque causas aliqua notanda sunt.

A. Neque fructus beneficii neque quotidianas distributiones propter absentiam amittunt:

1. qui, injustam vexationem patientes, in carcere detinentur, vel in fuga: S. C. 17. Dec. 1815, Scavini tom. I. n. 653, Lucidi cap. 3 n. 66—68.
2. Aegroti, etsi debent proficisci in balnea (S. Alph. n. 130 II.), aut qui propter contagiosum morbum absunt (Scavini t. IV. n. 77 ex S. C. C. 9. Nov. 1630, Lucidi n. 54 sq.).
3. Caeci, aut senio confecti — non vero surdi tantum: v. ib. Scavini n. 77 h), Lucidi n. 62.

---

[1] In multis capitulis statuta capitularia a S. Sede approbata exsistunt, quae obligent ad solas parvas horas cum Missa conventuali et ad Vesperas cum Completorio in choro canendas vel recitandas: quare hac de re legitima relaxatio attendi debet. Cf. Craisson 2321.

4. Qui occupantur in servitio *ecclesiae* ob ejus utilitatem (non in Episcopi servitio), e. g. qui mittitur sive solus sive comitandi causa ad visitanda limina Apostol. et faciendam relationem statûs ecclesiae; qui mittitur ut canonicus, vel ut theologus ad concilium provinciale, legatus ad Summum Pontificem aut Principem ad tractandas res ecclesiae; Vicarius capitularis (non Vicarius generalis Episcopi: de quo infra): S. Alph. n. 130 III., Lucidi n. 72 sqq. 84.
5. Poenitentiarius, si tempore officii divini confessiones excipit: Trid. sess. 24 c. 8; cf. Lucidi n. 77.
6. Canonicus theologus, qui tempore officii in templo concionatur, vel ibi coram populo lectionem Sacrae Scripturae habet (non vero qui professor Sacrae Scripturae in scholis docet): S. Alph. n. 131 „Sic pariter“ coll. cum n. 132, Lucidi n. 91.
7. Dignitates et Canonici quilibet, qui auctoritate sive Apostolica sive Ordinarii inserviunt inquisitionibus et processibus in causis Servorum Dei et Beatorum; iis scilicet diebus, quibus in ea re occupati sunt, nedum fructus beneficii, sed ne ullas quidem distributiones quotidianas ordinarias vel extraordinarias, propter absentiam amittunt: ita decreta Ben. XIV. et Pii VII. declarando nunc omnino decrevit Leo XIII. die 27. Febr. 1887 (ex *Nouvelle Revue théol.* tom. 19 p. 270).
8. Recessum exercitiorum spiritualium agentes, exceptis temporibus Adventus, Quadragesimae et principalium festorum: Clem. XI. 1710, de quo cf. syn. Pistor. 1892.

B. Quotidianas distributiones amittunt, non amittunt fructus beneficii, quando propter impedimentum choro non intersunt:

1. Qui utuntur privilegio trium mensium absentiae.
2. Examinatores synodales impediti: Lucidi n. 94.
3. Deputati ad visitandas ecclesias, vel ad comitandum Episcopum in visitatione, aut ad aliud praestandum juvamen in officio Episcopi: v. Lucidi n. 82 et 84.
4. Fungentes officio Vicarii generalis: Lucidi n. 94.
5. Occupati in quibusdam officiis pro seminario (aliqui putant, eos nec distributiones quotidianas amittere).
6. Lectores Sacrae Scripturae — num vero ad lectores aliarum ecclesiasticarum disciplinarum id extendi possit, consulenda est Sancta Sedes.
7. Studentes theologiae vel ecclesiasticis disciplinis in scholis publicis cum licentia Episcopi, quae ex Innoc. XII. decreto nequit dari ultra triennium, neve iis, qui 25^{m} aetatis annum jam absolverint.
8. Si quid ulterius conceditur, id vi particularis privilegii, vel legitimae consuetudinis habeatur oportet; cf. Scavini I. n. 654.

Articulus III.

De privilegiis clericorum.

§ 1.

De privilegiis clericorum communibus.

Duplex nominatur privilegium clericorum, fori et canonis, quod explicari debet. 650

I. Privilegium fori personale in eo consistit, quod personae ecclesiasticae a potestate et jurisdictione laicali per se exemptae sunt, ita

ut puniri saltem a laicali foro nequeant sine licentia S. Sedis vel aliquando immediati tribunalis Ecclesiae: licentia autem haec in certis casibus et cum certis limitibus conceditur. Quo sensu autem legibus civilibus et directivis et in conscientia obligantibus subjiciantur, dictum est in tractatu *de legibus*.

Haec exemptio nimirum ita late ad omnes clericos extensa *ecclesiastici* juris est, atque olim etiam a civili jure universim agnoscebatur: nunc autem regna ut regna consueverunt evadere athea, neque amplius — in multis saltem regionibus — jus exemptionis agnoscere volunt. Summus Pontifex autem divino plane jure exemptus est, neque civili potestati sese subjicere pleno jure potest, sed arbitrario summum modo: alios autem clericos pro causis exsistentibus civili potestati subjicere potest, ut potuit eximere; quo major tamen est ecclesiastici ordinis dignitas, ut in Episcopis, eo magis inconveniens est, eos etiam in civilibus rebus laicali potestati subditos exsistere.

Hoc privilegio gaudent: 1) regulares latissimo sensu cum piis congregationibus vitam communem degentibus; 2) clerici in sacris constituti omnes; 3) clerici in minoribus vel sola tonsura constituti, si aut beneficium ecclesiasticum habent, aut habitum et tonsuram deferunt atque alicui ecclesiae deserviunt.

II. Etiam bona clericorum fori privilegio afficiuntur, ita ut et ecclesiastica bona et quae proprio nomine possident, a tributorum exactione sint immunia. Nihilominus haec quoque exemptio, quo ambitu jure et re sustinenda sit, a voluntate S. Pontificis aut expresse aut tacite declarata pendet.

III. Accedit privilegium asyli: quo statutum est, ut delinquentes et aere alieno gravati, qui confugerent ad ecclesiam ejusve viciniam (30 vel 40 pass.), capi seu extrahi non possent a saeculari potestate, possent autem Superiores ecclesiastici proprios subditos extrahere, et si opus esset, saeculari potestati eandem facultatem facere. A quo jure asyli complura excepta sunt crimina: latrocinium, agrorum depopulatio, homicidium, proditio, haeresis, rebellio contra principis personam: cf. Craisson n. 4838. — Atque etiam contraria consuetudo derogationem et mutationem hac in re fecit. Ita jam Schmalzgrueber testatur lib. 3 tit. 49 n. 88 sqq., extensionem asyli ad ecclesiarum viciniam desuetudine fere esse sublatam. Nihilominus hoc jus a saeculari gubernio non servari, nondum est ratio, cur omne hoc privilegium dici possit sublatum: moderationem sane facilius admiseris, quam abrogationem totalem. De cetero confer, quae hac in re dicturi sumus tractantes *de censuris*, infra n. 953.

IV. Privilegium canonis est, quo personae ecclesiasticae *latissimo sensu* contra realem injuriam proteguntur ita, ut qui clericum percusserit sive aggressus fuerit, excommunicationem incurrat. Neque ii, qui fori privilegium amittunt, simul privilegio canonis privantur. Cf. accuratius rem expositam in tractatu *de censuris*, infra n. 944 sqq.

§ 2.

De privilegiis Episcoporum.

De privilegiis Episcoporum tractaturo in animo esse nequit ex- 651
ponere omnia privilegia temporanea et personalia, sed ea tantum, quae jure communi vi muneris Episcopis competunt.

I. Circa absolutionem a censuris et peccatis reservatis

absolvere possunt: 1. a peccatis et censuris (etiam suspensionibus) *occultis,* exceptis iis, quae *speciali modo* R. Pontifici reservata sunt: ita cap. *„Liceat“* Trid. sess. 24 *de ref.* et Const. Pii IX. *„Apostolicae Sedis“*;

2. a casibus tribus, in quibus S. Pontifex excommunicationem inflixit, absolutionem Ordinariis reservavit: scil. 1) procuratione abortûs, 2) usu falsarum literarum Apostolicarum ejusve cooperatione, 3) attentatione matrimonii post votum solemne religionis aut sacri ordinis: Const. *„Apostolicae Sedis“; nunc adde* 4) mercimonio quodam stipendiorum Miss.: de quo n. 971 *not.;*

3. ab haeresi in utroque foro tum, *quum causa ad forum externum delata est* iis locis, ubi tribunal S. Inquisitionis non est: v. Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 9 c. 4 n. 3, Bouix *de Episcopo* tom. II. p. 222 sqq., Craisson n. 1168 et 6119. — De reliquis confer, quae dicenda sunt *de censuris.*

II. Circa irregularitates et alia, quae spectant ordinationem clericorum,

dispensare possunt: 1. ab irregularitatibus ob delictum occultum, excepto casu homicidii voluntarii, v. cap. *„Liceat“* Trid. sess. 24 et infra n. 1012;

2. in irregularitatibus dubiis ex defectu;

3. in irregularitate etiam publica ex defectu natalium ad beneficia simplicia et ordines minores conferendos. Cap. *„Liceat“;* S. Alph. *de priv.* n. 49 sq.;

4. ab interstitiis inter singulos ordines, maxime sacros, servandis; scil. ad sacerdotium suscipiendum ex causa alicujus *necessitatis* ecclesiae, ad alios ordines sacros ex rationabili causa *utilitatis* ecclesiae. Trid. sess. 23 c. 13.

III. In votis et juramentis

dispensare possunt: 1. in votis et juramentis omnibus, quando jus tertii non laeditur, accedente proportionata causa, exceptis votis reservatis, sc. perfectae castitatis, religionis ingrediendae, trium peregrinationum: Romanae ad limina Apostol., Hierosolymitanae, Compostellanae;

2. etiam a voto castitatis, si quis, voto non obstante, matrimonium contraxit: nimirum dispensatio ab Episcopo concedi potest eo fine, ut auferat impedimentum debiti petendi conjugalis; quare non simpliciter votum aufertur, sed stante matrimonio suspenditur.

Cf. ea, quae dicta sunt de voto, quando egimus de virtute religionis.

IV. In impedimentis matrimonii 652

dispensare possunt: 1. in impedimentis impedientibus; excipiuntur sponsalia justa non dissoluta, vota reservata, matrimonium mixtum: cf. S. Alph. *H. Ap.* tr. 18 n. 54.

2. ab impedimentis supervenientibus ad petendum debitum conjugale; S. Alph. ibid.

3. in impedimentis dirimentibus: 1) dubiis: S. Alph. *de privil.* n. 55: quo sensu id intelligatur, vide infra *de matrimonio* n. 791 et 795;

2) etiam certis, quando *necessitas* urget, ut ratio gravis scandali, diffamationis, nec recursus ad Pontificem Romanum amplius fieri potest: quod quidem ex natura causae ad impedimenta *occulta restringitur.* — (Imo si necessitas scandali ita urget, ut ne ad Episcopum quidem recurri amplius possit, potest parochus vel confessarius declarare, legem ecclesiasticam cessare. In utroque autem casu tum cautelae gratia, tum debitae subjectionis servandae causa postea recurri debet et matrimonium ad cautelam sub conditione renovari, quantum fieri potest.) — Cf. S. Alph. *de privil.* n. 57;

3) etiam quantumvis publicis jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente, quoad aegrotos in mortis gravissimo periculo constitutos et in concubinatu viventes, si recurrendi ad S. Sedem tempus non suppetit: de quo v. infra n. 791.

V. Circa leges Ecclesiae communes:

Si modo adest justa causa, Episcopus cum singulis — non autem cum tota communitate sine speciali facultate a S. Sede accepta[1] — dispensare potest:

1. in lege jejunii et abstinentiae;

2. in festorum et diei Dominicae observatione relate ad Missam et labores serviles;

3. in obligatione officii divini, si gravis causa adest, ad breve tempus;

4. in omnibus statutis, in quibus clausula est „donec dispensetur";

5. quod autem aliqui dicunt, Episcopum in omnibus legibus Pontificiis dispensare posse, nisi *expressa reservatio* facta sit, universim defendi nequit; sed ad eas res restringendum est, pro quibus, utpote non adeo gravis momenti, consuetudo hanc Episcopi facultatem probat: vide S. Alphons. ibidem n. 53.

VI. Personales favores:

1. Possunt non solum in suis aedibus sacellum habere, ubi Missam celebrent et alios ad celebrandum admittant, sed etiam in itinere in domo suae habitationis possunt altare erigere ibique et *ipsi* celebrare et aliam Missam in sui commodum celebrari facere (attamen aliis non licet ibi celebrare). Cf. quae dicta sunt in tract. *de Eucharistia* n. 224.

2. Possunt sacerdotem *sibi subditum* etiam extra propriam dioecesim sibi pro confessario assumere, etsi approbatus non sit ab Ordinario loci, ubi exsistant: S. Alph. n. 65; si subditus non sit, debet approbatus esse ab Ordinario loci. Cf. tract. *de Poenitentia* n. 380.

---

[1] Cum tota communitate vel dioecesi dispensandi facultatem Episcopi facilius impetrant seu possident, quando agitur de relaxanda severa observatione ciborum esurialium tempore jejuniorum.

In perpetuum data est Episcopis aliisque locorum Ordinariis facultas concedendi anticipationem die sibi bene visa atque ob gravissimas causas etiam dispensationem generalem in lege jejunii et abstinentiae (excepto tempore quadragesimae, diebus quattuor temporum et vigiliis per annum jejunio consecratis), quando cum magno populorum concursu occurrerint, vel festum solemne praeceptum vel alia solemnitas catholica seu festivitas vel nundinae extraordinariae: atque declaratum est 1) concursum non requiri necessario extraneorum, sed sufficere posse civitatis aut loci; 2) dispensandi causam etiam esse legis transgrediendae periculum, si sit *generale.* S. Offic. d. 5 Dec. 1894 et 18 Martii 1896: cf. *Analecta eccl.* III, 56 et IV, 145.

§ 3.

De praecipuis privilegiis regularium.

I. Circa suos subditos praelati regulares fere iisdem facultatibus utuntur, sicut Episcopi erga suos, praecipue: 653

1. Absolvere suos poterant a casibus papalibus *occultis* etiam specialiter in Bulla Coenae reservatis, excepto relapsu in haeresim et falsificatione literarum Apostolicarum, teste S. Alph. *de priv.* n. 96 et Const. S. Pii V., atque etiam a percussione clerici sive sodalis sive exteri, etsi enormis fuerit et publica, ex S. Alph. ib. n. 97. Verum post Bullam *„Apostolicae Sedis"* haec privilegia, nisi *ad certum tempus* eadem certis familiis religiosis data fuerint, censentur cessasse: v. resp. S. Poenitentiariae 5. Dec. 1873, et S. Off. 30. Jun. 1886, de quo supra n. 410.

2. Absolvere possunt a censuris aliis quam R. Pontifici reservatis, etiam speciali sententia latis, tum suos religiosos proprie dictos, tum novitios, etsi incurrerint censuram ante ingressum, dummodo judicium Episcopi contra novitium inceptum nondum sit: S. Alph. n. 95.

3. Ab irregularitatibus ex delicto occulto possunt suos subditos dispensare, ut Episcopus; imo in irregularitatibus ex defectu etiam *facilius* aut dispensare, aut dubium declarare possunt, e. g. in defectu corporis (pedis, oculi), defectu animi, si judicio medici amentiae periculum cessavit: S. Alph. n. 105, in defectu lenitatis etiam publico, in bigamia etiam ea, quae vocatur *vera:* S. Alph. ib.

4. In legibus Ecclesiae communibus et in divino officio idem ex justa causa possunt, aut in aliis statutis Pontificiis, quorum relaxatio sive per clausulam „donec dispensetur", sive per consuetudinem Romano Pontifici non reservatur, sed praelatis Ordinariis conceditur: S. Alph. n. 106.

II. Circa saeculares: 654

1. Absolutio a censuris *Romano Pontifici reservatis* per Const. *„Apostolicae Sedis"* iis ablata est: ita ut hanc facultatem solummodo habeant, quatenus *ad tempus singulis* ordinibus concessum est; neque enim privilegia ad tempus data communicationem patiuntur. — Verum mansit facultas absolvendi a censuris Pontificiis Episcopis jure ordinario reservatis: S. Alph. n. 100; sed quominus id intelligatur etiam de iis, quae ex se sunt Romano Pontifici reservatae, evadunt autem ob crimen occultum episcopales, videtur omnino prohibere Constitutio Pii IX. *„Apostolicae Sedis"*. Ceterum confer praeter n. 410 sqq. ea quae dicturi sumus infra *de censuris* n. 877 et 968.

2. Possunt dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario: S. Alph. n. 104.

3. Mendicantes habent potestatem dispensandi in juramentis et votis — excipe vota reservata —, item in voto castitatis conjugum, etiam ante matrimonium emissum, in ordine ad petendum debitum: S. Alph. n. 108 et 109. Recte autem dubitat S. Doctor, num possint etiam ante matrimonium a voto castitatis perfectae dispensare in casu necessitatis ad matrimonium contrahendum. — Etiam dispensare possunt in impedimento petendi debitum conjugale ex crimine incestûs exorto: modo hanc licentiam dederit Provincialis, vel saltem Superior localis pro diversorum ordinum disciplina.

NB. Ceterum, utrum singuli confessarii regulares habeant hasce facultates, utrum licentiam expressam petere debeant a Superiore, et a quo Superiore, necne: diversorum ordinum Constitutiones consulendae sunt.

655 III. Reliqua privilegia seu favores sunt haec praecipua:

1. Possunt celebrare una hora ante auroram: S. Alph. n. 122. Quod autem ibi addit, posse eos ex justa causa immediate horâ secundâ post mediam noctem — idque pro toto anno — celebrare, id probari debet *facultate* post *Trid. data;* ex oblivione videtur S. Doctor id ibi reliquisse, siquidem l. 6 n. 342 expresse docet, hoc privilegium revocatum esse a Tridentino. Nec quidquam valet, quod dicitur Clem. VIII. hoc privilegium ab Alex. VI. monasterio Montis Serrati concessum confirmasse et extendisse ad totum ordinem Benedictinorum. Nam haec extensio nihil aliud est, nisi *generalis* extensio privilegiorum monasterii Montis Serrati ad totum ordinem: at privilegium illud ab Alex. VI. datum non amplius viguit; ergo non potuit extendi. — Nihilominus recentiore tempore re ipsa data exsistunt privilegia ampliora.

2. Possunt — saltem ii qui communicant in privilegiis cum Societate Jesu — in suis domibus erigere oratoria a Provinciali designanda, in quibus Missae et officia divina celebrari possint ab omnibus. Ex concessione Greg. XIII. *„Decet R. Pontificem“* 1575; cf. S. Alph. n. 121.

3. Possunt ordinari extra tempora; quod, nisi legitima consuetudo ita interpretata sit, ut intelligatur de quovis festo ritûs duplicis in choro, per se potius restringitur ad dies Dominicos et festivos de praecepto, i. e. qui aut sunt, aut ante reductionem erant de praecepto festivi: v. S. Alph. *de privil.* n. 115 et 116, l. 6 n. 797; et hîc supra n. 605.

4. Possunt permittere, ut concionentur simpliciter tonsurati, modo de sufficienti aptitudine constet (ex Const. Greg. XIII. *„Vigore privilegii“*, et aliis aliorum SS. Pontificum Constitutionibus apud Salmantic. tr. 18 c. 4 n. 174). Requirit autem Trident. Conc., ut „a suis Superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint“: sess. 5 cap. 2.

Reliqua privilegia in compendium redacta v. apud S. Alphonsum, *appendix de privil.;* Salmant. tr. 18, quorum expositionibus tamen non in omnibus subscribi potest. — Amplissima autem exsistit communicatio perpetuorum privilegiorum inter diversos ordines: 1) apud medicantes, qui omnia privilegia inter se communicant et privilegia cujuslibet alîus ordinis vel instituti communicando recipiunt — nisi forte in certo aliquo privilegio exceptio exprimatur —; 2) etiam aliis ordinibus fere concessa est communicatio cum mendicantibus: atque ex hac sumptione profecti sumus in enumerandis privilegiis; quare si quis ordo sit, qui hac communicatione non fruitur, ejus sodales ex *propriis* constitutionibus colligere debent, quid facere valeant; 3) neque solum in viris religiosis haec communicatio viget, sed etiam apud moniales, in quantum capaces sunt: S. Alph. l. c. n. 9—11, Salmantic. l. c. n. 88—99; 4) communicatio autem illa, quum favor sit, in odium verti nequit: quare non valet contra propriam cujusque ordinis disciplinam, neque principaliter singulorum sodalium bonum et commodum respicitur, sed *ordinis.*

Tractatus VIII.

De Matrimonio.

Scriptores de matrimonio tractantes habes praeter alios, qui de tota theologia morali sive de universo jure canonico scripserunt, praecipuos: Sanchez *disputationum de s. matrim. sacramento lib. decem,* Kugler *tract. theol.-canon. de matrim.,* Roscovány *de matrimonio in Ecclesia catholica,* Perrone *de matrimonio christiano,* Carrière *praelectiones theolog. de matr.,* Martin *de matrimonio etc.,* von Schulte *Handbuch des katholischen Eherechtes,* Kutschker *das Eherecht der katholischen Kirche,* Knopp *vollständiges katholisches Eherecht,* Haringer *das heilige Sacrament der Ehe,* Weber *die canonischen Ehehindernisse,* Feije *de impedimentis et dispensationibus matrim.,* Bangen *de sponsalibus et de matrim.,* Mansella *de impedimentis matrim. dirimentibus,* Allègre *impedimentorum matrim. synopsis etc.,* Gasparri *tract. canonicus de matrim.,* Heiner *Grundriss des kath. Eherechts.*

Matrimonium, quod ab initio creationis non ut solum naturae 656
officium, sed ut res aliqua sacra a Deo institutum est, Christus ad majorem sanctitatem veri N. Legis sacramenti evexit atque Ecclesiae jurisdictioni subjecit. Pluribus igitur rationibus theologiae moralis tractationi addicitur, siquidem multiplici modo jura obligationesque inducit, quae aut sacerdotem Ecclesiae ministrum per se tangant, aut ipsos conjuges, sponsos vel despondendos respiciant a sacerdote in officio instruendos. Verum quidem est, multa matrimonium spectantia, quia directe externum forum judiciale respiciunt, juris canonici provinciae adscribi potius debere, quam theologiae moralis, cujus est ea exponere, quae ad internum forum atque relationem inter Deum et hominem ejusque conscientiam pertinent; et quatenus internum forum ab externo dirigi debet, theologia moralis illa juris praescripta potius sumere et supponere ex aliis disciplinis debet.

Sed quum tot rationibus omnia ea, quae canonicis sanctionibus de causis matrimonialibus sancita sunt, cum conscientia atque moribus christianis in matrimonio servandis connectantur: manca omnino et fere inutilis esset haec tractatio, nisi etiam summatim, quantum satis est, juris statuta attingeremus.

Sufficit autem, *ecclesiastici* juris statuta attigisse: nam quae a jure civili in rebus matrimonialibus statuta sunt, per se aut inania sunt et valore destituuntur, aut ad solas res temporales cum matrimonio conjunctas referuntur; quorum momentum ex iis, quae de jure et justitia dicta sunt, dijudicari debet.

Juvat hîc afferre, quae Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 9 cap. 9 n. 3 et 4 docte adnotat: „Tria sunt causarum matrimonialium genera. Aliquae versantur circa initi foederis conjugalis firmitatem; et hae, nullo catholicorum contradicente, in solo Ecclesiae foro sunt pertractandae . . . Aliae sunt causae excitatae aut super validitate sponsalium, aut super jure instituendi divortium quoad torum et cohabita-

tionem, et istae pariter ob illum respectum, quem habent ad matrimonii sacramentum, ad solum judicem ecclesiasticum deferuntur. . . . Aliae demum sunt causae, quae connexionem quidem habent cum matrimonio, sed res mere politicas et temporales directe atque immediate respiciunt, uti sunt lites, quae frequenter moventur super dote, donatione propter nuptias, haereditaria successione, alimentis et similibus, et istas ad judices saeculares pertinere ex communi doctorum sensu recte docent Bellarminus et Tanner."

Quum igitur sponsalia matrimonii initium quoddam sint et ad Ecclesiae tribunal haec quoque spectent ejusque legibus gubernentur, ab illis tamquam matrimonii praeambulo incipiamus, doctrinam de bannis addituri.

Sectio I.

De iis, quae matrimonium praecedunt.

Caput I.

De Sponsalibus.

§ 1.

De sponsalium natura.

657 Sponsalia sunt futuri matrimonii promissio vera et deliberata, mutua, signo externo expressa inter personas habiles.

I. Ut *sponsalium* obligatio adsit, conditiones in definitione enumeratae adesse debent, scil. promissio 1) vera, non ficta, 2) cum sufficiente deliberatione et *libertate* facta, 3) mutuo acceptata, 4) inter personas *ex se,* aut nunc aut in futuro, habiles.

II. Nihilominus, etsi *sponsalium* valor atque obligatio fortasse desit, alia aliqua obligatio futuri matrimonii exsistere potest, etiam per promissionem exorta.

III. Quoad habilitatem non plane iidem sunt limites ac in matrimonio, quum sponsalia fieri possint in ea aetate, in qua propter aetatis defectum matrimonium fieri nondum potest.

IV. Sponsalia, quamquam alias sola taciturnitate non contrahuntur, censentur tamen fieri, si parentes nomine filiorum de futuro matrimonio pacti sunt, si modo filii, postquam illis intimatum fuerit, non contradixerint.

658 **Explicatio.** Ad I. 1. Qui *ficte* promisit, in foro externo ita tractatur, ac si vera sponsalia fecisset, nisi fictionem probare possit: attamen etiam tum et in foro externo, et in foro interno ad injuriam fictione illatam, quantum fieri potest, reparandam tenetur; nisi forte ad injuriam, quam ipse passus est, evadendam fictum consensum posuit.

2. *Libertas plena* ad sponsalia requiritur. Et licet in matrimonio solus metus gravis injustus attenditur, ne cum periculo errandi matrimonia valida pro invalidis facilius habeantur: in sponsalibus longe alia ratio est, quippe quae sint contractus ex se non indissolubilis. Verum quidem est,

etiam in sponsalibus metum omnino levem a judice fori externi vix attendi; at si res ad externum forum non deducitur, sed in solo interno conscientiae foro componenda est: qui sincere sibi dicere potest, se metu quocunque injusto ad matrimonii promissionem esse perductum, aliter non promissurum, obligatione implendi non tenetur, eo quod vere probabile est, metum injustum etiam levem *valori* sponsalium obstare: v. Gury-Baller. II. 754 not., S. Alph. l. 6 n. 844, qui hanc opinionem non approbat quidem, at auctoritate Navarri, Less., Rebel., Comitolo, Roncaglia etc. confirmat. — Ejusmodi sponsalia *saltem rescindibilia* esse ad nutum ejus, qui metum levem passus sit, S. Alph. l. c. ut communiorem et probabiliorem sententiam contra aliquot auctores severiores docet. Sive tamen sponsalia rescindibilia, sive ut sponsalia nulla esse potius senseris, id relinquitur, ut, qui metum incusserit, teneatur ad matrimonium, si altera pars velit; at, teneaturne ex veris sponsalibus, non constat.

3. Si una igitur pars matrimonium promisit, altera noluit sese obligare, 659
sponsalia non sunt: si prior autem sese omnino ligare voluit, alteri relinquens libertatem, matrimonii ineundi vel consilium alterius exspectandi obligatio erit, nondum tamen sunt sponsalia.

Consensum internum non sufficere, sed externe debere de consensu constare, id quidem sponsalibus cum omnibus humanis contractibus commune est.

Neque dicere: „Non accipiam alteram in uxorem nisi te“, vel: „Tibi semper fidelis ero“, ex se sufficit, ut sponsalia contrahantur, quia non satis exprimitur, num unquam aliquam uxorem ducere velit, vel matrimonialem fidelitatem intelligat: nisi forte ex circumstantiis illa loquendi ratio satis determinetur ad sensum absolutum.

4. Ex utraque parte promissio acceptata adesse debet, seu cum promissionis acceptatione repromissio, ut sponsalia adsint. Quare sola taciturnitas ex se non sufficit: at verba non absolute requiruntur in repromissione, sed sufficiunt positiva signa, quae sive ex natura sua, sive ex circumstantiis, sive ex loci consuetudine pro acceptatione et repromissione haberi debeant. Quodsi rationabiliter dubium manet, pro minimo standum est.

Cf. Bangen I. § 7, qui quaedam exempla affert: v. g. 1) si cum matrimonii promissione vel post eam juvenis annulum aut arrham tradit, quae sponsa tacens acceptat; 2) si post matrimonii promissionem ex parte viri puella concedit copulam carnalem alias non concessura; 3) juvenis cum puella amores gerere coepit, quae ut virgo honesta eas repellit, protestans, se ab ejusmodi vanis amoribus abhorrere; quo facto juvenis matrimonium promittit, atque puella tacens familiaritatem inter sponsos consuetam nunc admittit; 4) si loci consuetudo est, sola annuli traditio et acceptatio sine expressa ullius partis promissione pro sponsalibus habetur: at si de tali constanti usu non constat, non est standum pro sponsalibus.

5. Sponsalia per se neque naturam neque obligationem ullam mutant, 660
sive sunt privata sive publica et solemnia, nisi forte particularis loci consuetudo postulet, ut ad valorem certae formalitates adhibeantur[1]. Ad majorem morum honestatem certe convenit, sponsalia non fieri, nisi aliquo modo publica et solemnia. Stricte solemnia vocantur, si coram parocho et testibus

[1] Specialis autem consuetudo et lex est pro Hispania, ubi sponsalia non valent, nisi contracta fuerint publicâ scripturâ, neque illa publica scriptura eo suppletur, quod forte petitio dispensationis scripto exarata fuerit: ita ex S. C. C. *Thes. Resolutionum* 31. Jan. 1880 in *Placentina.*

fiunt: alias saltem coram parentibus et testibus ea fieri convenit. Si autem coram parocho sacro ritu fieri desiderantur, parocho cavendum est, ne omnia quoad testium praesentiam fieri permittat, quae pro matrimonii celebratione praescribuntur, ne vid. ansam det loco sponsalium matrimonium jam celebrandi. Quare singulos testes, vel plures, sed *non simul* admittat.

6. Si spondentes matrimonio ineundo inhabiles sunt, per se matrimonii promissionem sponsalia non efficere clarum est, siquidem non est in facultate spondentium stare promissis. At acriter trahitur in diversas partes quaestio, utrum matrimonii promissio sub conditione „si Papa dispensaverit“ sustinenda sit atque sponsalitia promissio, impleta conditione, evadat, necne.

De quibus, si consulis praxim Romanam, haec statuenda videntur:

1) Ex hac promissione aliqua obligatio quaerendae dispensationis et consequenter ineundi matrimonii oriri potest, maxime si Papa in hoc impedimento dispensare consuevit: quod eo magis valet, si aliae circumstantiae accedunt, quae matrimonium illud suadent aut quasi jubent. Quare ex violata hac obligatione injustitiae reatus contrahi *potest.*

2) Ante dispensationem obtentam *sponsalia* veri nominis non adesse, omnibus in comperto est.

3) Imo ne per solam quidem dispensationem, sed per liberam hujus dispensationis acceptationem ex utraque parte, quae sive implicita sive explicita promissi renovatio est, sponsalia tandem valida fiunt.

4) Antecedens illa promissio, si nude ut talis respicitur, nedum sponsalium vim unquam accipere possit, ne strictam quidem obligationem acceptandae dispensationis parere, a S. Congregatione existimari videtur [1].

661 7. Si aliis conditionibus sponsalia fiunt, retinenda est doctrina, quam in genere tradunt de conditionato contractu vel actu. Nam si conditio est 1) de praeterito vel de praesenti, pro verificata aut non verificata conditione sponsalia statim evadunt aut valida aut nulla. 2) Si conditio incerta de futuro apponitur eaque *resolutiva,* sponsalia statim quidem valida fiunt, at, impleta conditione, sine nova voluntatis declaratione obligatio cessat. 3) Si ejusmodi conditio de futuro est *suspensiva,* conditione impleta, sponsalia *eo ipso* valida et firma evadunt: ita saltem, si consensus spondentium retractatus nullatenus (ne interne quidem) est. Difficilior est quaestio, si alteruter ante impletam conditionem consensum injuste retractat. Qua retractatione obligatio ineundi matrimonii certe non exstinguitur; sed, num forte vis sponsalium qua talium? Ad analogiam aliorum contractuum dicendum videtur, sponsalia nihilominus fieri; nam in genere contractus, qui solo consensu perficitur, consensu dato, sed injuste retractato, prorsus sustinendus est: v. Lugo *de just. et jure* disp. 22 n. 384 et 388.

---

[1] Ut harum rerum aliquod argumentum indicem, remitto lectorem ad *Acta S. Sedis,* ubi plures ejusmodi causae a S. C. discussae leguntur vol. I. pag. 80 22. Febr. 1862: insuper in *Burgnaten.* 26. Jan. 1709, *Januens.* 12. Dec. 1733, *Sypont.* 2. Maji 1857, *Benev.* 27. Nov. 1858.

Ad II. **Obligatio non-sponsalitia.** Utcunque tandem obligatio matrimonii contrahendi adest: multum interest scire, utrum ex veris et certis sponsalibus haec obligatio oriatur, an ex alia causa. Nam sponsalia eaque sola alium effectum juridicum, impedimentum honestatis publicae, inducunt, de quo infra n. 765. Potissimum igitur haec quaestio consideranda est in promissione matrimonii conditionata.

Speciatim etiam quaeritur de promissione matrimonii sub conditione, si puella peccet nunc cum promittente. Haec enim, etiam quando *sponsalia non sunt*, tamen matrimonii obligationem ex seductione et injuria inducit, nisi forte aut deceptio ex circumstantiis puellae cognita esse debuerat, aut matrimonii infelix exitus timendus est vel similis gravis ratio excusans exsistit. Alias utique pro obligatione matrimonii standum est, etiam quando promissio seria non fuit. Si vero matrimonii promissio seria fuit, peccati admittendi conditione impletâ, de obligatione matrimonii ineundi per se minus etiam dubitare licet, utut dubites de veris sponsalibus. Ratio enim de iis dubitandi esse potest haec, quod praecedens promissio sub conditione turpi non fuerit valida, quamvis seria. Sed nihilominus habes contractum aut sponsalitium, si admissionem peccati ex parte sponsae pro acceptatione et repromissione considerare licet, aut si non sponsalitium quidem stricto et formali sensu, tamen contractum innominatum „facio ut facias", in quo praecedens promissio solam aestimationem rei praestitae continet.

Cf. hac de re praxim Romanae curiae von Schulte *Eherecht* pag. 292 not. 42, S. Congr. Conc. in *Lyciens.* 18. Dec. 1718, 12. Martii 1729: „Stuprum committens sub promissione matrimonii etiam simulata, si sit paris conditionis, virginem defloratam in uxorem ducere tenetur." — Aliam decisionem v. Acta S. Sedis vol. VII. p. 657—666, quae eo tendit, ut ille, cujus promissio ineundi matrimonii probari non potest, propter defloratam virginem condemnetur, ut aut puellam ducat, aut dotem ei constituat atque alia damna resarciat secundum prudens Episcopi arbitrium.

Si vero ante peccatum vera promissio matrimonii antecessit, ita ut peccati admissio conditio non esset, at res, in quam, spe matrimonii promissi exposita, sollicitatio et seductio tenderet: tantum abest, ut vera ratio sponsalium in dubium vocetur unquam, ut potius, stante jure a Tridentina clandestinitatis lege libero, sponsalia eo ipso in matrimonium transire judicata fuerint; quod nunc demum abrogatum esse, habes infra n. 773. — Num vero haec juris praesumptio rei veritati antea consonaret, a scientia et voluntate peccantium pendebat.

Ad III. **Sponsalia impuberum.** 1. Sponsalia valide fieri praesumitur, 662
si spondentes septennium egressi sint: *antea praesumuntur invalida.* Sola certa probatio contrarii praesumptionem elidere potest. Cf. *Decretal.* l. 4 tit. 2 cap. 4. 5. 13; Sanch. *de matr.* lib. 1 disp. 16 n. 11 et 12.

2. Sponsalia, quae post septennium, sed ante annos pubertatis (i. e. quartum decimum completum in pueris, duodecimum completum in puellis) fiunt, valida sunt, at ex positiva lege ecclesiastica ne communi quidem consensu rescindi possunt in aetate puerili, sed post adeptam pubertatem intra triduum alterutri sponsorum facultas datur, non exspectata alterius voluntate vel aetate, a sponsalibus recedendi. Cf. *Decretal.* l. c. cap. 8 et 11.

Hoc triduum probabiliter sic intelligitur, ut sumi possit triduum post *cognitum* privilegium sibi ab Ecclesia datum: S. Alph. l. 6 n. 856.

Ad IV. 1. Facultas illa, quae datur **parentibus loco filiorum** contrahendi sponsalia eaque valida, modo ne filii, postquam illis intimatum fuerit, contradicant, ad solos parentes restringi debet. Igitur ad alios, qui fortasse paternam potestatem exercent ut tutores, haec potestas transferri nequit. Nam quia libertatis filiorum quandam restrictionem continet, principio uti debemus: Odiosa sunt restringenda.

2. Valor talium sponsalium solum ex praesumptione oritur, ita ut sit juris quidem praesumptio, at si re ipsa filii interne dissenserint, id vero manifestare ausi non sint, sponsalia vera non exsistant, neque per se obligatio conscientiae ad ineundum matrimonium. Imo si talis voluntatis defectus externe probari potest, etiam in foro externo coram ecclesiastico judice praesumptio cedere debet veritati.

Cf. Bangen I. § 7, ubi habes alios scriptores laudatos.

§ 2.

De sponsalium effectu.

663 I. Sponsalia valide inita speciali titulo obligant sponsos, ut sibi fidem servent: quare qui cum altero peccat, contra hanc fidem datam agit.

II. Oritur obligatio matrimonium suo tempore contrahendi, i. e. tempore fixo, si quod constitutum est, alias quum primum alteruter rationabiliter petierit, ita ut diuturna dilatio, nisi fiat ex utriusque consensu, ex se gravis fidei datae violatio sit; quod multo magis dicendum est de injusto a sponsalibus recessu.

III. Qui sine justa causa a sponsalibus resilit, 1) a judice ecclesiastico etiam per censuras ad matrimonium compelli potest, 2) arrham vel munera data amittit, 3) damnum si quod ortum est, v. g. propter expensas factas, aut quod sponsa derelicta, utpote macula quadam aspersa, nuptias inire difficilius potest, reparare debet.

IV. Sponsalia, quum primum valida facta sunt, impedimentum canonicum matrimonii dirimens inducunt relate ad consanguineos alterius sponsi in primo gradu: ita ut sponsus sponsae suae matrem, filiam, sororem valide ducere nequeat, neque sponsa sponsi patri, fratri, filio nubere valide possit.

664 **Explicatio uberior.** Ad I. Acriter controvertitur, utrum peccatum, quod sponsi fortasse cum extraneis personis committant contra mutuam fidem, adeo grave sit, ut novae seu distinctae malitiae speciem inducat. Resp. 1) *certo* ita esse, si quis sponsam alienam violenter oppresserit, nam praeter stupri peccatum gravis injustitia contra sponsum committitur; 2) idem obtinere, ipsis sponsis libere peccantibus cum aliis personis, valde *probabile* est. Attamen in posteriore casu quum, teste et approbante S. Alphonso l. 6 n. 847, multi iique graves scriptores censeant, de distincta injustitiae malitia gravi non constare, eo quod per tale peccatum non contrahatur defectus,

qui *per se* sub gravi manifestandus sit, nisi puella conceperit (v. infra n. 670): hanc sententiam confessarius de integra poenitentis confessione sollicitus amplecti potest, ne de tali circumstantia in peccatis luxuriae interrogare se debere opinetur.

Ad II. 1. Dilatio diuturna ex parte sponsi facilius gravis esse potest, quam ex parte sponsae. Nam sponsus sponsam, quae dilationem forte traxerit, facile monere eamque sic urgere potest; sponsa vero frequentius prae verecundia non audet monere et urgere sponsum. Quare sponsus, etsi non moneatur, sub gravi teneri potest non longas moras trahere.

2. Haec dicta sunt solius promissionis sponsalitiae et juris mutui habita ratione. Si enim morum periculum respicimus, evidens est, post sponsalia inita matrimonium diu differri non debere, sed utrumque sponsum a confessario vel parocho urgendum esse, ut brevi matrimonium contrahatur. Quodsi gravis et legitima causa obstet, a consuetudine mutuae visitationis sponsi prorsus retrahendi sunt.

Ad III. 1. Obligatio standi sponsalibus per se omnino subsistit,[665] etsi secundae puellae matrimonium promissum, idque aut juramento, aut copula carnali confirmatum sit.

Quod vero non pauci scriptores ultimum casum exceperunt, ex eo videtur esse, quia, antequam impedimentum clandestinitatis valuit, promissio matrimonii, *secuta copula*, transire censebatur in ipsum matrimonium: nam jure supponebatur, eos, qui ita agerent, quam minimum peccare velle, adeoque copulam non fornicariam, sed conjugalem ab iis admitti. Ceterum si cum secunda puella vir peccaverit, maxime si haec gravida evasit, suadendum est priori puellae, ut juri suo renuntiet. Quod si nolit, secundae puellae pro deceptione et injuria compensatio concedi debet.

2. Quamquam ipsâ ecclesiasticâ censurâ ille, qui injuste a sponsalibus recedit, cogi possit: raro tamen expedit, ut ad id veniatur, multo minus, ut ulterius progrediatur: S. Alph. n. 846. Nam quum matrimonium a libero consensu essentialiter dependeat, qui ne poenis quidem ecclesiasticis movetur, ut obligationem suam impleat, aliter cogi jam non potest. Quare tandem suae conscientiae relinquitur, et adigitur ad justam damni compensationem: quae etiam non raro conscientiae foro relinquitur et communiter secundum convenientem puellae dotationem aestimari solet. Cf. von Schulte *Eherecht* p. 293 et 296, Bangen op. cit.

3. Arrha restitui debet, si aut justa causa dissolvendi matrimonium est, aut qui arrham dedit, mortuus est. Idem de aliis muneribus teneto, quae intuitu matrimonii data sunt, nisi forte ratione conditionis donatoris minoris sunt momenti neque reclamatio fit, ita ut condonatio spontanea et absoluta supponi possit.

4. Poena conventionalis, si pro omni casu, etiam justae dissolutionis sponsalium, statuitur, illicita est, neque jure solvenda, siquidem libertati matrimonii obstat; at poena contra *injuste* recedentem licita est, et obligat: S. Alph. n. 853.

5. Compensatio damni maxime tum necessaria evadere potest, quando sponsa a sponso injuste relinquitur. In opposito casu rarior quidem erit vera damni causa: at id nunquam interna ratione niti — ut Schulte l. c.

p. 293 vult — audacius dicitur. Porro judex ecclesiasticus causam non assumit, si actor de sola compensatione sibi debita agit, sed id conscientiae, aut civili tribunali relinquit; verum tum accessorie circa compensationem cognoscit, quando principalis actio est implendorum sponsalium; vide Bangen l. c.

Ad IV. Ad effectum illum honestatis publicae dignoscendum, ut id statim hoc loco praevie moneam, ante omnia notandum est: Honestatis publicae impedimentum oritur 1) ex *omnibus* sponsalibus validis, neque cessat, etsi sponsalia postea sive mutuo consensu sive ex alia justa causa dissolvantur; 2) ex *solis validis* sponsalibus, ita ut observari debeat, num forte ab initio adfuerit defectus essentialis, et si matrimonii ineundi obligatio adest et adfuit, verene haec *sponsalitia* obligatio exstiterit. Accuratius de hoc effectu et impedimento postea disputabitur.

§ 3.

De sponsalium dissolutione.

666 Si sensu vero dissolutionem sponsalium tractamus, sponsalia valida supponuntur; nam illa tantum dissolvi possunt. At abs re non erit etiam eas causas breviter oculis legentium subjicere, quae sponsalia ab initio nulla reddunt.

Igitur 1) aliae sunt causae, quae sponsalia ab initio nulla et invalida reddunt; 2) aliae, quae ipso facto utrumque sponsorum ab obligatione solvunt, seu quae sponsalia ipso facto rescindunt; 3) aliae, quae in alterutro tantum obligationem auferunt, ita ut pro suo libitu obligationem sustinere aut sponsalia rescindere possit, quae proin dicuntur sponsalia facere rescindibilia.

I. Sponsalia sunt *ipso facto nulla,* praeterquam ex essentiali defectu in § 1 notato, ex quacunque causa, quae subsequens matrimonium *illicitum* reddit: nam ad opus illicitum nulla promissio obligare potest.

II. *Ipso facto rescindunt* seu exstinguunt sponsalia tum conditiones resolutoriae, si quae additae implentur, tum eae causae, quae supervenientes impedimentum matrimonii inducunt, seu alterutrius sponsi conditionem ita mutant, ut ex natura illius conditionis matrimonium promissum evaserit aut impossibile aut illicitum: nisi forte illud impedimentum facile possit auferri.

III. *Rescindibilia* fiunt sponsalia ex mutatione notabili in conditione alterius sponsorum sive nunc facta sive nunc demum detecta, si haec mutatio tanta sit, ut promissio non censeatur hanc conditionem amplecti: at facultas recedendi illi non fit, qui *culpabiliter* talem mutationem induxit, ne ex injuria favorem capere possit; imo ille pro adjunctis ad damni reparationem teneri potest.

IV. Ut autem alterutri sponsorum *jus detur resiliendi* a sponsalibus, in conscientia sufficit justa causa cognita eaque saltem semiplene probata. — Attamen judicis interventus accedere debet, 1) si causa ejusve justitia vere dubia est; 2) si sponsalia publica sunt, causa recedendi occulta, nisi (quod tunc omnino fieri debet) alterius etiam assensus ad sponsalia publice solvenda accessit: cf. S. Alph. n. 878. —

Qui autem juri resiliendi sive expresse sive implicite renuntiavit, sane sponsalia solvere amplius non potest.

Explicatio uberior. Ad I. 1. Huc pertinent 1) votum castitatis vel 667
simile ante sponsalia emissum; 2) sponsalia cum altera persona jam contracta; 3) promissio matrimonii, quod sine dedecore familiae iniri nequeat, aut cujuslibet matrimonii, cui parentes juste se opponere censeri debeant; 4) promissio matrimonii mixti, nisi forte aliunde obligatio talis matrimonii exsistit.

2. Ratio singulorum facile intelligitur. Quaedam tamen majore explicatione egent. Votum castitatis promissionem matrimonii antecedens matrimonium illicitum omnino reddit, nisi forte gravis prorsus causa ad dispensationem adest.

Si vero sub spe matrimonii puella deflorata sit, S. Alph. n. 874 cum aliis dicit, sive promissio fuerit ficta sive vera, matrimonium esse ineundum, saltem si puella voti inscia fuerat, aut conscia quidem, justam tamen dispensandi causam jam subesse rationabiliter putaverit. Si neutrum obtinet, S. Alph. quidem etiam tum „probabiliter" sustinet obligationem matrimonii; at certo probari ea tunc nequit. Dispensatio autem voti tunc non requiritur, ut matrimonium possit contrahi, sed ut vir, contracto matrimonio, ex se debitum conjugale licite petat. S. Alph. ib.

3. Dissensio quaedam inter scriptores notatur, si quaerunt, utrum 668
sponsalia contra voluntatem parentum valeant, necne. Plerique affirmant, sponsalia valere, eo quod filii in ineundo matrimonio sint sui juris, nec matrimonium, parentibus etiam juste invitis, invalidum esse Ecclesia statuere voluerit. Ex quo inferunt, etiam sponsalia, licet fuerint illicite inita, valida tamen fore: at exsistente gravi causa dissensûs ex parte parentum, ea rescindibilia esse.

Sed puto cum S. Alphonso n. 849 prorsus distingui oportere. Nam si solus *modus* procedendi, inconsultis parentibus, filiis non licet, sponsalia valida sunt; etiam valida dici debent, si ipsa sponsalia parentibus quidem displicent, tamen sine gravi et justa causa. At si ex justissima et gravi causa sponsalia sive matrimonium cum tali persona parentibus omnino displicent et exosa sunt, utpote quae dedecus familiae inferant, vel ex simili causa: matrimonium, si contrahitur, validum quidem est, verum *quoad rem* illicitum, ac propterea sponsalia sunt et fuerunt nulla.

Quoniam autem in foro externo causa adeo gravis raro probatur, ac saepe praesumendum est, damna et incommoda talis matrimonii compensari aliis bonis, quae sponsus in hac sponsa — aut vice versa — se detexisse putavit: frequenter accidere debet, ut ejusmodi sponsalia pro validis quidem habeantur, sed propter parentum dissensum rescindi possint.

4. Nec minus invalida censeri debent communiter sponsalia inter catholicum et haereticum. Si enim rarissimum casum excipias, in quo gravis omnino causa, maxime publica, ejusmodi matrimonium mixtum suadeat, ita ut promissio matrimonii sustinenda sit (quamquam ne tum quidem ante dispensationem ecclesiasticam veri nominis sponsalia adsunt): multo communius ejusmodi matrimonia mixta illicita sunt. Neque Ecclesiae dispensatione eam prohibitionem, *quae juris naturalis sit*, auferri vel pro sublata sive suspensa declarari *semper*, sed accedentem *positivam* prohibitionem tantum, vide infra sect. III. n. 715. Cf. etiam hac de re egregia documenta SS. Pontificum Pii VIII. ad Episcopos Borussiae 25. Martii 1830 et Gregorii XVI. ad Episcopos Bavariae 27. Maji 1832 cum instructionibus an-

nexis; dein Martin *catechism. laic. de jure canonic.* seu: *Laienkatechismus des canonischen Rechtes* § 71.

Si sub spe matrimonii puella catholica deflorata et gravida facta sit, haec causa ex se satis gravis sit, ut promissio matrimonii sustineatur, modo omnes conditiones ab Ecclesia praescriptae impleantur: atque etiam sub iisdem conditionibus puellae catholicae a viro acatholico ita violatae conceditur, ut viri acatholici obligationem ad se ducendam urgeat.

669 Ad II. **Dissolutio ipso facto.** Huc referri debet 1) electio statûs perfectioris; 2) matrimonium cum altera persona subsecutum; 3) temporis lapsus.

Vid. 1. Non est dubium, professionem religiosam exstinguere sponsalia; idemque dicendum est de susceptione ordinum sacrorum. Neutrum illicitum est sponsis, modo ne alteram partem ex industria deceperint: S. Alph. n. 871.

2. Majus dubium est, num *votum privatum* castitatis sponsalia ipso facto solvat. In foro externo, in quo tale votum non cognoscitur, hoc vix admittitur; sed judex cogit eum, qui votum castitatis se emisisse contendit, aut ad ingressum in religionem, aut ad contrahendum matrimonium promissum. At in foro conscientiae satis probabile visum est S. Alphonso cum aliis l. c. n. 873, sponsalia ipso facto dissolvi.

3. Quare — id quod consequitur — etiam ipso facto sponsalia dissolvi dicenda sunt per votum 1) suscipiendi sacros ordines, 2) professionis religiosae faciendae.

4. Per solum autem *ingressum* in religionem, sine voto in eo manendi, non dissolvuntur sponsalia: datur quidem parti relictae statim facultas recedendi a sponsalibus, sed etiam jus retinet postulandi matrimonii, si, qui novitiatum ingressus est, ad saeculum revertatur.

5. Qui vero post emissum votum, quod ipso facto sponsalia dissolvat, ab eo voto legitime dispensatur, sponsalibus, *utpote exstinctis*, non iterum ligatur: nisi forte in fraudem, ut sponsalia a se excuteret, ita egit.

6. Si contra priora sponsalia cum altera persona matrimonium initur, sponsalia illa priora probabiliter exstinguuntur: quare si forte matrimonium morte conjugis solvitur, obligatio priorum sponsalium non reviviscit. Ita auctores quam plurimi apud S. Alph. n. 875: cf. Gury-Ball. II. n. 733 notam. Neque ratio dissimilis est ab ea, quae affertur pro voto castitatis, quod postea per accidens dispensatione solvitur.

7. Temporis diuturni dilatio per se non dissolvit sponsalia. Si vero 1) tempus praefixum fuit ad obligationem *finiendam:* quocunque tandem modo matrimonium impeditum est, sponsalia sunt soluta, nisi forte fraudulenter ab alterutro sponsorum morae trahebantur. Aliud dici debet, si tempus praefixum est ad obligationem *urgendam.*

2) Si igitur terminus praefixus est ad sollicitandam obligationem, aut si nullus terminus praefixus est: ille, qui culpabiliter longas moras trahit, amittit jus suum, ita ut altera pars libera sit. Si vero ex justa causa differtur matrimonium, certe diutius exspectandum est, non vero nimis diu. Quo in casu convenit, ut, re ad judicem delata, interpellatio judicis certique termini praefixio sequatur, quo elapso, altera pars libera maneat.

3) Qui autem in longinquam regionem abit non negotii causa neque cum animo revertendi, sed cum animo aliud domicilium figendi, compartem, cui talis translatio gravis fuerit, ad idem faciendum cogere non potest; quare id habetur pro juris renuntiatione: S. Alph. n. 866—868.

Ex dictis patet, jam quasdam causas allatas esse, quae non dissolvunt ipso facto vinculum sponsalitium, sed alterutri parti jus recedendi concedunt. Quorum enumeratio ut compleatur, adverte:

Ad III. **Facultas dissolvendi.** 1. Impedimentum matrimonii super- 670
veniens parti innocenti jus dat negandi fidem ei, qui impedimentum induxit; ille vero, qui culpabilis causa hujus impedimenti fuit, tenetur dispensationem quaerere, modo sine nimio incommodo id facere possit: S. Alph. n. 857 et 858.

2. Crimen alterius grave aut post sponsalia commissum aut nunc tandem detectum (modo pro conditione personae vere grave censeatur) parti innocenti jus dat recedendi. — Speciatim quoad fornicationem practice haec notanda sunt:

1) Fornicatio subsequens parti innocenti, sive sponso sive sponsae, jus dat recedendi.

2) Fornicatio antea commissa, sed nunc detecta, *sponso* semper jus dat recedendi; sponsae jus tum solum conceditur, a) si detegat, sponsum frequenter ita egisse, aut etiam cum pluribus feminis ita conversatum esse, ut ejus fidelitas merito suspecta haberi debeat; b) si sponsus ex altera femina prolem susceperit, c) si ob conditionem suam aliasve circumstantias etiam sponsa valde graviter ferat viro nubere, quem etiam semel fornicationem commisisse cognoverit. S. Alph n. 861.

3) Utroque sponso post sponsalia fornicante, ab aliis soli sponso jus recedendi datur. Cf. S. Alph. n. 862, Craisson 4022, qui hanc dicunt *communem* sententiam, eo quod ob antecedentem fornicationem non idem concedatur puellae, quod viro, siquidem in puella res multo turpior existimatur. Alii *satis probabiliter* neutrum cogi posse censent.

3. Notabilis mutatio seu delapsus in pejorem conditionem sive physicam sive moralem, aut etiam talis defectus nunc primum detectus, qui, si cognitus fuisset, a sponsalibus deterruisset, alteri parti jus dat recedendi.

Quare 1) si tanta detegitur morum discrepantia, ut infelix matrimonium plane timendum sit, sponsalia non debent sustineri. 2) Si sponsa etiam violenter sine propria culpa opprimitur, sponsus non jam tenetur eam ducere. S. Alph. l. c. — 3) Si ex morbo etc. sponsa notabilem deformitatem contraxit, sponsus liber est. 4) Ignobilior conditio, paupertas etc. nunc detecta, modo probabiliter a sponsalibus retraxissent, nunc jus dant resiliendi: ibid. n. 863.

NB. Id vero communius affirmant, partem illam, quae aliquo defectu laboret, nisi sit *nocivus* defectus, non teneri sponte illum manifestare, imo interrogatum posse ambiguo responso declinare: modo ne infelicem matrimonii exitum praevideat. Nam quod per breve aliquod tempus altera pars, si forte postea defectus detegatur, id aegre aliquantulum ferat, non inducere gravem obligationem, cum *gravi* incommodo proprio haec praecavendi, S. Alphonsus n. 865 cum aliis multis tenet.

Qui autem morbo periculoso aut pernicioso laborat, debet utique id manifestare, vel potius abstinere a matrimonio. Similiter dicendum est generatim de sponsa, quae ex alterius consortio gravida est: certe raro accidit, ut id tegi possit, et ut propter sponsae gravissimum damnum hoc damnum et incommodum sponso etiam inscio inferre liceat: S. Alph. n. 864.

671 4. Notabilis conditionis in melius mutatio illi, qui sic mutatur, etiam jus confert a sponsalibus se liberandi. Quare 1) id de superveniente nobilitate vix negatur. 2) De magnis divitiis supervenientibus magis dubitatur; S. Alph. n. 876 censet, discessum propter hanc rationem per se omnino dissuadendum esse (et revera, qui divitiis magis movetur, quam optimis moribus compartis, felicem matrimonii exitum vix habebit); attamen eum ex se peccatum non esse, etiam censet. Imo 3) S. Doctor ne eum quidem peccati accusat, qui, quum sibi post inita sponsalia offeratur matrimonium cum comparte multo ditiore[1], priora sponsalia relinquit, ut cum secunda matrimonium ineat.

5. Dissensus parentum etiam in iis circumstantiis causa recedendi esse potest, in quibus sponsalia ab initio nulla esse dici non possint, scilicet si propter parentum dissensum, etsi fortasse injustum, magna mala timentur, ut diuturnae inimicitiae vel dissensiones, exhaeredatio, gravia scandala. Ad ejusmodi enim mala perferenda, quae rationabiliter praevideri non poterant, nemo censetur se voluisse obligare.

6. Num autem sola *prodiga* matrimonii promissio, quae ab eo fit, qui sponso sive sponsae multo inferioris conditionis vel fortunae matrimonium promisit, quamquam sine ullo familiae dedecore, ratio sit dissolvendae promissionis, vel potius ab initio nullam fecerit promissionem, audi S. Alphonsum recte ita dicentem: 1) si nulla ratio cohonestans hanc prodigam promissionem adfuerit, eam videri venialiter malam atque ita nullam; 2) sin mediocris ratio cohonestans adsit, ut specialis virtus in sponsa deprehensa, spes felicioris matrimonii, majorve honesti amoris affectus, promissionem et validam et licitam esse. Quare inaequalitas in divitiis non erit ex se sola justa causa, cur parentes consensum suum denegent, neque causa justa recedendi a sponsalibus scienter contractis, etsi parentum dissensus accedit, nisi praeter hunc dissensum et propter illum alia mala timentur.

672 Ad IV. Quae sint partes parochi, si, instante matrimonio vel proclamatione futuri matrimonii, aliquis objicit sponsalia secum facta, vide apud Bangen I. § 8. Si enim interpellator non matrimonium cum illa persona intendit, sed solam indemnitatem, parochi est, eum monere, de *hac* causa judicem ecclesiasticum non consuevisse cognoscere, sed eam conscientiae partium relinqui: quare suadeat amicam compositionem.

Alias, si sponsalia adfuisse satis probari potest, neque pro altera parte causae certo justae resiliendi deprehenduntur: parochi est, sistere proclamationes et efficere, ut ecclesiastici judicis sententia quam citissime pro-

[1] S. Alph. utitur voce „*excedente*“ melior“ l. 6 n. 876.

curetur, quae, quid juris sit, decernat; secus enim eum, qui *juste* interpellat, a justa spe vincendi dejiceret, siquidem, contracto matrimonio, actio sponsalitia non amplius admittetur. — Si altera pars certas causas recedendi habet, sufficit parocho, monere alteram partem, se et in proclamationibus et in ipso celebrando matrimonio progressurum esse, nisi sibi exhibeatur prohibitorium Ordinarii, ad quem actor, si velit, confugere possit.

Appendix.

Gravia igitur peccata praecipua, quae circa sponsalia committi possunt, sunt haec:

1. Temere et inconsultis parentibus sponsalia contrahere (ita plerumque saltem).
2. Cum gravi periculo aut alterum decipiendi, aut gravia mala ex matrimonio oritura inducendi sponsalia facere.
3. Fidem sponsalitiam frangere.
4. Statum sponsalitium diu protrahere cum peccandi periculo seu occasione proxima.

Caput II.

De Bannis.

Quo securius in celebrandis matrimoniis procedatur, et quo facilius 673
impedimenta, si qua exsistant, detegantur, Concilia Later. et Trid. proclamationes matrimonii antea faciendas accurate praescripserunt. Quare, ut compleatur doctrina eorum, quae ante matrimonium aut fieri debent, aut obligationes inducere possunt, breviter agemus 1) de bannorum obligatione, 2) de eorum dispensatione, 3) de obligatione impedimenta matrimonii revelandi.

§ 1.

De obligatione bannorum.

I. Ex praescripto Ecclesiae matrimonium tres proclamationes praecedere debent: quae obligatio ex se gravis est: Later. IV. c. 51, v. *Decretal.* l. 4 tit. 3 cap. 3, et Trid. sess. 24 cap. 1 *de ref. matr.*

II. Circumstantia temporis praescripta ea est, ut fiant 1) tribus *continuis* vicibus, 2) diebus Dominicis et festis de praecepto, 3) inter Missarum solemnia: v. Trid. *ibid.*

III. Locus autem praescriptus est ecclesia parochialis illius loci vel illorum locorum, ubi sponsi habent domicilium.

Plenior explicatio. Ad I. 1. In genere gravissima est haec obligatio, ita ut Trid. l. c. cap. 5 disposuerit, eos etiam, qui ignoranter quidem cum impedimento dirimente contraxerint, sed requisitas solemnitates (inter quas enumerat proclamationes) neglexerint, spe dispensationis carere debere.

2. Unam ex illis tribus proclamationibus omittere, non censetur ex se materia gravis, gravis vero omnino est *duarum* omissio: S. Alph. n. 990, Craisson 4048.

3. Si, proclamationibus expletis, matrimonium diu differtur (Rit. Rom. dicit post *duos menses*, Rit. Trevir. et Fuld. notat *„quatuor menses“*: Schulte *Eherecht* pag. 53), proclamationes ante matrimonii celebrationem renovandae seu *iterum faciendae* sunt.

Ad II. 1. Quamquam Trid. dies Dominicos *et* festivos pro bannis assignat, consuetudo in multis regionibus est, ut solis diebus Dominicis, intermissis festis intra hebdomadam occurrentibus, proclamationes fiant: quod menti legislatoris adversari non videtur; quare licet sic fieri, si legitima consuetudo id approbaverit.

2. At etiam satisfieri videtur legis intentioni, si, occurrente magno concursu fidelium, in die ex praecepto non festivo, proclamatio aliqua fiat: v. Craisson n. 4054.

3. Dicitur „inter Missarum solemnia“; quare fiat oportet non in sola Missa privata, neque in Vesperis. At si oblivione omissa fuerit aliqua proclamatio in Missa, in Vesperis, modo sat magnus populi sit concursus, ea suppleri posse videtur: cf. S. Alph. n. 991.

674 Ad III. 1. In ecclesia parochiali proclamationes faciendae sunt. Si vero pro peculiari aliqua festivitate populus potius ad aliquod sacellum ejusdem parochiae confluxerit, quam ad ipsam ecclesiam: nihil impedire videtur, quominus *ibi* in sacello isto proclamatio fiat: *ibid.* Imo si ob gravem aliquam causam, v. g. pestis grassantis finis bannorum in ecclesia propter penuriam populi eo confluentis obtineri vix possit, modus affigendi nomina in loco publico cum venia Episcopi eligi potest.

2. In utriusque sponsi parochia proclamatio fiat oportet: quare si diversae sunt parochiae, utrobique banna publicari debent, nisi parochiae sint valde vicinae. Imo si quis sponsorum in pluribus locis domicilium aut quasi-domicilium habet, ubique in omnibus illis locis publicatio facienda est: cf. Craisson n. 4057.

3. Difficile non est definire, quis *re* plura domicilia sive quasi-domicilia[1] habeat. Difficilior quaestio evadit circa eos, qui, ut nondum plene sui juris, ex domicilio eorum, quibus subsunt, *juridice* censeantur domicilium habere, ubi re non habitant. Pro his nota haec, quae praecipue ex recentioribus conciliis provincialibus desumpta sunt, ut Queb. II. Coll. Lac. III. col. 648, Senon. ib. IV. col. 894 sq., Bitur. ib. col. 1118, Remensi ib. col. 126 etc., Instruct. Austriaca § 61—64 ib. V. col. 1294.

1) *Filii familias* aetate minorennitatis[2] proclamari debent non solum in actuali domicilio, vel quasi-domicilio, sed etiam in domicilio *parentum*.

2) *Milites*, si minores sunt, eodem modo tractari debent; alioqui praeter locum actualis habitationis domicilium juris putatur locus, ubi ante susceptam militiam habitaverunt.

3) *Vagi* proclamandi sunt in loco, ubi diutius commorati sunt, vel in loco originis: insuper pro eorum matrimonio licite celebrando consensus Episcopi adesse debet et legitima attestatio eorum statûs liberi.

---

[1] Quae quomodo acquirantur, vide n. 775.

[2] Aetas minorum computatur secundum leges civiles regionis: v. ll. cc. Conc. Queb., Remen., Senon. etc.

4) Qui a brevi tempore domicilium vel quasi-domicilium mutaverunt, non in solo actualis habitationis loco, sed etiam in loco prioris domicilii proclamari debent. Quantum autem tempus actualis habitationis requiratur, ut in priore loco banna omitti possint, a diverso jure loci atque episcopali lege multum pendet. Quamquam enim Romanum jus saltem quinquennium requirere videtur, in aliis locis habitatio unius anni, imo sex mensium pro sufficienti habetur. Sic in Conc. prov. Bituric. 1850 et in Concilio Auscitano (v. Coll. Lac. tom. IV. col. 1118 et 1191) commoratio sex mensium statuitur, ut aliquis quoad banna domicilium mutasse censeatur. Additur dein „sed pro iis, qui transitorii officii, vel studiorum, famulatûs causa in uno loco ultra sex menses degunt, *domicilium retinentes in altero,* in *utroque* (loco) proclamentur“: ergo qui domicilium in altero loco neque re, neque jure retinuerint, in solo posteriore proclamandi sunt. — Quae quum Romae approbata sint, norma esse possunt, ut simile spatium pro legitimo habeatur, ubi consuetudine idem observatur.

4. Quando banna in pluribus locis facienda sunt, parochus loci, ubi matrimonium contrahitur, literas testimoniales de statu libero sponsorum accepisse debet (Ledigschein), ut matrimonio possit assistere.

A lege civili interdum exigitur, ut consensus parentum — si de filiis minoribus agitur — afferatur: quod leges canonicae non requirunt. Prudentiae igitur est videre, quousque leges civiles observari hac in re debeant.

§ 2.

De dispensatione bannorum.

I. Episcopus ex justa causa, si aliunde de impedimento non exsi- 675
stente satis videtur constare, a bannorum obligatione dispensare potest: Trid. l. c. cap. 1.

II. Probabiliter sufficit dispensatio Episcopi unius ex sponsis: quia nisi unus sponsorum alteri gratiam acceptam communicet, gratia nihil juvat, insuper lex bannorum obligat sponsos tantum, quatenus de *mutua* ipsorum relatione agitur. Aliis verbis, omissio bannorum per se est impedimentum matrimonii impediens; quare qui, sicut in quibusvis aliis impedimentis sive impedientibus sive dirimentibus, ita in hoc dispensationem accepit, cum comparte sua ab impedimento liberatus est: S. Alph. n. 1006. Gasparri n. 183.

III. Causae dispensationis aliae sunt necessariae, aliae gratiosae. Necessariae sunt eae, quae, nisi dispensatio fiat, grave damnum uni alterive sponsorum inferant; gratiosae, quae id minime faciant.

IV. Parochus, quamquam dispensare a bannis nequit, potest tamen aliquando, si recursus ad Episcopum non jam patet, ex epikia proclamationes omittere, et sine illis ad matrimonium celebrandum sponsos admittere.

Nota ad I. 1. Facilius potest dispensari ab una alterave proclamatione, quam ab omni. Quod si fit, in ipsa proclamatione dici debet, eam esse unam pro tribus, vel secundam pro secunda *et* tertia.

2. Facilius etiam, quam totalis bannorum omissio, concedi potest ab Episcopo, ut post contractum matrimonium tandem proclamationes supple-

antur, monitis conjugibus, ut interim a matrimonii consummatione abstineant: v. Trid. l. c. et Rituale Romanum tit. VII. c. 1 n. 9. *Potest* tamen Episcopus pro causae gravitate *absolute* dispensare.

Si in tali causa conjuges moniti aut jussi sunt abstinere a matrimonii consummatione, ipsi vero *certi* sunt, impedimentum non exsistere: illius praecepti transgressio mortale peccatum non censetur: v. Gury-Baller. II. n. 740 2. not., nisi forte specialis intimatio et *gravis* comminatio adjuncta fuit.

676 Ad III. 1. Causae necessariae fere hae sunt:

1) ne malitiose impediatur matrimonium, v. g. a cognatis;
2) ne forte vir, mutato consilio, derelinquat puellam a se violatam;
3) ne damnum, scandalum, infamia ex dilatione matrimonii oriatur;
4) si urget necessitas contrahendi, quum sponsus statim proficisci debeat;
5) si forte vir post matrimonium civiliter contractum non vult in tres proclamationes consentire, admittere tamen vult ecclesiasticum ritum: tunc enim in gratiam sponsae dispensari debet, si jam separatio fieri nequit;
6) si proclamationes sponsos magno ludibrio atque irrisioni exponunt: quod quum plus minusve urgere possit, aliquando pro causa necessaria, aliquando pro libera et gratiosa haberi debet.

Quando igitur ejusmodi causae certo adsunt et graviter urgent, Episcopus juste denegare nequit bannorum dispensationem.

2. Aliquando vero ex mera gratia, v.g. propter sponsorum nobilitatem vel meritum, dispensatio concedi potest. Imo in matrimoniis summorum Principum, quorum cognatio communiter publice nota est, proclamationes omitti solent: v. Craisson n. 4050.

Ad IV. 1. Parochus igitur epikiâ uti potest:

1) maxime in articulo mortis ad matrimonialiter conjungendos concubinarios sive propter bonum prolis, sive propter spiritualem curam moribundi;

2) si in aliis causis necessariis modo allatis Episcopus tam cito adiri nequit.

2. Sed, nisi mortis articulum excipias, parochus *debet* conjuges monere, ut a matrimonii consummatione abstineant, donec proclamationes suppletae fuerint, aut aliter per Episcopum sit provisum. Nam epikia non plus concedit, quam necessarium est. At necessarium quidem esse potest statim matrimonium contrahere, vix unquam, etiam post matrimonium proclamationes omittere. Quomodo vero conjuges laedentes hoc praeceptum peccent, et — quod consequens est — qua prudentia hoc praeceptum conjugibus a parocho explicandum sit, vides ex iis, quae supra ad I. dicta sunt.

§ 3.

De obligatione impedimenta revelandi.

677 Proclamationes propterea fiunt, ne cum impedimentis matrimonia celebrentur. Quare, ut finis ab Ecclesia intentus obtineatur, necesse est adesse obligationem pro fidelibus ea revelandi, quae matrimonium, quod proclamatur, sive invalidum sive illicitum reddant.

Ex iis vero, quae matrimonium *illicitum* reddant, fere sola sponsalia cum tertia persona inita huc pertinent. Quorum revelatio vix ad alios spectat nisi ad ipsam hanc tertiam personam, *si* jus suum servare velit. Aliquando tamen, si ipsa jus suum prosequi nequit, aliorum est, parochum de illo impedimento certiorem facere.

Plerumque igitur ad impedimenta *dirimentia* obligatio faciendae revelationis restricta est; quae paucis his principiis continetur:

I. Per se est obligatio gravis impedimentum matrimonii, si quod scitur, revelandi, etsi res occulta est et vel secreto scitur naturali vel promisso tantum.

II. Obligatio illa, quamquam prae aliis sponsos ipsos adstringit, tamen ab omnibus, qui rei notitiam habent, idque quam primum, nisi gravis causa excusat, impleri debet.

III. At obligationis excusatio censetur adesse pro iis:

1) qui sciunt impedimentum sub secreto *commisso,* ut sibi in officio suo dictum;

2) qui nequeunt revelare sine magno suo damno, vel scandalo aliorum.

3) qui fructum ex revelatione sperare non possunt, praecipue si certi non sunt de impedimento, sponsi vero in bona fide exsistunt;

4) qui audierunt ab homine fide non digno, aut nesciunt, a quo rem sibi narratam habeant (nisi fundata spes est ulterius inquirendi);

5) qui sciunt, sponsos occulte petiisse dispensationem.

IV. Si illius impedimenti revelatio crimen aliorum manifestat, illi, qui ex revelatione impedimenti diffamationem patiuntur, sive sponsi sunt, sive alii, per se prius moneri debent, ut ipsi per seipos provideant (aut desistendo a matrimonio, aut dispensationem occulte petendo): quo facto, si provisum fuit, revelatio non amplius fiat oportet. Haec vero *monendi* obligatio eos etiam adstringere potest, qui ex secreto commisso notitiam habent, ut videlicet eos ipsos moneant, a quibus rem secreto cognoverunt.

Appendix.

Gravis igitur obligatio circa banna praecipue est:

1. ne parochus ea (plus semel) omittat;
2. ne sponsi sine bannis, nisi dispensatum fuerit, matrimonium contrahant;
3. ut omnes, qui impedimenta norint illaque sine gravi damno manifestare possint, ea quam primum revelent.

Sectio II.

De matrimonialis contractûs natura et qualitate.

678 Complures recentiores scriptores de matrimonio disputantes a voce contractûs quodammodo abhorrent, quasi aut matrimonium non deceat sic vocari, aut matrimonii conceptus minus rectus ingeratur. Nos vero id minime timentes vocem a tot saeculis usitatam, et SS. Pontificum etiam nostri temporis solemnibus documentis, ut Pii IX. et Leonis XIII., consecratam et fidenter adhibemus et matrimonii naturam sic exacte exprimi prorsus putamus, modo ne quemlibet contractum eandem omnino naturam habere sumatur. Matrimonium sine dubio non solum propter officium naturae, cujus causa institutum est, singularis omnino contractus est, sed etiam propter eximiam dignitatem, ad quam Christus illud evexit. Nam et contractus et sacramentum est. Qui characteres quum ab invicem separari non possint, ne nos quidem in tractando eos dividemus, sed conjunctim de utroque locuturi sumus, et 1) quidem de contractûs matrimonialis sacramentali charactere, 2) de necessariis hujus contractûs sacri qualitatibus.

Caput I.

De matrimonialis contractûs charactere sacramentali.

Matrimonium christianum, a Christo Domino novo splendore circumdatum, naturâ non est mutatum, sed elevatum. Quare ab ipsius natura et essentia in se spectata incipiendum est, ab eaque definitio est sumenda.

§ 1.

De hujus sacramenti essentia.

Definitur igitur matrimonium: Individua maris et feminae consociatio, qua mutuo complentur ad constituendum jure unum generationis principium.

Distinguitur 1) matrimonium *in fieri* et matrimonium *in facto esse:* A) *Matrimonium in fieri,* quatenus consideratur illa transitoria actio seu consensio, qua mas et femina jus illud mutuum mutua traditione et acceptatione acquirunt, seu qua constituuntur in jure efformandi unum generationis principium; B) *Matrimonium in facto esse,* quatenus permanens ille status juris consideratur, qui morali et juridico vinculo conjuges conjunctos tenet, ex ipsa consensione resultans.

2) Distinguitur matrimonium legitimum, ratum, consummatum, vel potius: *consummatum, ratum tantum, legitimum tantum.* Legitimum tantum dicitur illud matrimonium, quod verum quidem est, sed elevatione ad dignitatem sacramentalem caret: quod solummodo inter nonbaptizatos exsistere posse, infra probabitur. „Ratum“ dicitur ma-

trimonium ratione illius confirmationis et ratificationis, quam per *sacramentalem characterem* accipit [1], quo matrimonium est non tantum coram Deo ut auctore naturae, sed etiam coram Christo ut Sanctificatore et Redemptore, atque coram Ejus Ecclesia: dicitur autem „ratum *tantum*", ut excludatur, carnale commercium jam habitum esse, quo morale et juridicum vinculum fortius etiam sit adstrictum. Quodsi post matrimonium vere contractum carnale commercium accessit, dicitur matrimonium consummatum: vid. ratum et consummatum, si de matrimonio inter baptizatos agitur; legitimum tantum et consummatum, si de matrimonio inter non baptizatos sermo est.

Definitio supra data referri potest et ad matrimonium in fieri et ad 679
matrimonium in facto esse, prout consociationem accipias illam actionem transeuntem, qua societas initur, aut stabilem societatem ipsam.

„Consociatio" indicat ipsa sua notione a) contractum, sed b) contractum certi generis, quo contrahentes non rem quandam aut actionem quandam obligant, sed se suasque personas ipsas proxime et directe ad socialem vitam adstringunt. — Sequentibus verbis in recto exprimitur primarius finis, ad quem *haec* societas proxime tendit, vid. „ut contrahentes compleantur jure tamquam unum generationis principium." Nota enim distinctiva diversarum consociationum essentialiter pendet a proximo ejus fine; quare in definitione ille necessario exprimendus est. — Dictum est autem, „quo *jure* constituantur unum principium", ut jam hîc negetur, ad essentiam matrimonii pertinere ejus consummationem, vel etiam ipsius matrimonialis usûs jus expeditum: de quo tamen infra aliqua notanda sunt, quando de conditionibus matrimonio appositis agemus. — Verba illa „*Individua maris et feminae* consociatio" innuit duplicem essentialem matrimonii qualitatem, unitatem dico et indissolubilitatem. Haec praevie explicandi causa indicasse sufficiat: de singulis fusior institui debet disputatio.

I. Matrimonium verum et legitimum etiam inter infideles seu non- 680
baptizatos exsistit.

II. Matrimonium inter fideles seu baptizatos sacramentum Novae Legis est, unionem Christi cum Ecclesia significans et efficienter extendens.

III. Sacramentum a contractu reipsa separari non potest, sed matrimonium inter baptizatos aut sacramentum est, aut contractus validus non est.

IV. Materia et forma sacramenti est ipse consensus contrahentium legitime manifestatus, quo matrimonium in ratione contractûs perficitur.

V. Minister igitur sacramenti non est sacerdos, sed ipsi contrahentes et ministri et suscipientes sunt.

VI. Necesse tamen non est, ut contrahentes rationem sacramenti expresse intendant; sufficit, ut eam praevalente intentione non excludant.

---

[1] Innoc. III. in *decret.* l. 4 tit. 19 cap. 7: „Nam etsi matrimonium verum inter infideles exsistat, non tamen est ratum; inter fideles autem et verum et ratum exsistit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed *ratum efficit conjugii sacramentum.*"

Uberior explicatio. *Primae* thesis veritas adeo patet, ut probatione non indigeat. Nemo enim unquam ausus fuerit neque audeat generis humani propagationem prohibere: quae extra matrimonium jure naturae a gravi crimine immunis non est. Atque ipsa Ecclesia quovis saeculo pro solemni axiomate habuit: „Per baptismi sacramentum non solvuntur conjugia, sed dimittuntur crimina", ut ait Innoc. III.: v. *decret.* l. 4 t. 19 c. 8. *(de divortiis).*

681 Ad II. nota: 1. Doctrinam esse catholicam de sacramentali matrimonii charactere, ex compluribus Ecclesiae definitionibus fide certum est. Trid. sess. 24 can. 1 dicit: „Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, a. s." — Cf. Flor., *Instr. ad Armenos;* in Syllabo Pii IX. th. 65 (et 66): „Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti" damnatur.

2. Anterioris temporis documenta ex ecclesiastica traditione collecta habes apud Perrone *de matrimonio christiano* l. 1 sect. 1 c. 1 art. 1 et 2.

3. Imo ex ipsa Sacra Scriptura satis erui potest, Christiano matrimonio id competere, ut sit signum efficax gratiae seu verae rationis sacramentum. Videl. S. Paul. ad Ephes. c. 5 imprimis de matrimonio Christianorum effert: „Sacramentum hoc (sive mysterium) magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia", nimirum magno aliquo et mystico modo matrimonium significare sublimem illam unionem Christi et Ecclesiae, quam sibi ut dilectam sponsam acquisivit atque perpetuo amore prosequitur. Porro hoc *imprimis* de christiano matrimonio recte non diceretur, nisi, rationem *nudi signi* excedens, *efficienter* hanc unionem significaret; efficere autem hanc unionem non potest, seu latius *diffundere,* nisi contrahentes gratia divina sanctificet et cum Christo intimius conjungat.

Nisi enim hanc *efficacem* significationem sustineas, habeas matrimonium ante-christianum, maxime protoparentum, longe excellentiore modo fuisse unionis inter Christum et Ecclesiam signum. Est enim signum *praeformans,* cui sub hac ratione majorem dignitatem adscribere debemus, quam signo imitanti. Quare, ut nihilominus majorem excellentiam secundum S. Paulum matrimonio christianorum vindicemus, id aliunde peti debet, videl. ex eo, ut non nude, sed *cum effectu* signum sit.

682 4. Sed ut in ipsa etiam *re significata* diversitas pro diversis statibus matrimonii habeatur, ecclesiastici scriptores et Romani Pontifices id sic exhibent[1], ut matrimonium *infidelium* significet unionem Verbi cum genere humano per *Incarnationem,* matrimonium *fidelium ratum* unionem cum Ecclesia ejusque membris per *gratiam,* matrimonium *fidelium consummatum* unionem Verbi cum individua humana natura per *hypostaticam unionem:* ex quibus prima unio est praeparatoria gratiarum, secunda conferens quidem gratiam, sed per peccatum grave dissolubilis, tertia unio firmissima et indissolubilis; et sic ex ipsa re significata illustratur minor majorve gradus indissolubilitatis, quam matrimonio competere, infra dicetur.

5. Matrimonium sacramentum vivorum est, ideoque scienter in statu peccati suscipi sine sacrilegio nequit. Et quamquam actus con-

[1] Leo XIII. in Encycl. *Arcanum divinae Sapientiae* 10. Feb. 1880 haec habet: „Quum matrimonium fuerit vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio."

tritionis per se sufficit, praestat omnino morem catholicum servare, ut et confessio praemittatur et S. Eucharistiae susceptio aut praecedat aut sequatur matrimonii ipsius celebrationem.

6. Effectus autem est 1) majus sanctificantis gratiae augmentum; 2) speciale jus ad actualis gratiae auxilia, quibus onera christiani matrimonii levius et fructuosius ferantur, sc. perpetua fides, mutua concordia et patientia, libidinis refraenatio, liberorum educatio etc. Quae divina dona ut percipiantur et largius hauriantur, id imprimis cavendum est sponsis, „ne nuptias antevertant continuatione quadam serieque flagitiorum, irato Deo“, ut ait Leo XIII. l. c. De quo multum monendi sunt.

Ad III. 1. Rationes externae hujus veritatis, sacramentum a con- 683
tractu re ipsa separari non posse, desumuntur ex ipsa supremae Ecclesiae auctoritatis declaratione et communi inter catholicos scriptores doctrina.

Videl. Pius IX. *Allocut.* 27. Sept. 1852: „Inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum . . . ac proinde a conjugali foedere sacramentum separari nunquam posse.“ — Accedit thesis 66 in *Syllabo* damnata: „Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsum sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est“. Leo XIII. *Encycl. cit.:* „Jam vero Apostolis magistris accepta referenda sunt, quae SS. Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt, nimirum Christum Dominum ad sacramenti dignitatem evexisse matrimonium“: unde Summus Pontifex dein concludit: „Christus . . . totam (matrimoniorum) disciplinam Ecclesiae credidit . . . .“, ita ut absonum sit, gubernatoribus rerum civilium partem aliquam ejus curae vindicare.

Communis theologorum doctrina, antequam regalistarum commenta lucem aspexere, ex eo colligitur, quod matrimonia etiam clandestina semper pro veris et *ratis* habita sunt, antequam Ecclesia ea irrita fecerit: matrimonia autem „rata“ dicuntur ratione sacramenti· cf. Trid. sess. 24 *de ref. matr.* cap. 1.

2. Interna autem ratio ita efferri potest: Hoc idem signum *efficax* rei sacrae seu sacramentum est, quod rei sacrae signum *significans* est. Atqui ipsum matrimonium, ut contractus est, seu ut est legitima viri et mulieris conjunctio, rei sacrae signum est significans, (significans unionem Christi cum Ecclesia ejusque membris per gratiam sanctificantem). Ergo *matrimonium, ut contractus est, est sacramentum.*

Ad IV. 1. Ex principio III. plane consequitur, materiam et for- 684
mam reperiri debere in ipsorum contrahentium consensûs mutui declaratione, seu in matrimonialis juris traditione et acceptatione, quae sive verbis — ut communiter fit — sive indubiis signis exprimitur (v. Conc. Florent., *Instr. ad Armenos*); atque id etiam patet, essentiam sacramenti sequi prorsus essentiam contractûs. Aliis verbis dicam: quae essentiam contractûs violant, etiam essentialiter vitiant sacramentum; quae contractui non repugnant, ex se neque sacramento obsunt.

2. Igitur 1) hoc sacramentum celebrari potest etiam per procuratorem: ita ut, quando procurator consensum declaraverit, modo ne mandans interim retractaverit, ipso illo tempore sacramentum con-

ficiatur atque gratiae sanctificantis augmentum conjugibus accrescat. At ille modus, nisi in Principibus, communiter non licebit. 2) Huic sacramento nullatenus essentialiter obstat conditio de futuro: licet aliorum sacramentorum essentia talem conditionem non ferat. Quare, impleta conditione, eo ipso matrimonium firmum evadit atque sacramentalem effectum producit. 3) Quamquam in sacramentorum essentiam et valorem Ecclesia potestatem nullam habet, tamen sacramenti matrimonii valor indirecte ab Ecclesiae potestate pendet. Nam *ut contractus* subjacet publicae auctoritati illi, quae res sacras custodire atque ordinare debet, ecclesiasticam dico jurisdictionem. Quae quum circa contractûs sacri valorem leges ferre possit, eo ipso sacramenti valorem attingit.

685 3. Consensus vero, qui et contractum et sacramentum efficit, debet esse 1) mutuus, 2) deliberatus et voluntarius, 3) externus, 4) de praesenti.

Quare 1) si alteruter vere non consensit, sed ficte tantum, matrimonium nullum est. Fictio quidem non supponitur; neque in foro externo haec fictio admittitur, nisi forte probari potest. Hinc etiamsi ille, qui ficte consensit, sub poenis gravissimis ad vitam conjugalem adigeretur, in conscientia usum matrimonii sibi permittere non posset, fictione nondum sublata.

2) Consensus non tantum eatenus voluntarius esse debet, quatenus est actus perfecte humanus, sed etiam quatenus metum gravem injustum excludit, — de quo accuratius infra in *„impedimentis“* — sive hoc ex natura rei, sive ex positiva lege repetas.

3) *Externus* consensus requiritur ex essentia contractûs et sacramenti. Nam quodlibet sacramentum signum externum est, neque contractus inter homines ullus cogitari potest, nisi externo signo effectus, quum acceptatio juris oblati fieri non possit, nisi oblatio facta et *manifestata* fuerit.

4) Contractus *„de praesenti“* dicitur de objecto, in quod consensus fertur, cum comparatione ad sponsalia. Sponsalia enim pro objecto habent *futuram* juris matrimonialis traditionem, matrimonium *praesentem* juris traditionem: quod etiam verum est, etsi conditio futura apponatur; nam etiamtum juris traditio seu obligatio ad ipsa matrimonialia jura fit ex *nunc,* non ex tunc. Conditione videl. impleta, eo ipso contrahentes evadunt conjuges, etsi forte ratione actu non utuntur[1].

---

[1] Recenter Dr. Freisen, canonista Germanus, resuscitaverat aliam sententiam, quae reponat essentiam matrimonialis contractûs in copula maritali, ratus, omnia alia, quae praecesserint atque consensum sive de futuro sive de praesenti manifestaverint, sponsalia esse, eaque, sive fuerint „sponsalia de futuro“ sive „sponsalia de praesenti“, solvi plane posse tum Ecclesiae potestate, tum, nisi Ecclesia contrarium statuerit, mutuo consensu. Verum, quum doctissimus ille vir sententiam istam retractans deseruerit utpote communi theologorum doctrinae contrariam, sufficiat hic pauca adnotasse: Ista sententia neque consistit cum doctrina Instructionis Eugen. IV. ad Armenos, neque cum notione matrimonii virginei B. Mariam V. inter et S. Jo-

Porro de conditionato consensu quaedam addi debent; de aliis con- 686
ditionibus pauca, plura de conditione turpi.

A. Igitur *generatim* 1. Plerumque illicitum est, conditionato consensu matrimonium contrahere velle: id enim innumeris periculis rem exponeret. Quare parochus *sua* auctoritate id nullatenus admittere debet. At interdum ipsi contrahentes, etsi coram parocho non exprimunt, habere possunt intra se, aut etiam potuerunt mutuo inter se statuere — utut illicite haec fecerint vel faciant — aliquam conditionem appositam. Quare, quid juris sit circa matrimonii valorem, prosequi debemus.

2. De valore in conditione, quae est de praesenti aut de praeterito, nihil est, quod difficultatem movere possit; nam statim talis consensus aut absolutus aut nullus evadit, prout conditio verificatur aut non verificatur.

3. Si conditio de futuro est ex objecto honesta, valori matrimonii nihil obstat: attamen non est matrimonium, nisi factum futurum, quod pro conditione positum est, revera acciderit. Aliud est, si conditio non tam est factum aliquod futurum, quam voluntatis propositum futuro tempore aliquid agendi, quae potius conditio de praesenti est: neque voluntatis *mutatio* postea subsecutura matrimonio vitium inferre potest; matrimonium enim semel valide effectum dissolvi non amplius potest.

Imo in tali conditione futurae alicujus actionis *praestandae* videri omnino debet, utrum concepta sit tamquam vera conditio sine qua non, an potius tamquam *modus*, i. e. obligatio quaedam, quam unus alteri imponere voluit, non ita tamen, ut ab ejus *impletione* vel ejus implendae voluntate matrimonium intrinsecus pendeat.

B. *Speciatim* de conditione turpi, quae matrimonio adjiciatur. Si con- 687
ditio de futuro ex objecto suo turpis est, quid juris sit, longiore expositione eget. — Ante omnia advertendum est: 1) „conditionem“ sumi aliquando stricto, aliquando latiore sensu pro intentione vel proposito aliquid faciendi; 2) conditionem turpem aut substantiae matrimonii repugnare, aut alterius generis esse.

Substantiae matrimonii repugnat turpis conditio, quae excludat 1) aut bonum prolis, nimirum ejus *generationem vel conservationem*, 2) aut bonum fidei seu exclusivam fidelitatem *unitati* matrimonii respondentem, 3) aut bonum sacramenti seu vinculi *perpetuitatem.*

I. Circa intentionem conditionemve turpem *substantiae matrimonii non contrariam* haec valent:

1. Sola intentio ex conjunctione conjugali sumendi ansam sive auxilium peccandi, in matrimonium ejusve valorem influere nequit. Imo etiam mutua ejusmodi consensio in peccatum perpetrandum practice plerumque considerari debet tamquam conatus in se irritus *adjecti* alicujus oneris: ita ut nihilominus in matrimonium consensus datus sit absolutus et verus.

2. Idque eo magis plane tenendum tum est, quando contrahentes jus ecclesiasticum norunt. Scilicet Ecclesia in foro externo hanc regulam tenet: Si conditiones turpes matrimonio non contrariae aut impossibiles in pactum deducuntur, *habentur pro non adjectis.* Contrahentes igitur quando conditionem ut turpem vel impossibilem cognoverunt, eam non serio apposuisse censentur.

---

seph, neque — id quod nobis in theologia morali causa praecipua est — cum iis, quae conjugibus extra matrimonii consummationem licere, quae non, unanimis theologorum sententia docet. Quare etiam in sequentibus innovatae illius opinionis ejusque consectariorum rationem non sum habiturus.

3. Nihilominus in omnibus istis causis praesumptionem quidem habemus, quae tandem voluntate vere contraria contrahentium vinci *potest*. Si igitur contrahentes, sive alteruter eorum, ita comparati sunt, ut conditionem sive intentionem turpem pro vera *conditione sine qua non* habeant: haec reddit matrimonium nullum, quando conditionis impletio ad indefinitum tempus protrahitur, vel quamdiu conditio utcunque impleta non est; impleta vero conditione dubium manet, num matrimonium re vera validum evaserit.

688 II. Circa intentionem conditionemve turpem *substantiae matrimonii contrariam* nota: Matrimonii valor destrui potest tum secundum regulam mox expositam, quatenus promissio turpis pro vera *conditione sine qua non* habebatur, tum etiam quia objectum contractûs matrimonialis atque consensus in illud essentialiter corrumpi potest; at, objecto essentiali mutato, contractus non subsistit. Objectum vero essentiale mutui consensûs est jus et obligatio mutua in ordine ad generandam educandamque prolem, eaque individua et perpetua. Voluntas, quae huic objecto contraria est, non facit verum consensum matrimonialem. Fac tamen advertas, voluntatem dandi accipiendique jus et obligationem consistere posse cum peccaminosa *voluntate* illud jus laedendi. Igitur:

1. Qui habet solam voluntatem jura matrimonialia laedendi sive per abusum matrimonii, sive per adulteria, nihilominus matrimonium valide inire potest: verum si ne voluntatem quidem saltem implicitam haberet *jus* exclusivum idque in ordine ad rectum matrimonii usum alteri parti tradendi, matrimonium contraheret nullum.

2. Qui voluntatem, etsi internam tantum, habet, postea si sibi placuerit ad alias nuptias transeundi, matrimonium invalidum contrahit, eo quod *nolit* perpetuum *jus* alteri tradere: quod tamen essentiale est. Attamen ut propter talem voluntatem matrimonium censeatur nullum, illa determinata voluntas ut *positiva* et *praevalens* adesse debuit. Nam si ex errore aliquis putat, se posse postea ex certa causa vinculum dissolvere, id tamen non positive intendit, sed voluntatem praevalentem gerit ineundi veri matrimonii: matrimonium valet.

689 3. Si peccaminosa aliqua intentio seu propositum peccandi contra bonum substantiale matrimonii *in pactum deducitur*, quo matrimonii jura determinentur: matrimonium nullum est. Nam tunc non solum aderat voluntas delinquendi contra matrimonialia jura, sed horum jurium comparti tradendorum deerat et voluntas et voluntatis declaratio. Imo talis intentio in pactum deducta *etiam in foro externo* facit matrimonium nullum, modo certe probari possit. Sic enim *decretal.* l. 4 tit. 5 c. 7: „Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta, si alter dicat: Contraho tecum, si generationem prolis evitas, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quaestu adulterandam te tradis: matrimonii contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliae conditiones in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.“ [1]

---

[1] Ex omnium sententia non tantum nullum est matrimonium sub conditione „si evites generationem“, sed etiam sub conditione „si prolem occidas, abjicias“, quia non solum susceptio prolis, sed etiam susceptae prolis aliqualis educatio ad matrimonii *essentialem* finem spectat. At quod aliquando dictum reperitur (cf. Weber *impedimenta canonica, „die canonischen Ehehindernisse“* § 3), scil. conditionem

Cf. etiam Sanchez *de matr.* l. 5 disp. 9 etc., S. Alph. l. 6 n. 891, Mazzotta t. 4 disp. 3 q. 1 c. 1 § 2, Sporer n. 341 sqq., Filliucci tr. 9 n. 147 etc.

Verum ejusmodi conditionis appositio privatim facta — a fortiori sola perversa voluntas — probatu difficilis est. Quare si coram parocho et testibus consensus absolute dari videbatur, illud vitium turpis conditionis pro impedimento juris privati haberi debet, quod aut privatim auferendum est, aut ab alterutro conjuge tantum, si *probari possit*, pro causa ad obtinendam sententiam nullitatis matrimonii apud ecclesiasticum judicem potest afferri. In foro conscientiae communiter id fieri debet, ut sive certo sive dubie invalidum fuit matrimonium, nunc, deposita prava voluntate, saltem ad cautelam consensûs renovatio fiat.

4. Si, uno turpem istiusmodi conditionem apponente, alter *contradicit*, vel etiam solo silentio *dissensum suum manifestat*, etiam prior ille, quando nihilominus contrahit, conditionem illam abjecisse et matrimonium valide iniisse *praesumitur*. At hae praesumptiones contrariis probationibus elidi possunt; neque internum forum sola praesumptione ita niti potest, ut non renovationem recti consensûs ad cautelam exigere debeat: v. Sanchez l. c.

5. Conventio turpis, quae practice facilius accidere potest, haec est, ut 1) contrahentes nolint ultra unam alteramve prolem procreare, de cetero abusuri matrimonio; aut 2) ut ab initio velint turpiter generationem excludere, donec ad meliorem fortunam pervenerint. — Quid de tali conventione dicendum?

In *priore* conventione, si revera jus ad ulteriorem rectum usum matrimonii plane excludere volebant, matrimonium nullum est: nam voluntas sive utriusque, sive alterutrius contrahentium non ferebatur in jus matrimoniale *perpetuo* concedendum; atqui id tamen ad essentiam matrimonii requiritur. Verum plerumque aderit praevalens intentio veri matrimonii, atque solum adjungitur secundarie voluntas jure matrimoniali abutendi, non jus ipsum excludendi. — De *altera* conventione idem fere dici debet. Nimirum praesumptio facilis erit, contrahentes voluisse praevalenti voluntate verum matrimonium, neque turpem illam conventionem eos aliter considerasse, nisi tamquam propositum peccandi vel tamquam tentamen adventitiae obligationis ad peccatum inducendae. At si demum de isto matrimonii abusu tamquam de vera *conditione sine qua non* seu de conditione mutua *jura* restringente convenerunt, matrimonium nullum est; imo etsi pro futuro tempore (melioris fortunae) jam nunc ad jura matrimonialia sese mutuo obligare intenderunt, matrimonii valor saltem suspenditur ad modum contractûs sub conditione de futuro, donec post mutatam fortunam aut criminis poenitentiam rectus matrimonii consensus evadat. Practice ergo facile ratio est, cur *ad cautelam* de novo rectus consensus poni debeat.

Scholion. A conditione, quae turpiter excludit bonum prolis, toto coelo distat 690
conventio ex objecto suo honestissima, qua inter contrahentes conveniat ex amore

---

educandae prolis in Judaismo etc. facere matrimonium nullum, conditionem educandae prolis in haeresi non facere nullum, incredibile est. Nam revera utraque est conditio *turpis*, ac proin, si pro conditione sine qua non sumitur, utraque reddit matrimonium nullum. Sed neutra censetur contra matrimonii *substantiam;* quare in foro externo pro non adjecta habetur, atque etiam in foro conscientiae praesumendum est, eam pro solo *modo adjecto* haberi, qui ex natura sua corruat, matrimonio exsistente valido.

castitatis perpetuo ab usu matrimonii abstinere, vel etiam voto sese ad hoc adstringere. Utrum vero cum tali conditione in pactum deducta *matrimonium* subsistat, quaestio est inter theologos agitata.

Qui negant, exemplo matrimonii virginalis inter B. Mariam Virginem et S. Joseph se turbari non debere dicunt, quod sufficiat, ut Beatissima Virgo votum castitatis a se antea emissum nunquam per S. Joseph violatum iri divina revelatione cognoverit, neque requiratur, ut mutuâ conventione Maria et Joseph voto sese obstrinxerint atque usu juris matrimonialis conventione sese abdicaverint. V. Sanchez l. c. disp. 10, Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 13 cap. 22 n. 11, Sporer l. c.

Alii tamen putant, sine causa confugi ad divinam revelationem, neque sic satis explicari, cur, approbante Ecclesia, ex gravi causa iniri possit matrimonium salvo virginitatis voto, uti revera aliquando contractum esse constat. Quis enim dixerit, et Ecclesiam et conjuges in omnibus illis casibus habuisse divinam revelationem, a comparte id exactum iri nunquam, quod jure exigi potuit. Exemplum habes in S. Pulcheria, de qua Ecclesia laudat: „salva, quam Deo voverat, virginitate, conjugem sibi delegit". Neque interna ratio ulla probat, conventionem de jure matrimoniali non utendo essentialiter corrumpere contractum. Jus radicale enim ab usu juris separari potest, ut manifestum est in dominio rerum temporalium. Neque sane repugnat, conjuges *post* matrimonium contractum mutua conventione ab usu matrimonii sive pro tempore sive in perpetuum abstinere seseque voto ad hoc adstringere. Cur igitur haec usûs juris renuntiatio *in* ipso matrimonio contrahendo, praevia conventione facta, fieri non possit, explicatu impossibile est. Quodsi quaeris, quomodo ejusmodi conjuges differant ab hominibus omnino solutis, et quodnam sit vinculum, quo teneantur, facile respondetur, eos multum differre. Nam 1) si sola conventio mutua intercedit, haec mutuo consensu auferri potest: quapropter si ejusmodi contrahentes contra suam conventionem matrimonio utuntur, nullatenus peccant; 2) si vero voto insuper adstricti sunt, licet contra votum peccent, contra castitatem tamen *ut sic* non peccant: v. Schmalzgrueber l. 4 tit. 5 n. 119, Rebell., Clericat. apud Gury-Ball. II. n. 752 not.; 3) si quis contrahentium cum tertia persona peccet, adulter veri nominis sit; 4) si unus contrahentium alterum vi metuve ad copulam cogat, fornicationem non committat, sed solum contra fidem datam injustitiae reus sit, vel etiam sacrilegii.

691 Ad V. 1. Ex iis, quae supra dicta sunt de natura et essentia sacramenti (hîc n. 683 ad III), hodie pro omnino falsa haberi debet opinio paucorum, ministrum sacramenti esse sacerdotem, benedictionem nuptialem elargientem: quod solummodo in falsa opinione illa tueri aliquis potest, quae realem distinctionem et separabilitatem sacramenti et contractûs docet. Imo etiam singularis illa, quam dicunt Maldonati, sententia rejicienda est, ac si sacerdos regulariter, contrahentes extraordinarie, sc. sacerdote deficiente, ministri essent. Essentia enim sacramentalis signi semper a quolibet ministro, sive extraordinarius sive ordinarius est, poni debet: at sacerdos nunquam id ponit, quod a contrahentibus in absentia sacerdotis ponitur, qui nihilominus sacramentum conficiunt. Quod igitur Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 8 c. 12 et 13 dicit, tolerari posse ut probabilem opinionem eorum, qui parochum habent pro ministro, nunc sustineri amplius non potest.

2. Inde deducere non sine ratione aliquis potest, alterutrum sponsorum ut ministrum alterius curam eatenus gerere debere, ut non contrahat cum ipso, nisi judicare possit, eum in statu gratiae esse. Attamen communior sententia theologorum hanc obligationem rejicit, neque aliud putant esse praeceptum, nisi communis caritatis, quod quemlibet adstringat, ut, quantum sine gravi incommodo possit, alterius peccatum impediat atque corrigere conetur: propterea tamen illi matrimonio valedicere non tenetur, sed suae conscientiae alterum relinquere potest. Haec enim positiva cura, ut soli digno

sacramentum conferatur, iis ministris incumbit, qui ex officio sacramentorum ministri sunt: v. Lugo *de sacramentis in genere* disp. 8 sect. 14.

Ad VI. 1. Eo ipso, quod homines baptizati *verum matrimonium* 692
inire volunt, id totum volunt, quod Deus instituit, et ita volunt, ut a Christo ordinatum est. Imo etsi sacramentalem matrimonii characterem ignorant aut se ipsos ministros esse nesciunt: nihilominus praevalens voluntas est contrahendi id, quod a Deo et Christo statutum est.

2. Verum si quis positive nolit matrimonium ut rem religiosam et sacram, idque voluntate praedominante ita, ut potius eligat nullum matrimonium, quam matrimonium ut rem religiosam: baptizatus homo non contrahat matrimonium ullo modo.

3. Hinc etiam deducendum est, utrum matrimonium ‚civile' in locis et personis, pro quibus lex clandestinitatis irritans non viget, pro vero matrimonio haberi possit et debeat, necne. Si enim contrahentes (aut alteruter eorum) matrimonium ecclesiasticum a civili distingui norunt, atque in civili matrimonio *merum civilem actum* exercere intendunt — quod non possunt non intendere, si ipsis, licet falso, *persuasum est,* se verum matrimonium inire non posse —: matrimonium validum non contrahunt. Si autem solum dubitantes vel etiam putantes, se non posse contrahere, volunt tamen ambo, *quantum possunt,* verum matrimonium inire, matrimonium valet.

Sic 18. Julii 1867 a S. Officio decisum est in causa *Coloniensi* circa matrimonium mixtum civiliter tantum contractum. Quamquam enim vi Brevis Pii VIII. haec matrimonia per se valida sunt: nihilominus „Eminentissimi Cardinales necessarium existimarunt, tum virum, tum mulierem ad formale examen revocare, ut jurisjurandi sanctitate deponant, utrum absque praesentia parochi verum se inire matrimonium reputaverint an non, et quatenus se id non reputasse affirment, affirmationem suam, quo melius poterunt, enitantur probare". Probatione hac facta, S. Officium decidit, „matrimonium Bonnae initum inter Titum et Semproniam esse nullum". Cf. libellos period. *Archiv für kath. Kirchenrecht* vol. XLI. p. 292 et *hic infra* n. 716.

§ 2.

De sacris caerimoniis in matrimonii contractu sacramentali observandis.

I. Quamquam matrimonii minister sacerdos non est, tamen com- 693
muniter illicite (et vigente decreto Tridentino, invalide) sine ejus interventu contrahitur.

II. In catholicorum matrimoniis attende, ut semper observetur ille ritus sacer, qui inscribitur in Rituali *„Ritus celebrandi matrimonii sacramentum"; ad solemnem benedictionem* autem in Missa accipiendam non cogendi, sed exhortandi sunt contracturi.

III. In matrimoniis vero mixtis inter partem catholicam et haereticam, si cum Ecclesiae dispensatione servatis praescriptis cautelis ineuntur, excluditur semper quidem Missae sacrificium et solemnis benedictio; ritus autem sacer consuetus *„celebrandi matrimonium",* si ita ad majora mala evitanda Ordinario videtur, adhiberi potest; sed solam assistentiam passivam praestari licet, si ejusmodi mixtum matrimonium

sine necessariis cautelis et sine ecclesiastica dispensatione catholica para inire praesumpserit. Cf. Encyclicam Pii IX. anni 1858, de qua infra.

Explicatio. Nota ad I. Gravis obligatio non sine assistentia et sacerdotali benedictione matrimonii ineundi, nisi adsit necessitas seu defectus sacerdotum, non solum exsistit, ubi lex Tridentina de clandestinitate viget, sed ubique, atque Tridentino anterior est. Quod probant tum perpetua fidelium praxis, tum ipsius Tridentini Concilii verba, quibus Ecclesiam semper detestatam esse dicit matrimonia clandestina.

694 Ad II. 1. Benedictionem illam *solemnem,* a ritu contrahendi seu celebrandi matrimonii distinctam, etiam extra Missam dari posse, concessum est 1. Sept. 1838 dioecesi Eystettensi (vide Gardell. n. 4840). Unde videri poterat, id universim licere, quum S. R. C. ad quaesitum: „Utrum liceat hunc ritum a Missa abstrahere, et quatenus negative, utrum sponsi adigi possint ad Missam", respondisset: „Nihil obstat quoad primam partem; negative quoad secundam."

Attamen postea expresse declaratum est, hanc concessionem esse prorsus localem et specialem, neque licere eam in exemplum trahere. Nam in *Limburgensi* 23. Junii 1853 expresso mandato Pii IX. responsum est: „Sanctitas Sua . . . mandavit, ut juxta mentem suam et alias decreta dubiis propositis responsa darentur, sc. assignata benedictio (i. e. benedictio matrimonialis in Missa pro sponsis) juxta rubricas non est impertienda nisi in Missa." . . . Mens autem S. Pontificis postea speciali epistola Cardinalis Lambruschini 12. Jan. 1854 data, declarabatur: „Sanctitatem Suam nullo prorsus modo assentiri velle, ut benedictio super sponsos in Missali annotata extra Missam adhibeatur; etsi de anno 1838 Calendis Septembris ob peculiares circumstantias id improbatum non fuerit pro dioecesi Eystettensi . . ." De cetero iterum responsum est, inducendos, non cogendos esse fideles, ut copiosiores etiam gratias divinas sibi conciliarent adstando Missae et Sanctam Eucharistiam sumendo.

At non semper fieri repulsam in ista facultate petenda, patet ex concessione „impertiendi extra Missam benedictionem solemnem", quam 5. Febr. 1865, rogante S. C. de Prop. Fide, Patribus Conc. Quebec. Pius IX. fecit: v. Coll. Lac. t. III. col. 687.

2. Haec solemnis benedictio *omitti debet* a) in secundis nuptiis, quae sunt secundae ex parte mulieris; b) in matrimonio, quod forte tempore clauso celebratur. Quoties vero solemnis benedictio prohibetur, prohibetur etiam, quominus Missa votiva „pro sponso et sponsa" dicatur, aut addatur in Missa diei illius Missae Collecta. Nunquam autem annuli benedictio praetermittitur: S. Rit. C. 27. Aug. 1836 *in Rhedon.* Gard. n. 4780 ad 2.

3. Aliqui falso putant, solemnem illam benedictionem, quae omittenda sit in secundis nuptiis, etiam omittendam esse, si forte sponsa corruptione non amplius sit virgo. At hoc falsum esse, vide apud *De Herdt* tom. III. p. 6 n. 39 II.

4. Neque *necessarium* est supplere illam benedictionem postea: S. R. C. 31. Aug. 1839 in *Montis Pessul.* Gard. n. 4868; *cupit* tamen Ecclesia, ut illa benedictio postea detur[1].

[1] Pro variis adjunctis varia data erant responsa: quae habes in Act. S. Sedis vol. XII. p. 602 et Collect. Conc. Lac. vol. VI. col. 169. 402. 622. Nunc omne dubium sustulit generale decretum S. Officii d. 31. Aug. 1881, quod haec statuit:

4. Ex universali lege non praescribitur, sed consulitur, ut matrimonium semper contrahatur in ecclesia, non in privatis oratoriis; si quae autem severior lex particularis statuta est, haec in dioecesi servari debet.

Ad III. Circa modum et ritum observandum in matrimonio mixto 695
plura decreta eaque pro diversis temporibus diversa emanarunt.

Scil. 1. si cum debitis cautelis (de quibus dicetur postea) atque Ecclesiae dispensatione matrimonium initur, ne tum quidem antea aliud concedebatur parocho catholico, nisi ut secluso quocunque ritu sacro et extra ecclesiam coram aliis duobus testibus sponsorum consensum ‚de praesenti' reciperet. Tamen postea Pius IX. literis encycl. modo laudatis pro illo casu hoc moderamen induxit (v. Acta S. Sedis vol. VI. pag. 456 sqq.):

Sanctitas Sua omnes . . . locorum Ordinarios vehementer in Domino monet . . . eisque mandat, ut . . . in eadem facultate (dispensandi in matrimonio mixto) exsequenda nunquam desistant omni cura studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce matrimoniis extra ecclesiam et absque parochi benedictione alioque ecclesiastico ritu celebrandis. Quodsi in aliquibus locis Sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad hujusmodi majora damna ac mala vitanda prudenti eorundem Sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a conjuge catholico, de conversione acatholici conjugis ab ipso conjuge catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexûs prole in sanctitate catholicae religionis omnino educanda, judicent, quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra ecclesiam et absque parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce conjugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione . . . atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate et gravitate."

At ne haec severius sumas, cf. *Collect.* S. C. Prop. F. (ed. 1893) n. 1436.

2. Quando sine ecclesiastica dispensatione necessariisve cautelis matri- 696
monium mixtum initur, omnis ritus ecclesiasticus parocho prorsus prohibetur: passivam tamen assistentiam praestare potest, si id magis convenire judicetur, etiam iis locis, ubi pro matrimoniis mixtis lex clandestinitatis sublata est[1]: v. Instr. ad Episcopos Bavariae, et ad Epp. Hun-

„Benedictionem nuptialem, quam exhibet Missale Romanum in Missa ‚pro sponso et sponsa' semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missae celebrationem, juxta rubricas, et extra tempus feriatum, omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio quacunque ex causa non obtinuerint; etiamsi petant, postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit.

„Insuper hortandos esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab haeresi valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii. — Contrariis quibuscunque non obstantibus." (Ita ex ‚Pastoral Gazette', Bombay 1882 Nr. 109 pag. 903.)

[1] Similiter in matrimoniis eorum, qui sectae massonicae adscripti sunt, per se sola *passiva assistentia absque benedictione alioque ritu ecclesiastico* permittitur, si videlicet ex denegata assistentia grave scandalum vel damnum oriatur. Ita *Instruct.* Congr. de Propag. F. ad Episc. Brasiliae d. d. 5. Julii 1878. Aliquando tamen plus permitti posse, si de francomurariis agatur, qui ceteroquin catholicos se esse profitentur, erues ex nota ad n. 714 infra; alias agendum utique est, sicut in quibuslibet matrimoniis mixtis.

gariae 12. Sept. 1834 et 30. Apr. 1841 jussu Gregorii XVI. missam, Denzinger *enchir.* n. 1484 et 1485. Videlicet prorsus melius esse potest, ut hac celebratione matrimonii coram catholico parocho aliqua saltem connexio inter parochum ejusque subditum, legi ecclesiasticae et divinae temere inobedientem, conservetur, quam ut illum ab Ecclesia plane abalienatum praecipitem in pejora ruere parochus sinat. Ceterum parochi generatim est, Episcopi sententiam pro regula sumere.

Imo etiam consuetae proclamationes in tali casu fieri non vetatur, modo ne mentio religionis mixtae fiat: v. Instruct. easdem.

3. Si autem matrimonium jam coram ministro acatholico contractum sit, ex Instruct. ad Epp. Hannoveriae 17. Febr. 1864 jussu Pii IX. parochus catholicus permittere nequeat, ut coram se consensus matrimonialis renovetur, nisi pars catholica facti poenitens resipuerit et absolutionem a censuris (ob favorem haeresi datum) forte contractis obtinuerit[1].

---

[1] Nimirum matrimonium mixtum sine dispensatione Ecclesiae iniisse, etiam in iis locis, ubi clandestinitas valori non obstat, grave peccatum ex se publicum est, quod publica satisfactione et reconciliatione indigeat: quare Episcopus certam quandam satisfactionem et poenitentiam statuere potest, quam confessarii plane debeant exigere. Id colligitur ex resp. S. Officii, quod 21. Jan. 1876 ad Vicar. Apost. Bombay (cf. ‚Pastoral Gazette', Bomb. 30. Nov. 1861) agnoverat potestatem Episcopi eos, qui *valide* contraxerant matrimonium mixtum, „absolvendi ab impedimento mixtae religionis, ut licite utantur matrimonio"; at illud „ut licite utantur matrimonio" 12. Mart. 1881 suppressit, et eo solo fine voluit recurri ad Episcopum, *„ut Ecclesiae a conjugibus satisfiat, eidemque cautiones de periculo salutis aeternae a se et a sua prole amovendo in foro etiam externo praestentur".* Acta S. Sedis vol. XVI. p. 235 — In eundem sensum Ep. Warmiensis, postea Card. Archiep. Colon., 12. Martii 1873 et 18. Apr. 1885 constituit seu monuit relate ad eos, qui valide quidem, sed illicite matrimonium mixtum iniissent: „etiamsi tales personae sacramentaliter absolutae fuerint, nondum jus ad publicam SS. Eucharistiae susceptionem habent, sed extra confessionem parochum vel Episcopum adire obligati sunt, quibus judicare incumbit, num scandalum publicum ex illicito matrimonio contracto vel acatholica liberorum educatione exortum adeo sit sublatum, ut ad publicam sacrae synaxis perceptionem valeant admitti." (Köln. Pastoralbl. 1885 Nr. 5.)

Imo qui coram ministro haeretico haeretico ritu matrimonium inierit, vel in filiorum educationem haereticam consenserit, si in foro externo res tractatur, semper, ut cum Ecclesia reconcilietur, indiget absolutione a censuris. Quo in casu hujus fori modus et forma ab Ordinario praescripta observanda sunt. Aliquando autem pro circumstantiis in foro externo rem tractari nec necesse est neque expedit, atque tota causa *in foro interno* potest componi. Exstat resp. S. Off. d. d. 29. Aug. 1888 sequens: „1. Utrum absolutio a censuris *omnibus catholicis,* qui *coram haeretico ministro nuptias contraxerunt, necessaria sit*, an potius in eo tantum casu impertienda sit, quo in hujusmodi celebrationem ab Antistite censurae promulgatae sint? Et quatenus negative ad primam partem, quaeritur: 2. utrum absolutio a censuris necessaria sit iis saltem, qui in hujusmodi nuptiis consenserunt acatholicae prolium educationi? 3 Num haec absolutio requiratur solummodo tamquam formalitas in exsecutione dispensationis stylo Curiae inducta, an etiam iis catholicis sit necessaria, qui post matrimonium coram acatholico ministro *valide* initum cum Ecclesia reconciliari desiderant. — Fer. IV. die 29. Aug. 1888 in Congreg. gen. S. Inq. Emi PP. responderi mandarunt: Ad 1. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Ad 2. et 3. *Provisum in 1mo.* — Eâdem fer. ac die SS. D. N. Emorum PP. resolutionem adprobavit."

Attamen S. Off. d. 18. Maji 1892 respondit: „Qui vero hucusque, nulla praevia a censuris absolutione, ab hujusmodi culpa absoluti sunt, juxta exposita non esse inquietandos", videlicet opinor, eos vel ob ignorantiam censuram in foro *interno* non

4. Aliud tamen est, si minister protestans consideratur et agit solummodo ut persona publica civilis, quam ex lege civili omnes adire debeant, ut civiliter se matrimonium velle inire declarent. Videlicet tum plane idem dicendum est, quod de adeundo magistratu civili: cavendum tamen, ne ullus ritus sacer admittatur. Cf. infra sect. III. cap. I. n. 725.

Aliqua afferam ex laudata Instructione ad Epp. Hannov. (v. *Archiv für kath. Kirchenr.* t. XV. pag. 332 sqq.):

„Jam vero urgentibus haereticis, aut lege civili imperante, non improbatur, quod pars catholica una cum haeretica se sistat ante vel post contractum ad formam Trid. matrimonium etiam coram ministro haeresi addicto ad actum civilem dumtaxat implendum. . . . Verum enimvero quotiescunque minister haereticus censetur veluti sacris addictus et quasi parochi munere fungens, non licet catholicae parti una cum haeretica matrimonialem consensum coram tali ministello praestare et contrahentes peccare mortaliter et esse monendos. . . . Sciant igitur parochi, si interrogentur a contrahentibus, vel si certe noverint, eos adituros ministrum haereticum sacris addictum ad consensum matrimonialem praestandum, se silere non posse; sed monere eosdem debere sponsos de gravissimo peccato, quod patrant, et de censuris, in quas incurrunt.

„Verumtamen ad gravia praecavenda mala, si in aliquo peculiari casu parochus non fuerit interpellatus a sponsis, an liceat necne adire ministrum haereticum, et nulla fiat ab iisdem sponsis explicita declaratio de adeundo ministrum haereticum, praevideat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem renovandum consensum, ac insuper ex adjunctis in casu occurrentibus praevideat, monitionem certo non fore profecturam, imo nocituram, indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum: tunc sileat, remoto tamen scandalo, et dummodo aliae ab Ecclesia requisitae conditiones atque cautiones rite positae sint, praesertim de libero religionis exercitio parti catholicae concedendo, necnon de universa prole in religione catholica educanda. Quodsi tandem consensus coram parocho (catholico) velit renovari, postquam praestitus jam fuerit coram ministro haeretico, idque publice notum sit, vel ab ipsis sponsis parocho notificetur: parochus huic matrimonio non intersit, nisi, servatis ut supponitur ceteroqui servandis, pars catholica facti poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis, absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit."

Appendix.

In ipso matrimonio contrahendo grave peccatum committit:

1. qui in statu peccati matrimonium init;
2. plerumque, qui ficte consentit;
3. plerumque, qui conditionem de futuro apponit;
4. plerumque etiam, qui sine ritu ecclesiastico matrimonium init;
5. semper, qui conditionem turpem sive externe, sive sola mente apponit.

---

contraxisse, vel eos re ipsa absolutos esse, idque si nondum ab aliquo delegata potestate praedito confessario, saltem per voluntatem supremi Ecclesiae Superioris satis declaratam, et si opus sit, defectus supplentem. — Imo quod S. Offic. addit, Ordinarios vi facultatum quinquennalium posse et ipsos absolvere et alios ad absolvendum subdelegare, satis innuit, ex mente S. Officii nequaquam semper requiri absolutionem in foro externo, sed pro circumstantiis rem totam *in foro interno* componi posse, quum pro hoc solo Episcopi in istis regionibus indigeant facultate illa quinquennali. (Cf. *Archiv f. k. K.* t. LXVIII. p. 185, et *Acta S. Sedis* t. XXV. p. 118.) — Quare meâ opinione nihil obstat, quominus Ordinarius, si id expedire putet, facultatem illam, pro accepta potestate *generaliter* vel *specialiter*, aliis deleget, eorumque judicio relinquat, utrum in casibus occurrentibus in foro externo, an in solo interno absolutio a censuris impertienda sit. Quod postquam scripsi, comprobatur resp. S. Poenit. d. 27. Junii 1893 ad Epp. Bavariae.

Caput II.

De matrimonii essentialibus qualitatibus.

Vinculi matrimonialis qualitates duae sunt, quae — ut jam ex supra dictis de consensu conditionato patet — si excluduntur, matrimonium corruit: unitas, i. e. contractus inter unum et unam, et indissolubilitas.

Articulus I.

De unitate matrimonii.

§ unica.

697 Praevie notanda. 1. Unitati opponitur simultanea polygamia aut polyandria. 2. Unitati non repugnant secundae aut ulteriores nuptiae post prioris conjugis mortem contrahendae.

I. Primaeva matrimonii institutio tum natura duce, tum Deo positive jubente, illud ad perfectam unitatem restrinxit.

II. Post diluvium vero Patriarchis et populo judaico polygamiae permissio facta est, quae etiam ad gentiles populos videtur fuisse extensa: polyandria vero ita prohibita est et mansit, ut licita neque unquam fuerit neque esse possit.

III. Per legem evangelicam promulgatam conditio matrimonii ita ad primaevam unitatem revocata est, ut neque fidelibus neque infidelibus amplius facultas sit plures uxores habendi.

IV. Post mortem conjugis conjugi superstiti neque ad secundas neque ad ulteriores nuptias transire ulla lege prohibetur.

Explicatio. Ad I. 1. Perfectio ipsius naturalis legis id exigit, ut aequalitas inter virum et mulierem servetur, et ut fines matrimonii substantiales, procreatio et educatio prolis, difficultatibus non involvantur intrinsecus. Porro in polygamia aequalitas non servatur; educatio prolis fit multo difficilior, pax et concordia domestica multis periculis exponitur.

2. A rerum primordiis matrimonium a Deo ut signum constitutum est futurae unionis Christi cum Ecclesia. Hujus autem signi ratio quoad potiorem partem perimitur, perfecta unitate non servata: relinquitur tantum imperfecta adumbratio unionis Christi cum singulis fidelibus, sed ne eorum quidem adunatio in unicam Ecclesiam significatur.

3. Verbis Christi Matth. 19 et Marc. 10 aperte docetur, a primaeva matrimonii institutione a Deo sancita exsulasse prorsus omnem uxorum pluralitatem.

698 Ad II. 1. Ex sacra historia et lege Mosaica scimus, ipsos sanctissimos viros plures uxores accepisse, neque hac de re a Sacra Scriptura eos reprehendi, qui tantum paucas uxores duxerunt. Quos in ea re materialiter peccasse, nimis audacter et vix non impie dicatur. Ergo dispensatio seu permissio divinitus data intercesserit oportet.

2. Quoad populos gentiles consuetudo pervulgata erat, plures uxores accipere, neque S. Scriptura id expresse illis vitio vertit, quamquam alia eorum vitia perstringuntur. Imo, quod maximum est, nisi ad eos quoque

populos dispensationem divinam sese extendisse dicamus, quomodo judaicum populum atque sanctos Patriarchas a gravi scandalo gentium excusabimus, quos suo exemplo ad polygamiam provocarint? Quare aut dicendum videtur, gentiles potuisse ex exemplo patriarcharum et Judaeorum ad dispensationem sibi etiam tacite datam concludere, ita ut licitum fieret, quod antea illicite usurpassent; aut — ut cum aliis Bellarm., Platell. censent — Deum cum ipso Noë, secundo generis humani parente, dispensationem communicasse, quae ad omnes posteros usque ad Novae Legis institutionem permanaret.

3. Polyandriam vero matrimonio intrinsecus contradicere omnino, ex eo maxime patet, quod non solum secundarii fines matrimonii evertuntur, sed ipse primarius finis, prolis procreatio et educatio, incerta fiat atque impossibilis, imo mulieris sterilitas demum inducatur.

4. Difficile autem nonnullis videtur explicatu, quomodo Deus polygamiam unquam permittere, i. e. non solum impunitatem ejus permittere, sed ipsam pluralitatem uxorum licitam reddere potuerit, siquidem contra legem naturalem nihil facere possit. — At haec non ita difficulter solvuntur. Nam aut inaequalitas jurium quoad virum et mulierem dicitur contra legem naturalem esse, aut damnorum et incommodorum effectio, quae contra pacem familiae, prolis educationem etc. oriantur. Verum si inaequalitatem jurium spectas, ea certo certius non ita contra legem naturalem esse potest, ut divino dominio non subsit: Deus enim pro absoluto suo dominio de juribus omnium disponere potest, idque multo magis, quum quandam inaequalitatem vel inferioritatem mulieris, duce natura, per se adesse fatendum sit. Si vero damna illa et incommoda spectantur, quae familiae ejusque concordiae atque prolis educationi inferuntur: haec ex parte, eo quod accessorii generis sunt, possunt permitti, partim *a Deo* speciali providentia praecaveri. Quare facile patet, etsi nemo alius dispensationem concedere possit, Deum tamen, qui specialem providentiam impendere valeat, posse, nullo legis naturalis ordine laeso, hanc dispensationem concedere.

Ad III. Lex Christi Domini ex locis Matth. 19., Marc. 10. etc. 699
evidens est, qua ad primaevam puritatem matrimonium revocavit. Neque dubitari amplius potest, pro omnibus populis, sive fidelibus sive infidelibus, illam divinam dispensationem, si antea polygamiam licitam reddidit, jam dudum cessasse. Et merito: quum primum enim lex evangelica ita promulgata fuit, ut universum genus humanum adstringeret — quod Apostolorum temporibus factum esse, ita ut saltem circa eorum mortem promulgatio sufficiens completa esset, communis theologorum sententia tenet[1] —, cur imperfectus ille naturalis legis servandae status amplius permitteretur, ratio nulla jam exsistebat. — Atque

[1] Neque debemus, quando de divina lege sermo est, omnia revocare ad legis humanae normas, quasi lex illa vim suam exercere non possit, nisi ad modum humanae legis promulgatio sit facta. Deus enim, quum sit absolutus dominus omnium, legem condere atque media instituere potest, quae statim vim suam exerceant, hominesque etiam per se adstringant in actu primo, quum primum in principali aliquo terrae loco promulgata, atque nuntii destinati sint, qui eorum notitiam ad alia loca deferant: in actu secundo autem adeoque subjective nemo adstringitur sub peccato, nisi qui legem noverit aut per quem steterit legem scire.

Ecclesia constanti doctrina et praxi id tenuit, ut, quotquot infideles polygamiae indulgerent, eos contra legem naturalem deliquisse censeret. At si quae, praecipue remotiores, gentes erant, quae legem divinam ignorarent, eae utique illam non servantes formaliter non peccavere.

Ad IV. Ecclesia semper condemnavit errorem quorundam haereticorum, ut Montanistarum et Novatianorum, qui secundas nuptias illicitas esse statuebant. V. Conc. Nic. I. can. 8. — S. Hieronymus *epist. ad Jovinian.:* „Proclamo, in Ecclesia non damnari digamiam, imo nec trigamiam etc.“ — Quod sane ipse S. Paulus pluribus locis docuerat: Rom. 7, 3 „Si mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro“; I. Cor. 7, 9 „(viduae) quodsi non se continent, nubant“ et vers. 39 „Quodsi dormierit vir ejus, cui vult, nubat“.

Articulus II.

De matrimonii solutione et indissolubilitate.

700 Loco prooemii sit thesis in syllabo Pii IX. 67 proscripta: „Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.“

Quare vinculi solutionem ab ipso jure naturae prohiberi aliquo saltem sensu, tenendum est: quo sensu et gradu, infra patebit. Quam indissolubilitatem evangelica lex firmavit corroboravitque.

A vinculi autem solutione distinguitur solutio quoad torum et cohabitationem: quam ex certis causis, manente vinculo, fieri posse, Ecclesia semper intellexit.

§ 1.

De matrimonii firmitate, ac de divortio quoad vinculum.

Quamquam matrimonium quoad vinculum simpliciter indissolubile dicitur, id pleno et perfecto sensu de solo matrimonio christianorum consummato intelligi debet. Ut igitur diversos gradus firmitatis statuamus, haec notanda sunt:

I. Fide certum est, matrimonium christianorum consummatum ex nulla causa nullave auctoritate solvi unquam posse: Trid. sess. 24 vocat matrimonii vinculum „indissolubilem unitatem“, atque quum practica difficultas de solo casu adulterii tamquam causa divortii moveretur, can. 7 anathema dixit in eum, „qui dixerit, Ecclesiam errare, quum docuit et docet, juxta evangelicam et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi etc.“ — Cf. Luc. 16, 18; Marc. 10, 9; I. Cor. 7, 10 et 11.

II. Matrimonium ratum tantum, non consummatum, tum professione religiosa alterius conjugis dissolvitur, tum Romani Pontificis auctoritate ex gravi causa dissolvi potest. Trid. l. c. can. 6: „Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, a. s.“

III. Matrimonium in infidelitate contractum, etsi consummatum, quando alter conjugum ad fidem convertitur, aut suprema potestate Pontificis ex gravi causa dissolvi potest, aut, infideli conjuge pacificam cohabitationem cum fideli denegante, per novas nuptias a fideli conjuge initas dissolvitur.

Explicatio. Ad I. i. e. ad matrimonii **insolubilitatem** nota: 1. Ex thesi 701
a Pio IX. damnata (syll. 67) sequitur, legem ipsam naturalem jubere, ne pro arbitrio, etsi communi consensu, conjuges matrimonium dissolvere possint; id enim nisi statuerimus, nulla indissolubilitas contractui matrimoniali competet. — Insuper dicendum est, re ipsa civilem auctoritatem nullatenus vinculum matrimonii solvere posse.

2. Ex ipsa autem lege naturae in se spectata auctoritatem *civilem qua talem* omnis facultatis unquam vinculum matrimonii solvendi expertem esse, ex thesi illa proscripta non eruitur: quamquam aliis rationibus et argumentis id probari posse videtur. Nam:

Matrimonium natura sua res quaedam sacra est, cujus usus ad procreandos Dei cultores proxime tendit atque intime cum divina actione creatricis potentiae connectitur. Quae congenita sanctitas in hoc rerum ordine a Deo instituto multo certius ex eo patet, quod ipse matrimonii usus ex prima destinatione causa instrumentalis erat, qua divina gratia adoptionis protoparentibus pro toto humano genere collata in posteros diffunderetur. Et quamquam originale peccatum hanc divinam intentionem subvertit atque hoc sanctitatis charactere matrimonium privavit: nihilominus Deus in curam humani generis intendens eam sanctitatem conjugali foederi reliquit, qua significaret atque praemonstraret unionem Christi cum humano genere tristissimam ruinam reparaturi. Porro rei sacrae curam civilis auctoritas non habet, aut si in alio rerum ordine illam haberet, eatenus, quatenus simul *religiosam* potestatem exerceat, eam haberet: quae religiosa potestas ex divina ordinatione nunc a sola Ecclesia legitime exercetur.

Quare, etsi daretur, *publicam* auctoritatem aliquando in matrimonii vinculum potestatem exercere vi naturalis legis non prohiberi, civilem tamen nostram auctoritatem ab ea potestate excludere debemus [1], idque eo magis,

[1] Leo XIII. in encycl. cit. eadem sic exhibet: „Etenim quum matrimonium habeat Deum auctorem, fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, ideirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum. . . . Igitur quum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium. Deinde consideranda sacramentorum dignitas est, cujus accessione matrimonia christianorum evasere longe nobilissima. De sacramentis autem statuere et praecipere ita ex voluntate Christi sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane, potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam.“ Sed proh dolor! civilis auctoritas in tam multis locis jura ecclesiastica hac in re usurpavit. Quapropter non raro accidit, ut saeculari judici offeratur causa matrimonialis dijudicanda, quae tendat in sententiam divortii tandem pronuntiandam. Eos, qui ita recurrunt ad forum civile, nisi forte post habitam sententiam ecclesiasticam solas res temporales componendas curant, graviter peccare, non est dubium. — Idem dicendum est de judice, qui causas per se ad Ecclesiam spectantes quasi suo jure vel sine necessitate tractat. — Num etiam, si ex necessitate, quia, nisi velit munere suo se abdicare, eas res tractare cogitur?

quod Christus sicut ad unitatem (n. 699), ita etiam ad indissolubilitatem primaevam matrimonia universim revocavit. — Quando igitur leges civiles divortium a vinculo statuunt, legislatores, ut bene notat Allègre *Code civil* t. I. p. 208 (ed. 5), eo maxime peccant, quod ea matrimonia solvere tentant, quae sola vera et valida esse ipsi opinantur, etsi fortasse vera non sint.

702 3. Publicae auctoritati illi, cui re ipsa causae matrimoniales subjaceant, quantum ex solo jure naturali pendet, aut cum hac ipsa auctoritate collatam esse aut a Deo concedi posse potestatem in extraordinariis casibus vinculum matrimonii solvendi, in dubium vocari non debet, quum re ipsa in lege Mosaica Deus aliquam vinculi conjugalis solutionem concesserit.

4. Videlicet de permissione divortii cum „libello repudii", de qua cf. Matth. 19, 7 et 8 ac Deut. 24, 1, fere idem dici debet, quod supra de dispensatione divina circa perfectam unitatem dictum est. Haec enim concessio de sola permissione seu *impunitate* rei in se illicitae intelligi vix potest: mala vero et incommoda, quae et moribus propter effrenam libidinem et liberorum educationi atque domesticae paci propter divisionem et dissidium ex divortio inferuntur, partim ob majora mala praecavenda tolerari, partim speciali Dei providentia minui potuerunt. Quare cum jure naturali non pugnat, Deum in statu imperfectae legis intra certos limites a se positos et sub publicae auctoritatis tutela collocatos divortium concessisse.

5. Nihilominus primitiva matrimonii conditio a Deo ipso sancita erat perfecta indissolubilitas, ad eamque Christus Dominus matrimonium prorsus revocavit (v. Marc. 10, 9), ita ut cum unitate etiam perfecta indissolubilitas jam dudum ut lex pro toto humano genere exsistat. Cf. c. 8 *de divort.* X, IV, 19.

703 Ad II. seu **solutionem matrimonii rati** nota: 1. Professione religiosa solemni matrimonium ratum dissolvi, Trident. sess. 24 can. 6 definivit: quod multos induxit, ut hoc juris divini esse crederent. Verum summum illud dici potest, juris divini esse, Ecclesiam debere semper aliquem statum evangelicae perfectionis instituere et comprobare, quem qui assumant, a matrimonio rato nondum consummato solvantur. Etenim hunc effectum cum *solemni professione* religiosa conjungi, multo probabilius juris proxime ecclesiastici est. Nam cum *statû religioso*

Respondeo, id pendere a *modo, quo* agat et pronuntiet sententiam. Si enim ita pronuntiare potest et pronuntiat, ut clare pateat idque litigantibus innotescat, se nullatenus tangere neque tangere velle ipsum vinculum seu contractum, sed solam civilium jurium protectionem vel cessationem secundum leges quoad reliqua non iniquas se determinare: non negaverim, id ex adeo gravi causa judici licere. Videlicet tunc pronuntiat, in hisce circumstantiis hoc et illud matrimonium a civili auctoritate tamquam non exsistens considerari, et legalem *impunitatem* adulterandi, *non licentiam*, pronuntiat atque contribuit. Quod a legibus statui, iniquum quidem est et malorum gravium causa: quae tamen, quum impediri a judice nequeant, permitti ab eo posse dixerim. Si quando autem ejusmodi leges ex odio Ecclesiae feruntur et sustinentur, atque illud odium flagrans effertur, quaelibet cooperatio et applicatio illicita evadere potest. Ceterum in dubio, qualis cooperatio licita sit vel illicita, S. Sedis est statuere: quae, sicut res erant in Gallia, divortii sententiam non licere dixit (S. O. 27. Maji 1886), ad Belgium eam decisionem extendi negavit; imo etiam pro Gallia in causa particulari *Lucionensi* d. 24. Sept. 1887 S. Poenitentiaria permisit, ut, postquam judices civiles pronuntiaverant, *locum esse divortio*, syndicus secus ex officio suo ejiciendus *pronuntiaret divortium civile,* modo 1° *„catholicam doctrinam de matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos judices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteretur,* 2do *in ipsa sententia et tamquam magistratus loquens publice declararet, se solos effectus civiles solumque contractum civilem spectare posse, aliunde vinculum matrimonii omnino firmum remanere coram Deo et conscientia"*: cf. Revue des sciences ecclés. Ambien. t. 60 pag. 476.

assumpto eum per se non conjungi, certissimum est ex eo, quod non conjungitur cum votis simplicibus, quae in Societate Jesu post novitiatum — et nunc post Pium IX. in aliis quoque ordinibus — ad tempus emittuntur, quamquam, qui haec vota emittunt, verissime religiosi sunt (v. Greg. XIII. *„Ascendente Domino“*); ergo jure divino cum statu religioso illa dissolutio vinculi conjugalis non connectitur. Sed neque cum votorum solemnitate ex jure divino per se et proxime illa dissolutio conjuncta est, quia tota institutio *solemnium* votorum atque omnes effectus ex Greg. XIII. l. c. juris ecclesiastici sunt.

2. At si tandem constat, ex jure ecclesiastico hunc effectum esse in- 704
ductum, pronum est concludere, Ecclesiae universim hanc potestatem competere, ut pro prudenti judicio ex gravi et proportionata causa vinculum matrimonii tantum rati solvat. Si enim id facere potest ex causa professionis religiosae, illorum, qui alias causas legitimas esse negaverint, erit probare, Christum facultatem Ecclesiae ad hanc solam causam restrinxisse; quod nisi fiat, ob amplissimam potestatem: „Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis“ Matth. 16, illa restrictio merito rejicitur.

Et re quidem vera Ecclesiae, i. e. Romano Pontifici, summo Ecclesiae capiti, hanc facultatem competere, facta quam plurima testantur, quum Romani Pontifices, soluto matrimonio rato, alterutri parti ad novas nuptias transire permiserint, ut vere jam a multis saeculis mos invaluit.

Facta indubia a tempore Martini V. et Eugenii IV. exstant (de his gravissimum testimonium S. Antonini habemus *Summ. theol.* p. 3 tit. 1 c. 21 § 3); de posterioris aetatis Pontificibus non est, quod multa dicamus, et maxime ab aetate Pii IX., quorum acta in omnium manibus sunt. (Vide quasdam causas indicatas apud Perrone *de matr.* t. 3 l. 3 c. 6 art. 4 ed. Rom. 1858 p. 509, Kutschker *Eherecht* vol. IV. p. 314 sqq., Phillips *Lehrbuch des Kirchenrechts* § 285.) Ab illo tempore habes permulta exempla hujus solutionis per Pium IX. et Leonem XIII.: cf. Acta Sanctae Sedis vol. 4. 5. 10. 12 sqq., Feije op. cit. *append.* p. 803 sq.

Ben. XIV. jam suo tempore dicere poterat (*quaest. can.* 479), „nullam de potestate Summi Pontificis moveri amplius posse quaestionem“; imo jam sub Clem. VIII. in S. Congreg. nullam fuisse de hac potestate Pontificis controversiam (*quaest. can.* 108). Atque ex antiquioribus jam auctoribus Gobat et Pignatelli temerarium et S. Sedi contumeliosum esse dixerunt, contrariam opinionem tenere. Ex tot enim factis Summorum Pontificum merito putabant, invicte probari posse ejus potestatis veritatem; cujus argumenti robur ex gestis Pontificum hoc tempore mirifice auctum est. Et re quidem vera, quomodo fieri potuerit, ut Summi Pontifices inducerent praxim et persuasionem, quae, si falsa esset, bonis moribus aperte repugnaret, quum bigamiam et adulteria innumera concederent, quod cum infallibilitate et sanctitate Ecclesiae consistere non potest. Quare paucorum scriptorum contraria opinio, quam defenderunt Pontius, Sylvius, Tournely, Collet etc., pro certo falsa haberi debet. Neque juvat dicere, Summos Pontifices probabilitate ductos ita egisse. Nam si ipsi suam potestatem pro probabili tantum habebant, sine gravissimo peccato agere non potuerunt, eo quod probabiliter laederent jus divinum, jus sacramenti, jus tertii: quod fieri posse nemo unquam rationabiliter defendit. Si autem Romanis Pontificibus persuasum erat, se hac potestate pollere, errorem quidem in una alterave causa admittere, non plane repugnare dixerim: at in

tam longa serie Pontificum atque in causa, quae in frequentem praxim transiit, errorem perniciosum admittere plane repugnat[1].

705 Ad III. seu **solutionem matrimonii in favorem fidei**: 1. Si ex infidelibus alteruter conjugum ad fidem convertitur, infidelis vero nolit cum fideli pacifice cohabitare, hunc ad alias nuptias transire posse atque ita prius matrimonium dissolvi, ex S. Paulo 1 Cor. 7, 15 et constanti interpretatione hujus loci atque praxi Ecclesiae constat[2].

„Discessus" autem infidelis conjugis seu denegatio pacificae cohabitationis sic intelligitur, ut, antequam fidelis ad novas nuptias transeat, interpellare debeat conjugem infidelem, quo constet, utrum velit pacifice cohabitare vel etiam ipse fidem (baptismum) amplecti, necne: ne forte novae nuptiae periculo nullitatis exponantur.

2. Discessui aequiparatur, si pars infidelis nolit cohabitare nisi cum contumelia Creatoris, vel cum periculo perversionis pro conjuge fideli, quod sollicitetur ad peccatum, maxime apostasiae. Ita Innoc. III. cap. *„Gaudemus"* 8 *de divort.* X, IV, 19: „aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum". Cf. etiam Resp. S. Congr. 23. Jan. 1603 ex Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 13 cap. 21 n. 1, et ibid. l. 6 cap. 4 n. 3: imo clarius id elucet ex cap. *„Quanto":* „Si enim alter infidelium ad fidem catholicam convertatur, altero vel (1) nullo modo, (2) vel non sine blasphemia divini nominis, (3) vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit."

Imo Ben. XIV. l. c., quamquam, allato resp. S. C., ostendit, ex se non sufficere, infidelem nolle converti, ut alter conjux novum ineat matrimonium, tamen non abnuit probare *consuetudinem,* quae servetur in regione infidelium, ut scil. in matrimonio utriusque infidelis, quorum unus convertitur, alteri optio detur intra spatium ab ecclesiastico judice praefixum deliberandi et declarandi, num ipse quoque fidem atque baptismum amplecti velit; alias separationem esse faciendam a comparte fideli, cui tum liberum sit aliud matrimonium inire: nam pro locorum circumstantiis Ecclesiae esse judicare, utrum sola pertinacia infidelitatis pro periculo pervertendi conjugem fidelem atque pro contumelia Creatoris habenda sit, necne. Verum *Apostolicae Sedis judicio,* sive generali sive speciali, haec certe subjicienda sunt, ne in aliqua regione solutio matrimonii facilius fiat. Cf. infra Responsa S. Officii et Ben. XIV. l. c.

706 3. Discessus conjugis infidelis, qui det jus fideli novi matrimonii ineundi, etiam ille intelligitur — idque lato sensu secundum n. 2 —, qui fit,

[1] Causae autem, cur solutionem matrimonii rati sive absolute sive ad cautelam SS. Pontifices concesserint, sunt insuperabilis conjugum aversio, impotentia dubia etc. Cf. Acta S. Sedis vol. I. pag. 420 sqq.

[2] Facultatem hanc propter discessum conjugis infidelis transeundi ad novas nuptias aliquatenus etiam competere ei, qui ab infidelitate ad sectam christianam acatholicam se receperit, modo rite sit baptizatus, vide ex dissertat. cl. Braun *Archiv für kath. Kirchenr.* t. 46 pag. 385 sqq. Quae sententia robur accipit ex causa matrimoniali a S. Sede decisa anno 1876 relata a Konings *theol. moral.* Neo-Eborac. 1878 t. II. pag. 394. Cf. etiam folium period. Mogunt. *„Der Katholik"* anno 1883 pag. 280.

quando primo pacifice cum conjuge converso alter cohabitavit, postea mutata voluntate non amplius vult, ut constat ex decreto S. Inq. sub Clem. XIII. 5. Aug. 1759. Perrone l. c. tom. II. p. 322 haec ipsa verba refert:

„Saepe contigit, ut ex duobus infidelibus alter convertatur ad fidem, alter converti quidem nolit, consentiat tamen cohabitare cum fideli sine contumelia Creatoris . . . Quare fidelis infidelem non dimittit, sed cohabitare pergunt ut conjuges, idque ad aliquot etiam annos: at postea infidelis, mutata voluntate, non solum converti non vult, sed tentat fidelem, vel discedit, imo ad alias nuptias transit.“

Quaeritur: 1) „an in hoc casu possit etiam fidelis derelictus discedere, et ad alias nuptias transire? — R. in casu, de quo agitur, *affirmative.*“

2) „An hoc privilegium solum locum habeat, quando infidelis discedit odio fidei, an etiam, quando discedit propter discordias, vel aliam causam a fide diversam? R. Quum militet ex parte conjugis conversi favor fidei, eo potest uti, quacunque ex causa, dummodo justa sit, nimirum *dummodo non dederit justum ac rationabile motivum alteri conjugi discedendi*“ (sume adulterium) [1].

3) „Num possit fidelis transire ad alias nuptias, quando infidelis quacunque de causa ab eo discessit, nec sciri possit, vivat adhuc necne? — R. Remittendam esse interpellationem, qua intimetur conjugi infideli, an velit converti; a qua interpellatione Apostolica Sedes justis de causis dispensat.“

4) „An fidelis, qui *ex dispensatione* valide contraxit matrimonium cum infideli, transire possit ad alias nuptias, si infidelis discedat, vel cohabitare nolit, vel eam pertrahat ad mortale peccatum? — R. Si fidelis, praevia dispensatione, contraxit matrimonium cum infideli, censetur illud contraxisse cum explicita conditione: dummodo nimirum infidelis secum habitare velit absque contumelia Creatoris; quare si infidelis non servat supradictam conditionem, adhibenda sunt juris remedia ad hoc, ut eam servet; alias separari debent quoad torum et cohabitationem, *non tamen quoad vinculum;* quocirca in casu, de quo agitur, conjuge infideli superstite, non poterit ad alia vota transire.“

5) „An aliquo et quanto tempore possit fidelis post conversionem cohabitare cum infideli, quin privetur potestate transeundi ad alias nuptias? — R. Conversus ad fidem in quovis conversionis momento non intelligitur solutus a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti. Sed tunc acquirit tantummodo jus transeundi ad alias nuptias cum conjuge tamen fideli, idque si conjux infidelis recusat post interpellationem converti. Ceterum tunc solum conjugii vinculum dissolvitur, quando conjux conversus transit cum effectu ad alias nuptias. Si gentilis conversus ante susceptionem baptismi habuit plures uxores, et prima recuset amplecti fidem, tunc legitime potest quamlibet ex illis retinere, dummodo fidelis fiat. Sed in hoc casu contrahentes mutuum consensum coram parocho et testibus renovare debent.“

4. Discessus igitur compartis infidelis est ex divino privilegio 707
causa justa, cur conjux fidelis per novum matrimonium prioris vincu-

[1] Meretur addi aliud responsum S. C. de Propag. Fide 17. Jan. 1797, quod declarat: Si conjux ex infidelitate conversus ante conversionem adulterium commiserat et repudiatus seu repudiata erat a comparte, ipsa pars repudiata potest post conversionem interpellare infidelem; quodsi infidelis renuit reconciliationem et pacificam cohabitationem, fidelis ad novas nuptias transire potest. Videlicet irrationabiliter recusatur reconciliatio, quoniam conversio per baptismum facta omnia crimina atque etiam adulterium purgat plenissime. Feije ed. 2 n. 478.

lum solvat, sive hoc privilegium, quod Paulinum vocant, immediate et simpliciter divinitus datum sit, sive per interventum ecclesiasticae auctoritatis. — Omnem sane ecclesiasticam potestatem in hac causa excludere non possumus. Id enim omnes Ecclesiae jus vindicant, quo interpretetur vel extendat hanc ipsam causam „discessûs“: quod quantum distet a potestate immediate ejusmodi vinculi solvendi, vel sub nova conditione solutionis permittendae, vix apparet.

5. Imo ex aliis documentis ecclesiasticis quodcunque rationabile dubium illius potestatis removeri videtur, ita ut certo dici possit: Romanus Pontifex pro suprema sua potestate potest ex gravi ratione dissolvere vinculum matrimonii, quod in infidelitate quidem consummatum est, sed post baptizatum vel utrumque conjugem non est consummatum. Neque propterea causa *prorsus alia* solvendi matrimonii inducitur. Nam causa, cur divinitus solutio matrimonii talis permissa sit, est *fidei favor*. At haec causa generalis est, specialem autem et immediatam causam cum suis conditionibus et adjunctis statuere, puto esse Ecclesiae seu Romani Pontificis: quod infra magis declarabo n. 709. Consentit cum aliis Gasparri n. 1109.

Videl. Greg. XIII. 25. Jan. 1585 in literis datis loquens de novis matrimoniis, quae inirentur a conversis ab infidelitate, *quum a suis conjugibus separati exsisterent, neque, ubi essent, quidquam compertum haberent*, ait[1]: „Quae quidem matrimonia (Apostolica dispensatione inita), etiamsi postea innotuerit, conjuges priores infideles suam voluntatem juste impeditos declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et firma esse.“ Porro rata et firma esse nequeunt, nisi soluta fuerint priora matrimonia. At illa vigore „Paulini privilegii“ solvi nequaquam potuerunt, siquidem illius privilegii conditio est, „si *infidelis discedat*“; verum neque *discessum* habemus post alterius conversionem, neque discessum *ab infideli* factum, siquidem supponitur, etiam ipsum jam fidelem fuisse. Igitur 1) Romanus Pontifex pro sua suprema auctoritate aut dedit alterutri conjugi facultatem novis nuptiis prius vinculum solvendi, aut potius ipse pro illo tempore, quo alteruter novas nuptias, acceptâ licentiâ, inierit, prioris matrimonii vinculum dissolvit.

2) In hisce literis Summus Pontifex suam agendi rationem explicans praemittit: „Huiusmodi connubia inter infideles contracta vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut, necessitate suadente, dissolvi non possint.“

3) Idem edixerat literis 20. Oct. 1626 et 17. Sept. 1627 datis Urbanus VIII.: „Nos attendentes, hujusmodi infidelium matrimonia non ita (firma) censeri, quin, necessitate suadente, dissolvi possint“, ut Lugo commemorat in supplici libello ad eundem Pontificem dato, quo nomine Missionariorum Paraguensium petebat hanc dissolutionem, ut infideles conversi liberius quamlibet ex suis uxoribus antea assumptis eligere possent (vide Cardenas *crisis theol.* part. 4 disp. 2 n. 552).

4) Eandem potestatem, qua infideles conversi eam ex uxoribus, quam maluissent, modo converti vellet etiam ipsa ad fidem, retinere possent, S. Pius V. in Const. „*Romani Pontificis*“ d. d. 2. Aug. 1571 pro India fecit[2]:

---

[1] Vide Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 13 cap. 21 n. 3.

[2] Vide *de syn. dioec.* l. c. et Gury-Ball. II. n. 759 not. ult. Verba S. Pontificis haec sunt: „Quum itaque, sicut accepimus, Indis in sua infidelitate manentibus

quod sane, nisi haec prima uxor esset, includit hujus cum priore uxore initi matrimonii dissolutionem (eamque saltem ad cautelam: nam propter voluntatem plures uxores ducendi easve repudiandi dubium plerumque mansit, num cum ipsa prima uxore verum matrimonium contraxissent).

Quod vero ab aliis scriptoribus objicitur, R. Pontificem solum con- 708
cedere dispensationem ab interpellando altero conjuge, et totam facultatem ad novas nuptias transeundi repeti ex privilegio „Paulino", num totam rem satis explicet, ipsi viderint[1]. — In qua re lucem afferre potest ipsa causa olim discussa (ut Ben. XIV. in *quaest. can. caus. Florent.* anno 1726 refert), in qua distulit S. Pontifex matrimonium ejusmodi dissolvere: quum ex Judaeis conjugibus uxor ad fidem converteretur et a marito fidem respuente sese separasset, ad novas nuptias non transitura; postea vero vir, qui alteram mulierem adamabat, cum hac secunda etiam ad fidem catholicam transire paratus esset, sed illam secundam mulierem pro uxore retinere desideraret. Quod rite fieri quum non posset, nisi prioris matrimonii vinculo soluto, nihil relinquebatur, nisi ut cum consensu prioris uxoris Summus Pontifex vinculum solveret. Uxor illa non obstabat, imo caelibem vitam degere apud se statuerat, nolebat tamen religiosum statum assumere; at, suggerente Lambertino, tunc Secretario S. Congr., qui Summo Pontifici eam potestatem non competere putabat, res diu pendebat. Poterat enim de justa causa dubitari, sine qua in jure divino ne S. Pontifex quidem

---

plures permittantur uxores, quas ipsi etiam levissimis de causis repudiant, hinc factum est, quod recipientibus baptismum permissum sit permanere cum ea uxore, quae simul cum marito baptizata exsistit; et quia saepenumero contingit, illam non esse primam, unde tam ministri, quam Episcopi gravissimis scrupulis torquentur, existimantes, illud non esse verum matrimonium; sed quia durissimum esset separare eos ab uxoribus, cum quibus ipsi Indi baptismum susceperunt, maxime quia difficillimum foret, primam conjugem reperire: ideo nos statui dictorum Indorum paterno affectu consulere ac ipsos Episcopos et ministros ab ejusmodi scrupulis eximere volentes, motu proprio et ex certa scientia nostra ac Apostolicae potestatis plenitudine, ut Indi, sicut praemittitur, baptizati, et in futurum baptizandi, cum uxore, quae cum ipsis baptizata fuerit, et baptizatur, remanere habeant, tamquam cum legitima uxore, aliis dimissis, Apostolica auctoritate tenore praesentium declaramus, matrimoniumque hujusmodi inter eos legitime consistere."

[1] Ultro concedo, in plerisque causis, in quibus etiamnunc non raro parti conversae datur potestas novi matrimonii ineundi, S. Congregationem consuevisse dicere, concedi „dispensationem a facienda interpellatione": at plane mihi videtur in hac dispensatione amplius aliquid contineri, nimirum causam non ex toto quidem, sed ex parte novam, ob quam jus divinum nondum plane concesserat, sed ob quam Apostolica Sedes nunc concedat matrimonii prioris dissolvendi, novi ineundi facultatem. Neque quaestio est, quid vocetur haec dispensatio, sed quid sit et quid necessario contineat. — Utut enim privilegium Paulinum dicas divinum, id fatearis necesse est, si infidelis non discedat, neque discedere possit, sed coactione quidem separatus sese cum conjuge iterum conjungere cupiat, non haberi causam plane eandem, atque eam, ob quam jam concessum habeas jus matrimonii solvendi; verum si causa est non plane eadem, atque nihilominus ejus solvendi matrimonii Apostolica Sedes concedit, haec autem limites suae potestatis transgredi non potest: quid tandem reliquum est, nisi ut dicas, Apostolicam Sedem posse propter alias etiam causas saltem eas, quae in generali causa favoris fidei contineantur, potestatem solvendi matrimonii concedere? Quodsi potest hanc facultatem *concedere,* quaero, num cohaerentia dicas, si negaveris, Sanctam Sedem posse potestatem sua auctoritate vinculum matrimoniale solvendi immediate exercere.

dispensare potest. Verum, ut ex archivis Romanis constat, solutio a vinculo re ipsa contra votum Lambertinii postea est concessa: de quo cf. Ballerini-Palmieri *Opus mor.* t. X. sect. VIII. n. 709.

709 6. Potestatem S. Pontificis in favorem fidei ex gravi causa dissolvendi matrimonium ab infidelibus contractum videmur ex ipso textu S. Scripturae 1 Cor. 7, 12 sqq. eruere posse. Nam illud privilegium a S. Paulo promulgatum potius ex Apostolica auctoritate, quam a Deo *immediate* datum et ab Apostolo *tantummodo* promulgatum esse, contextus suadere videtur; siquidem quod vers. 12 dicitur: „Ego dico, non Dominus", ab interpretibus recentioribus, et ex antiquis a S. Augustino, Theophylacto, S. Hieronymo, refertur ad sequentia; atque ita etiam vers. 15: „Quodsi infidelis discedit, discedat etc.", ad ea pertinere videtur, quae Apostolus dicit ipsa sua auctoritate, non immediatâ suâ lege Dominus. — Nam quod aliquis objecerit, sensum verborum „Ego dico, non Dominus" sumendum esse hunc, quasi S. Paulus ea dicat ut merus praeco Dei, non Dominus immediate per se, mihi verisimile non videtur; oppositio enim inter „ego dico" et „Dominus" sane debilis fieret, imo oppositio vera non esset: S. Paulus sc. opponit non enuntiationem legis, prout a se aut immediate a Christo facta sit, sed auctoritatem, qua fideles ligentur, prout aliqua a se aut ab ipso Christo constituta sunt; quae vero a Christo constituta quidem sunt, licet promulgata sint per Apostolum, certe illam divinam auctoritatem habent, de qua dici non congruit: „Non dicit Dominus". — At si Apostolica auctoritate haec facultas ob discessum infidelis novum matrimonium ineundi data est, nulla est ratio, cur non ex simili causa aeque gravi Apostolicae auctoritatis plenitudine Summus Pontifex id facere possit.

Neque movere debet, quod dicitur, communi theologorum opinione haberi hoc privilegium divinum; secundum nostram hanc interpretationem vero id non satis recte fieri posse videtur. Nam certe vero aliquo sensu *divinum* est, quum ex solo jure divino favor fidei pro causa statutus sit, ex qua liceat matrimonium consummatum solvi; sed ultimam *causae* vel *causarum* determinationem juris divini esse, nullibi dicitur neque ostendi potest; neque quantum scio unquam aliqua decisio ecclesiasticae auctoritatis facta est, sitne textus ille 1 Cor. de privilegio *immediate* divinitus determinato intelligendus, annon. Cf. etiam Gasparri n. 1084 sq.

7. Matrimonium in infidelitate consummatum, sed post conjugum baptismum non consummatum etiam professione religiosa dissolvi, secundum Sanchez *de matr.* l. 7 disp. 77 n. 9: „commune theologorum placitum a simili deducit". At quia de concessione immediate divina non constat, neque ecclesiastici juris expressa concessio facta est — quum, fatente Sanchezio, id decisum non inveniatur sive in jure canonico, sive in divinis literis —: occurrente illo casu, ad S. Sedem recurrendum erit, quae aut universalem sive legem sive legis interpretationem faciat, aut in singulis casibus vinculum solvat.

§ 2.

De divortio quoad torum et cohabitationem.

710 Manente vinculo, esse plures causas, propter quas sive privatim, sive ecclesiastici judicis auctoritate interposita, separatio conjugum a toro et cohabitatione fieri possit, vel pro adjunctis fieri debeat, intel-

ligitur ex can. 8 sess. 24 Trid.: „Si quis dixerit, Ecclesiam errare, quum ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, a. s.“

Causas vero ejusmodi fere enumeratas habes in Decretal. l. 4 tit. 19 *de divortiis.*

I. Utroque conjuge consentiente, separationem sive temporaneam, sive perpetuam per se fieri posse, patet, siquidem juri suo quilibet renuntiare potest: modo et scandalum et incontinentiae periculum caveatur.

II. Uni conjugi contra alterum jus separationis oritur *ad tempus:* 1) propter grave corporis periculum, aut nimis gravem molestiam ab altero injuste illatam; 2) propter grave periculum animae, quando alter conjugum compartem ad peccatum mortale pertrahere tentat.

III. *Perpetuae* separationis jus oritur 1) ex alterius conjugis adulterio; 2) ex illius haeresi vel apostasia in judicio probata et declarata.

IV. Quamquam generatim in omni causa, nisi periculum sit in mora, aut recursus ad judicem probatione causae certo exsistentis impossibilis sit, ad judicem ecclesiasticum *per se* recurri debet, saltem ut fiat publica cohabitationis separatio: adulterium tamen etiam privatim tantum cognitum jus dat perpetuo tori consortium denegandi, et etiam cohabitationem denegandi, si crimen publice notum est (S. Alph. n. 970 sqq.). Atque etiam in aliis causis notoriis nostris temporibus, quum judici civili causas illas per nefas submittunt, recursus ad ecclesiasticum tribunal non semper summo jure urgeri potest: Scavini tom. 4 n. 402.

V. In causis, quae jus ad perpetuam separationem tribuunt, si ecclesiastica auctoritate separatio sancita est: parti innocenti datur facultas transeundi ad statum cum vita conjugali incompatibilem, sc. ad statum religiosum vel sacros ordines; reo autem id non licet, nisi ex expresso vel tacito consensu compartis.

Uberior explicatio. Nota ad I. 1. Ex consensu mutuo conjuges, vel 711
alteruter, suscipere possunt vitam religiosam, sacros ordines —; quid tunc juris sit pro conjuge residua, v. supra n. 618. Posse eos etiam votum privatum castitatis emittere, aliunde patet: quod si fit, omne periculum peccandi removendum est.

2. Longe facilius ad tempus separatio a toro seu continentia mutuo consensu suscipi potest, quam in perpetuum. Nam ne possunt quidem mutuo consensu sese separare, si alteruter periculum incontinentiae incurrit.

3. Etiam aliae rationes gravis momenti, quamvis ad temporalia bona spectent, ut negotiatio etc., separationem temporaneam justam reddunt.

Ad II. 1. Si mulier crudelitatem viri rationabiliter timet, cohabitare non tenetur. Sola autem verberatio, nisi pluries fiat et gravis sit, apud ignobiles non censetur causa justa recedendi; aliud est, si propter ingenuitatem uxoris haec injuria atrox evadat: v. S. Alph. n. 972. — Attamen ad separationem non requiritur, ut gravia mala jam illata sint; sufficit, ut frequenter acciderint convicia et jurgia, quae nimis molestam vitam reddant, maxime si majoris mali inferendi timorem justum causant: S. Alph. n. 971.

2. Grave animae periculum ex sollicitatione vehementi ad quodlibet peccatum mortale habetur. Quod nisi remotum fieri potest, non solum jus concedit, sed obligationem imponit recedendi.

3. Illae causae, postquam cessarunt, jus protrahendae separationis non amplius dant; quare pars innocens redire debet, at interventu judicis cautionem in judicio dandam postulare potest: S. Alph. l. c.

712 Ad III. 1. Ut ex adulterio jus separationis oriatur, debet flagitium: 1) esse moraliter certum, ad quod sufficiunt vehementia indicia peccati *consummati;* 2) adulterium formale seu libere commissum, non sufficit violentia illata; 3) non condonatum, quae condonatio etiam tacita fit, quando conjux innocens post scelus alterius cognitum sponte signa conjugalis affectûs exhibuit; 4) non mutuum, siquidem tum propter mutuam infidelitatem neuter juste contra alterum agere potest.

Sed si post emendationem unius altera pars pergit in vita adulterio dedita, pars emendata acquirit jus separationis: cf. S. Alph. n. 966.

2. Adulterio communiter accensent theologi flagitia pejora sodomiae aut bestialitatis, si modo actu perfecto commissa sunt: S. Alph. n. 962, Gury-Ball. II n. 761 not.

3. Pars innocens per separationem sive privatim sive juridice factam non amittit jus revocandi conjugem reum; quare hic redire tenetur, nisi forte timere debet, ne crudeliter tractetur: S. Alph. n. 967. In dubio igitur judicis sententiae standum est.

4. Gravior difficultas est, num pars innocens, si facta separatione etiam in adulterium labatur, ab altera revocari ad vitam conjugalem possit. Quod, si separatio privatim tantum facta est, affirmari debet: si juridice facta erat, videtur severo jure negari posse, donec judex ad id cogat, at summe conveniens est, neque solum judicis praeceptum, sed etiam ratio scandali et peccandi perpetuum periculum ad reconciliationem obligare possunt. S. Alph. n. 967, Gury-Ballerini II n. 763 not., S. Thom. in 4 dist. 35 q. 1 art. 6 ad 4.

5. Conjugi adultero ex tacita concessione innocentis licebit ad statum perfectionis transire, si innocens: 1) talem statum irrevocabiliter susceperit; 2) si idem sciat alterius conjugis propositum et nihil contradicat, quum facile possit; 3) si rogatus nolit reconciliationem inire; 4) si ultra biennium adulteram partem non revocaverit: S. Alph. n. 969. Neque conjux innocens in saeculo residuus tenetur in hoc casu votum castitatis emittere.

Si autem adultera pars sine licentia saltem tacita innocentis vel sacros ordines susceperit vel religiosum statum assumpserit: non obstante voto sacrove ordine, summo jure revocari et ad conjugalem vitam compelli potest. Cf. etiam Heiss *de matr.* § 35 III.

6. Jus dimittendi partem adulteram aliquando in obligationem transire potest, videlicet si adulterium notorie continuatur neque alia via restat, qua innocens scandalum gravemque suspicionem suae in adulterium conniventiae auferre possit. Quod accidere potest, si uxor est adultera; rarissime, si vir adulterio se dedit. Immo etiam in causa uxoris adulterae videri debet, num viro nihilominus propter periculum incontinentiae alteriusve damni aut majoris etiam perversionis uxoris adulterae nimis grave sit uxorem dimittere: quod si est, excusatur, modo aliis mediis utatur, ut, *quan-*

tum possit, uxorem corrigat et scandalum tollat. Cf. S. Alph. n. 963 et 964 ex S. Thoma, S. Antonino aliisque. Scilicet in hisce adjunctis scandalum, si quod alii capiunt, potius acceptum, imo pharisaicum est, quam a viro illo datum.

7. Haeresis vel apostasia a fide intelligitur ea, quae matrimonio supervenit. Haec, ut causam separationis det, non necessario debet conjungi cum sollicitatione ad defectionem a fide: sed ex jure (cf. Decretal. l. 4 tit. 19 c. *„De illa“*) aequiparatur ‚adulterio‘. Quare si in judicio sit declarata, et judicialis separatio facta fuit, idem jus perpetuae separationis et assumendi statum perfectionis innocenti datur, quod propter adulterium: cf. etiam S. Alph. n. 974. At etiam haeresis juridice non probata jus dat privatae separationis; sed, haeresi cessante seu resipiscente conjuge haeretico, alter, qui privatim recesserat, redire debet.

Ad IV. 1. Causae, quibus perpetuae separationis jus non adscribitur, 713
ubi cessarunt, inducunt obligationem justitiae, ut innocens redeat vel revocet alterum. Si vero causa perpetuae separationis adest, emendatione facta, innocens ex caritate quidem teneri potest, ut redeat vel revocet alterum, sed non ex justitia.

2. Pro circumstantiis, in quibus recursus ad judicem ecclesiasticum difficulter a conjugibus obtinetur, juvat notasse, quod jam suo tempore Laymann l. 5 tr. 10 p. 3 c. 7 n. 18 dicit, nimirum: *per se loquendo, si causa divortii notoria sit, propter grave periculum conjugi imminens, propria auctoritate fieri posse separationem;* nihilominus addit „tamen longe tutius, imo *ratione scandali vitandi plerumque necessarium* est, ut judicis ecclesiastici officium imploretur, nisi periculum sit in mora“. Unde patet, si scandalum aut absit aut alio modo praecaveatur, privatam separationem non posse dici absolute illicitam.

Ad V. 1. Separatione facta, videndum est, apud quem proles sit educanda. Ad quod responderi debet cum S. Alphonso n. 976: 1) Si alter conjugum est infidelis vel haereticus, semper proles apud fidelem educanda est, quicunque ex conjugibus in culpa est, cur separatio fiat. 2) Alias proles relinquenda est apud partem innocentem: expensae autem aut totae aut saltem ex parte faciendae sunt a parte culpabili, praecipue si in culpa est pater.

Ceterum, si quando ob prolis bonum ab hac regula sub 2) data recedi potest, id judici considerandum relinquitur. Neque de expensis educationis ferendis — de quibus solis tamen civiles leges statuere possunt in matrimoniis fidelium — diversa jura idem statuunt.

2. Aliae causae praeter supra indicatas ad faciendum divortium non admittuntur. Supplentur tamen ea, quae hîc dicta sunt, ex iis, quae infra tractari debent de obligatione debiti conjugalis et de obligatione uxoris sequendi virum peregre earumque limitibus.

Graviter igitur peccat:

1. qui se simultaneae bigamiae reum facit;
2. qui a conjuge sine justa causa se separat;

3. qui, cessante causa, non redit, aut non revocat conjugem;
4. qui exsistente quidem separandi causa, at periculo non urgente, cum gravi scandalo judicis ecclesiastici interventum, si possit, non exspectat;
5. qui, periculo id exigente, a conjuge reo non vult recedere.

Sectio III.

De personis contrahentibus seu de iis, quae requiruntur, ut licite et valide contrahere possint.

714 Matrimonialis contractus, quum Ecclesiae jurisdictioni subjaceat, certis legibus canonicis regatur oportet, sicut alii contractus civilibus legibus reguntur. Quasdam leges circa matrimonium hucusque jam notavi. Praecipuae autem leges, quae ipsos contrahentes spectant, sunt canones de impedimentis matrimonii, ad quae tota tractatio de personis contrahentibus restringitur.

Impedimenta duplicis generis sunt: 1) *impedientia*, i. e. quae aut matrimonium quodlibet aut certa quaedam matrimonia quibusdam reddunt illicita, utut sunt valida; 2) *dirimentia*, quae reddunt matrimonium ipso facto nullum et irritum, seu quae efficiunt, ne certi quidam contractus matrimoniales validi fieri possint.

Caput I.

De impedimentis impedientibus.

Ex impedimentis impedientibus alia sunt naturalis, alia ecclesiastici juris. Juris naturalis sunt: sponsalia, vota quaedam (adde certo quodam sensu: cultûs disparitatem); juris ecclesiastici, in quantum etiamnunc viget, numerantur: Ecclesiae prohibitio sive generalis sive specialis, tempus prohibitum seu clausum. Omnia impedimenta simul habes collecta:

„Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum.“

§ 1.

„Ecclesiae vetitum“.

I. *Specialis* prohibitio fieri potest ab Ecclesiae praesulibus, scilicet ab Episcopo, S. Congregatione, Papa, si nimirum gravis causa est, ne v. g. ex matrimonio inter certas personas ineundo oriatur scandalum, publicum damnum, graves inimicitiae etc., aut si gravis suspicio est, ne forte inter personas contracturas exsistat impedimentum dirimens, aut jus tertii per illud matrimonium laedatur.

Item accidit, ut specialis prohibitio a S. Congregatione contra mulierem fiat, quae objiciens, se cum ignorantia rei matrimonialis matrimonium iniisse, solutionem matrimonii rati nondum consummati pe-

tiit. Quodsi tali petitioni S. Pontifex annuit, consuevit severa prohibitio adjungi, ne mulier illa unquam, inconsulta S. Congregatione, aliud matrimonium inire audeat: v. Acta S. Sedis vol. V. pag. 553 ex S. Congr. Conc. 18. Dec. 1869.

II. *Generales* prohibitiones plures sunt: 1) ne ineatur matrimonium nisi bannis praemissis, de quo supra actum est; 2) ne a filiis familias matrimonium ineatur sine consensu vel consilio parentum. Verum si parentes injuste dissentiunt, filii hac in re sui juris esse debent; at si lex civilis parentum consensum severius urget, propter externa mala et pericula parocho plerumque nihil relinquitur, nisi ut studeat parentes et filios ad concordiam permovere: — quod impedimentum potius juris naturalis est, ab Ecclesia solum confirmatum.

Idem dici debet de cultûs disparitate, quae inter catholicum et acatholicum baptizatum exsistat; quod aliis verbis matrimonium *mixtum* vocatur. Disparitas enim cultûs, quae inter baptizatum et non-baptizatum exsistit, constituit impedimentum dirimens [1].

De matrimoniis mixtis.

1. Ecclesia haec matrimonia mixta communiter improbavit atque 715
detestata est; imo jam jure naturali et divino plerumque reprobantur.

2. Prohibitio juris naturalis et divini fundatur, ut jam supra *de sponsalibus* dictum est, in periculo perversionis, quod conjux catholicus subit, et in periculo, quod contra debitam prolis educationem in vera religione oritur. — At quoniam haec pericula nondum sunt formaliter peccata, fieri potest, ut propter causam proportionate gravem et propter illorum periculorum diminutionem illa naturalis legis prohibitio aut cesset aut non amplius sit gravis.

Hinc: 1) Propter magnum bonum publicum ejusmodi matrimonium mixtum licitum evadere potest, etiam manente periculo non levi, modo pars catholica animum firmum gerat huic periculo non cedendi, sed obsistendi [2].

---

[1] Circa matrimonium cum viro francomurario die 21. Febr. 1883 hoc responsum a S. Officio datum est. Videlicet ad Quaesitum: „Utrum juramentum massonicum non retractatum considerari et tractari possit et debeat ad instar impedimenti matrimonii impedientis vel etiam dirimentis; et quae cautelae exigi debeant, ut matrimonium puellae catholicae cum viro franco-muratore jurato licite vel etiam valide a parocho benedici possit", *Resp.* datum est: „Quod attinet ad matrimonium, in quo una pars contrahentium clandestinis aggregationibus notorie adhaeret, donec Apostolica Sedes generale decretum hac in re ediderit, oportet, ut Pastores caute et prudenter se gerant; et debent potius in casibus particularibus ea statuere, quae magis in Domino expedire judicaverint, quam generali regula aliquid decernere; omnino vero excludatur celebratio sacrificii Missae, nisi quando adjuncta aliter exigant." (Ex folio angl. *„The Tablet"* Suppl. Jun. 27. 1885.)

[2] Cf. hac de re Lugo *de sacram. in gen.* disp. 8 sect. ult., et *de fide* disp. 22 n. 33. In iis tamen, quae doctissime ibi disseruntur, id fac advertas, supponi ab illo scriptore eas leges etiam civiles, quae jus catholici conjugis vindicare paratae

2) Si vero ob personarum locorumque adjuncta illa pericula evanuerunt, vel potius levia evaserunt, etiam magnum bonum privatum potest tale matrimonium honestum reddere. Pro ejusmodi bono aliquando haberi potest *vera* et magna spes partem acatholicam ad veram fidem convertendi.

3) Si autem pericula illa non omnino cessant, vere gravia tamen non amplius sunt, aut ex altera parte ex illo mixto matrimonio bonum quidem, sed non adeo magnum, neque commune sperare licet: fieri potest, ut hoc matrimonium contrahi mortale peccatum contra legem naturalem non amplius sit, a veniali tamen peccato non excusetur.

4) Ecclesia, si a lege sua, praesertim ob privatas causas, in matrimonio mixto dispensat, semper has conditiones urget: a) ut conjugi catholicae liberum relinquatur religionis exercitium; b) ut omnes liberi in catholica religione educentur; c) ut spes sit acatholicam partem ad fidem convertendi vel, „ut a parte catholica conjugis acatholici conversio pro viribus curetur“: ita ex facultatibus a Pio IX. datis, v. Bangen II. p. 161 et in Concil. prov. Angl. Westmon. I. decr. XXII, 6. Quarum conditionum duae priores per stipulationem cum conjuge acatholico in tuto positae esse debent. *Praeter* illas conditiones verificatas *gravis causa* illius matrimonii ineundi requiritur. Quare qui sine illis conditionibus et causis sibi per Ecclesiam mixtum matrimonium licere putant, sibi ipsi illudunt. Imo si Ecclesia non semper ita severe inquirit, num *omnes* conditiones, velut tertia, vere impleantur vel in tuto positae sint, aut si ad majora mala praecavenda ex prava contrahentium voluntate causam dispensandi sumit: talis dispensatio est potius negativa quaedam permissio seu tolerantia „propter cordis duritiam“, neque legis *naturalis* prohibitionem ullâ suâ vi destituit.

Unde sequitur, sponsos, etiam obtenta dispensatione Ecclesiae, saepe sponsalibus nullatenus ligari, neque *semper* in ineundo matrimonio a peccato, sive gravi, sive saltem veniali, liberos esse. Quare, nisi alia gravis causa obstat, etiamtum non raro suaderi potest, imo si fructus speratur, suaderi debet, ut ab illo matrimonio desistant; ante sponsalia et dispensationem multo etiam severius retrahendi communiter sunt. Cf. supra sect. I. c. 1 § 3 n. 668.

716 3. Facultas dispensandi ab ecclesiastica lege matrimonia mixta prohibente ordinario jure Episcopis non competit, sed R. Pontifici reservatur.

Attamen in regionibus haereticorum, maxime in dissitis, vi privilegii non raro Episcopis haec dispensandi facultas conceditur [1]. — Juvat autem

---

sint. Quod quum nostris temporibus vix ullibi praestetur, atque propterea periculum catholicae partis augeatur, sane hodie longe difficilius matrimonium mixtum a culpa excusare possumus. — Ceterum si gravissima causa publica matrimonium mixtum suadet, sententia Castropal. (*de matr.* disp. 4. punct. 11 n. 12) probari potest: „Quinimo verum existimo cum Bas. Pontio, posse catholicum cum haeretico matrimonium contrahere cum periculo subversionis, animo tamen firmo praedictae subversioni non assentiendi, si ex subeundo tali periculo magni fructus sperentur, v. g. multorum conversio, catholicorum status tranquillus, et Ecclesiae catholicae non leve augmentum; Pontificemque debere in sua lege ecclesiastica dispensare, quia periculum peccandi subire non est intrinsece (absolute) malum, quin ex rationabili causa honestari possit etc.“

[1] Notum est, Pium VIII. 25. Martii 1830 contulisse Episcopis Borussiae amplam facultatem circa matrimonia mixta. At vix ullum documentum est, ex quo melius constet, quantopere Ecclesia haec matrimonia detestetur, quam et illa Constitutio

afferre decretum S. Sedis de limitatione talis privilegii ex literis Praefecti S. Congreg de Propag. Fide 30. Aug. 1865: v. Acta S. Sedis vol. II. pag. 672:

„Relatum est Apostolicae Sedi, abusum hunc non raro contigisse, ut videlicet Itali, qui in exteras dioeceses proficiscuntur atque in iis peregre versantur, dispensationes obtineant super impedimento mixtae religionis. Ne unquam igitur ejusmodi factum instauretur in posterum, SS. Dominus Noster Pius PP. IX. de consilio Eminentissimorum Patrum gener. Inquis. censuit in Domino praecipiendum, ut omnes et singuli Episcopi, qui facultate instructi sunt dispensandi super dicto impedimento, certiores efficiantur, in ejusdem usu excipi Italos, de quibus non constat italicum domicilium omnino deseruisse“: de qua clausula tamen nunc cf. n. 798[b] notam.

4. Quid vero tenendum sit de mixto matrimonio, quando de baptismo acatholicae partis non certo constat, vide infra in impedimento *dirimente* „disparitatis cultûs“.

§ 2.

„*Tempus.*“

Conc. Trid. sess. 24 *de ref. matr.* cap. 10 statuit: „*Ab adventu* 717
Domini N. J. Chr. usque in diem Epiphaniae, et *a Fer. IV. Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive* antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari, sancta synodus praecipit; in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrare permittit.“ Ergo:

1. Tempus *clausum* ad assignatos dies nunc restringitur; quamquam antea latius patebat.

2. Jure communi nihil prohibetur, nisi *solemnitas,* i. e. tum solemnis nuptiarum benedictio, tum externa pompa, festivi lusus, solemniora

---

Pontificis et subsequens instructio per Card. Albanum transmissa: v. Avogadro „*del Matrimonio*“ parte IV. *Documenti* n. 109 et 110.

Potissimum haec notatu digna sunt:

„Ignotum vobis non est, Ecclesiam ipsam a connubiis hujusmodi, quae non parum deformitatis et spiritualis periculi prae se ferunt, abhorrere: atque idcirco Apostolicam hanc Sedem summo semper constantique studio curasse, ut canonicae leges matrimonia eadem prohibentes religiose custodirentur. Quodsi Romani Pontifices a sanctissimo illo canonum interdicto nonnunquam dispensasse inveniuntur, id profecto graves ob causas et aegre admodum fecerunt, suisque dispensationibus adjicere consueverunt conditionem expressam de praemittendis matrimonio opportunis cautionibus etc.“

Instructio autem subsequens, qua amplior quaedam facultas datur circa matrimonia mixta revalidanda, etsi non omnes leges canonicae servatae sint, finitur hisce verbis: „Post haec Sanctitas Sua ad crucifixi pedes provoluta protestatur, se ad tolerantiam praedictam ea dumtaxat de causa adduci, seu verius pertrahi, ne graviora religioni catholicae incommoda obveniant.“

Cf. etiam Ben. XIV. *de syn. dioeces.* l. 6 cap. 5 n. 3 et l. 9 cap. 3 n. 5: „Vix evenire posse, ut a connubiis catholicorum cum haereticis ea pericula amoveantur . . . verum id non omnino impossibile esse“; quare etiam censet, temerarium esse, omnia illa matrimonia mixta, quae ineantur cum dispensatione Pontificia, dici nihilominus illicita, aut — quod pejus sit — dispensationem illam licite concedi non posse nec potuisse. — Dein Conc. plen. Balt. II. app., Coll. Lac. IV. col. 573.

nuptiarum convivia. Quare, exclusa solemni benedictione, ritu ecclesiastico matrimonium iniri non prohibetur.

3. At jure locali in variis locis ad ipsam matrimonii celebrationem tempore clauso Episcopi licentia requiri potest. Ibi igitur haec Ordinarii licentia debet matrimonium praecedere. Cf. Conc. Prag. anni 1860 in Coll. Lac. vol. V. col. 519.

§ 3.

„Sponsalia."

718 Quomodo sponsalia impediant matrimonium cum alia persona ineundum, supra satis dictum est. Neque generatim Ecclesia in ea re valet dispensare, siquidem nemini fas est jus alienum laedere. Nihilominus potest tam gravis causa exsurgere, propter quam publica auctoritas alienum jus exstinguere valet. Hinc in sponsalibus accidere potest, etsi raro, ut Papa dispenset.

Ceterum si contra priora sponsalia cum alia persona matrimonium initur, hoc validum est, simili modo ut quaelibet res promissa, etsi contra fidem datam alienetur, alienatur tamen valide.

§ 4.

„Votum" seu certa quaedam vota.

719 Vota, quae matrimonii impedimentum impediens, non dirimens constituunt, quatuor vel quinque enumerantur: 1) votum non nubendi seu coelibatûs, 2) votum virginitatis, 3) votum (perpetuae) castitatis, 4) votum suscipiendorum sacrorum ordinum, 5) votum ingrediendae religionis.

Tria priora vota, quum similitudinem inter se habeant, ab ipsis voventibus aliquando confunduntur, ita ut non statim pateat, quale fuerit votum emissum. Quae dubitatio, si solvenda est, ex inquisitione de *objecto* et de *motivo* voti auferri aliquando potest. Nam votum coelibatûs, si vocem premas, habet pro objecto, quod illicitum fiat, *unicum actum ineundi matrimonii:* igitur non formaliter, sed consequenter tantum inducit obligationem perfectae castitatis. — Votum virginitatis pro objecto prohibito habet *illud primum peccatum consummatum,* quo virginitas laeditur, i. e. voluntariam seminis effusionem, si de viro agitur, sive per copulam, sive per pollutionem fit; si de muliere agitur, copulam aut innaturalem corporalis integritatis laesionem culpabiliter factam. — Votum castitatis formaliter et per se quemlibet actum castitati contrarium, sive externum sive internum, ex motivo religionis prohibitum facit.

Si ergo *de objecto,* quod vovens intendit, satis constat, de nomine, quo vocet suum votum, nihil amplius curandum est. Neque raro accidit, ut dicentes virginitatem intelligant perfectam castitatem.

Sed si ex objecto promisso dubitatio auferri nequit, adjumentum praebere potest inquisitio *circa motivum,* quod vovens intenderit. Qui enim 1) ex voluntate *declinandi onera* matrimonialia vovit, praesumitur vovisse coelibatum, nisi aliud constat; 2) qui impulsus est ex desiderio specialem aureolam virginum sibi comparandi, vel propter eximiam pulchritudinem castitatis perfectae *nunquam laesae,* virginitatem presse sumptam; 3) qui ex amore ipsius virtutis puritatis permotus est, formaliter castitatem vovisse dicendus est.

Porro pro diversis illis votis diversum judicium ferendum est de eo, qui, voto non obstante, matrimonium iniit. Votum scilicet ex se obligat ad rem promissam praestandam, idque quoad non evaserit impossibilis vel alieno juri contraria, nec dispensatione fuerit condonata.

I. Circa votum *non nubendi:* 720

1. Qui nihilominus matrimonium iniit, graviter peccavit.

2. Sed, inito matrimonio, per votum non impeditur, quominus matrimonio utatur; siquidem votum non amplius objectum possibile habet.

II. Circa votum *virginitatis* presse sumptae:

1. Votum graviter laeditur primo actu consummato contra castitatem.

2. Post tale peccatum contra votum commissum obligatio non contrahendi matrimonii per se non amplius exsistit, quia votum impossibile factum est.

3. Qui virgo init matrimonium, vix non semper ineundo matrimonium graviter peccat, quia aut habet voluntatem consummando matrimonium votum formaliter violandi, aut votum servare sibi *jure impossibile* reddit — siquidem, conjuge postulante, matrimonium consummare debet.

Excipi debet theoretice 1) casus, quando contrahens matrimonium propositum habet intra legitimum tempus ingrediendi religiosum ordinem: at nisi hoc alteri conjugi antea dixit, generatim eam decipiendo graviter peccat; 2) casus matrimonii virginei mutuo consensu ineundi, si ita agendi causa gravis adsit, quod nostris temporibus sane difficulter permittitur.

4. Vi voti autem, qui virgo matrimonium iniit, non tenetur ad ingrediendum religiosum ordinem — siquidem id multo plus est, quam quod vovens promisit.

5. Neque ad servandam interim virginitatem videtur ex voto obligari, ut per priores duos menses ab usu matrimonii abstineat. Nam quum votum simpliciter servari ipsi impossibile factum sit, seu quia ad actum voto contrarium ex justitia erga compartem tandem absolute obligatur: parum referre videtur, utrum hanc obligationem ad breve tempus differat necne.

III. Circa votum *perpetuae castitatis.* 721

Castitatis voto ligatus: 1. ineundo matrimonium graviter peccat, quia sese constituit in impossibilitate votum suum servandi. Theoretice excipe idem, quod supra in II. ad 3 excepi.

2. Neque petere neque reddere potest debitum conjugale, quoties alter conjux id jure suo exigere non potest; ergo a) in primo bimestri, b) quoties per adulterium vel incestum jure suo alter privatus est.

3. Attamen religionem ingredi probabilius non tenetur ex ratione supra data.

4. Elapso bimestri, alteri conjugi debitum petenti reddere debet, quoties petit jure suo utens: petere autem per se nunquam ipse potest. Nam ex una parte ipse per se voto ligatus manet, ideoque illud servare debet, quantum sibi licet: alteri autem petenti debitum negare, injustum ac proin illicitum est. — Ceterum expedit, quam primum dispensationem a voto quaerere, ne perpetuum sit periculum contra

votum agendi: haec autem dispensatio sic concedi consuevit, ut matrimonialis castitatis laesio *maneat* etiam vi voti interdicta adeoque tum contra castitatem, tum contra religionem malitiâ sit infecta.

5. Post mortem conjugis novum matrimonium inire non licet, nisi dispensatio a voto absolute facta est, eaque ex causa absolute, non solum relate ad primum matrimonium exsistente: nam alias etiam dispensatio ipsa a voto castitatis ad hoc vel illud matrimonium ineundum vel continuandum ipsius matrimonii durationem non excedit.

NB. Quae de voto perpetuae castitatis dicta sunt, facile applicantur ad votum castitatis temporaneum, quando aliquis ante tempus elapsum matrimonium inierit.

722 IV. Circa votum suscipiendi sacros ordines.

1. Qui cum tali voto matrimonium init, peccat, sese in impossibilitatem servandi votum conjiciens: siquidem post initum matrimonium ipsi liberum non amplius est sacros ordines suscipere — nisi cum restrictione supra data simul religiosus fieri velit.

2. Quamquam ad religiosum statum amplectendum probabilius non tenetur, obligatur tamen ad suscipiendos sacros ordines, si uxor a) consensum dedit atque conditiones a sacris canonibus praescriptas servare vult, b) aut irreparabiliter jus conjugale amisit, c) aut mortua est: excipe nihilominus, si propter filios generatos et educandos vel alias obligationes ex matrimonio exortas susceptio sacrorum ordinum moraliter impossibilis, aut ipse non satis aptus evasit.

3. Contractum vero matrimonium — nisi spes fundata sit illud per religiosam professionem alterutrius conjugis dissolvendi, ad quod neuter tenetur — statim consummari potest, atque marito sine novo peccato debitum conjugale et reddere et petere pro arbitrio licet.

723 V. Circa votum ingrediendi religionem.

1. Cum restrictione jam saepius allata sub II. et III. graviter peccat, qui cum tali voto matrimonium init, quia sese exponit saltem gravi periculo voti laedendi, aut conjugis decipiendi. — Imo qui cum voluntate matrimonii consummandi illud contrahit, hoc proposito in se sumpto graviter contra votum peccat.

2. Inito matrimonio, tenetur a consummatione abstinere atque intra spatium duorum mensium religionem ingredi — nisi praestet, dispensationem a voto implorare. Prima igitur matrimonii consummatione graviter peccatur contra votum, quia eo ipso facultas implendi votum praecluditur.

3. Consummato autem semel matrimonio, nisi altera pars consentit aut propter jus suum amissum consentire debet in perpetuam separationem, et reddi et peti potest debitum conjugale, siquidem castitas in se non est promissa, sed promissum tantum est, dependenter a professione religiosa castitatem promissum iri: quod nunc impossibile factum est.

4. Quoties jus alterius conjugis non amplius obstat, sive quod in continentiam consentit, sive quod per peccatum amisit jus suum, sive

quod mortua est, obligatio voti reviviscit: nisi tamen ex matrimonio et obligationibus inde exortis conditio voventis adeo notabiliter mutata est, ut assumptio statûs religiosi aut impossibilis aut nimis gravis sit.

Dispensatio ab illis votis ex sufficienti causa concedi potest ab Episcopis jure ordinario; excipe: 1) si matrimonium nondum contractum sit, votum perpetuae et perfectae castitatis, 2) votum religionis, quod etiam post contractum matrimonium per se obligat. Si qui alii ea potestate potiuntur, aut Episcopi aliive majore facultate utuntur, id ex privilegiis specialiter datis repetendum est.

§ 5.

Appendix de dissensu parentum atque lege civili matrimonium vetante.

I. Dissensum parentum *justum* obstare, quominus matrimonium 724
inire liceat, supra de sponsalibus tractantes diximus: quare recte inter impedimenta impedientia numerari potest. Quando dissensus parentum sit justus, quando non ita, ibi expositum habes.

II. Similem causam habemus in dissensu legis civilis: modo plane inter justos limites concludatur.

Nimirum: 1. lex civilis certo nequit statuere impedimenta matrimonii dirimentia.

2. Nihilominus ex gravi causa potest aliquando certis matrimoniis *legalem* agnitionem denegare atque ita sequelas *civiles* ex matrimonio alioquin oriundas non agnoscere. — Quod ut fiat, sane ratio omnino gravis requiritur: neque per se ejusmodi causas lege sua statuere potest, nisi ex consilio cum Ecclesia habito.

Quodsi civilis auctoritas ultra fines suae potestatis impedimenta ponit: potest fieri, ut civibus tamen obligatio incumbat eas leges servandi, non quod leges istae ex se obligationem in conscientia creent, sed quia ratio avertendi grave damnum tum proprium tum futurae prolis obligationem gravem valet inducere ad ea, quae ex natura sua non sunt illicita.

Huc refer, quae hodie de *matrimonio civili* statui consueverunt. In- 725
iquum sane est, illam civilem matrimonii ineundi declarationem postulare, *antequam* coram Ecclesia contrahatur, atque spreta veri matrimonii declaratione hanc solam civilem formam pro legitimo connubio habere[1]: at si

[1] At quid agere licebit judici vel alteri viro in publico munere constituto, coram quo matrimonium contrahere cives secundum leges possunt vel jubentur, si ipse scit vel videt, eos hac sola civili caerimonia contentos fore? Potestne eos admittere atque ita cum eorum peccato cooperari?

R. 1. Id non licet sine gravi causa. Atque sane gravior etiam causa esse debet, ubi matrimonium sic contractum coram Deo invalidum est, i. e. ubi lex Tridentina circa clandestinitatem viget, quam ubi lex illa non viget, quia gravius peccatum committitur a contrahentibus in priore, quam in posteriore casu. Dein gravior omnino causa accedere debet, quando nupturientes tantummodo per leges *possunt* civile matrimonium inire, quam requiritur, quando *tenentur*. — R. 2. Ubi fieri potest sine graviore incommodo, judex seu magistratus conari debet, num forte commonitione sua nupturientes ad meliorem frugem reducat. — R. 3. Si vero nihil efficere potest, ex repulsa autem nupturientium grave sibi damnum timet, eorum consensum

sine illa civili forma tandem civitas conjunctionem pro legitima non habet, nihil relinquitur, nisi ut fideles hanc etiam iniquam legem servent, id semper caventes, ne hanc ipsam matrimonii declarationem pro vero et legitimo consensu habeant, sed pro mera caerimonia profana. Videlicet ipsa Sancta Sedes id declaravit, *per se* declarationem matrimonialis foederis civilem faciendam esse *post* matrimonium coram Ecclesia initum; sed si lex civilis id ordine inverso exigat, fideles, ne gravibus damnis exponantur, isto inverso ordine agere posse; nihilominus eos instruendos esse, ne tum jam gerant animum veri matrimonii coram Deo contrahendi, quo melius praecaveatur periculum in locis, ubi lex Tridentina non viget, matrimonii incundi clandestine.

Caput II.

De impedimentis dirimentibus.

§ 1.

Praevie notanda.

726 I. Ecclesia habet potestatem, eaque sola, impedimenta matrimonii dirimentia statuendi.

II. Leges impedimenta dirimentia statuentes generatim neque propter grave incommodum contrahentium, neque propter legis ignorantiam cessant.

III. Scienter igitur cum impedimento dirimente, quamdiu subsistit, matrimonium sive contrahere, sive consummare non licet.

IV. Haereticos baptizatos generatim impedimentis etiam ecclesiasticis subjacere, dubitari non debet: nisi forte in certo quodam impedimento contraria voluntas Ecclesiae probata fuerit.

---

ut testis recipere et adnotare potest. Quare generatim id licebit, ubi secundum leges tenentur nupturi ad civile matrimonium, sive lex Tridentina viget, sive non viget: quia magistratus, nisi consensum recipiat, muneri suo cedere cogitur; ubi solum permittitur civile matrimonium, at simul ejusmodi clandestinum matrimonium valide initur, causa mediocriter gravis judicem seu magistratum excusare videtur; ubi vero, matrimonio civili non praescripto, sed permisso, clandestina matrimonia sunt invalida, causa longe gravior adesse debet, ut magistratui talem actum coram se peragi permittere liceat.

Quando vero agitur de assistentia, qua *approbetur vel foveatur* conjunctio, quae *non possit* esse *non* mala ex sese atque intrinsecus, e. g. adulterina conjunctio hominis bigami, qui jam priore matrimonio coram Ecclesia celebrato legitime conjunctus sit, accipe responsum S. Poenitentiariae ad Ep. Ital. a Buccerone, *enchirid. mor.* pag. 52 communicatum, quo negatur, posse judicem, etsi munere suo cedere debeat, tali actui assistere: „Ho riferito all' Eminentissimo Penitenziere Maggiore il caso del sindaco di codesta diocesi, che in forza del suo officio dovrebbe assistere al matrimonio civile di un tale che è già legato in faccia della Chiesa, e per comando del lodato Emo devo significarle, che non può il nominato sindaco in verun modo prestarsi ad un atto così contrario alla santità del matrimonio. Quindi qualunque sieno le circostanze del caso, deve assolutamente astenersi da tale assistenza, ancorchè poi se seguisse che dovesse dimettersi. Dalla S. Penitenzieria li 28. Nov. 1883. Luigi Martini, Sostit. della S. P." — Si vero adjuncta ea sunt, ut assistentia matrimonii adulterini approbationem nullatenus contineat, *causa* gravissima ratio esse potest, cur haec cooperatio, materialis tantum, viro in officio publico constituto licita evadat: cf. Gasparri n. 1231.

Fusior explicatio. Ad I. nota: 1. Ecclesiam *sua* potestate impedimenta dirimentia statuere posse, nemo, salva fide, negare potest.

Trid. sess. 24 can. 4 ita definivit: „Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, aut in eis constituendis errasse, a. s.“, et can. 12: „Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, a. s.“

Insuper Pius IX. in damnatione operum Nuytz, professoris Taurinensis, per Breve „*Ad Apostolicae*“ 22. Aug. 1851 inter alias has theses proscripsit (v. *Syllab.* thes. 68—70 et 74): „Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta exsistentia tollenda sunt. — Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat. — Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt. — Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.“

2. Ratione doctrina vera facile fulciri potest. Quidquid enim est de 727
ea civili potestate, quae in ordine mere naturali, aut Ecclesiâ divinitus non institutâ, exsisteret: id saltem certissimum est, matrimonium inter Christianos ad sacramenti rationem evectum esse, atque eo ipso evasisse rem sacram, vel potius sanctitate majore auctum esse, ideoque matrimonium ipsum a religiosa, non a politica auctoritate regi debere. (Cf. ea, quae supra dicta sunt n. 683. 684 et n. 701.)

Quare, licet cum multis scriptoribus asseras, apud infideles politicam auctoritatem, quatenus non mera politica potestas est, sed simul curam religionis saltem naturalis gerere debeat, legiferam potestatem circa matrimonialem contractum ejusque impedimenta exercere; tamen apud Christianos id solius Ecclesiae esse, ille tantum negaverit, qui Christum divina potestate Ecclesiam suam instituisse negare ausus fuerit.

Ex eo autem solo, quod Ecclesiae tamquam sacrae potestati publicae, causae matrimoniales subsunt, pronum est concludere, ab ipsâ impedimenta dirimentia statui posse. Sicut enim publica auctoritas generatim pro bono communi statuere quaedam potest, quibus contractus suo foro subjecti invalidi fiant; ita etiam Ecclesia quaedam statuere potest, quae in certis adjunctis contractum matrimonialem, alioqui non invalidum, invalidum reddant. — Et re quidem vera pro bono communi et pro servanda matrimonii sanctitate utilissimum, imo pro circumstantiis necessarium esse potest, ut ea, quae lex naturalis libera reliquerat, restringantur.

3. Quantâ autem prudentiâ Ecclesia suis legibus impedimenta illa dirimentia sustinuerit, quantisque cum damnis humani generis ea negligantur, ex statistica, quam vocant, colligere licet. Omnis enim generis morbi et defectus naturales inveniuntur potissimum in sobole ex matrimoniis secundum canonicas leges irritis procreata. Sed haec nostrae partes non sunt fusius prosequi.

Ad II. 1. Generalis regula est, impedimenta dirimentia, sicut 728
quaslibet leges irritantes non propterea cessare, quod in certis casibus singuli homines gravissimo incommodo vel damno premantur. Num et quando haec regula exceptionem sive veram sive apparentem admittat, melius postea in ipsis singulis impedimentis pertractandis notabitur.

2. Leges mere irritantes, non solum quas ipsa natura statuit, sed etiam quae positive humanitus latae sunt, etiam ignorantes seu nescientes afficiunt, ita ut propter ignorantiam sive facti, sive juris impedimentum dirimens non cesset. Non plane eadem dicuntur, quando lex irritans est in poenam criminis. De his vide, quae circa impedimentum criminis dicturi sumus.

Ad III. 1. Quum impedimenta dirimentia efficiant matrimonium nullum, clarum est, eos, qui sic contraxerint, si vitam conjugalem agant, fornicarios esse et concubinarios, utut materialiter tantum, si ipsi nullitatem matrimonii ignorant. Quare qui sciunt, formaliter gravis peccati plane reos se faciunt. At si quando matrimonium sanatur, haec causa peccandi tollitur.

729 2. Haec de impedimento *certo* imprimis dicta sunt. De *dubio* impedimento jam quaedam addere necesse est. At multiplici distinctione utamur oportet. 1) Si enim incidit dubium *de impedimento legis naturalis aut divinae,* prorsus illicitum est, cum tali dubio matrimonium inire[1], siquidem, qui ita agit, in perpetuo periculo est aliquid intrinsecus malum perpetrandi.

2) Sin *de impedimento juris ecclesiastici* agitur, matrimonium contrahere licet, si *dubium* est *juris,* i. e. quod versatur circa ipsam legem ejusve extensionem. Nam praeterquam quod axioma illud applicari debet: „Odiosa sunt restringenda", etiam quando nihilominus dubium omne nondum dissipatur, altero principio communiter admisso practice quaelibet difficultas solvitur, videlicet: In probabilitate juris, quando et vere probabile est adesse facultatem aliquid faciendi, et certum est, hanc facultatem rite et valide agendi ab humana seu ecclesiastica potestate pendere, Ecclesia hypothetice supplet, i. e. dat revera facultatem agendi, si forte antecedenter haec facultas ideirco non adfuit, quod opinio illa probabilis exstitit re ipsa falsa. Cf. S. Alph. l. 6 n. 573 et 901, ubi hoc approbans cum Sanchez, Castrop., Suarez, Mazzotta, Holzmann etc. tutum et moraliter certum dicit.

Quando autem circa impedimentum juris ecclesiastici adest *dubium facti,* i. e. si probabile est, commissam esse actionem, quae, si vere commissa sit, induxerit impedimentum matrimonii dirimens ab Ecclesia statutum: sententia communior et practice tenenda dicit, matrimonium contrahi non posse, nisi dispensatione obtenta. Ita S. Alph. n. 902 cum Less., Laym., Roncaglia etc. Illud autem pro probabili habetur, Episcopo in tali impedimento, si vere dubium manet, auctoritatem dispensandi competere. Si tamen *vehemens praesumptio* impedimentum vix non certum facit, privilegio papali opus est.

3. Si *factum,* in quo dubium innititur, ejusmodi est, ut dubium non tantum insolubile sit, sed etiam ex juris praesumptione *in dubium juris transeat,* Ecclesiam impedimentum a se statutum non censeri sustinere, sed

[1] Ita practice brevi regula statui potest. Ne vero theoretica difficultate res involvatur, hujus regulae veritas aliter demonstratur, si dubium in *facto* nititur, quum jus sit indubium, aliter si ipsum jus dubium est. Periculum perpetuum aliquid intrinsecus malum perpetrandi ratio est, quae evincat regulae veritatem in dubio facti. — Si vero dubium juris est, fac advertas, tale dubium nunquam exsistere, nisi in illis maris et feminae conjunctionibus, quae *indubie* indecentes et *illicitae* sunt, ita tamen, ut non prorsus certum sit, utrum ipsum jus naturale-divinum has conjunctiones ipso facto *nullas* faciat. Quae si animadvertuntur, facile patet, ejusmodi conjunctiones iniri nullo modo posse tum propter certam indecentiam tum propter probabilem nullitatem.

legem irritantem tum cessare, tenet cum aliis Lacroix l. 6 p. 3 n. 535. Exemplum singularis casûs rem declarat:

1mus casus. Sume, Cajum velle contrahere cum Bertha. Bertha est vidua Titii; Cajus est Catharinae filius, quem illa in matrimonio cum Sempronio suscepit. Sed tempore matrimonii Catharina adulterinum commercium habuit cum Titio; quare si forte Cajus filius adulterinus est, affinis est Berthae in primo gradu. Hîc habes dubium facti, quod, nisi ex absentia Sempronii aliisve indiciis certis probatur, prorsus insolubile est. At ex praesumptione juris quaelibet proles *in* legitimo matrimonio nata censetur etiam *ex* illo nata, donec contrarium probari possit. Nihilominus R. Curiae praxis videtur esse, ut saltem ante matrimonium contrahendum ad cautelam petatur dispensatio.

2us casus. Fac, Bertham non viduam, sed filiam Titii esse, dubium impedimentum inter Cajum et Bertham juris divini est: scilicet fortasse sunt frater et soror — quo fit, ut ad Ecclesiam pro tacita dispensatione recurri non possit. Hinc matrimonium inter eos est prorsus interdicendum, neque juris praesumptio quidquam valet; *contractum* tamen matrimonium in dubio sustinetur.

4. Postquam de impedimento certo et dubio communem normam 730
proposuimus, quaerendum est, quid causae sit de impedimento *putativo.* Videlicet, si quis putans, subesse impedimentum dirimens, nihilominus matrimonium contrahere attentavit, at postea comperit, impedimentum non adfuisse: verene contraxit matrimonium? Ratio dubitandi haec est, quia voluntas in *verum* matrimonium ab illo haberi potuisse non videtur, qui verum matrimonium sibi impossibile esse putavit.

Et re quidem vera, si *firmam persuasionem* de impedimento habuit, quod parvipendens nihilominus alteram personam sibi conjunxit, non matrimonium, sed concubinatum voluit; at si dolens de impedimento voluntatem habuit contrahendi, quantum posset, praevalere seu praevaluisse dicenda est intentio matrimonii: ad cautelam nihilominus consensus renovandus est. — Facilius pro valore matrimonii stari debet, si matrimonium cum solo *dubio* de impedimento initum est, quod postea nullum fuisse demonstratur. Nam dubium illud nullatenus excludit voluntatem *hypotheticam* veri matrimonii, videlicet „si forte impedimentum non subsit"; atqui hypothesis illa reapse vera erat: ergo matrimonium statim valide contractum est.

Ad IV. Aliqui quidem scriptores in dubium vocare volunt, num aca- 731
tholici baptizati ecclesiasticis impedimentis matrimonialibus subjaceant. At id nullatenus videtur negari posse.

Loco omnis probationis ulterioris sufficit attulisse verba Ben. XIV. ex literis datis ad Card. ducem Eboracens. 9. Febr. 1749 § 14—16: quae eo gravioris ponderis sunt, quod Pontifex nixus doctrinâ illâ, secundum quam acatholici baptizati legibus Ecclesiae matrimonialibus subjiciantur, matrimonium aliquod *nullum* declarat, quod contra illas leges initum erat. Constat autem, matrimonii nullitatem non declarari, nisi plane certo de illa constiterit. Quare consequens est, ut illa doctrina, haereticos illis legibus ecclesiasticis subjici, debeat esse certissima.

„Exploratum est," ait Summus Pontifex, „ab haereticis baptizatos . . . non (tamen) ab ejus [Ecclesiae] auctoritate et legibus liberari. . . . Quum

vero inter Ecclesiae leges illa quoque recenseatur, quae matrimonia illorum, quorum alter rite baptismum acceperit, secus alter, rata non habet: in nostra etiam quaestione statuendum erit, quum haeretica mulier Hebraeo nupsit, matrimonium illud pro irrito habendum esse."

NB. Quae de usu matrimonii dicenda sunt, quando post matrimonium initum dubium de ejus valore exsurgit, postea explicanda sunt, quando de obligationibus juribusque matrimonialibus acturi sumus.

Singula impedimenta dirimentia breviter explicare aggredimur. At non solum, quae juris ecclesiastici sunt, sed etiam, quae sunt juris naturalis vel divini, simul complectimur. — Praeter hanc distinctionem impedimentorum secundum diversum jus, a quo statuuntur, distinguuntur etiam impedimenta *juris privati* et *juris publici;* alia tandem sunt impedimenta *absoluta,* quae certis personis quodlibet matrimonium impossibile faciunt, et *relativa* seu quae solummodo matrimonium cum certis personis nullum faciunt.

Omnia diversorum generum impedimenta memoriae causa his versibus complectere:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Aetas, affinis, si clandestinus, et impos,
Raptave sit mulier nec loco reddita tuto:
Haec socianda vetant connubia, facta retractant.

Eo autem ordine singula tractaturi sumus, ut primo loquamur de impedimentis juris privati, dein de impedimentis juris publici.

A. Impedimenta juris privati.

732 Haec impedimenta juris privati fere omnia naturalis legis sunt; ecclesiastica lex omnibus addidit majorem firmitatem, atque pleniorem determinationem vel extensionem adjecit. Sunt haec: impedimenta erroris, conditionis servilis, metûs, ligaminis, impotentiae; reliqua juris publici sunt. De his singulis paragraphis agemus.

§ 2.

Impedimenta erroris et servilis conditionis.

I. Ex natura rei matrimonium dirimit: 1) error personae, 2) error ejus qualitatis, quae in personam redundet.

II. Ex intentione contrahentis expresse addita dirimit matrimonium error cujuslibet rei, quae pro conditione *sine qua non* habita sit.

III. Ex positiva Ecclesiae lege error, si sit de conditione servili, matrimonium nullum facit. Scilicet si persona libera putat, alteram personam, quacum matrimonium contrahere intendit, esse etiam liberam, sed eam vere *in statu servitutis* esse postea comperit: matrimonium initum jure ecclesiastico *nullum* est. — V. Decret. l. 4 tit. 9 cap. 2. *„Proposuit"*, secundum quod irritum declaratur matrimonium, quod vir liber ignoranter contraxerat cum serva, nisi postea hoc sciens eam cognoverit.

„Mandamus, quatenus, si constiterit, quod idem vir praefatam mulierem, postquam eam audivit esse ancillam, carnaliter cognovit, ipsum monitione praemissa

compellatis, ut eam sicut uxorem maritali affectu pertractet. Si vero aliter fuerit, et sententiam divortii proferri contingat, mulieri pecuniam, quam praefato viro pro dote concessit, restitui faciatis."

Uberior explicatio. Nota ad I. et II. 1. Ad matrimonii substantiam spectat certa et determinata persona, ideoque error de ipsa persona, aut qui in personam redundet, substantialis est. Sed substantialis error in quolibet contractu rationem voluntarii aufert. Ergo etiam in matrimonio idem valere debet.

2. Si autem consensus *conditionatus tantum* aderat, defectus *cujuslibet* rei vel qualitatis, quae pro conditione ponebatur, consensum irritum facit. Quare error de quacunque alterius conjugis qualitate, quam ut conditionem sine qua non alter intendebat, efficit, ut matrimonium sit nullum. At in foro externo ex illo errore matrimonium pro irrito non habetur, nisi probari possit, aliquid pro vera conditione appositum fuisse. Secus in tali casu nihil relinquitur, nisi ut, errore detecto, matrimonium novo et absoluto consensu sanetur.

3. Nisi vero habemus conditionem sine qua non adjectam, nullus er- 733
ror de sola personae *qualitate,* quae in errorem circa personam ipsam non redundet, matrimonium irritum facit; imo ne ille quidem error, qui si cognitus fuisset, matrimonium certissime impedivisset, neque ille error, qui fraudulenter inductus est. Nam non quaeri debet, quid contrahens facturus fuerit, si veritatem cognovisset, sed quid re ipsa fecerit.

Et verior quidem opinio id de omnibus contractibus dicit, errorem non substantialem, etsi causam det contractui, non facere ipso facto contractum irritum, attamen alios contractus fieri rescindibiles, v. I. n. 1063: id quod in matrimonio valere nequit. — Haec regula, quae in omnibus contractibus valet, videlicet contractus non evadere propter ejusmodi errorem ipso facto nullos, omnino certa fit translata ad matrimonium. Nam si cujuslibet rei vel incommodi cognitio, quae, si praecessisset, a matrimonio retraxisset, facultatem recedendi tribueret: infinitae essent causae, infinitaque matrimonia, a quibus postea recederetur. Quoties enim conjuges postea sibi dicturi sunt: Si haec et haec cognovissem, matrimonium non contraxissem! Sed jam de pace et concordia actum esset, de firmitate et stabilitate familiarum atque rerum humanarum plane esset conclamatum. Verum ad ejusmodi pessimos effectus et societatis humanae perturbationem inducendam lex naturalis jus facultatemve tribuere non potuit ullam: seu aliis verbis, lex naturalis non potuit ex illis erroribus matrimonium nullum reddere. — Imo secundum unanimem scriptorum sententiam quaelibet obligationes, quibus *certus vitae status* assumitur, firmae subsistere debent, non obstante errore quocunque, qui substantiam rei non spectet. Quod postulatur, ne magna humanarum rerum perturbatio sequatur. Quare idem etiam in votis religiosis, in susceptione statûs clericalis etc. observatur. Ergo magis etiam in matrimonio id valere debet.

Ceterum qui gravissime erravit, potest a Summo Pontifice dissolutionem matrimonii rati nondum consummati implorare, praesertim si ab altero conjuge deceptus fuit. In hoc posteriore casu pro gravitate injuriae divortium a toro et cohabitatione fieri sane licebit.

4. Difficilis est explicatio, quomodo cognoscatur error qualitatis, qui 734
in personam redundare dicatur, atque propterea matrimonium dirimat.

Ut ille error adsit, qualitas, in qua erratur, debet 1) esse *individualis* vel quasi-individualis, et praeterea 2) debet ea esse qualitas, sub qua *primo et per se* alter hanc personam sibi ut conjugem *determinavit.*

Nam ad matrimonium id exigitur, idque solum, ut cum persona certa et determinata voluntarie ineatur. Quare si in persona ut tali determinata vel ut hac individuali erratur, matrimonium non subsistit; si vero in persona, ut hoc individuum est, non erratur, per se matrimonium valet. Determinatio vero hujus personae, ut hoc individuum est, *non potest sumi nisi* a qualitate *individuali* vel quasi-individuali: at *non necessario a qualibet* individuali qualitate sumitur. Ergo ut error qualitatis id efficiat, ut erratum sit in determinatione personae, qualitas illa debuit et individualis esse — alioqui determinatio personae *non potuit* ex ea sumi, sed debuit aliunde fieri — et qualitas illa debuit de facto in determinationem hujus personae inducere.

Exemplum celebre ponitur: Si quis constituit filiam cujusdam principis *primogenitam* ducere, atque in primogenituram ita intendit, ut quaecunque tandem sit illa primogenita, eam sibi in uxorem accipere velit: sane ex hac qualitate tota personae individuae determinatio pendet, et *sub hac qualitate* certam illam personam pro matrimonio desiderat. Quodsi errore quolibet alia puella loco illius ei offeratur, etsi ritum matrimonii celebret, verum matrimonium non ineat.

Sed si aliunde cujusdam puellae desiderium concepit et eam ducit, putans, illam esse principis filiam primogenitam, fortasse etiam non ducturus, si sciret, id falso jactari: nihilominus matrimonium valet; nam vult primo et per se *hanc* individuam personam, etsi falso putat, eam esse principis filiam primogenitam.

Paucis, si consensus datus sic est: Duco filiam primogenitam talis principis, quam puto esse hanc Annam — error in ista qualitate reddit matrimonium nullum;

si vero consensus ita est: Duco hanc Annam, quam puto esse filiam primogenitam talis principis — error in hac qualitate matrimonium *nullum non facit.*

Scholion. Breviter addam aliqua de errore circa officia matrimonialia. Videri potest alicui ille error esse substantialis. At prorsus adverti debet, propter generalem voluntatem contrahendi *ut ceteri*, nihilominus matrimonium validum esse posse. Quapropter, si de illo errore agitur, S. Congregatio *constanter tenuit*, matrimonium esse validum, vel saltem non constare de nullitate. Mulieri igitur, quae sic erravit, nihil relinquitur, nisi ut aut officiis matrimonialibus exercendis nunc vera voluntate conjugali consentiat — quod si fit, certe omne dubium tollitur — aut ut solutionem a vinculo matrimonii rati ante consummationem imploret — quae, si ad usum matrimonii permoveri nequit, aliquando a S. Sede conceditur: cf. supra n. 704 et Acta S. Sedis vol. V. pag. 551 sqq. Etiam Ben. XIV. pro valore talis matrimonii per se standum esse docet.

§ 3.

Impedimentum vis et metûs.

735 I. Metus gravis injuste incussus aut sustentatus in ordine ad matrimonium extorquendum irritum facit matrimonium, ita ut, qui metum patiatur, perdurante metu, validum consensum dare non possit.

II. Haec matrimonii annullatio est in favorem ejus, qui metum injustum patitur: quare solum per accidens in favorem alterius adduci potest.

Uberior explicatio. Nota ad I. 1. Multi auctores censent, hoc impedimentum, quamdiu *ex metu* consensus detur, juris naturalis esse, tum propter probabilem doctrinam, omnes contractus ex gravi metu ad contrahendum incusso initos jure naturae vi sua destitui, tum propter specialem characterem matrimonii, quod, si semel valide initum est, rescindi amplius nequit: quamquam igitur in aliis contractibus libertati contrahentis satis consultum sit per hoc, quod contractus ex metu initus postea pro arbitrio ejus, qui injustum metum passus est, sit rescindibilis, id in matrimonio, quippe quod rescindibile nunquam sit, sufficere non posse. Quod sane probabiliter dicitur.

Sed quidquid est de ea sententia, id saltem fateri debemus, *jure positivo* illud naturale jus firmatum esse, imo ita extensum, ut ille, qui sub influxu metûs maneat, non possit, etsi velit, validum matrimonium inire. V. Decret. l. 4 tit. 1 c. 15 et 18 „*Veniens*“ et „*Consultationi*“.

2. Ut autem propter metum impedimentum dirimens inducatur, 736
debet esse: 1) Metus *gravis*, sive absolute, sive relative gravis. Quare si adfuit, qui dicitur reverentialis metus, considerandae sunt circumstantiae. Licet enim ille metus *per se* non pro gravi habeatur, si tamen pro ingenio personae vel pro adjunctis aliae causae timendi accesserunt, pro gravi non difficulter habetur, potissimum in muliere. Generatim autem ille metus reverentialis, cui accedunt preces multum importunae, pro gravi habetur.

2) Metus *injuste incussus.* Quare excommunicatio, timor carceris et similia, quibus judex cogit sponsum, ut stet promissis et ducat *sponsam suam,* non est metus, qui impedimentum efficiat; juste enim incutitur.

Similiter pater, qui filiam suam a juvene violatam esse videt, quando juvenem etiam gravibus minis terret, ut injuriam reparet, non agit injuste: quare si juvenis minis perterrefactus sese offert ad puellam ducendam, matrimonium, si initur, valet. — At si pater non indeterminate ad reparandam injuriam cogit, sed determinate ad ducendam puellam, non semper est metus justus; siquidem teneri potest ad alterutrum, ut aut ducat, aut dotet puellam. Quare tunc matrimonium irritum esse potest. Idem dic de judice cogente.

Si medicus, qui aut ex justitia curam puellae notabiliter aegrotae suscipere debet, aut solus est, qui spectatis circumstantiis vocari possit, auxilium suum denegat, nisi puella sibi nubat: metus gravis et injustus est; quare matrimonium sic extortum est nullum. Aliud dicendum sit, si et medicus sola caritate ad medendum teneatur neque alter desit, qui facile curam aegrotae puellae possit suscipere. S. Alph. l. 6. n. 1053.

3) Metus injuste debet esse incussus aut saltem protractus *in ordine ad extorquendum matrimonium.* Quare qui injuste incarceratus extraneo viro sese offert ad ducendam ejus filiam, si ferat auxilium ad fugam,

ejus matrimonium valet. At si ita agitur cum custode carceris aliisve, qui saltem objective injuste reum innoxium carcere detinent, matrimonium ex tali metu contractum invalidum est. — Qui juste ad gravem poenam condemnatus a custode aliisve, sive licite sive illicite, auxilium fugae capiendae accipit sub conditione certi matrimonii ineundi, matrimonium init valide, quia metus gravis poenae non injuste protrahitur: si modo verus consensus in contrahendo matrimonio non defuerit.

737 Ad II. 1. Propter matrimonii nullitatem ille, qui metum injuste incussit, nondum ab omni obligatione liber est: nam injuriam illatam reparare debet. Quare si ille, qui metum passus est, postea matrimonium vere inire vult, neque alter, qui metum intulit, aliâ viâ plenam injuriae reparationem facere potest, is ad confirmandum seu sanandum matrimonium adigendus est. Ergo per se matrimonii instauratio ex arbitrio ejus, qui vel quae metum passa est, dependet. Verum si plena injuriae reparatio aliter fieri potest, non est ratio, cur non etiam arbitrio ejus, qui intulit metum, id relinqui possit. Saltem judex etiam illius rationem gerere tunc debet. S. Alph. n. 1057.

2. Ex parte ejus, qui metum passus vel quae passa est, jus impugnandi matrimonium non amittitur, etsi ob ignorantiam sui juris, aut ob metum perdurantem per annos vitam conjugalem duxit. Imo si de metu illato publice constat, in locis, ubi lex Tridentina de clandestinitate viget, ejusmodi matrimonium nullum manet, donec libere coram parocho et testibus renovatum est.

3. Gravior quaestio est, num impedimentum metûs vim suam semper retineat, etiam quando in gravissimum incommodum ejus vertitur, in cujus favorem nullitas matrimonii inducta est.

738 Aliis verbis: Sume, mulierem gravi metu adigi ad matrimonium, atque virum postea, manente metu, eam sub metu mortis cogere ad copulam. Debetne illa mulier potius mori, quam copulam admittere, an potest in illis circumstantiis in matrimonium vere atque sincere nunc consentiens hoc reddere validum? Ad quae ita respondendum censeo:

R. 1. Mulier potest utique semper mortem praeeligere.

R. 2. Potest etiam, si per id ex conscientiae angustiis libera evasura est, atque id sibi possibile judicat, in sui violatione passive se habere.

R. 3. Si gravis metus in contrahendo matrimonio incussus externe probari potest, neque de iis locis agitur, ubi excusatio a lege clandestinitatis habetur: matrimonium hucusque nullum privato consensu validum fieri nullatenus potest, praecipue quod injusta illa metûs incussio et legis ecclesiasticae despicientia in odium religionis et ecclesiasticae auctoritatis vergit. Quare in iis adjunctis mulier mortem potius subire debet, quam in actum, quae fornicatio est, consentire.

R. 4. Si vero clandestinitatis impedimentum matrimonio non obstat, salvo meliore judicio, mihi videtur probabile omnino esse, *impedimentum metûs* in ejusmodi circumstantiis cessare. Nam aut ut impedimentum juris positivi, aut ut impedimentum juris naturalis illud consideres. Porro lex positiva cessat etiam in casu particulari, quando finis cessat, ut dicunt, *„in contrarium“*: quod hîc obtinet. Finis enim legis est, jus innocentis protegere seu innocenti favere. At, quod alias favor est, nimirum non ligari matrimoniali vinculo, hîc in summum odium vertitur; praecludit enim potestatem evadendi aut mortem, aut grave peccatum. Quatenus igitur impedimentum metûs fundatur in lege positiva, utpote in favorem privatum constitutum, in nostro casu cessat. Neque excipi debet, leges impedimentorum non

solum prohibentes, sed irritantes esse, atque axioma illud de lege cessante ob finem cessantem in contrarium ad solas leges prohibentes pertinere. Nam idem axioma aliquando in ipsis legibus irritantibus admitti, habes apud S. Alph. l. 6 n. 613.

Neque aliter videtur dicendum, si impedimentum metûs consideratur ut profectum ex ipso jure naturali. Ut enim omittam, id ipsum, impedimentum illud ex jure naturali manare, non plane certum esse: sane ratio, cur ex ipso jure naturali oriri dicatur, ea est, quia libertas et bonum privatum id postulat. At licet in aliis circumstantiis bonum privatum id postulet, in his, de quibus loquimur, bonum privatum *contrarium* postulat, nimirum ut concedatur facultas valide contrahendi. Si secus esset, jus naturae postularet, ut aliquis in inevitabilem necessitatem conjiceretur aut peccandi, si mere passive se habere posse vix confidat, aut mortem subeundi, idque ad suam libertatem conservandam. At num vere jus naturae id postulat, ut libertatem meam meae vitae servandae necessario praeferre debeam? Saltem igitur probabile esse, jus naturale quoad impedimentum metûs in nostris circumstantiis cessare, vix videtur negari posse.

Verum sufficitne *probabilitatem* tantum hac in re statuisse? Aut, potestne 739
mulier matrimonio solum probabiliter valido sine culpa uti?

Ad haec respondeo: Quominus *plane certum* dicam, impedimentum metûs cessare, prohibet multorum scriptorum eorumque gravium contraria opinio. At matrimonii probabiliter validi usum licere ex gravissima causa ac mulieri in summo isto discrimine versanti id licere, et ratio et auctoritas suadent. S. Alph. l. 6 n. 906 ita habet: „An contracto matrimonio cum dubia fide de impedimento possit dubitans post diligentiam petere debitum (a fortiori reddere) dubio adhuc perseverante? . . . secunda sententia *satis probabilis affirmat.*“ — Insuper si ad solum jus ecclesiasticum reducas impedimentum metûs — quod pro nostro casu vix non certum videtur — facile tibi probabitur, stante *probabilitate* cessationis impedimenti, ex principio reflexo valorem matrimonii moraliter certum haberi posse. At quando contra matrimonium ea solum dubia manent, quae moralem certitudinem validitatis non excludant, eo uti licere, planum est. Confer insuper infra *de matrimonio revalidando* dicenda.

De hac ipsa quaestione, num metus mortis efficiat, ut impedimentum metûs cesset, tractant ex eorum scriptorum numero, qui illud impedimentum ex jure naturae repetunt, Tambur. *de matr.* tract. 4 cap. 7 § 4, et qui illud ex lege positiva ecclesiastica derivant, Mazzotta *de matr.* disp. 3 Q. 2 cap. 3 n. 2. Uterque affirmativam sententiam tenet, afferuntque alios ejusdem sententiae patronos: Aversa, Scot., Gabriel, Bart. Ledesma, Vega; dein: Paludan. in 4 dist. 29 q. 1 a. 4 concl. 9, Angel. sub verb. ‚*Matrimon. impedim.*‘ 1 n. 3, Sotus dist. 29 q. 1 a. 3, Covarruv. *de sponsal.* cap. 4 § 1 n. 16 (qui non de muliere quidem, sed de viro metum mortis passo loquitur); fautores contrariae sententiae vero: Navarr., Sylv., Henriq., Sanchez, Coninck, Pont., Petr. Ledesma etc. — quamquam Sanchez *de matr.* l. 4 disp. 18 n. 17 affirmantem sententiam non reprobat.

Tamb. l. c. sententiam suam sic concludit: „Tantorum virorum duas hasce sententias suis innixas rationibus nisi probabiles judicemus, vereor, ne imprudentiae notam apud prudentes incurramus.“

Mazzotta vero haec habet: „Quae sententia, quum sit probabilis *et circa id, quod suppleri potest ab Ecclesia*, non videtur in praxi rejicienda: non sic autem [procedi potest], si adsit aliud impedimentum, quod non in favorem metum passi est positum.“

§ 4.

Impedimentum ligaminis.

I. Impedimentum ligaminis, vi cujus nemo, vivente conjuge, aliud 740
matrimonium inire potest, juris divini est et indispensabile. Nititur in matrimonii unitate et indissolubilitate: de quibus supra.

II. Ut igitur novum matrimonium iniri possit, moralis certitudo de alterius conjugis morte requiritur, eaque probata.

III. Ex defectu certitudinis circa alterius conjugis mortem fieri potest, ut non solum illicite, sed etiam invalide novum matrimonium ineatur, etiam si re ipsa alter conjux obierit.

Explicatio. Nota ad I. Quamquam, vivente uxore, altera duci nequit, tamen in solo matrimonio christiano consummato nequit omnino fieri, ut uxor semel accepta, quamdiu vixerit, uxor esse desinat. De exceptione tamen illa, quam indissolubilitas matrimonii patitur in matrimonio rato tantum et in matrimonio infidelium, seu de causis, quae praeter mortem ligamen aliquando solvunt, alibi satis dictum est.

Ad II. seu **de probatione ligaminis soluti,** seu: qua ratione alterius conjugis mors innotescere probarique debeat, antequam ad novas nuptias liceat transire.

1. Optandum quidem est, ut mors probetur per plures testes immediatos, aut per authenticum testimonium, v. g. parochi loci, quo conjux defunctus et sepultus est. At si ejusmodi probatio haberi nequit, attendendum est ad Instructionem S. Congregationis, quam relatam habes in „Actis S. Sedis“ vol. VI. pag. 436 sqq.

741 2. Praecipua capita haec sunt:

Si ejusmodi testimonia, quae absolutam certitudinem de morte conjugis faciant, haberi non possunt, S. Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de jure communi possunt admitti, dummodo legitimae sint et sufficientes.

1) Sola absentia, quantacunque est, a sacris canonibus minime pro sufficienti probatione habetur.

2) Unde diligenti studio utendum est, ut documentum authenticum obitûs comparetur.

3) Quod si haberi nequit, duorum testium immediatorum testimonio obitus probandus est.

4) Aliquando unus testis omnino fide dignus a S. Congregatione admittitur, diligenter examinatus, maxime, si alia etiam externa indubia veritatis indicia accedunt.

5) Quodsi ne unus quidem testis immediatus reperitur, videndum est, an mediatis testibus rei veritas probari possit; secus *aliae praesumptiones et adjuncta* investiganda sunt, ex quibus judex ecclesiasticus sufficiens judicium efformare possit: „de morte constare“.

6) Ejusmodi praesumptiones sunt e. g., num ille, de cujus obitu quaeritur, fuerit bonis moribus imbutus, pie vixerit, uxorem dilexerit, utrum fortasse causam se occultandi habeat, num habeat bona stabilia, num aliquando scripserit, unde etc. . . . Si militiam secutus fuerit, apud ducem militarem inquirendum est; si negotiationis causa profectus, apud socios itineris etc.

7) Fama a duobus testibus fide dignis et juratis narrata, quam a majore et saniore populi parte acceperint, si alia adminicula accedunt, probationem efficere potest.

8) Tandem investigatio per publicas ephemerides praetereunda non est.

9) Omnibus igitur perpensis, et consultis aliquibus viris theologicis et juris peritis, judex, si sibi constat de morte, sententiam ferat; in dubio ad S. Sedem recurrat.

Quae res quum ex natura sua fori externi sit, Episcopi judicio subjici debet: neque parochus per se eam componere potest.

Ad III. seu **de novis nuptiis praepropere initis.** 1. Si igitur sine 742
sufficienti certitudine obitûs alterius conjugis novum matrimonium contractum est: hoc invalidum est, si postea constat, tunc temporis alterum conjugem superstitem fuisse, neque validum evadit sola illius morte postea secuta, sed practice requiritur novus consensus; prior enim consensus ne naturaliter quidem validus erat. Quando autem clandestinitatis impedimentum non obstat, putativi conjuges ipsi, matrimonialem vitam post notitiam mortis prioris conjugis acceptam continuantes matrimonium revalidant consensu tacito. Si autem tempore, quo secundum matrimonium alter inire conabatur, mors jam obtinuerat, videri debet, num conjux superstes cum secunda comparte revera putaverint, se non teneri ad plenam certitudinem obitûs habendam, aut si sciverint quidem, se illicite agere, at voluerint saltem, quantum potuerunt, novum matrimonium contrahere. In utroque casu re ipsa matrimonium validum est. Si vero se matrimonium novum contrahere non posse sive uterque sive alteruter scivit, attamen hanc legem divinam parvipendens nihil curavit, concubinatu contentus, matrimonium nullum aut saltem dubium est, etsi postea in comperto sit, conjugem vere jam fuisse defunctum.

2. Quid de usu matrimonii, manente dubio ligaminis impedimento, censendum sit, v. infra de matrimonii usu legitimo n. 842 sqq.

§ 5.

Impedimentum impotentiae.

NB. Vix est, quod moneam, hanc materiam tractandam non esse nisi pura 743
intentione et mente saepius ad Deum elevata, ne, dum scientiam sibi necessariam comparare studeant, animae periculum incurrant.

Praevie notanda:

1. Impotentia distinguitur 1) *antecedens* et *consequens,* prout matrimonii celebrationem antecedit aut post illam suboritur; 2) *perpetua* et *temporanea,* prout auferri nequit aut aetate arteve curabilis est; 3) *absoluta* et *respectiva,* prout aliquem ad quamlibet copulam consummatam seu ex sese ad generandum aptam inhabilem reddit, aut solummodo usum matrimonii inter duas certas personas impossibilem facit; 4) addunt distinctionem minoris momenti, prout *ex diversis causis oritur:* maleficio, morbo, frigiditate vel naturali defectu, disproportione viri et feminae.

2. Ab impotentia presse sumpta, ut impedimentum constituit, distinguitur mera sterilitas — quamquam hae non raro confunduntur seu promiscue eadem voce vocantur. Sterilitas enim, ut distinguitur ab impotentia, supponit possibilitatem copulae ex se ad generationem aptae perficiendae; at proles non generatur, quia sive ex parte virilis seminis, sive ex parte mulieris aliquid obstat, quominus semen virile ovum maternum contingat atque fecundet.

I. Impotentia perpetua matrimonialem contractum antecedens reddit matrimonium nullum, sive absoluta sive relativa est.

II. Temporanea impotentia nulla, nec perpetua subsequens matrimonium facit invalidum; reddit tamen usum cum aliqua limitatione illicitum.

III. In dubio de impotentia conceditur triennalis experientia, nisi forte antea plane certo de impotentia constiterit. Postea judicis sententiâ separatio et declaratio nullitatis matrimonii facienda est.

IV. Etiam in solo dubio de impotentia matrimonium inire non licet, comparte non monita, nisi forte agatur de temporanea impotentia brevi omnino cessatura.

V. Quando confessarius in confessione cognoverit, conjuges impotentia laborare, in bona fide tamen eos versari, caute agere debet, atque saepe expedit, eos in bona fide relinquere: secus vero eos instruere et ad Ordinarium dirigere debet. Qui raro quidem permittere potest, ut separatione solius tori facta tamquam frater et soror vivere simul pergant.

744 **Explicatio.** Ad I. nota: 1. Absoluta impotentia perpetua facilius detegitur in viro quam in femina. In viro igitur est, 1) si utroque testiculo caret seu perfecte eunuchus est, sive ab hominibus factus, sive defectu naturae sic natus. 2) Si testiculi officio suo fungi nullatenus possunt, aut si quacunque membri deformatione ad actum generationi servientem substantialiter perfectum vir ineptus est.

NB. Utrum propter testiculos latentes omnis generandi facultas desit, medicorum est in particulari casu discernere. — Idem dic, ut discernatur, num propter genitalium deformationem spes generandi nulla sit.

2. Apud mulieres impotentia absoluta est, si vagina plane occlusa exsistit, ita ut copula a viro nullatenus exerceri possit. Et *ex mea opinione* pro absoluta impotentia habuissem non solum modo dictam totalem vaginae occlusionem, quae impediat, quominus semen possit *recipi*, sed a) eam etiam, quae illud *permeare* non sinat, dein b) carentiam utriusque ovarii[1], c) carentiam uteri. Sed S. Inquisitio videtur hos defectus, saltem sub b) et c) notatos, pro sola sterilitate habere: proin causae non sunt, cur fideles inquietentur. Re vera S. Officium in ejusmodi causa die 3. Febr. 1887 judicavit ita: **Q.** *„Num mulier, per utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta, ad matrimonium ineundum permitti valeat ac liceat, necne.“* **R.** *„Re mature diuque perpensa, matrimonium mulieris, de quo in casu, non esse impediendum.“* Idem de excisis ovariis *et utero* decrevit d. 30. Julii 1890. Cf. Acta S. Sedis XXVII, 128. Verum propter vaginam detortam, quae copulam *plene* perficere non permittebat, matrimonium declaratum compluries est *invalidum: Anal. eccl.* VIII, 241 sqq. Neque desunt docti viri, qui sub ipsis oculis R. Pontificis et S. Officii defectus omnes modo dictos impotentiam constituere publice docent.

3. Veteres quidem auctores absolutam impotentiam statuunt vel ex suis principiis statuere debent: 1) si mulieris vagina ita arcta sit, ut a nullo viro penetrari possit; 2) si mulier seminare seu quasi-seminare nequeat. Verum, ut ab hoc incipiam, solus defectus quasi-seminationis secundum physiologos potestatem concipiendi non tollit: at indicium esse *potest*, quo defectus modo sub n. 2 notati se prodant. De altero autem

[1] Refertur tamen accidere posse, ut ab ipsis medicis putetur quidem utrumque ovarium esse excisum, at nihilominus aliquod ejus vestigium restet, quod sufficiat ad prolem concipiendam.

defectu nimiae arctitudinis quid dici debeat, discatur ex modo dicendis de impotentia relativa.

4. Impotentia igitur relativa consistit aut in improportione viri et mu- 745
lieris, aut in aversione naturali tali, ut vir erga mulierem nunquam excitetur. Disproportio, quae perfectam copulam impossibilem facit, num revera pro impotentia haberi debeat, judici ecclesiastico relinqui debet. Conceptionem enim *posse* fieri sine vasis muliebris plena perforatione per seminis attractionem, physiologia et medica hodie docent: verum completa voluptas a muliere ex congressu capi non potest.

Si sumis, disproportionem revera impotentiae impedimentum statuere, alia quaestio sane difficilis oritur, num idem dici debeat, si haec arctitudo possit auferri. Cum S. Alphonso lib. 6 n. 1096 dici debet, si mulier apta reddi nequit, nisi peccaminoso modo, aut cum gravi periculo vitae, impotentiam censeri pro incurabili seu perpetua. Ita ex jure can. c. 6 X 4, 15; alias, si mulier apta reddi possit per incisionem vel operationem non periculosam, nam eo casu matrimonium censetur secundum plerosque *validum.* Verum si quaerunt, num igitur mulier *teneatur* operationem illam non periculosam pati, inter se dissentiunt; S. Alph. ib. n. 1099 obligationem quidem statuit, si de solo gravi aliquo dolore agatur, verum si per *virum* tantum medicum cura haberi possit, solum pudorem obstare quominus imponatur *obligatio.*

Sed fac, mulierem operationem medicam subiisse et aptam evasisse: valetne matrimonium? R. 1. Si operatio illa fuit vere periculosa, non convaluit matrimonium, sed necessaria est consensus renovatio (S. Alph. n. 1096), idque in forma Tridentina, si de nullitate matrimonii publice constiterit; privatim inter virum et mulierem, si res occulta mansit. — R. 2. Si indubie levis erat operatio, matrimonium fuit et manet validum. — R. 3. Si (id quod non raro locum habere potest) dubium est, utrum adfuerit periculum, necne: saltem ad cautelam privata fiat consensus renovatio. Quae quidem fieri potest eo ipso, quod vir et mulier de matrimonii valore eo usque dubio edocti in vita conjugali pergunt. At si de hoc dubio valore non edocti, ita faciunt, non omnis dubitatio de matrimonii revalidatione aufertur.

5. Si impotentia relativa ex aversione oritur, videndum est, utrum tractu temporis auferatur necne: quare attende ad sequentes notas:

Ad II. et III. 1. Si conjuges potentes erant, quidquid supervenerit: 746
matrimonium non solvitur; sed si matrimonialis actûs perficiendi spes nulla amplius erit, abstinere debent ab iis actibus, qui alterutrum periculo pollutionis exponunt: quod tunc utique multo rigidius sumatur oportet, quam fieri deberet, si facultatem periculi per copulam praeveniendi haberent. Alia autem, quae mutuo inter se exercent ex rationabili causa, illicita non sunt[1].

2. Si vero ab initio dubium est, utrum impotentia perpetua sit, an temporanea: *quamdiu aliquod dubium manet,* experientia per triennium conceditur, etsi semen extra vas effunditur, modo tamen *spes aliqua* perficiendae copulae remaneat: v. S. Alph. n. 1096 et 1103; si igitur triennalis experientia et remediorum usus nihil profuit, separatio seu nullitatis declaratio

[1] Attamen aliquem casum scriptores statuunt, in quo liceat, impotentia subsequente non obstante, copulam habere, quem vide postea hîc sect. IV. cap. I. a. 1 § 1 n. 835.

facienda est. S. Alph. haec applicat: 1) ad impotentiam ex maleficio, quod exorcismis, orationibus, mediis licitis per triennium auferri non potuit; 2) ad impotentiam ex relativa frigiditate seu aversione; 3) ad impotentiam ex nimia excitatione, seu potius debilitate, qua fiat, ut vir semper semen effundat, antequam ad copulam perventum sit (quod tamen arte medica videtur curari posse, ita ut haec ratio vix inducere nullitatis declarationem possit); 4) ad defectum arctitudinis, quae continuato usu fortasse auferatur — nisi forte medica arte antea curari potuerit vel debuerit.

Verum quomodo in casu triennalis experientiae frustra factae probatio veritatis fieri debeat, S. Alph. n. 1103 aliquantum, fusius Bangen *de matrim.* exponit: quibus supersedere eo magis possumus, quod ad forum externum ea spectant.

3. Quando autem *certa* evasit impotentia, separatio — modo de impotentia antecedenti et perpetua agatur — illico et privata auctoritate fieri potest, imo, si periculum peccandi adest, fieri debet. Propter periculum scandali autem communiter novum matrimonium inire nequeunt ante judicis ecclesiastici sententiam: quodsi scandalum cessat, haec obligatio in conscientia non ita urgenda est. Ita S. Alph. n. 1101.

Ad IV. 1. S. Alph. n. 1102 ita rem declarat: Qui de sua impotentia dubitat, matrimonium inire nequit, antequam de re diligenter investigavit atque dubium saltem probabiliter deposuit. (Verum si judicio medicorum spes probabilis potentiae est, licet, *monita comparte*, sub conditione matrimonium inire et experimentum facere secundum prius dicta ad III. n. 2 et 3.)

2. Qui aliter agat, graviter peccet ex injuria comparti illata: nihilominus, perstante dubio, a facultate triennalis experientiae non excluditur.

747 Ad V. Circa causam, cur, occurrente impotentia, putativi conjuges in bona fide relinqui possint, cur non, haec noto: 1. Aliquando ex separatione, quae post cognitam nullitatem matrimonii fieri plerumque debet, timeri possunt gravissima incommoda atque publica dicteria. Quae si putativi conjuges ita timere videantur, ut vix ad separationem et ad causam coram judice agendam induci queant: quando in bona fide versari deprehenduntur, melius erit in bona fide eos sic relinquere, quam causam malae fidei afferre nec tamen quidquam perficere.

2. Verum quoniam bona fides hac in re non adeo facilis est, ut semper pro ea sit praesumptio, notandum est, quid sit positivi juris. Olim (c. 5 *de frig. et malefic.*) hisce contrahentibus permittebatur, ut possent simul cohabitare tamquam frater et soror. At ex hodierna Ecclesiae disciplina id per se non permittitur, nisi contrahentes senes sint, licet ipsi non institerint pro declaratione nullitatis matrimonii, et Sixt. V. (lit. ad legatum Hisp., cf. Scav. t. III. n. 890) praecepit, ne tales simul cohabitarent. Permittitur tamen, si occasio peccati remota est et lex civilis separationi obstat.

3. Facilius igitur bona fides eo sensu in ejusmodi contrahentibus reperiri potest, ut putent sibi licere vitam agere ut fratri et sorori: quodsi in tali convivendi ratione periculum formalis peccati grave non subeant, confessarii prudentis est prospicere, utrum poenitentes ulterius urgere debeat necne, modo ne ex hoc ipso consortio publicum scandalum oriatur, si videlicet rumor impedimenti exsistentis adsit et suspicio vitae incontinentis. Ceterum si rumor publicus aderit, res non a solo confes-

sario in interno foro, sed a parocho in foro externo tractanda et per Ordinarium componenda erit.

B. Impedimenta juris publici.

§ 6.

Impedimentum aetatis.

Quamquam illa aetas, quae perfectum usum rationis excludit, ex jure 748
naturali et propter necessariam protectionem privati juris impedit, quominus matrimonium validum fieri possit: tamen ea aetas, quae ab Ecclesia re ipsa requiritur, ut positivae legis est, et propter bonum commune atque publicum non minus, quam propter privatum contrahentium bonum constituta est. Quare merito hoc impedimentum impedimentis juris publici adnumeratur.

I. Ex decret. l. 4 tit. 2 capp. 6. 10. 14 *impuberes* sunt matrimonii incapaces, nisi ex gravi atque publica causa dispensationem obtinuerint.

Pubertas autem sumitur secundum aetatem, i. e. mares quatuordecim, feminae duodecim annorum esse debent. Excipitur in favorem matrimonii „nisi malitia supplet aetatem“, i. e. nisi jam antea ad generandum apti exsistant: quod prudentium judicio relinquitur. Verum etiamtum illicitum est, ante legitimam aetatem matrimonium contrahere sine licentia Ecclesiae, quam ne Episcopus sine urgentissima causa concedat, jure canonico cavetur. Quare extra urgentem causam S. Pontifex adeundus est. V. Mazzotta cap. 12 § 1, Mansella cap. II. art. I.

II. Post annos autem legitimos, etsi ad generandum nondum sunt apti, matrimonii contrahendi incapaces non sunt, modo impotentia sit temporanea. Exspectandum est pro maribus usque ad annum decimum octavum, pro feminis usque ad decimum quartum, imo in regionibus septentrionalibus etiam pro feminis diutius, ut de impotentia discernatur, siquidem ante illam aetatem natura completa nondum est. Verum antequam proxima potentia exsistat, rarissime *licebit* matrimonium contrahere [1].

[1] Aetas illa ab Ecclesia statuta ubique valoris quidem matrimonii norma est, at non ubique norma licite et convenienter matrimonium contrahendi. Ecclesia enim debuit regiones etiam meridionales respicere, ubi natura maturius completur: in frigidioribus autem regionibus sane non expedit, imo vix licebit ad nuptias transire, quum primum canonica aetas adfuerit. Raro videtur ibi convenire, ut puella ante decimum octavum aetatis annum, juvenis ante vigesimum matrimonium ineat; saepe etiam ulterius exspectandum erit, ne ante aetatem robustiorem vires debilitentur. Ex altera autem parte pro integritate morum sane optandum est, ne tempus ineundi matrimonii nimis differatur: judicium Ecclesiae ex hoc solo jam habes, quod annos 24 in puella pro „aetate superadulta“ sumat atque pro causa dispensationem ab impedimento cognationis concedendi. Similiter in adolescentibus aetatem notabiliter majorem, vel etiam trigesimum annum usque exspectare, mos est nullatenus laudandus.

III. Propter *senilem aetatem* tum tantum inhabilitas adest, si ne post opem quidem medicam copula et seminis effusio haberi potest. Sola seminis sterilitas non est ratio, cur senes matrimonii incapaces habeantur. Quod ex praxi Ecclesiae satis colligitur, quae semper consuevit senum cujuscunque aetatis matrimoniis benedicere, etsi spes generandi prolem jam evanuit: cf. Gasparri n. 512.

§ 7.

Impedimentum voti et ordinis.

749 I. Votum, quod constituat dirimens impedimentum, intelligitur *votum solemne,* sive in ordine religioso amplectendo, sive in suscipiendis sacris ordinibus emissum: utrumque pro uno impedimento sumitur.

Habetur tum ex antiquis constitutionibus, tum ex Trid. sess. 24 can. 9: „Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto . . ., anathema sit.“

II. Constitutio Greg. XIII. 25. Maji 1584 *„Ascendente Domino“* etiam vota simplicia, quae in Societate Jesu post biennium novitiatûs emitterentur, constituit impedimentum matrimonii dirimens. „Quinimo eos omnes ad contrahendum (matrimonium) inhabiles, ac contractus hujusmodi nullos et irritos esse, prout irritos facimus et annullamus.“

750 **Explicatio.** Nota ad I. 1. Utrumque, sive voti sive sacri ordinis, impedimentum voti solemnis vocari posse, facile colliges ex iis, quae de obligatione coelibatûs ejusque fonte dicta sunt supra n. 619.

2. Impedimentum vero hoc in utroque casu legis ecclesiasticae, non divinae esse, certum est. Nam ex plurium Pontificum constitutionibus tota *votorum solemnitas* ecclesiastici est instituti. — Quod etiam praxis RR. Pontificum confirmat. Aliquoties enim ex gravissima causa, ut in perturbatione Galliarum, dispensatio facta est, ut sacerdotum matrimonia, quae sacrilege contraxerant, sanarentur. Nec desunt, quibus post votum solemne religionis R. Pontificis dispensatione matrimonium inire permissum sit — soluto antea ex gravissima causa voto illo solemni, siquidem secus matrimonium semper mansisset saltem illicitum.

Ad II. 1. Quum post constitutionem Pii IX. etiam in aliis religiosis ordinibus post novitiatum vota simplicia tantum emittantur, in quibus ante solemnem professionem saltem per triennium persistendum est: peculiaris tamen illa constitutio pro Societate Jesu data ad aliorum ordinum vota simplicia extendi non potest. Quare *haec* vota impedimentum matrimonii impediens, non dirimens constituere, certum est.

2. Quod idem dici debet de votis quarumcunque religiosarum congregationum, quae solemnia non sunt. At qui in ordine vel congregatione religiosa vota emittit, non solum Deo promittit, sed seipsum intuitu divini cultûs religiosae illi communitati seu instituto tradit. Quare religiosa communitas, non obstante matrimonio sacrilege fortasse contracto, jus in eum

ejusque labores retinet, atque per se loquendo eum reclamare ejusque a conjuge separationem postulare potest. Solummodo per accidens propter alia officia exorta, potissimum si alter conjux innocens est, jus religiosae congregationis suspendi plerumque vel exstingui debet. Si enim mulier, votis sacrilege violatis, mater numerosae prolis facta est, aut vir paterfamilias evasit: sane jus naturae strictissimas obligationes educandae prolis similesque imponit, quae in tali casu jura ordinis sive congregationis religiosae vincere debent.

§ 8.

Impedimentum disparitatis cultûs.

I. Disparitas cultûs alia est inter baptizatos, alia inter baptizatos 751
ex una et non-baptizatos ex altera parte. Prior (v. supra n. 715) efficit matrimonium, quod communiter „*mixtum*“ dicitur, et constituit impedimentum impediens tantum, altera vero dirimens.

II. Hoc impedimentum ortum duxit ex consuetudine seu lege non scripta. Quare occasione fidei nuper in terras infidelium, imperium Sinense et Japoniam, invectae gravis quaestio oriebatur, num ibidem ejusmodi impedimentum vigeret. SS. Pontifices satius duxerunt, *universali* consuetudine semel constituta, eadem lege omnes fideles ubique ligatos declarare, at pro certis circumstantiis aliquando dispensationem a tali impedimento concedere (Ben. XIV. in Const. „*Singulari Nobis*“ 9. Febr. 1749, § 19). Cf. Perrone *de matr.* lib. 2 sect. 1 cap. 7 art. 2.

Esse igitur hoc impedimentum qua dirimens solius juris ecclesiastici, nemo in dubium vocare potest. Atque id ipsum non tantum Pontificiae constitutiones et dispensationes modo allatae, sed etiam praxis priorum saeculorum aperte ostendunt, ut matrimonium S. Monicae cum Patricio, viro tum adhuc ethnico, et similia.

Sed spectato periculo, quod cum illis matrimoniis non raro conjunctum est, nisi impossibilitas inveniendi compartem fidelem adest, Ecclesia minime lubens dispensat, sed potius in impedimento consanguinitatis vel affinitatis legem suam relaxat.

III. Circa impedimentum mixtae religionis seu cultûs disparitatis, 752
utrum re ipsa dirimens sit, an secus, quando de baptismo partis acatholicae non constat, haec notanda sunt.

S. Officii Congr. 17. Nov. 1830 et 20. Julii 1840 haec statuit:

„1. Quoad haereticos, quorum Ritualia praescribunt collationem baptismi, absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis.

„2. Quoad alios, qui juxta sua Ritualia baptizant valide, validum censendum est baptisma [sc. quoad matrimonii valorem: quod non impedit, quominus pro circumstantiis, si de conversione sic baptizati agatur, ad cautelam sub conditione baptismus iteretur]. Quodsi dubium persistat etiam in primo casu, censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii.

„3. Si autem certo cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium.“

Hinc sequitur: In casu dubii, quod inquisitione facta manet circa baptismi valorem, saltem esse praesumptionem juris pro ejus valore, quatenus matrimonii valor in quaestionem venit, ita ut neque ante matrimonium im-

pedimentum dirimens disparitatis cultûs adesse censeatur, et post matrimonium contractum omnia agenda sint sicut in matrimonio certe valido.

Imo in casu dubii juris insolubilis circa baptismum, i. e. si de facto quidem baptizandi constat, modus vero, quo collatus sit, dubie validus judicari debeat, pro valore matrimonii videtur *praesumptio juris et de jure* exsistere ita, ut in foro externo ejusmodi matrimonii impugnatio plane excludatur: ita saltem puto, quando cum Ecclesiae dispensatione circa matrimonium mixtum tamquam inter baptizatos matrimonium fuerit initum; a fortiori, quando exoritur dubium de valore baptismi alterutrius conjugum catholicorum. — Verum estne ejusmodi matrimonium *re ipsa* certe validum? Puto plane id dicendum esse. Nimirum vel dici potest, Ecclesiam lege illa matrimonii dirimente quoad disparitatem cultûs non comprehendere casum baptismi insolubiliter dubii; vel, si dispenset in tali casu ab impedimento, eam implicite et tacite etiam dispensare ab impedimento fortasse dirimente. Quae etiam videtur sententia esse Ballerini (cf. Ball.-Palm. Opus theol. mor. tract. III. n. 163) dicentis: „Dum Ecclesia exigit, ne conversus separet se a conjuge, eo ipso sua auctoritate *supplet defectum.*“ Cf. etiam Gasparri n. 598.

Sed quid in dubio baptismi non natura sua insolubili quidem, sed re tantum non soluto, quod visum sit, non expedire, ut accuratius inquireretur? In hoc quoque casu: si sponsi ab Ecclesia ad matrimonium admissi fuerint, matrimonium vel *est* vel praesumptione *juris et de jure praesumitur validum*, i. e. non ex defectu baptismi invalidum. Si Ecclesia nullatenus intervenerit, *praesumitur quidem* etiam jure validum, sed revalidandum videtur, si quando postea *certo* constiterit de nullitate baptismi alterutrius conjugis. Ita concludo ex duobus responsis S^{i} Officii, quod 1) d. 5. Febr. 1851 matrimonia eorum, qui in Hollandia convertantur ad catholicam fidem, valida esse dixit, nisi forte certe et evidenter constet in casu particulari de baptismi nullitate; verum in ejusmodi casibus particularibus recurrendum esse ad S. Sedem cum expositione omnium circumstantiarum. (Cf. Feije *de imped.* etc. n. 460. 464. 467 et *Collectan. Mission.* n. 243); 2) d. 9. Sept. 1868 „proposito dubio, utrum, si dubium de valore baptismi remaneat, et non visum sit opportunum solvere dubium de his, qui sic dubie baptizati sunt, in rebus quae ad matrimonium spectant, habendi sint, ac si vere et valide baptizati fuerint“, *respondit:* „Censendum esse validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii“.

753 IV. Alia causa, cur matrimonia acatholicorum, aut matrimonia mixta aliquando nulla evadere possint, est defectus veri matrimonialis consensûs ex parte acatholica. Qui defectus oriri potest ex falsa persuasione matrimonii dissolubilitatis. Nam qui in hac persuasione exsistit quidem, sed ea non ita utitur, ut sibi quasi jus quoddam pro libitu recedendi servare praevalente intentione velit, valide init matrimonium, quod praevalente voluntate ita vult, ut est ex parte rei; at si expresse aut praevalente voluntate perpetuitatem ejusve obligationem excludit, verum matrimonium neque vult, neque contrahit. Cf. quae notat Denzinger *enchir.* n. 1485.

§ 9.

Cognatio.

754 Triplex cognatio impedimentum dirimens constituit: 1) naturalis, quae consanguinitas dicitur, 2) spiritualis, 3) legalis seu adoptiva.

Punctum I.

Cognatio naturalis seu consanguinitas.

Praevie notanda: 1. Consanguinitas est vinculum ejusdem sanguinis seu relatio illa moralis, quae in origine carnali fundatur. Ut autem accuratius haec mutua relatio diversorum hominum describatur, consanguinitas distinguitur secundum diversam *lineam* et secundum diversos *gradus.*

2. Linea una vocatur *recta,* transversalis sive *lateralis* altera. Recta linea est inter eos, quorum unus ab altero ipsa generatione carnali ortus est. Qui genuerunt, cum generatis in linea *descendenti* cognati sunt, generati cum genitoribus seu progenitoribus in linea *ascendenti.*

Linea transversalis seu lateralis est inter eos, qui omnes a communi aliquo stipite descendunt.

3. Gradus consanguinitatis in jure canonico vigente sive in linea recta, sive in laterali secundum numerum generationum computantur, quae intercesserunt, donec a communi stipite ad eos, de quorum cognatione quaeritur, aut ordine inverso, veniatur. Qui ergo una generatione inter se aut a communi stirpe distant, *primo gradu,* qui duabus generationibus a communi origine distant, *secundo gradu,* et sic porro consanguinei sunt; seu: numera personas, una dempta, et habebis gradum.

At quum in cognatione laterali duo cognati non aequali, sed inaequali numero generationum ab eodem progenitore distare possint, in inaequali distantia gradus secundum remotiorem quidem descensum sumitur, sed notato etiam propiore. V. g. Titus a progenitore Andrea quatuor generationibus distat, Titia ab eodem Andrea duabus generationibus: Titus cum Titia consanguineus dicitur in *quarto* gradu *attingente secundum.*

NB. 1. In civili computatione, uti nunc observatur, consanguinitas collateralis alio modo assignatur; numerantur enim generationes ex utraque parte. Quare gradus canonicus aequalis duplicatur; si inaequalis est, gradus propinquior ad remotiorem additur. Sic patruus cum nepote suo secundum computum canonicum dicitur consanguineus in secundo gradu attingente primum, secundum civilem computum in *tertio* gradu.

NB. 2. Consanguinitas eodem modo numeratur, sive descensus communis est per ambos parentes eosdem, sive per descensum ex eodem patre tantum aut ex eadem tantum matre.

Si vero ipsi progenitores inter se jam cognati erant, *multiplex* consanguinitas inter certas personas adesse potest. Fieri potest variis modis, ut multiplex inter duos (sume Julium et Annam) sit consanguinitas, videlicet 1) ita ut ortus Julii et Annae *ad plures stipites communes* ducat, aut 2) ita ut duplici vel *multiplici modo a communi stipite* descendant, aut 3) ita ut *utrumque* locum habeat. *Primum* obtinet: a) quando Julii et Annae progenitores proxime communes inter se erant cognati (v. g. communis Julii et Annae avi uxor ipsius neptis erat: in quo casu Julius et Anna consanguinei sunt tum in secundo gradu, tum in quarto attingente tertium); b) quando inter progenitores Julii et Annae occurrant matrimonia, quibus singuli consanguinei singulas consanguineas duxerunt (v. g. avus Julii et avus Annae erant fratres, qui duas sorores duxerunt in matrimonium: quo in casu habes duos stipites communes pro Julio et Anna, *bis* cognati sunt in tertio gradu); c) quando mutua Julii et Annae cognatio ex matrimonio leviratus ortum ducit, seu ex conjunctione progenitoris cum pluribus personis inter se consanguineis (v. g. avus Julii, defuncta uxore, hujus duxit sororem, Julius ex priore, Anna ex posteriore matri-

monio descendit: quo in casu consanguinei sunt tum in secundo, tum in tertio gradu). — *Secundum* obtinet, i. e. descensus ex communi stipite multiplici modo, a) quando apud progenitores Julii vel Annae, antequam ad communem stipitem pervenias, jam occurrat matrimonium consanguineorum; b) quando habes secundas nuptias viduae cum viduo, quorum filius et filia priorum matrimoniorum nuptias inierunt et v. g. filiam suam suo ex secundis parentum nuptiis communi fratri nuptui tradere volunt. — Ex quibus intelligitur, quomodo *tertium* seu primum *et* secundum locum habere posse (v. g. si in casu ultimo vidua illa cum viduo jam erat consanguinea).

Gradus Consanguinitatis.



NB. Quando ergo quaeritur de duorum sponsorum, sume Julium et Annam, mutua cognatione, num exsistat et in quo gradu: videndum est, num habeant Julius et Anna communes progenitores, et quota generatione ipsi ab illis communibus progenitoribus sive a communi proparente distent; sic habebis gradum cognationis.

Fac, sciri e. g., avum Julii et matrem Annae fuisse consobrinos. Ut communes progenitores habeas, ascendere debes duabus generationibus: dein, ut pervenias ad Julium, insuper debes descendere per duas generationes, ut ad Annam, per unam tantum. Hinc habes quoad mutuam cognationem Julii et Annae ex una parte 4, ex altera 3 generationes, quae intercedant, ideoque cognationem in *quarto* gradu attingente *tertium.*

Principia. I. Consanguinitas in linea recta indefinite constituit 755
impedimentum dirimens. Vide Nicol. I. *ad Bulgar.* c. 37.

II. Consanguinitas in linea laterali usque ad quartum gradum inclusive matrimonium dirimit. Decretal. l. 2 tit. 14 c. 8 ex Later. Conc. sub Innoc. III. „ . . . Prohibitio quoque copulae conjugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum de cetero non excedat . . .“

III. Consanguinitas in primo gradu lineae rectae certo ex ipso jure naturali matrimonium dirimit, probabilius etiam in reliquis gradibus; probabiliter idem etiam dicendum est quoad primum gradum lineae lateralis seu inter fratres et sorores, minime autem certo.

IV. In reliquis gradibus certo dirimit consanguinitas sola lege positivâ ecclesiasticâ, ita ut in hisce gradibus dispensatio concedi *possit.*

Explicatio. Ad II. Ecclesia non semper eandem legem tenuit circa 756
diversos consanguinitatis gradus: ante Lateran. Concil. supra notatum prohibitio invaluerat usque ad sextum et septimum gradum. Nimirum saeculo sexto exsistebat Ecclesiae prohibitio quoad cognatos usque ad sextum et septimum gradum civilis computationis; brevi autem post jam Gregorius M. gradus prohibitos non more Romano civili computat, sed more Germano, quo generationes a communi stirpe sumebantur non ex *utraque* parte, sed ex *una parte tantum:* quo factum est, ut usque ad septimum gradum hujus computi prohibitio extenderetur, qui nunc vocatur canonicus.

Ad III. 1. Ex jure naturali matrimonium subsistere nequit, si talis conjunctio reverentiae naturaliter debitae repugnat, aut si possibilitas ineundi matrimonium ex natura sua periculum inevitabile corrumpendi bonos mores induceret. Verum prima ratio certo valet pro filiis relate ad parentes, imo videtur valere relate ad omnes progenitores; secunda ratio non pro iis tantum, sed etiam pro fratribus et sororibus videtur aliquatenus valere. Communis enim convictus et cohabitatio inter fratres et sorores, quam naturae ordo communiter postulat, proximum periculum et occasionem peccandi contra bonos mores facilius inducit, si inter eos matrimonii ineundi cogitatio concipi potest. Insuper etiam prima ratio reverentiae et pietatis ex parentibus in fratres redundans aliquatenus matrimonio obstat. Quae rationes utique non tantae sunt, ut in exordiis generis humani necessitas propagationis eas vincere non debuerit: sed necessitate illa cessante, natura ipsa illas conjunctiones videtur aut reprobare, aut saltem minus probare, abhorrere.

2. Quum consanguinitas inter fratres et sorores, etsi ex eodem patre aut ex eadem matre tantum sint, probabiliter jure divino et naturali matrimonium dirimat, Ecclesia non dispensat, neque potest dispensare; imo si de impedimento ex crimine orto relaxando agitur, semper excluditur ille casus, qui relinquat dubium, an sponsi in primo gradu consanguinei sint. Cf. etiam Heiss § 37 V.

3. Si vero infideles ad fidem convertuntur, et in reliquis gradibus cognati matrimonium contraxerunt: sine dubio in matrimonio suo relinquuntur, nec dispensatione indigent. At si forte frater et soror conjugalem vitam agant, nunquam eam post fidem susceptam produci permittitur, sed novi matrimonii ineundi licentia datur.

At ecce difficultas! Quum enim supra dictum sit, matrimonium inter fratres et sorores esse tantum *probabiliter* lege naturali invalidum, non certo fuit invalidum, atque ita cum dubio impedimento ligaminis novum matrimonium videtur concedi: quod absonum est. Quare nisi censeamus, ejusmodi matrimonia lege naturali (aut lege civili) certo esse nulla, cogamur dicere: Summus Pontifex suprema sua potestate per generalem legem ipso momento, quo conjuges illi dubii ad fidem convertuntur, eorum matrimonium dubium hypothetice solvit, ut sine ullo scrupulo, utpote *certo* liberi effecti, novum matrimonium inire possint. Haec sola via est praxim ecclesiasticam commode explicandi, et quoniam recursus ad legem naturalem aut ad legem civilem fortasse exsistentem dubitationem omnem minime aufert[1], ista ipsa praxis ecclesiastica argumentum esse potest, quo demonstretur potestas Romani Pontificis matrimonium infidelium, antequam post eorum conversionem ratum atque consummatum fuerit, dissolvendi.

Punctum II.

Cognatio spiritualis.

757 Spiritualis cognatio est, quae oritur ex sacramentis collatis; at ex sola baptismi et confirmationis collatione. Eamque olim late patuisse constat ex diversis locis juris canonici. V. Decretal. l. 2 tit. 11. Sed Tridentina Synodus eam arctioribus limitibus conclusit.

Sess. 24 *de ref. matr.* cap. 2 haec habentur: „ . . . unus tantum sive vir sive mulier, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum baptizatique patrem et matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur . . . Ea quoque cognatio, quae ex confirmatione contrahatur, confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egrediatur; omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.“

I. Impedimentum igitur cognationis spiritualis exsistit:

1. inter ministrum sacramenti et sacramenti subjectum;

2. inter ministrum sacramenti et parentes ejus, qui sacramentum suscepit;

---

[1] Magnum numerum scriptorum ex utraque parte, sive qui defendunt nullitatem, sive qui defendunt valorem ejusmodi matrimonii vi ipsius legis naturalis, vide apud Schmalzgrueber l. IV. t. 14 n. 56—59: ubi etiam argumenta non contemnenda habes tum ex ratione tum ab exemplis sanctorum virorum petita, quibus persuadeatur, matrimonia inter fratrem et sororem non posse dici lege naturali plane invalida, atque etiam exempla invenis diversarum gentium, apud quas lege publica talia matrimonia probabantur. Cf. etiam hac de re Vering *Lehrbuch des katholischen etc. Kirchenrechts* ed. 3. § 238 n. I et VII (in ed. 1. est § 192). Insuper vide, quae notabo hîc ad § 10; Mansella cap. III. art. I.

3. inter patrinum vel patrinam et sacramenti subjectum;

4. inter patrinum et matrem baptizati vel confirmati, et inter matrinam et patrem baptizati vel confirmati.

Non exsistit: 1) inter ministrum et patrinos; nec 2) inter patrinum et matrinam.

II. Ut illud impedimentum exsistat, 1) debet uterque eorum, de 758
quibus agitur, esse baptizatus; 2) sacramenti collatio non debet esse mere dubia.

At praestat, conditiones pro impedimento necessarias fusius exponere.

Quae sunt sequentes: 1. Baptismus in omnibus requiritur aut susceptus, aut qui nunc suscipiatur; ita quidem ut, si alteruter eorum, qui pro spiritualiter cognatis enumerati sunt, baptizatus non sit, re vera non fiant mutuo cognati, neque a matrimonio post baptismum ineundo impediantur: vide Sanchez *de matrim.* lib. 9 d. 62 n. 6 et 7.

2. Requiritur pro patrinis, ut valide fuerint patrini. Igitur 1) ut habuerint animum gerendi munus patrini, 2) ut non sint extra numerum designatorum (si modo designati adsunt et munus patrini gerunt), 3) ut infantem vel per se vel per suum procuratorem aut in actu baptismi physice tetigerint (idque non solum momentanee summis digitis), aut statim postea ab ipso baptizante in manus receperint, vel eum immediate sacerdoti baptizandum praesentaverint. — Pro confirmatione in patrino eadem intentio atque similis actio requiritur, atque probabiliter etiam insuper, ut ipse confirmatus sit. S. Alph. l. 6 n. 186.

3. Ex baptismo conditionato tunc contrahitur cognatio spiritualis et impedimentum matrimonii, quando praesumptio est pro nullitate prioris baptismi et valore secundi; si autem potius praesumptio est pro valore prioris baptismi, quamquam non ea certitudo, quae conditionatam repetitionem prohibeat, impedimentum dirimens probabiliter non inducitur, i. e. practice tum non adest dirimens impedimentum. Ita S. Alph. l. 6 n. 151 et Sanchez l. c.

4. In baptismo privato etiam non a solo baptizante (id quod extra controversiam est), sed etiam a patrino impedimentum contrahi, a S. C. C. tenetur: neque tamen mos communis est, ut adhibeatur in baptismo privato patrinus. Quam S. C. C. sententiam, saltem ante factum i. e. matrimonium initum, pro norma habere suadeo. Quominus autem post factum matrimonium ista conditione affectum *pro certo invalido* habeam, prohibent me et S. Alphonsi aliorumque auctoritas et rationes, quae contra hanc sententiam possint afferri[1].

---

[1] Videlicet S. C. C. (v. Analecta J. Pont. ser. 8 col. 1707 sqq.) initio saeculi XVII. in causa particulari responderat, adesse impedimentum cognationis spiritualis; postea d. 29. Maji 1677, generali quaestione proposita, noluit certum quid affirmare; post discussionem quaestionis d. 5. Martii 1678 denuo respondit ad generalem quaestionem: „*Affirmative*". — Quod responsum, si legis Tridentinae declaratio mere comprehensiva fuerit, rem finivit; sed si fuerit declaratio extensiva, promulgatione indigebat: quae num facta sit, valde dubito; s. Alphonsus saltem eam sua aetate nescivit.

Unde alia oritur ratio et difficultas. Ecclesia nostro saeculo omnino permisit confessariis omnibus, ut sequi possint sententias S^i Alphonsi, rationibus non examinatis. S. Alphonsus autem tenet sententiam, quae negat, in baptismo privato patrinum contrahere impedimentum cognationis spiritualis. Non igitur videtur ipsa Ecclesia hanc quaestionem habuisse *pro decisa,* ut supra, ante tempora s. Alphonsi.

5. Quamquam Tridentina Synodus prohibuit, quominus plures quam duo munus patrini gererent: tamen fieri potest, ut valide plures patrini sint, atque ita etiam cognationem spiritualem contrahant, sc. 1) si plures designati sunt iique omnes vere munere patrini funguntur, 2) si, nullo designato, plures sponte se pro patrinis ingerunt, et alias essentiales conditiones adimplent.

6. Si prolis ipsius pater aut mater eam baptizat extra casum necessitatis, multi tenent, cognationem spiritualem inter patrem et matrem contrahi, quae, si ex malitia ita actum sit, baptizanti *in poenam* auferat jus petendi debitum conjugale. Attamen secundum S. Alph. „sententia satis probabilis negat, eamque tenent Suarez, Viva, Pontius etc.“, atque idem recentiora decreta juris canonici videntur prorsus supponere, quamquam antiquitus severior disciplina vigebat: cf. etiam Mansella cap. III. art. 1 n. 19.

Punctum III.

Cognatio legalis.

759 I. Hoc impedimentum, ex lege Romana civili desumptum, Ecclesia confirmante, vere evasit lex matrimonium dirimens. Inducitur per *adoptionem perfectam*, quae etiam arrogatio dicitur. V. Decretal. l. 4 tit. 12 ex Nicol. I. ad *consulta Bulgar.* „Si qua per adoptionem mihi soror esse coeperit, quamdiu durat adoptio, inter me et ipsam nuptiae consistere non possunt.“

Perfecta autem adoptio, quae sola dirimit matrimonium, et ab imperfecta distinguitur, has praecipue conditiones habet essentiales: 1) ut filius adoptivus in potestatem patris adoptivi transeat, desinatque esse plene sui juris, 2) ut non tantum sit haeres legitimus ab intestato, sed etiam *haeres necessarius.*

Quare ubi jura recentiora perfectam illam adoptionem ignorant seu essentialiter mutant, tale impedimentum evanuit. Si vero similes effectus, non essentialiter mutati, a lege civili adoptioni attribuuntur, pro impedimento standum est. Ceterum in dubio adeunda est S. Congregatio. Vide Gury-Ballerini II. n. 808 cum nota; *Instruct. matr. Austr.* § 28 et 29 Coll. Lac. V. col. 1290 exigit *solum transitum in potestatem adoptantis.*

760 II. Personae vero, inter quas impedimentum dirimens exsurgat, hae sunt:

1. Adoptans et adoptatus cum ejus descendentibus, qui, stante adoptione, sunt aut erant sub adoptati potestate — est cognatio ex quasi-consanguinitate in linea recta.

2. Adoptatus et uxor adoptantis, et vice versa uxor adoptati et adoptans — est cognatio ex quasi-affinitate primi gradûs in linea recta.

3. Adoptatus cum suis descendentibus (ut supra in 1) et filii adoptantis sub ejus potestate constituti — est cognatio ex quasi-consanguinitate in linea collaterali.

III. Discrimen autem inter personas, quae n. 1 et 2, et eas, quae n. 3 comprehenduntur, illud est, ut inter personas sub n. 1 et 2 sit impedimentum *perpetuum,* quod sola dispensatione auferri possit; inter personas n. 3 impedimentum *temporaneum,* videlicet tamdiu, quamdiu

durat subjectio tum filiorum naturalium tum filii adoptivi sub potestate adoptantis. Cf. S. Alph. l. 6 n. 1027, Sanchez *de matrim.* l. 7 d. 63 n. 23, Schmalzgrueber lib. 4 tit. 12 n. 26.

Sanchez haec habet: „contrahere possunt, si *utervis* emancipatur"; ergo si solvitur adoptio, aut si filii (vel filiae) naturales viri alterum adoptantis ex patris potestate dimittuntur. Quibus vero modis adoptio solvatur praeter mortem patris adoptivi, videri debet ex legibus cujusvis regionis.

§ 10.

Impedimentum affinitatis.

I. Affinitas est vinculum propinquitatis, quod exsistit inter eum, 761
qui carnali copula alicui junctus erat, et inter hujus compartis consanguineos; ergo radix cujuslibet affinitatis est copula carnalis sive licita in legitimo matrimonio, sive illicita extra matrimonium.

Gradus autem et linea desumuntur ex gradu et linea consanguinitatis, ad quam affinitas relationem dicit.

II. Affinitas constituit impedimentum dirimens, si ortum habet ex copula licita, usque ad quartum gradum inclusive: cf. Conc. Later. IV. in Decretal. l. 4. tit. 14 cap. 8 *„Non debet"* supra § 9 relatum; si ex copula illicita, usque ad secundum gradum inclusive tantum: ita Trid. l. c. cap. 4 „Praeterea sancta synodus eisdem et aliis gravissimis causis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo et secundo gradu conjunguntur, restringit; in ulterioribus vero gradibus statuit, hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere." [1]

III. Affinitas, quae post matrimonium initum oritur ex peccato viri cum consanguineis uxoris aut vice versa, matrimonium utique dirimere non potest, at si fuit cum consanguineis primi vel secundi gradûs, reo adimit jus *petendi* debitum conjugale, obligatione *reddendi* illud parti innocenti manente intacta.

Uberior explicatio. Ad I. nota. 1. Qui carnalem copulam nun- 762
quam habuit, eos solos habet affines, qui cum suis consanguineis carnali copula juncti fuerunt. — Qui vero ipse copulam carnalem habuit, *praeterea* pro affinibus habet consanguineos suae compartis.

---

[1] In lege Mosaica affinitas impedimentum matrimonii creavit in primo gradu tantum, et in quibusdam casibus secundi gradûs. Ecclesia autem paulatim hanc affinitatem extendit usque ad ipsius consanguinitatis limites; imo si quis secundas nuptias inierat, conjugem hujus secundi matrimonii secundi generis affinitate affinem faciebat consanguineis defuncti conjugis prioris, et sic porro ex tertiis nuptiis affinitas tertii generis oriebatur. — Verum haec omnia ad normam praesentem redacta sunt ab Innoc. III. in Later. Concilio et a Tridentino: imo major etiam reductio, ut notum est, est inter *Postulata* complurium PP. Vaticani Concilii.

2. Affinitas non parit affinitatem, ita ut duo consanguinei duas puellas, quae inter se consanguineae sint, ducere possint.

Ad II. 1. Ut affinitas oriatur, requiritur copula perfecta, de se ad generationem apta, qua fiant vero sensu „una caro", vel qua fiat „sanguinum commixtio", ut habetur ex Decr. Grat. caus. 27 q. 2 c. 18 „*Lex divinae*". Aderit igitur semper, si facta fuerit conceptio, utcunque aliquid defuisse dicatur in ipso actu conjunctionis viri et mulieris: nam revera facti sunt una caro, quum ex carne viri et mulieris proles concipiatur. At sive ex causis notis sive ex ignotis conceptio facta non est, aderit etiam tum affinitas, si copula ex parte viri completa fuit atque ex parte mulieris complementum spermationis accessit: sic enim haec sanguinum commixtio semper intellecta est, et quum tandem — maxime si aliud constituendae affinitatis momentum, sc. matrimonii rati, deest — tota ratio tum affinitatis tum ejus impedimenti ex ecclesiastica lege repetatur, huic communi, imo unanimi consensui in eruendo sensu legis plane standum est.

Imo haec copulae perfectio atque impedimentum affinitatis plane praesumitur, si constat de completo actu ex parte viri, i. e. si vir, perforato vase muliebri, semen emiserit, mulier receperit: atque ita etiam in foro conscientiae judicandum est, nisi forte de defectu ex parte mulieris certo constet. Quodsi de hoc constet neque re ipsa secuta sit conceptio, non pauci sunt, qui negent, affinitatem contrahi, inter quos S. Alph. l. 6 n. 1075, et aliquo modo videtur etiam S. Thomas *suppl.* q. 55 a. 4 ad 2 idem sentire. Cf. etiam Sanchez lib. 7 d. 64 n. 10, Mansella c. III. art. II. n. 5.

Si puer cum puella peccavit in aetate puerili, nota, quod Elbel (*de matr.* n. 255) et Gobat (tr. 9 n. 395) habent; scil. si alteruter est infra aetatem pubertatis, (quae est pro masculis circa annos quatuordecim, pro puellis circa annos duodecim), non praesumitur affinitas, quia non censentur apti, ita ut in dubio non censeantur impedimentum induxisse. Si vero *uterque* annos pubertatis attigit, affinitas praesumitur, si modo perfecta corporum conjunctio adfuerit: adeo ut probari debeat aliquis defectus in copula, ut radix affinitatis negari possit. Sanchez l. c. dicit: praesumitur seminis emissio, si adfuit vasis muliebris perforatio. — Verum in regionibus septentrionalibus non raro *probatio* pubertatis *nondum* secutae videtur afferri posse praecipue quoad puellam, vid. si fluxum menstruum multo post tandem prima vice passa fuerit.

2. Impedimentum dirimens ex matrimonio invalido exortum, quamquam ratione affinitatis fortasse dici debet solummodo usque ad secundum gradum extendi, practice tamen usque ad quartum gradum extenditur ratione publicae honestatis, de qua infra.

763 3. Quo jure affinitas matrimonium dirimat, non est extra controversiam, si de primo gradu lineae rectae quaeritur atque de ea affinitate agitur, quae ex legitimo matrimonio ortum ducit.

Insuper adverte: affinitatem, quae ex matrimonio, saltem putativo, oritur, *ab omnibus* haberi pro *vinculo naturali;* eam, quae ex copula aperte illicita est, ab aliquibus dici *ecclesiasticam tantum,* qua non afficiantur nonbaptizati, etsi postea baptismum susceperint (Lugo *resp. mor.* l. 1 d. 40 n. 29; Sanchez l. 7 d. 65 n. 9. 10 et d. 66 n. 3). Alii etiam hanc *naturalem* habent: ita S. Off. 26. Aug. 1891 et 14 Dec. 1898; cf. Anal. eccl. VII, 62.

Gradus Affinitatis.



NB. Ut igitur invenias v. g. Petri et Berthae affinitatem, institue computum consanguinitatis sive inter Petri conjugem vel compartem et Bertham, sive inter Petrum et Berthae compartem.

Porro id certum est, quamcunque affinitatem mere ecclesiasticam seu ex copula illicita exortam, etsi includas primum gradum lineae rectae, ex solo jure ecclesiastico *impedimentum dirimens* constituere; deest enim omnis ratio, cur lex naturalis dicatur tale impedimentum statuisse, insuper Summus Pontifex in hac re non raro dispensat, maxime post matrimonium specietenus contractum.

Item certum est, omnem naturalem affinitatem ex solo jure ecclesiastico dirimens impedimentum esse, si forte excipias primum gradum lineae rectae, i. e. conjunctionem inter novercam et privignum, vitricum et privignam, aut inter socerum et nurum, socrum et generum. Hunc enim gradum ex jure naturae impedimentum dirimens constituere, fortasse aliquod fundamentum habet ex I Cor. 5, 1. — Ceterum recole ea, quae dicta sunt de matrimonio inter fratrem et sororem; vide etiam Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 9 cap. 13 n. 4[1].

704 Ad III. Affinitas, quae privet conjugem jure petendi debitum, quum *poena* sit, eaque gravis et extraordinaria, supponit culpam gravem contra legem qua ecclesiasticam. Hinc huic poenae non subjacent:

1. Si copula habita est non voluntarie, sed coacte, ut si mulier vi oppressa est.

2. Si ex metu gravi aliqua persona ad peccatum adacta est; quamquam enim libera non est a peccato coram Deo, tamen aliqua excusatione digna est, neque censetur deliquisse contra legem *qua humanam.*

3. Si quis nesciens legem ecclesiasticam peccavit; qui etiamtum legis ecclesiasticae violatae poenas luere non debet.

4. Probabiliter ille etiam ab ista poena incurrenda excusatur, qui *solam poenam* ignorabat. Ita S. Alph. l. 6 n. 1074, ubi vocat id satis probabile, et auctoritate plus quam 12 scriptorum confirmat.

Ceterum requiritur peccatum ejusdem naturae, quod alias ad affinitatem efficiendam requiritur. Qui vero poenam illam incurrit, *jus*

---

[1] Plura hac de re congessit Lugo l. c., ubi habes multos scriptores allatos, qui negant, affinitatem etiam in primo gradu lineae rectae ex legitimo matrimonio ortam impedimentum dirimens juris naturalis constituere, ut: Alex. Hal., Cajet., Pigh., Ledesma, Vega, Sa, Henriquez, Sanchez, Rebell., G. Hurtado, Bonacina, Diana; at etiam complures pro contraria sententia, inter quos S. Thom., S. Antonin., Victoria, Catharin., Dom. et P. Soto, Navarr., Covarruv., Valent., Vasquez, Bellarm., Gregor. et Ludov. Lopez, Sylvius, Laym., Tanner etc. Sed id insuper ad favorem posteriori sententiae conciliandum accedit, quod afferuntur decreta in pluribus conciliis Limens. anno 1552, 1567, 1583 lata, et a Sixto V. et Paulo V. confirmata, quibus praecipitur prorsus, ejusmodi matrimonia inter tales affines in infidelitate contracta post baptismum, tamquam irrita, nullatenus esse sustinenda. In secunda synod. cap. 38 sic statuitur: „Ut qui in infidelitate contraxerat matrimonium cum sua noverca, vel cum sorore, vel cum aliqua in linea recta sibi conjuncta, ante baptismum separetur, quum naturali lege ejusmodi matrimonia reprobentur: si vero matrimonium contraxerat in gradibus solum Ecclesiae prohibitis, suscepto postea baptismo, ratificentur ejusmodi matrimonia."

Nihilominus haec auctoritas tanta non est, ut controversiam inter theologos plane solvere debeat. Cf. etiam Mansella l. c. n. 12.

matrimoniale seu copulam petere non potest, nisi dispensatione obtenta: v. S. Alph. l. 6 n. 930 et 1070 sqq.

Patet autem, ejusmodi privationem juris non incurri, si v. g. vir peccat cum *suis* consanguineis, quia per hoc affinitas cum uxore non inducitur.

§ 11.

Impedimentum publicae honestatis.

I. Publica honestas est impedimentum affinitati simile[1]. Loco 765 enim carnalis conjunctionis, quae radix affinitatis est, sume matrimonium nondum consummatum aut sponsalia valida, et habes pro affinitate publicam honestatem.

II. Publica honestas ex sponsalibus orta dirimit matrimonium in *primo* gradu tantum, seu cum sponsi resp. sponsae consanguineis in primo gradu, i. e. cum ejus matre, sororibus, filiabus, resp. cum sponsi patre, fratribus, filiis.

III. Publica honestas ex matrimonio non consummato orta nullam mutationem et restrictionem ex jure Trid. passa est; quapropter inducitur secundum jus antiquum Lateranense usque ad *quartum* gradum inclusive, idque etiam ex matrimonio invalido. Ita plane constat ex Constit. S. Pii V. *„Ad Romanum“* 1. Julii 1568.

Explicatio. Nota ad I. 1. Publica honestas certissime ex sola lege ecclesiastica matrimonium dirimit; quare a quolibet gradu dispensatio dari potest a S. Pontifice, si modo sponsalia valida non obstant, quominus licite detur.

2. Sive sponsalia sunt publica et solemnia, sive privata, si modo valida sunt, hoc quoad impedimentum publicae honestatis idem est.

Ad II. 1. Sponsalia conditionata *ante conditionem impletam* impedimentum honestatis non inducunt. Qui ergo antea cum sorore sponsae matrimonium init, peccare potest propter non exspectatam conditionis impletionem, at valide contrahit matrimonium; conditione verificata, probabiliter tum non oritur publica honestas, quia sponsalia priora censentur exstincta (cf. n. 669): quodsi contrariam opinionem praeferas, tamen illa publica honestas, quum contractum jam antea sit matrimonium, vix amplius attenditur, eo quod matrimonium validum dissolvere nequeat neque ejus usum impediat.

2. Sponsalia, quum primum valida fuerint, etsi postea juste solvuntur, impedimentum publicae honestatis efficiunt; quare ab ecclesia-

[1] Impedimentum hoc, quod etiam quasi-affinitas vocatur, in jure Romano civili vigebat intra primum gradum: quod Ecclesia videtur recepisse atque ita suum impedimentum dirimens fecisse: at paulatim illud extendit ad omnes gradus verae affinitatis et consanguinitatis, qui jure ecclesiastico matrimonium dirimebant; reductis autem illis, etiam publicae honestatis impedimentum ab Innoc. III. reducebatur, atque Tridentinum denuo restrictionem fecit. „Justitiae publicae honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, sancta synodus prorsus tollit. Ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant.“ Sess. 24 *de ref. matr.* cap. 3.

stica auctoritate dispensatio concedatur oportet, ut impedimentum illud, si matrimonio intento obstat, tollatur[1].

766 Ad III. 1. Matrimonium etiam invalidum, ut n. III. dicitur, impedimentum publicae honestatis inducit, modo externam speciem matrimonii habeat: ita *saltem* est, quando in facie Ecclesiae matrimonium est contractum.

2. De matrimonio vero *civili* tantum et de matrimonio *utcunque clandestino* in iis locis, ubi impedimentum clandestinitatis viget, idem dici non potest. Per se enim consensus in tale matrimonium est voluntas meri et putidi concubinatûs. Id de matrimonio catholicorum certum est ex decreto 17. Martii 1879 a Leone XIII. confirmato: vide Acta S. Sedis vol. XII. p. 176. At de haereticorum matrimoniis idem non dixerim. Nam si illi sibi persuadent, se hoc modo verum matrimonium contrahere, videtur in favorem matrimonii vel potius externae veri matrimonii apparentiae judicium ferendum esse.

3. In certis autem casibus matrimonium invalidum non producit impedimentum publicae honestatis. Haec igitur imprimis notatu digna sunt: a) Non oritur publica honestas, si matrimonium *nullum est ex defectu veri consensûs*, v. g. si consensus *fictus* probari potest, vel si quis *ex metu* consensit. b) Nunquam oritur impedimentum publicae honestatis *in praejudicium prioris sponsae* (vel sponsi). — Utrumque sequitur ex Decretal. l. 4 tit. 1 cap. *unic.* in 6. Cf. etiam Feije n. 384 et seq. et Del Vecchio II. n. 974. Disputatur quidem quaestio, utrum sponsalia secunda post priorum sponsalium legitimam solutionem facta impediant reditum ad priora: communius tamen affirmatur. — c) Si matrimonium invalidum fuit *ex defectu aetatis*, publica honestas computatur non quasi ex matrimonio, sed *quasi ex sponsalibus*, i. e. restringitur ad primi gradûs consanguineos; nam ejusmodi consensus de praesenti ab impuberibus datus transit *jure* in consensum de futuro, seu in valida sponsalia. Vide *de despons. impuberum* decretal. l. 4 tit. 2 c. 14 *„Tuae nobis“*.

Quare: 1. Qui sponsalia contraxit cum Anna et peccavit cum Bertha ejus sorore, neutram ducere potest sine dispensatione: non Annam, propter affinitatem; non Bertham, propter publicam honestatem.

2. Idem vero, si cum Bertha matrimonium attentasset, carnali copula neque antea neque postea cum ea habita, ad Annam quidem redire et posset et deberet, cum reliquis autem Berthae consanguineis usque ad quartum gradum inclusive ne valide quidem matrimonium inire posset.

3. Imo in casu secundo ne cum Anna quidem videtur postea contrahere posse, si ante matrimonium cum Bertha invalide initum juste soluta erant priora sponsalia, quae cum Anna fecerat.

§ 12.

Impedimentum criminis[2].

767 Crimina, propter quae impedimentum dirimens statuitur, sunt: adulterium, conjugicidium, raptus. De ultimo crimine postea dic-

---

[1] Si vero v. g., Caji cum Bertha sponsalibus solutis, Berthae soror nascitur, Cajum postea hanc ducere posse, quippe quae nunquam ipsius sponsae consanguinea fuerit, videtur mihi recte notari a Weber *canon. Ehehindernisse* § 11 (ed. 4. pag. 126).

[2] Haec impedimenta tum potissimum ab Ecclesia coeperunt sustineri, quum disciplina poenitentialis ab antiquo rigore relaxata erat. Quum enim sub illius

turi sumus, quum ibi non solius criminis causa impedimentum statuatur.

Quod ad adulterium et conjugicidium attinet, haec statuta habes jure vigente, Decretal. l. 4 tit. 7 cap. 7: „Licet autem, vivente uxore legitima, praedictam M. vir adulter G. sibi copulare nequiverit in uxorem, quia tamen uxore defuncta, utpote a lege ipsius solutus, in eandem M. de novo potuit matrimonialiter consentire, *dummodo non praestiterit fidem adulterae, vel machinatus fuerit in mortem uxoris:* mandamus, quatenus, si est ita, eidem G., ut supradictae M. affectu adhaereat conjugali, licentiam concedatis"; cap. 6: „Quod nisi alter eorum in mortem uxoris defunctae fuerit machinatus, vel ea vivente sibi fidem dederint de matrimonio contrahendo, legitimum judices matrimonium supradictum." Ergo:

I. Primum crimen, quod impedimentum dirimens inter duos inducit, est: Adulterium cum fide mutuo data de matrimonio post mortem compartis contrahendo.

Conditiones, quae adesse debent, ut dici possit impedimentum subsistere, sunt: 1) Adulterium *formale ex utraque parte:* ita ut ignorantia alterutrius peccantium impedimentum auferat. Ita colligitur ex Decretal. l. c. cap. 1, ubi S. Pontifex virum non esse separandum decernit a muliere, quam stante suo matrimonio priore cognoverat, sed matrimonii *ignaram;* atque ex communi DD. sententia confirmatur: v. S. Alph. l. 6 n. 1036 V.

2) Adulterium *consummatum.* Nam odiosa sunt stricte sumenda, nec vocatur stricto sensu adulterium, nisi copula consummata: imo S. Alph. l. c. IV, dicit „merito probabilem" opinionem, quae requirit consummationem ex utraque parte, seu completum actum etiam ex parte mulieris. Quare si mulier completionem actûs certo cohibuerit — nisi forte conceptio secuta sit — possit aliquis auctoritate tanta confisus impedimentum *nullum* considerare; et si haec sententia in se falsa esset, Ecclesia suppleret.

3) *Promissio* futuri matrimonii debuit esse *seria* ex utraque parte, et aliquo modo *acceptata:* seu debet promissionis esse acceptatio talis, quae repromissionem quoque indicet: ita ut verum sit, eos fidem sibi dedisse. Ita cum S. Alphonso l. c., Bellarm., Elbel, Holzmann, Laym. aliique. — Adde: promissio debet esse *non suspensa* per conditionem ceteroqui honestam; Palm.-Ball. n. 1038, Gasparri n. 648.

4) Promissio debet cum adulterio ita conjungi, ut utrumque *tempore ejusdem matrimonii* factum sit: quare aut debet promissio subsequi adulterium, aut, si antecessit, debuit ante adulterium non esse retractata.

NB. Idem impedimentum dirimens habetur, si loco „mutuae promissionis" adest *matrimonium attentatum:* v. Lacroix l. 6 part. 3 n. 621, S. Alph. n. 1042; ita ex Decretal. l. 4 tit. 7 cap. 2 *„Significavit"* et cap. 4 *„Ex literarum"*.

---

rigoris et fervoris tempore istiusmodi crimina potius a *quolibet* matrimonio excluderent atque perpetuae poenitentiae reum addicerent, frustra fere haec lex irritans esset statuta.

768 II. Secundum crimen impedimentum creans inter reos est: Adulterium cum machinatione mortis, seu crimen *„uno patrante“*.

Requiritur videlicet 1) adulterium, ut supra.

2) Loco mutuae promissionis sufficit, ut alter ex adulteris conjugicidium (aut proprii aut alterius compartis conjugis) sive physice sive moraliter commiserit, idque intuitu matrimonii cum complice adultero ineundi. Quae intentio aliquo externo signo seu externis conjecturis se utique prodere debet; at practice prava illa mens ex subsequenti matrimonii tractatione facile colligitur: v. S. Alph. l. c.

3) Mors debet realiter ex crimine esse secuta.

4) Non requiritur, ut alterius crimen alter cognoverit vel cognoscat.

769 III. Tertium crimen est: Conjugicidium cum conspiratione, seu *„utroque patrante“*.

Requiritur nimirum: 1) conspiratio utriusque in necem alterutrius conjugis; 2) mors ex tali conspiratione revera secuta; 3) intentio matrimonii saltem ab alterutro conspirantium habita, atque ita habita, ut hac de re externe aliquo modo constare possit. Id ex probabili auctorum interpretatione colligitur, quamquam ipsum jus scriptum haec non ita clare exprimit: quod approbatur a S. Alphonso l. c. 1034 et Feije op. cit. n. 453.

Notandum 1. Conjugicidium adeo constituit impedimentum dirimens, ut ne tum quidem Ecclesia ad ineundum matrimonium complices admittat, si unus infidelis, fidelis alter fuit, et ope fidelis alter nunc ad fidem catholicam etiam conversus est. — Ita clare habetur in Decretal. l. 3 tit. 33 cap. 1 *„Laudabilem“*: „Interrogasti de Saracenis, qui, dum in captivitate essent, quarundam christianarum viros earum insidiis et machinationibus occiderunt, utrum, quia postea per ipsas ad fidem christianam conversi sunt, eas de jure possint accipere in uxores, vel si duxerint, conjugium eorum teneat. — Hîc Triburiensis Concilii regulâ contenti sumus asserentis, quod, si in mortem ipsorum malitiose fuerint machinatae, licet earum studio ad fidem accesserint, nec tamen eis adhaerere debent, nec sunt, si adhaeserint, etiam tolerandi, quum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit.“ Idem ex paritate causae dicendum est, si crimen I. aut II. intercesserit, si modo in II. crimine conjux *fidelis* machinationem mortis commisit.

Notandum 2. Si cum conspiratione in conjugicidium adulterium et promissio conjunguntur, erit *duplex impedimentum*.

770 Notandum 3. Reservavi ad hunc locum quaestionem, utrum hoc criminis impedimentum ut adsit, cognitum esse debuerit delinquentibus, quum crimen patrarent: an etiam ignorantes afficiat.

Circa quam quaestionem Gury II. n. 788 respondet, ignorantes eodem modo affici, idque communius doceri cum Lacroix et aliis: eo quod illa impedimenta habeant primarie et principaliter rationem vinculi, secundario rationem poenae.

Sed hujus responsi sensus diligentius inquiratur oportet. Si enim haec ita intelliguntur, ut Ecclesia dicatur in hoc impedimento statuendo potius attendisse naturalem quandam indecentiam, quae sit in conjunctione horum complicum permittenda, non vero intendisse adeo gravamen delinquentium,

quod pro poena statueret: id non videtur omnino esse verum. Si autem solummodo asseritur, legem irritantem quamlibet esse intrinsecus et essentialiter vinculum quoddam, poenam vero non ex interna sua natura generica: hoc unicuique patebit. At *rationem seu finem,* cur *haec specialis* lex ab Ecclesia statuta sit, esse criminis commissi *poenam,* seu aliis verbis, hujus legis internam rationem a legislatore intentam esse punitionem, testatur Card. de Lugo *de poenit.* disp. 16 n. 337, imo a scriptoribus *communi sententia* supponitur. Quia vero motivum finale et rei ratio formalis, sub qua intenditur, illud est, quod est in re praecipuum, merito dixeris, impedimenta, de quibus agimus, *principaliter habere rationem poenae.*

Unde nondum efficitur, ut illa poena ab ignorantibus non incurratur. Nam etiam ii, qui rationem poenae in hisce impedimentis primariam esse fatentur, in duas partes dividuntur: alii dicunt, ignorantes lege affici, alii negant. Solutio quaestionis igitur non ex eo peti potest, num *a qualibet poena* ignorantia excuset — id enim falsum est, sed num *a certis quibusdam poenis* ignorantia eximat.

In quem finem doctrina S. Alphonsi l. 6 n. 1074 est, „probabilissimum esse, ab ignorantibus non incurri poenas a lege ecclesiastica impositas, quando sunt *extraordinariae* (vel *exorbitantes*), sc. quae per se ne in confuso quidem praevideri possunt". Quare ad id tandem tota quaestio reducitur, utrum lex poenalis matrimonii irritans pro extraordinaria et exorbitante poena merito haberi possit, an non. Auctores, qui affirmant, vide Gury-Baller. II. n. 788 nota.

Et re quidem vera, saltem si agitur de iis, qui cum crimine adulterii etc. matrimonium contraxerunt, legis ecclesiasticae irritantis ignari, poenam gravissimam et extraordinariam esse, matrimonium suum pro invalido declarari, seque cum scandalo separari: nemo inficias ibit. Quare saltem post contractum matrimonium omnino pro probabili haberi debet sententia docens, ignorantes hanc poenam non incurrere. Quod esse non potest, nisi dicamus, legem impedimenti dirimentis pro poenam ignorantibus non adesse. Ergo, etsi ante matrimonium contractum poena haec tunc in se considerata adeo extraordinaria videri non debet, tamen *propter sequelas,* quae aliter matrimonium ab ignaris contractum sequerentur, probabile habeo practice, impedimentum non adesse, *dummodo neuter complex legem ecclesiasticam sciverit:* licet *suadeam,* maxime ante nuptias, ut petatur dispensatio. Consentit Gasparri n. 658.

Ratio, cur ultimam clausulam „dummodo neuter legem sciverit" addam, habetur ex ipso cap. *„Laudabilem"* supra citato, ex quo patet, alterutrum independenter a complice hac lege irritante ligari[1]. Quodsi unus inhabilis est, matrimonium validum fieri nequit. — Ita etiam alii scriptores hanc poenam intelligunt, ut Navarr. *manuale conf.* c. 22 n. 46: „Si uterque probabiliter ignorat (impedimentum), possunt matrimonium contrahere, simul atque mortuus fuerit, qui impediebat."

Pro confirmatione sententiae, quae negat ignorantes lege hujus impedimenti affici, accedit, quod eorum scriptorum, qui contrarium docent, sententia *indirecte* impugnari potest. Plerique enim ex iis docent etiam

[1] Accuratius dicitur: si modo *ille,* qui scivit poenam, aut legi poenali subjacet, peccatum *ita complevit,* sicut impedimentum criminis requirit: aliis verbis, qui poenae conscius est, debuit in II. crimine machinationem mortis committere, in III. crimine *intentione matrimonii* machinationem illam aut facere aut in eam conspirare.

irregularitatem „ex delicto“ incurri ab ignorantibus, ut Suarez, Laym., Lacroix, Elbel, Pontius etc. (apud S. Alph. l. 7 n. 351). At haec opinio, praeeunte S. Alphonso, hodie communiter reprobatur. Cur ergo non idem fieri potest quoad eorum doctrinam de impedimento criminis?

§ 13.

Impedimentum raptûs.

771 Quomodo et quamdiu inter raptorem et raptam impedimentum exsistat, habes ex Trid. sess. 24 *de ref. matr.* cap. 6: „Decernit sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quodsi rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat.“

Igitur: I. Inter raptorem, i. e. qui sive per se, sive per alterum mulierem rapit, et raptam non potest matrimonium consistere.

II. Hoc impedimentum temporaneum tantum est, ita tamen, ut quamdiu mulier in potestate raptoris maneat, ipsa ne libero et voluntario quidem consensu facere possit, ut verum matrimonium exsurgat. Valent nimirum ea, quae de impedimento metûs dicta sunt.

III. Raptus, qui impedimentum hoc inducat, debet esse mulieris invitae abductio injusta, matrimonii ineundi causa.

Explicatio. Ad I. nota: 1. Intelliguntur igitur soli viri, qui mulierem rapiunt, non — si accidere potest — vice versa.

2. Intelliguntur ii, qui *sibi* mulierem rapiunt, aut rapiendam curant. Si quis igitur per alterum mulierem rapit, non exsecutor, sed mandans, qui eam sibi in uxorem habere voluit, impedimento raptûs afficitur.

772 Ad III. Ad raptum requiritur: 1) ut mulier abducatur *de loco in locum*, non sufficit e cubiculo in alterum cubiculum; 2) ut abducatur *matrimonii causa*, non solum ad implendam libidinem; 3) ut abducatur *injuste:* quare si raptum praecesserit conventio seu contractus, ex quo viro jus oriatur ad habendam mulierem uxorem, impedimentum non inducitur; 4) ut abducatur mulier *invita*: si enim ipsa consentit, vel sollicitat virum ut se auferat, fugam habes potius mulieris, timentis fortasse, ne ab aliis matrimonium impediatur. — Attamen, ne illud „invita“ strictius sumatur, nota: a) *non* requiritur *vis illata* — sic enim semper cum impedimento vis et metûs confunderetur — sed sufficit, ut mulier fuerit fraude vel falsis promissionibus circumventa vel decepta: cf. Gury-Baller. not. tum hoc loco, tum I. n. 427; b) quando contractus de nuptiis nullus praecesserat, abductio mulieris utut volentis praesumitur facta esse per dolosam circumventionem: quare ex tali consensu in abductionem nullatenus concludi licet ad consensum in matrimonium, sed potius impedimentum raptûs censetur seu praesumitur adesse: v. Riganti ad *Cancell. reg.* 49 a. n. 79, confer notam ad § 19 *„Instructionis Austr.“* in Coll. Lac. V. col. 1288.

Quare facilius etiam pro impedimento raptûs standum est, si agitur de puella sub potestate paterna constituta, quae invitis parentibus tutoribusve abducitur. Nihilominus etiamtunc, si sponsalia vera et valida praecessissent, raptus non adesset. Cf. ibid., atque etiam Mansella c. I. art. V. n. 6.

§ 14.

Impedimentum clandestinitatis, seu: de forma substantiali, qua matrimonium contrahi debet.

Clandestinitas a Trident. Conc. post diuturnam discussionem et 773
pugnam pro impedimento dirimente declarata, nova prorsus impedimenti species est. Quum enim aliis legibus matrimonium irritantibus *ipsi contrahentes* immediate afficiantur, eorumque consensus mediate seu propterea nullus sit, quia contrahentes sunt inhabiles: hac clandestinitatis lege ipse consensus seu externa *consensûs forma* immediate afficitur, et mediante legalis consensûs defectu ipsi contrahentes inhabiles fiunt.

Lex autem Tridentina haec est: „Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat.“ Sess. 24 *de ref. matr.* cap. 1.

Ubi igitur lex Tridentina non viget, pro *valore* matrimonii haec nota: 1. Sufficit, ut sponsi utcunque sive inter se soli, sive coram aliis, verum conjugalem consensum manifestent (si autem ipsis vel alterutri ipsorum persuasum erat — utut falso — se matrimonium inire non posse, sane verus consensus deerat, nec matrimonium poterat effici). 2. Atque eadem ratione, si sponsi post sponsalia copulam inter se habebant, praesumptio erat antea juris et de jure, eos veri matrimonii consensum dedisse, ita ut in foro externo probatio contraria non admitteretur. Verum in foro interno, si intentio non conjugalis sed fornicaria aderat, matrimonium validum non efficiebatur (cf. *Collect. Mission.* n. 993). Quoniam autem dispositiones istae legis canonicae a sponsis communiter ignorabantur, sat gravia incommoda oriri poterant. Quibus permotus Leo XIII. d. 15. Febr. 1892 *hanc juris praesumptionem* prorsus sustulit, ita ut nunc consensus matrimonialis probari seu exprimi debeat: „Decernimus et mandamus, ut deinceps illis in locis, in quibus conjugia clandestina pro validis habentur, a quibusvis judicibus ecclesiasticis, in quorum foro causas ejusmodi matrimoniales agitari et judicari contigerit, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex juris praesumptione conjugalis contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur.“ (V. Act. S. Sed. vol. 24 p. 441.)

Porro ut omnia, quae de clandestinitatis lege scitu necessaria sunt, clarius pateant, agemus 1) de objecto seu de re, quam praescribat lex Tridentina, 2) de extensione et limitatione hujus legis, quo sciatur, *quosnam* liget, quos non liget.

Punctum I.

De re, quam lex clandestinitatis praescribat.

Res praescripta est paucis: *praesentia proprii parochi et duorum saltem testium.* Videndum est, a) de legitimo parocho ejusve delegato, b) de *modo* assistendi.

A. De legitimo parocho ejusque delegato.

Parochus tum ex loc. cit. Trid. Concilii, tum ex natura rei alius 774
intelligi nequit, nisi proprius contrahentium parochus; at quum sponsorum diversi possint esse parochi, dicendum est, alterius sponsi parochum esse legitimum matrimonii testem. Quamquam plerumque magis conveniens con-

suetudo id introduxit, ut coram parocho sponsae matrimonium contrahatur. At hoc ex convenientia fit, non ex necessitate.

I. *Proprius* parochus dicitur ratione domicilii aut quasi-domicilii alterutrius sponsorum.

II. Parochus intelligitur tum parochus proprie dictus, quamdiu parochus manet, tum ii, qui eminenter parochi jurisdictionem habent.

III. Quicunque ordinario suo jure matrimoniis assistere potest, id *alii sacerdoti* potest delegare.

Uberior explicatio. Ad I. nota: 1. In concilio Bituricensi anno 1850 (v. Coll. Lac. t. IV. col. 1119) haec statuuntur: „Parochus proprius quoad matrimonium est 1) parochus domicilii, 2) parochus quasi-domicilii, 3) parochus simplicis habitationis, dummodo contrahens unum saltem mensem in parochia commoratus fuerit [NB. Sed hic tertius titulus non *ubique* pro titulo sufficit], 4) minorum parochus proprius *insuper* est parochus domicilii parentum, aut eorum, qui loco parentum sunt."

775 2. *Domicilium* acquiritur alicubi translatione corporali cum animo ibi perpetuo manendi, *quasi-domicilium* eadem corporali translatione cum animo per notabilem anni partem [1] ibi habitandi. Acquiritur autem *statim.*

Quare non sufficit intentio tantisper alicubi manendi, dum pro data occasione placitum aut commodum sit recedere, v. g. finito negotio, quod brevi fortasse componetur, sed quod etiam fortasse diu adhuc protrahendum est. Si quis enim etiam longo tempore tamquam hospes alicubi versatur, quasi-domicilium per se non contrahit [2].

3. Qui igitur domicilium aut quasi-domicilium alicubi habent (uti alumni, famuli, officiales, carceribus pro longo tempore inclusi), statim a primo die suae commorationis coram parocho loci *valide* matrimonium possunt contrahere. (Quod etiam satis exprimitur in conc. Bituric. supra allato et Romae approbato.) At communiter habitatio per mensem requiritur, ut *licite* parochus assistat, quo melius scilicet *constet* de animo contrahentium habitationem in illo loco figendi.

4. Non raro ad Bened[i] XIV. epistolam ad Archiep. Goanum provocatur (vide Avogadro tom. IV. n. 31, et Bullar. Bened. XIV. tom IV. app. 2) dat. 19. Martii 1758 *„Paucis abhinc hebdomadis"*, qua statuatur, habitationem *unius mensis* sufficere ad quasi-domicilium acquirendum. Verum, licet verba Benedicti XIV. illius opinionis ansam dare potuerint: si melius totus contextus et scopus literarum inspicitur, dici debet, S. Pontificem voluisse tantummodo argumentum quoddam vel adminiculum suggerere,

---

[1] Illud *„per notabilem anni partem"* praxis Curiae intelligit de *majore anni parte*, ita ut *saltem sex menses* debeant esse elapsi. Sufficit autem, semel seu *uno* anno sic habitare. Nam qui constanter una anni parte hic, alia anni parte illic habitat, bonis suis partim illuc translatis, potius plura domicilia, non cum domicilio quasi-domicilium habet, atque ad id sane sufficit habitare infra semestre per *notabilem* anni partem seu complures menses.

[2] Nihilominus in aliquo casu particulari quidem S. Offic. responsum dedit, quod videtur ad alios similes casus applicandum: „Se conferentes in civitatem N. ex alio loco vel paroecia, dummodo ibi [in loco novae habitationis] *commorati fuerint in aliqua paroecia per sex menses*, censendos esse ibidem habere quasi-domicilium in ordine ad matrimonium, *quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per majorem anni partem*, facto verbo cum SS[mo]." Ita d. d. 9 Nov. 1898. Quod Leo PP. XIII d. 11 ej. approbavit et confirmavit. *Anal. eccl.* VII, 7.

unde, nisi aliud obstet, probatio quasi-domicilii sumatur; nimirum si contracturi asserunt, sibi in animo esse per notabilem anni partem ibi habitare, atque pro argumento habitationem unius mensis jam peractam afferre possunt, ipsis credendum est. At haec non impediunt, 1) quominus etiam aliquando ante mensem elapsum alia argumenta eaque certiora adsint, 2) quominus etiam post elapsum mensem contracturi parochum fallere possint, quum neque habuerint neque habeant in mente in praesenti loco diutius habitare. Cf. Tarquini in Actis S. Sedis VII, 555 not.[1]

5. Vagi, quum nullibi habeant domicilium, ubicunque exsistunt, coram 776
parocho loci valide contrahere possunt. Illud autem discrimen inter vagos et inter eos, qui certum domicilium aut quasi-domicilium habent, exsistit, quod posteriores coram *suo* parocho aut ejus delegato *ubique* valide contrahere possunt; vagi autem non possunt contrahere nisi coram parocho ejusve delegato illius loci, ubi re ipsa contracturi sunt, nisi forte in illo loco lex Tridentina vi suâ destituta est.

Ad II. Loco igitur parochi pro publico seu legitimo teste matrimonii, qui etiam matrimonio benedicere potest, habetur etiam:

a) *Ordinarius* et *Vicarius generalis* pro tota dioecesi; b) *Abbas* quasi-episcopalem jurisdictionem in aliquo territorio exercens pro illo loco; c) *Archiepiscopus* tempore actualis visitationis in dioecesi etiam suorum suffraganeorum: id vero in Germania *non valere*, vide apud Bangen *de matrim.* III. pag. 15; d) *Legatus Apostolicus* in provincia suae legationis; e) *Papa* pro tota Ecclesia.

Ad III. 1. Conc. Tridentinum dicit, ut supra relatum est, de- 777
legari posse alterum sacerdotem „de parochi vel Ordinarii licentia“. At omnes, qui modo ad II. enumerati sunt, comprehendi nomine „Ordinarii“, quum aut episcopalem aut quasi-episcopalem jurisdictionem habeant, clarum est. Cf. etiam Reuter *theol. mor.* t. IV. n. 562, Scavini t. III. n. 883. Quamquam sine gravi causa id fieri non debet, ut Superiores a parocho ad se hoc negotium advocent: Scavini ibid.

Parochus vero ita potitur jure assistendi matrimonio sive per se, sive per alterum sacerdotem, ut Episcopus sua prohibitione id efficere nequeat, ne parochus valide alterum sacerdotem deleget. Quoniam enim Concil. Trid. lege universali hanc facultatem dedit, singuli Episcopi *contra* universalem legem nihil efficere possunt, neque impedimentum matrimonii dirimens latius extendere valent: vide Bened. XIV. *de synod. dioec.* l. 12. c. 5. n. 2.

2. Validus testis parochus tamdiu manet, quamdiu beneficium parochiale retinet. Quare valide matrimonio assistit etiam parochus suspensus, interdictus, excommunicatus, etsi vitandus — quamquam si vitandus est, eum adire *non licet,* et agendum est, ac si nullus parochus adsit.

Si vero beneficio parochiali privatus est, jam non valide matrimonio potest assistere: quod inter alia obtinet *ipso facto*, si fit parochus publice haereticus, i. e. si judicialiter declaratus est haereticus, aut si ipse ita

[1] Pro Stat. Foed. Americae septentr. autem simplex commoratio unius mensis sufficiens titulus est ad matrimonium valide contrahendum. Nam petente concilio plen. Balt. III. S. Officium die 6. Maji 1886, approbante die 12. h. m. Leone PP. XIII., constituit *pro illis regionibus,* eos qui se transferant e loco ubi viget cap. ‚*Tametsi*‘ in alium locum, dummodo ibi continuo commorati fuerint per spatium saltem unius integri mensis et statûs sui libertatem, uti juris est, comprobaverint, censendos esse ibidem habere quasi-domicilium in ordine ad matrimonium contrahendum. Vide Z. Zitelli *apparatus juris eccles.* pag. 387.

palam et notorie ut haereticus agit, ut publice defecerit a coetu fidelium, v. g. defectione et transitu ad sectam acatholicam. Vide Bangen *de matr.* III. p. 7, Scavini t. III. n. 882.

3. *Delegatio* alterius sacerdotis debet esse *expressa,* delegato *nota,* immo, nisi delegans ejus Superior est, a delegato *acceptata:* S. C. C. 5. Dec. 1626 et 15. Aug. 1628, v. Bangen l. c. Sufficit notitia vaga et generalis delegatio: de quo cf. causam *Colon.* ad calcem h. vol. app. I, N. XXII, 4. Potest in casu particulari sponsis facultas dari „coram quolibet sacerdote contrahendi", quae si data est (in scriptis, ut probari possit), electio ex parte nubentium est conditio, qua perficiatur delegatio ejus sacerdotis, quem elegerint. — Ceterum pro delegatione in casu particulari sponsi nupturi debent prorsus in individuo esse designati, ne errore aut indeterminatione delegatio sit nulla.

Licentia *praesumpta* non sufficit; num *tacita,* pendet ex adjunctis. — Generalis delegatio ad exercenda munia parochialia loco parochi absentis sine dubio facultatem assistendi matrimonio includit: num autem alias delegatio, quam parochus sacerdotibus suis adjutoribus generali modo dat, etiam sic intelligenda sit, a diversis circumstantiis et a consuetudine loci pendet. In Germania ii, qui sunt parochi adjutores, vicarii et capellani, sine dubio per se non habent potestatem matrimonio assistendi, sed *speciali* delegatione indigent. V. Bangen l. c. p. 10.

4. Delegari nequit nisi sacerdos: parochus vero proprius, etiamsi nondum sacerdos est, valide matrimonio assistit.

B. Quonam modo parochus et testes assistere debeant.

778 I. Parochus debet saltem ita testis munere fungi, ut aliquo sensu utriusque contrahentis consensum indubie percipiat: aliter matrimonium non valet.

II. Cum eo simul idem percipere alii duo testes debent; aliis verbis: requiritur testium praesentia *formalis,* non sufficit materialis tantum.

III. De cetero alii duo testes facilius ex tota agendi ratione satis percipiunt utriusque contrahentis consensum, quando cum caerimoniis ecclesiasticis matrimonium celebratur. Si enim vident, contracturos libere se sacerdoti sistere, ibique omnia rite peragi, jam moraliter praesentes sunt, ita ut sufficienter de contracto matrimonio testari possint.

Explicatio. Ad I. Parochus est testis primarius et auctoritativus; quare ille imprimis accurate consensum contrahentium percipere debet.

At quocunque tandem modo eum percepit, matrimonium, quantumvis fortasse illicite, valide tamen contractum est. Igitur, etsi invitus audit consensum; vel si fraude, dolo vocatus est; si contra matrimonium protestatur, si ex industria claudit oculos, obturat aures, *modo reipsa perceperit, sponsos mutuum consensum declarare:* matrimonium valet.

Immo Ben. XIV. *de synod. dioec.* l. 13 c. 23 n. 10 illud „parochum affectasse non videre neque audire", quod S. Congregatio (tum anno 1581, tum 1753) dixit valori matrimonii non obstare, ita interpretari videtur, ut fateatur, parochum revera nec vidisse neque audivisse, ipsum tamen in causa fuisse, cur non videret, quum ex industria faciem velaret, aures obstrueret, ne videret aut audiret. Quod tamen non ita stricte sumi debet;

nam revera, nisi reipsa satis intellexerit consensum contrahentium, etsi ex sua culpa testis consensûs dati non sit, ne matrimonium quidem valeat: at affectare me non videre neque audire, communiter tantum abest, ut excludat, me vere rem percipere, ut id includat.

Ad II. et III. 1. Testes *simul cum parocho* consensum intelligere, est 779
prorsus de necessitate matrimonii: quare non sufficit, ut contrahentes primo coram uno, dein coram altero teste consensum declarent. Sufficeret tamen, si coram omnibus testibus simul primo sponsus, dein, sponso absente, sponsa consensum *de praesenti* declararet, significatâ omnino certe et indubie personâ, quacum contrahant: quamquam id communiter illicitum est, tum propter alias rationes, tum propterea, quia facilius dubium oriri potest, num prior in suo consensu interim permanserit.

2. Etsi quando secundum ritum ecclesiasticum omnia fiunt, testes, qui praeter parochum adsunt, facile ex tota agendi ratione coram parocho consensum satis certo colligere possunt: tamen ut omnis scrupulus praecludatur, curandum omnino est, ut omnes testes prope ad altare accedant et attendant, saltem pro eo tempore, quo sponsi mutuum suum consensum declarent.

Punctum II.

De extensione et limitatione legis clandestinitatis, seu ubinam vigeat.

I. Exemptio a lege clandestinitatis, si qua est, non tam personalis, 780
quam potius territorialis est: seu mediante territorio multi ab hac lege eximi possunt.

II. Exemptio haec nititur in diversis rationibus, quae sunt: 1) promulgatio alicubi non facta, 2) desuetudo diuturna, 3) dispensatio a S. Pontifice concessa, 4) diuturna impossibilitas tuto accedendi ad parochum ejusque delegatum.

Uberior explanatio. Ad I. Igitur notandum est: A. Etiam quando valor matrimonii a legis Tridentinae observatione non pendet, tamen per se illicitum est, eam negligere. Ut autem magis pateat, quomodo mediante territorio contrahentes quoad valorem a lege Tridentina excusentur, hae regulae generales notandae sunt:

Regula 1. Clandestina matrimonia (clandestina vocamus omnia, in quibus lex Tridentina utcunque non est plene servata) valent, si *in loco, ubi lex Tridentina non viget,* matrimonium contrahitur ab iis, quorum alteruter: 1) ibi habet domicilium, 2) aut quasi-domicilium, 3) aut vagus est, 4) aut advena ex loco, ubi pariter lex Trid. non viget; *fortasse* 5) si advena ex loco, ubi lex Trid. viget, non tamen ob finem matrimonii contrahendi alienum locum est ingressus: (verum etiamtum, quando sine illo fine alienum locum ingressus est, ille casus n. 5 controversiae subjicitur)[1].

Regula 2. Clandestina matrimonia non valent: 1) si utcunque contrahuntur in loco, ubi viget lex Tridentina, a quibuslibet[2]; 2) si in loco, ubi

[1] De qua re, ac etiam de matrim. haereticorum v. Allègre op. supra laud., in quo succincte et dilucide singula impedimenta suasque de iis sententias exponit.

[2] Carrière *compend. matr.* p. 3 cap. 4 n. 190 cum aliquibus scriptoribus in dubium vocavit hanc regulam, imo contendit, probabilius valere matrimonium eorum, qui in loco, ubi lex Tridentina non vigeat, habitantes, sed peregre exsistentes in

non viget lex Tridentina, contrahuntur ab iis, quorum uterque *advena est ex loco, ubi viget*, atque in fraudem legis, i. e. in hunc finem, ut contraherent matrimonium, e suo loco recesserunt. (NB. Advenam seu peregrinum distingue semper a vago.)

Regulae illae eruuntur ex responsis S. Congregationis Concil. sub Urb. VIII. ad Archiep. Coloniensem datis et a Ben. XIV. in epist. supra cit. ad Archiep. Goan. relatis:

1. „Quaeritur . . an incolae tam masculi quam feminae loci, in quo Concilium Trid. in puncto matrimonii est promulgatum et acceptatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus contrahere.

2. „Quid, si eo praedicti incolae tam masculi quam feminae, solo animo sine parocho et testibus contrahendi, se transferant, habitationem non mutantes.

3. „Quid, si iidem incolae, tam masculi quam feminae, eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant."

S. Congr. die 5. Sept. 1626 „ad primum et secundum respondit, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes et transeuntes cum fraude. Ad tertium respondit, nisi domicilium vere transferatur, matrimonium non esse validum". Quod Urban. VIII. 14. Aug. 1627 approbavit.

781 B. Gravissima quaestio agitatur in utramque partem, utrum nimirum haeretici (baptizati) aeque atque catholici legi Tridentinae in iis locis, ubi promulgata neque per dispensationem aut desuetudinem sublata est, *pro valore* matrimoniorum adstringantur.

Quae quaestio aut in genere statui potest de quibuslibet impedimentis dirimentibus a lege ecclesiastica inductis, aut speciatim de hoc clandestinitatis impedimento potest institui.

Si in genere quaeritur, jam supra n. 731 dictum est, ex communi theologorum doctrina de legibus, et ex constanti Ecclesiae praxi adeo certum esse, haereticos per se legibus Ecclesiae adeoque etiam canonicis impedimentis matrimonii subjacere, ut paucissimorum quorundam hujus rei addubitatio pro omnino inani haberi debeat.

Iis, quae ibi allata sunt, addi potest, Romanos Pontifices circa clandestinitatem in matrimoniis haereticorum aliquando dispensantes constanter addidisse: „dummodo non adsit aliud impedimentum canonicum". Imo ex ipsa re patet, Ecclesiam communiter id pati non posse, ut, qui a fide desciscant, suae rebellionis commodum portent et ab omni ecclesiastica lege propterea liberentur.

---

loco, ubi vigeat, contrahant. — Verum hanc opinionem utcunque probabilem esse, minime assentiri possum, eo quod pugnare videtur contra principia ab auctoribus communi consensu admissa. Nam 1) lex clandestinitatis merito dicitur lex Ecclesiae communis, cui omnes adstringuntur, nisi forte in certis casibus propter territorium eximuntur. Sed etsi quis contendere velit, legem illam ex singulari modo promulgationis praescripto non evasisse perfecte universalem, sed quadamtenus legi territoriali particulari assimilari: peregrinos illi non subjacere, minime consequitur. Agitur enim 2) de lege, quae *regat contractuum publicam formam;* illis autem legibus, etsi particularibus, subjacere peregrinos, communis prorsus doctrina est: v. S. Alph. l. 1 n. 156 in fine. Quare ad valorem matrimonialis contractûs etiam pro peregrinis forma Tridentina omnino necessaria est, si in ipso loco viget. Cf. Gury *casus consc.* II, 1015 et 1016.

Sed pro lege clandestinitatis videri potest specialis ratio esse, cur haereticos non comprehendi dicamus. Et revera speciales rationes afferri consueverunt:

1. Non videri mentem Ecclesiae esse, tot millia matrimoniorum facere invalida et illegitima; nam id clarum est, haereticos nunquam Tridentinam formam observaturos esse neque observare moraliter posse, quamdiu maneant acatholici, siquidem catholico parocho se sistere nequeant.

2. Haec ipsa videtur mens PP. Tridentinorum fuisse; ne enim omnes haereticos illa lege involverent, specialem formam promulgationis pro hac lege statuerunt, quam haereticos nunquam facturos vel passuros esse praevidebant.

3. Videri potest huic opinioni calculum adjicere Bened. XIV. in epistola ad Cardinalem York § 17 (9. Febr. 1749) apud Avogadro *de matr.* tom. IV. *docum.* 29 et in ipsa sua Constitutione circa matrimonia Hollandiae data 4. Nov. 1741 (cf. etiam *de syn. dioec.* l. 6 c. 6), quum dicat: „Verissimis argumentis conjecturisque probatum est, Concilium Tridentinum, quum novum illud dirimens impedimentum constituit, decretum suum ad ea matrimonia non extendisse, quae disceptationi a Nobis anno 1741 solutae occasionem dedere."

Verum hae rationes rem minime evincunt. Nam 782

1. Patres Tridentini ex ea ratione, qua bene sciebant, haereticos in hac re per se comprehendi, atque involvi lege clandestinitatis, ita ut eorum matrimonia fierent nulla: remedium *aliquod* adhibuerunt, quod multos eximeret; atque ita eatenus haereticos exemisse dicendi sunt, quatenus remedio illo adhibito comprehenduntur, i. e. eos, apud quos promulgatio legitima facta non esset, alios non item.

2. Neque Constitutio Bened. XIV. de foederatis Belgii provinciis afferri potest. Nam ratio, quae affertur, cur matrimonia et haereticorum et mixta valida sint, est „ex temporum et locorum conditione" desumpta, vel „quod nullatenus constaret de promulgatione legis Tridentinae facta". At id in omni lege valet, ut aut promulgatio positive probari debeat, aut lex vim suam non exerceat. Et quod pro statibus foederatis Belgii etiam magis attendendum est: etsi in aliquibus locis lex Tridentina publicata erat, attamen satis diuturno tempore exercitium catholicae religionis prorsus jacuerat, ita ut tota illa regio secundum publicam rerum conditionem acatholica facta esset. Illa lex Tridentina certe longa desuetudine vim suam amittere potuit, et amisit. Quando vero postea catholica religio ejusque exercitium iterum restituebatur, lex clandestinitatis vigere coepit *vi promulgationis novae.* Quae nova promulgatio homines acatholicos, utpote qui plane sejunctae societatis et in suos coetus religiosos separatos coadunati essent, non adstrinxit, quia et tenor legis et mens legislatoris pleniorem promulgationem requirebat, ut lex clandestinitatis cum effectu homines ligaret.

Id unum igitur ex Constitutione illa Benedictina concludi debet, eos acatholicos Tridentina lege non comprehendi, qui *tempore legitimae promulgationis* separatos coetus religiosos atque publicum religionis exercitium habebant, eo quod ad parochiam et locum, in quo promulgatio facta est, non censebantur pertinere. Ita etiam Gasparri n. 894.

3. Constitutionem Bened. XIV. non posse indiscriminatim ad omnia haereticorum matrimonia extendi, adeoque illa propter clandestinitatem

esse illegitima et nulla, nisi specialis ratio loci et circumstantiarum ea eximat, *indubio* argumento ex eo probatur, quod S. Congr. non semel etiam post Ben. XIV. Constitutionem ejusmodi matrimonium, post conversionem alterutrius ad veram fidem declaravit *nullum*. Si vero in praxi sententia fertur pro nullitate, theoretice ne leve quidem dubium superesse potest: secus enim sententia ecclesiastica est, „de nullitate non constare“ [1].

783 C. Quum vero speciales causae, cur certa quaedam matrimonia acatholicorum a clandestinitatis lege eximantur, plures esse possint, hae videntur valere regulae: (*re* easdem statuit Gasparri n. 893—896).

1) Matrimonia et haereticorum et matrimonia mixta [2] *valida* sunt:

a) si in illa regione lex Tridentina nullatenus promulgata est;

b) si promulgata quidem est, sed eo tempore, quo acatholici jam habebant pacificum religionis suae exercitium, atque in ea regione sua templa suosque ministros habebant;

c) si regio illa post promulgationem decreti Tridentini tota haeretica evasit, ita ut aut etiamnunc haeretica sit, aut saltem diuturno tempore catholicae religionis exercitium plane jacuerit;

d) si specialis concessio seu dispensatio a S. Sede data est.

2) E contrario seclusa speciali S. Sedis dispensatione, *invalida* sunt haereticorum matrimonia et matrimonia mixta clandestine contracta:

a) si haeretici in regione, ubi Tridentinum publicatum est, inter catholicos permixti vivunt sine propria communitate legaliter agnita propriisque templis;

---

[1] En exempla quaedam! S. Congr. C. resolutio 4. Aug. 1743 est haec: „Quum nonnullis abhinc annis contractum fuerit in Franconia in loco, in quo Concilium Trid. fuit acceptatum, matrimonium inter Comitem Frid. Christian. de Schaumburg-Lippe, sectae Lutheranae, et ejusdem sectae mulierem, non praesente parocho catholico, sed juxta ritum et praxim protestantium, acceptaque fuga a muliere *etc.*: S. Congregatio Conc. sententiam Episcopi Paderb. et Episcopi Monast. [de nullitate matrimonii] confirmavit deditque facultatem praedicto Comiti ad fidem catholicam converso novum ineundi matrimonium.“ Ita Perrone *de matrim.* t. II. pag. 258 not. 89. (NB. Nisi mendum in assignando die irrepsit, in collectione resolutionum S. C. C. hoc decretum non invenitur; de authenticitate tamen non videtur dubitandum.) — Aliud exemplum affert Knopp *de matrim.* pag. 307 ex decreto S. Inquisitionis Officii 29. Nov. 1852 et 26. Jan. 1853. Agebatur de matrimonio *mixto* in Rhenania contracto in loco, ubi *post* publicationem decreti Tridentini protestantes demum supervenerant: matrimonium igitur, quod contractum erat ante dispensationem a Pio VIII. 25. Martii 1830 datam, 26. Jan. 1853 declaratum est nullum. — Alia exempla afferuntur a von Schulte in editione Conc. Trid. in notis ad sess. 24 de reform. matr., praecipue n. 173 et 174.

[2] Generalis quidem regula est: Si *alteruter* contrahentium a lege Tridentina solutus est, in favorem matrimonii validum judicatur matrimonium sine forma Tridentina contractum; ergo: ubi matrimonia haereticorum valent clandestina, etiam clandestina valent matrimonia mixta; non tamen illico viceversa ex valore matrimoniorum mixtorum concludi potest ad valorem matrimoniorum haereticorum. — Verum ab hac regula communi in singulari causa *Melitinensi* recessum est, ita ut in ista insula valeant quidem matrimonia haereticorum, mixta nihilominus sint invalida, si forma Tridentina observata non fuerit. Quod decretum est a Leone XIII. ope Congr. neg. eccl. extraord. d. d. 12. Jan. 1890 et S. Offic. 3. Junii 1892 *(Köln. Pastoralbl.* 1892 pag. 418 et *Nouv. rev. théol.* t. XXV pag. 161 sq.).

b) si tempore, quo publicabatur Tridentinum decretum, haeretici distinctam societatem nondum efformabant, sed postea in eum locum supervenerunt, quamquam nunc suos ministros suaque templa habent.

Scilicet si id a brevi tempore tantum obtinet, res evidens est, quia ne speciem quidem ullam praescriptionis seu desuetudinis, qua a lege eximantur, afferre possunt. Sed etsi jam a longo tempore factum sit, puto idem esse dicendum. Nam ipsi acatholici soli non videntur eam communitatem separatam facere posse, quae *per se* ecclesiasticam legem desuetudine abroget: alioquin omnes leges mere ecclesiasticae sectam acatholicam jam non adstringerent, quum observatae jam diutissime non sint; quod plane absonum est. De hac re cf. Resp. S. Officii d. d. 18. Martii 1884 infra *Num. XXII, 5* in fine append. I[1]. Ceterum in ejusmodi casu praestabit, ad S. Congregationem causam deferre, si forte de tali matrimonio *dissolvendo* agatur, quia ob circumstantias varias res evadere potest dubia.

Ad II. In superioribus jam nonnihil dictum est de diversis causis, 784
quae certa matrimonia certasque regiones a lege clandestinitatis eximere possunt. Alia hîc supplentur.

1. Impossibilitatem accedendi ad parochum ejusque subsistutum aliquatenus causam esse, habes ex responso S. Congregationis 28. Maji 1793 ad Episc. Lucion. (v. Bangen l. c. III. p. 23), scil.: posse sine parocho, in praesentia tamen duorum saltem testium, matrimonium valide et per se licite contrahi, si tutus accessus ad parochum non pateat, nec aliter a legitimo Superiore per delegationem sacerdotis provisum fuerit vel provideri possit. — Sufficit autem, si *per mensem impossibilitas* non particularis, sed *communis* exsistit parochum legitimumve Superiorem adeundi.

2. Desuetudine diuturna legem clandestinitatis aboleri *posse* (sc. si regio quaedam evadat totaliter acatholica), expresse memorat Pius VII. in literis ad Dalberg, Archiep. Moguntinum, 8. Oct. 1803 datis (vide Avogadro t. IV. *docum.* 88). Ubinam vero talis desuetudo re ipsa adsit, in singulis locis videri debet: de quo consule regulam priore n. statutam.

3. S. Pontificem dispensare posse in lege clandestinitatis, non est, quod adnotem. Exhibebo catalogum locorum, pro quibus *dispensatum est* a lege illa Tridentina, dein ubi lex *publicata est,* sive *non est.* Fusius haec enarrat Joder, *Formulaire matrimonial,* append.

I. Igitur dispensatio, vel expressa S. Sedis declaratio de 785
valore matrimonii etiam clandestini, data est

A. relate ad matrimonia *tum haereticorum*[1], *tum mixta:*

1. Pro provinciis foederatis Belgii et Hollandiae, quae antea regi Hispaniarum subjectae erant (Bened. XIV. 4. Nov. 1741). — Accuratam locorum hodiernae Hollandiae, quibus haec declaratio applicari debeat, enu-

[1] Ex declar. S. O. 6. Apr. 1859 hoc nomine *hîc* comprehenduntur etiam sequentes: 1) illi, qui catholice quidem baptizati, sed a pueritia nondum septennali in haeresi educati, haeresim profitentur; 2) qui *ab haereticis* educantur, etsi nulla vel vix ulla haereticae doctrinae instructione accepta, neque cultu eorum frequentato, sed aliquoties tantum participato, si modo non transierunt ad catholicam religionem; 3) qui adhuc pueri in manus haereticorum incidentes eorum sectae adjunguntur; 4) apostatae ab Ecclesia catholica ad haereticam sectam transeuntes; 5) qui, nati et baptizati ab haereticis, adoleverunt, quin ullam solemnem haeresis professionem emiserint, ac veluti nullius religionis exsistunt.

merationen habet Feije *de imped. et dispens. matr.* n. 321. — Haec Benedictina declaratio sive per authenticam declarationem sive per dispensationem extensa est ad complures regiones, quae sunt:

2. Quebec et Canada, Americae sept. — Clem. XIII. 29. Nov. 1764.
3. Dioec. Wratislav. — Clem. XIII. 27. Febr. 1765 et postea Pius IX[1].
4. Malabaria — Clem. XIII. 12. Sept. 1765.
5. Bombay Vicariatus — Clem. XIII. 17. Maji 1767.
6. Dioecesis Culmensis — Clem. XIV. 5. Maji 1774.
7. Polonia Russiaco imperio subjecta — Pius VI. 2. Martii 1780.
8. Clevensis ducatus Borussiaco regno subjectus — anno 1795.
9. Luisiana et Florida Americae[2] — Leo XII. anno 1824.
10. Insula SS. Trinitatis — idem anno 1825.
11. Mosae-Trajectum cum suburb. ad S. Petri — Leo XII. per S. Officium 20. Apr. 1826 (v. Feije l. c. n. 322).
12. Coromandel — anno 1831.
13. Pondichery — Gregor. XVI. 23. Martii 1833.

B. Quoad matrimonia *mixta* regiones, pro quibus dispensatum est, sunt:

1. Hibernia — Pius VI. 3. Maji 1785.

786 2. Dioeceses provinciarum Rhenan. et Westphal. sub ditione Borussiaca — Pius VIII. 25. Martii 1830.

3. Hungaria et Transsylvania — Gregor. XVI. per *Congreg. negotior. extraord.* 30. Apr. 1841.

4. Dioeceses Gnesniensis et Posnana — Gregor. XVI. 22. Maji 1841 (cf. *Archiv für kathol. K.-R.* vol. 44 pag. 184).

5. Russia et tota Polonia: Gregor. XVI. 19. Aug. 1844 *(C. neg. extr.)*.
6. Georgia Asiae — S. Officium anno 1865.
7. Dioec. Basileensis Helvet. decr. 1. Jul. 1890 (*Arch. f. k. K.-R.* 78, 177).
8. Afferunt saepe, etiam pro Bavaria datam esse dispensationem; id quod tamen ex literis Gregor. XVI. ad Epp. Bavariae datis 12. Sept. 1834 nullatenus colligitur. Verum sunt aliquot regiones hodiernae Bavariae, in quibus ante defectionem populi ad protestantismum Tridentinum promulgatum non erat: in iis igitur matrimonia saltem haereticorum et mixta clandestinitatis legi non subjacent.

Dein pro Curaçao legem Tridentinam obliteratam esse, authentica declaratione habemus. Similiter pro Japonia, quum persecutio ante plura saecula esset exorta, declaratum est, matrimonia, non obstante legis Tridentinae promulgatione, ob penuriam sacerdotum valere *sine parochi assistentia.*

787 Accedunt regiones, in quibus post defectionem magnae populi partis ad sectas acatholicas promulgatio facta est, ita ut soli catholici adstringantur, matrimonia tum protestantium tum mixta clandestinitatis lege non afficiantur:

---

[1] Scilicet Clem. XIII. dispensationem concesserat pro Wratislavia cum principatibus Liegnitz, Brieg, Wohlau, Oels, i. e. pro tota dioecesi tum exsistente. Sed 16. Julii 1821 additi sunt ad dioecesim: 1) districtus Pless et Beuthen, olim Cracoviensis dioecesis, in quibus lex Tridentina publicata erat; 2) pars ducatûs Lusatiae (Lausitz), ubi dubium erat de promulgatione; 3) provinciae Borussiae Brandenburg et Pomerania, ubi lex Tridentina promulgata non erat, nisi forte pro *catholicis* ex diuturna observatione promulgationem et vim legis concludas. Rogante Episcopo, Pius IX. 21. Sept. 1877 potestatem fecit Clementinam legem (privileg.) extendendi ad omnes illas partes, *si opus fuerit:* quod tandem factum est mense Sept. 1882. Cf. Franz *de matrimon. mixtis* in Silesia pag. 115 sqq.

[2] De aliis stat. foed. Americae sept. cf. *notam ad n. 789.*

1. Nonnullae Hiberniae regiones: practice igitur matrimonia catholicorum saltem ab 1. Januar. 1828 clandestine inita sunt invalida (cf. Feije l. c. n. 325) in tota Hibernia; mixta valida sunt; de matrimoniis mere protestantium inter se res non ubique ita patet.

2. Valachia et Bulgaria, ubi pro solis catholicis lex Trid. valet, idque, quia ab immemoriali tempore tamquam lex irritans Trid. observata est.

3. Argentoratina civitas; siquidem Tridentina lex promulgata est post occupationem per Ludovicum XIV. Galliae regem factam; ergo solos catholicos adstringit.

4. Turcia: in plerisque catholicis parochiis promulgata est Tridentina lex.

II. Practica comprehensio diversarum regionum Europae. 788

A. Promulgatio legis Tridentinae **facta non est:**

in Anglia, Scotia, in provinciis Borussia presse dicta, ac Pomerania et Brandenburg, in *aliquibus* Helvetiae *pagis*, in Saxonia, Suecia, Norvegia, Dania, in *antiquo episcopatu* Bremensi, in *aliquibus* Bavariae *locis*.

NB. Nihilominus in singulis illis regionibus pro catholicis videri debet, num forte post constitutam catholicorum parochiam *pro iis* promulgatio Tridentinae legis sit facta: secus non habebis certitudinem de valore matrimoniorum clandestinorum nisi quoad matrimonia tum protestantium, tum mixta.

B. E contrario in *his* Europae regionibus lex Tridentina **plene viget:**

in Italia, Lusitania, Hispania, Gallia, Austria (presse sumpta), Belgio hodierno et ex Neerlandia in *dioecesis* Ruraem. quam maxima parte et in aliis locis paucis (de quibus accuratiora v. Feije l. c.), in ducatu Luxemburg (de Bavaria vide *supra;* in provinciae ecclesiasticae Rheni superioris plerisque quidem locis lex plene viget, neque voluit S. Sedes dispensationem dioecesibus Colon., Trevir. etc. datam ad alias illas dioeceses extendere, attamen in singulis locis accuratius videri debet, *sitne* vere lex Tridentina promulgata et *quando*).

C. Seposita quaestione de Bavaria et de provincia Rheni superioris, lex Trid. singulis locis **non plene viget,** ita tamen, ut *saltem catholicos* adstringat in paroeciis exsistentibus:

in *Archidioecesi* Coloniensi cum dioec. suffrag., *dioecesi* Wratislaviensi, *dioec.* Culm., *dioec.* Gnesn. et Posnaniensi, in Hungaria et Transsylvania, Russia, Polonia regno Russiaco subjecta, Valachia et Bulgaria, Neerlandia (except. v. supra), in Hibernia.

III. De regionibus extra Europam difficile est, accuratum aliquid 789 statuere. Praeter ea, quae recensui, pro Asia et Africa quaedam adnotat Perrone op. cit. t. 2 pag. 262 sqq.; recentius Zitelli *Apparatus J. E.* p. 394 sqq. — In America Meridionali in iis regionibus, quae sub Hispanorum et Lusitanorum ditione fuerunt, promulgatio facta est, atque generatim etiamnunc lex clandestinitatis viget.

Relate ad Americam Septentrionalem res, multis difficultatibus implicita, nunc petente Concilio plen. Balt. III. iis nonnihil expedita est. Collegi aliqua ad praxim spectantia:

A. In Americae Septentrionalis Statibus Foederatis et America Britannica haeretici non ligantur clandestinitatis lege; quare etiam mixta matrimonia clandestina valida sunt[1]: v. Konings *theol. moral.* n. 1609.

[1] Difficultas solum est circa provinciam Sanctae Fidei. Nam pro aliis provinciis, ubi lex Trident. per se videtur vigere, declaratio Benedictina pro Hollandia

B. Quoad catholicorum matrimonia sola quaestio agitari potest, sitne lex Trid. promulgata necne, ideoque sintne eorum matrimonia clandestina tantum illicita, an etiam invalida.

Circa quam quaestionem Konings l. c. n. 1607 contendit, paucissimas esse parochias canonice erectas seu tales, quarum rector *teneatur stricte* diebus Dominicis et festivis Missam applicare pro populo: proin, etiamsi decretum Trid. in pluribus locis observetur tamquam lex valorem matrimonii afficiens, revera tamen valorem paucissimis tantum in locis attingi, eo quod conditio legis Trid., i. e. promulgatio in parochia, non adsit neque adesse possit.

Quod quo sensu verum sit, non audeo certo sententia mea comprobare, siquidem accuratum statum ecclesiastici regiminis pro illis locis non perspexi. Quid opiner, dicam. Non tam ex obligatione applicandae Missae pro populo eruerim discrimen, utrum adsit parochia ut locus aptus, ubi fiat promulgatio a Concilio Trid. praescripta, necne; sed potius ex eo, utrum Christifideles, Episcopis sic disponentibus, ita sint certis et definitis districtibus addicti, ut *ex se* in sola sui districtûs ecclesia legem Paschalis Communionis implere *possint*, ad eam solam infantes suos baptizandos afferre *liceat* etc., an summo saltem jure possint aliorum districtuum sacerdotum ministerio uti. Posterius si iis licet, parochiam sensu Tridentino non adesse sentio, neque legem clandestinitatis vim irritandi matrimonii ibi per se habere; sin prius obtinet, clandestinitatis legem, si promulgata sit, irritandi vim exercere. Ratio autem, cur potius istas obligationes fidelium pro distinguendis veris parochiis ab aliis districtibus assumam, quam obligationem applicandae Missae, est, quia haec obligatio etiam aliquo modo fundatur in reditibus ecclesiastici beneficii, quos sacerdos percepturus est; insuper Ecclesia ipsa hanc conditionem non habet pro necessaria, ut exsistere possit parochia eo sensu, quo relate ad matrimonium concilium Trid. eam intellexit. Nam sane haec conditio saeculo sexto decimo et septimo decimo in Japonia non erat impleta, siquidem omnes illius imperii districtus a Missionariis administrabantur, neque id Romae ignorabatur, nihilominus ante persecutionem initio septimi decimi saeculi excitatam legem clandestinitatis plane obligasse et viguisse tamquam legem irritantem, ex responsis S. Sedis patet: vide Collectanea Const. S. Sedis n. 978. sqq. Cf. etiam Feije *de imped. etc.* n. 335; Braun in lib. period. *Archiv für kathol. K.-R.* vol. 50 p. 347.

Huc pertinet etiam (cf. *Acta S. Sedis* vol. 17 pag. 351) declaratio S. Officii pro provincia Quebecensi; quae etiam magis stet pro valore legis Tridentinae de clandestinitate. In illa enim Americae provincia ex mandato Episcoporum lex Tridentina *„Tametsi“* tamquam lex irritans promulgata erat tum in *quasi-parochiis*, i. e. districtibus per Episcopum circumscriptis, in quibus sacerdos ordinarie vel principaliter residet, tum in *missionibus*, quae suis temporibus a sacerdote visitari tantum solent. De utrisque locis quaesitum est: *„An valida fuerit promulgatio decreti ‚Tametsi‘ Concilii Tridentini in missionibus et in quasi-parochiis supra dictis.“* — Cui dubio a S. Congr. S. R. U. Inquis. 14. Nov. 1883 responsum est, idque eodem die a SS. D. N. Leone XIII. ratum habitum: *Juxta exposita affirmative et ad mentem. Mens est, quod in locis, ubi haberi nequeat parochus, validum est matrimonium celebratum coram duobus testibus; contrahentibus tamen onus inest recipiendi, quam primum id fieri possit, benedictionem nuptialem, et curandi, ut eorundem matrimonium inscribatur in sacramentali registro missionis vel proximioris ecclesiae, cui subjiciuntur.*

790 C. Relicta igitur hac quaestione aliorum, ad quos spectat, judicio, noto ex relatione Concilii plen. Balt. III. regiones Americae Septentr. Stat. Foeder., et ex Konings l. c. regiones Americae Britannicae, ubi lex Trid. quoad catholicorum matrimonia sive publicata sit sive ut lex irritans observetur, ubi non.

Non observatur: 1. in provincia Oregon, imo promulgatio alicubi facta a S. Sede annullata est;

---

data, per S. Sedem expresse extensa est; sed haec extensio *pro provincia S. Fidei est negata:* quare ibi quaestio de valore matrimoniorum haereticorum et mixtorum ex principiis communibus dijudicanda est secundum ea, quae modo dicta sunt n. 783.

2. in provinciis Baltimor., Philadelph., Neo-Eborac., Boston., Milwaukiensi;

3. in *maxima parte* provinc. Cincinnatensis, S. Ludovici, Chicago;

4. in Americae Britannicae *dioecesi* Ottawa prov. Quebec, tota provincia Halifax, Canada superiore, *Vicariatu Ap.* Sault S. Mary.

E contrario **observatur:** 1. In provinciis Neo-Aurelianensi; Sanctae Fidei (Santa Fé), excepta parte septentr. territorii Colorado; S. Francisci cum territorio Utah, excepta ea parte, quae est ad orientem fluminis Colorado; in *dioecesi* Vincennopolitana provinciae Cincinnat.; ex *dioecesi* S. Ludovici (provinc. ejusdem nominis) in *ipsa civitate* S. Ludovici cum locis S. Genovefae, S. Ferdinandi et S. Caroli; in *dioecesi* Alton *in aliquibus parochiis*, sc.: Kaskaskia, Cahokia, French Village, Prairie du Rocher.

2. In America Britannica observatur in provincia Quebec, excepta dioecesi Ottawa, in provincia S. Bonifacii.

Recensui quidem regiones, in quibus vigeat vel non vigeat lex Tridentina de matrimoniis clandestinis. Verum in iis locis, ubi non viget, utrum matrimonia clandestina (inter quae censeri debent matrimonia civilia, et ea, quae coram acatholico ministro ineuntur) re ipsa sint valida, an invalida, potest a persuasione pendere, qua contrahentes circa valorem vel nullitatem talis matrimonii affecti sunt: de quo cf. supra n. 692.

Nota. Peccata, quae in violandis legibus impedimentornm occurrere possunt, inutile est recensere et distinguere, tum quia supra satis exposita sunt, tum quia cujuslibet impedimenti lex per se sub gravi omnino obligat.

Caput III.

De impedimentis matrimonii tollendis.

(Cf. Bangen, J. Weber, von Kutschker, von Schulte etc. opera cit.)

§ 1.

De potestate dispensandi et de diversis tribunalibus.

I. Dispensatio in solis illis impedimentis concedi potest, quae sunt 791
certo ecclesiastica tantum. Atque eo difficilior evadit dispensatio, quo magis ecclesiastica lex in naturali quadam decentia sive indecentia nititur.

II. S. Pontifex solus sine causa dispensare potest. Episcopi aliique, qui a S. Pontifice potestatem dispensandi acceperunt, non possunt valide sine justa causa, neque aliter, nisi secundum normam a sancta Sede praescriptam.

III. Episcopi ordinaria (quamquam non propria) potestate — ergo etiamsi speciale privilegium a sancta Sede non acceperunt — dispensare possunt: 1) in impedimentis occultis, si causa ita urget, ut recursus ad sanctam Sedem haberi nequeat; 2) in impedimentis dubiis dubio facti, quando pro impedimenti exsistentia *magna praesumptio non est;* 3) in impedimentis etiam publicis, urgente causa cum aegrotis in mortis periculo constitutis, secundum normam in nota adjectam[1].

[1] En literae, quas jussu Leonis XIII. Card. Monaco 20. Febr. 1888 Ordinariis misit: „De mandato Sanctissimi D. N. Leonis XIII. Supremae Congregationi S. Rom. et Univ. Inquisitionis nuperrimis temporibus duplex quaestionum genus expendendum propositum fuit. Primum respicit facultates, quibus urgente mortis periculo, quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem, augere conveniat locorum Or-

In aliis causis id solum possunt, quod Papa privilegio concesserit.

IV. S. Pontifex suam potestatem per varia tribunalia exercere solet, Datariam et Poenitentiariam: quorum aliqualis notitia hîc danda est.

---

dinarios dispensandi super impedimentis publicis matrimonium dirimentibus cum iis, qui juxta civiles leges sunt conjuncti aut alias in concubinatu vivunt, ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiae rite copulari et propriae conscientiae consulere valeant: alterum spectat ad exsecutionem dispensationum, quae ab Apostolica Sede impertiri solent.

Ad primum quod attinet, re serio diligenterque perpensa, adprobatoque et confirmato Eminentissimorum Patrum una mecum Generalium Inquisitorum suffragio, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam *) aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem super impedimentis quantumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus Ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente. **)

Mens autem est ejusdem Sanctitatis Suae, ut si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro subdiaconatus aut diaconatus Ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emiserint atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis hujusmodi casibus, Ordinarii de impertita dispensatione Supremam Sancti Officii Congregationem certiorem faciant et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit removeatur, tum inducendo eosdem, ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum si id obtineri nequeat, injungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutares poenitentias atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum.

De altero vero quaestionum genere, item adprobato et confirmato eorundem Eminentissimorum Patrum suffragio Sanctissimus sanxit:

1. Dispensationes matrimoniales omnes in posterum committendas esse vel *oratorum Ordinario* vel *Ordinario loci.*

2. Appellatione *Ordinarii* venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Praelatos seu Praefectos habentes jurisdictionem cum territorio separato, eorumque officiales seu Vicarios in Spiritualibus generales, et sede vacante Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem.

3. Vicarium Capitularem seu Administratorem eas quoque dispensationes Apostolicas exsequi posse, quae remissae fuerint Episcopo aut Vicario ejus generali vel Officiali, nondum exsecutioni mandatas, sive hi illas exsequi coeperint, sive non. Et vicissim sede deinde provisa, posse Episcopum vel ejus Vicarium in Spiritualibus generalem seu Officialem exsequi dispensationes, quae Vicario Capitulari exsequendae remissae fuerant, seu hic illas exsequi coeperit, seu minus.

4. Dispensationes matrimoniales Ordinario oratorum commissas exsequendas esse ab illo Ordinario, qui literas testimoniales dedit vel preces transmisit ad S. Sedem Apostolicam, sive sit Ordinarius originis sive domicilii, sive utriusque sponsi, sive alterutrius eorum; etiamsi sponsi, quo tempore exsecutioni danda erit dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio, in aliam dioecesim discesserint, non amplius reversuri, monito tamen, si id expedire judicaverit, Ordinario loci, in quo matrimonium contrahitur.

5. Ordinario praedicto fas esse, si ita quoque expedire judicaverit, ad dispensationis exsecutionem delegare alium Ordinarium, eum praesertim, in cujus dioecesi sponsi actu degunt."

*) *Habitualiter* subdelegari haec facultas potest *parochis tantum*, idque pro casibus, in quibus desit tempus recurrendi ad ipsos Ordinarios et periculum sit in mora: S. Off. decret. a Leone XIII. appr. 1. Mart. 1889; cf. Acta S. Sedis XXI, 696.

**) Etiam super forma Trid. seu clandestinitate: S. Offic. 13. Dec. 1899; *Anal.* VIII, 54.

Explicatio. Nota ad I. 1. A dispensatione igitur *penitus excluduntur:* 792
1) defectus consensûs, 2) error (non tamen error conditionis servilis), 3) vis sive metus, 4) ligamen, 5) consanguinitas in linea recta et in primo gradu laterali, 6) affinitas in primo gradu lineae rectae ex legitimo matrimonio exorta.

2. *Vix unquam* dispensatio concedi consuevit in: 1) cultûs disparitate in regionibus fidelium; 2) crimine conjugicidii publico; 3) affinitate primi gradûs lineae rectae ex crimine orta, si publicum factum est; 4) sacro ordine vel religiosa professione. V. Phillips *Lehrbuch des K.-R.* § 276.

3. Impedimenta, in quibus dispensatur quidem, sed quorum dispensatio *graviores omnino causas* requirit, haec sunt: 1) consanguinitas in secundo gradu, maxime si simul attingit primum; 2) cognatio legalis; 3) cognatio spiritualis inter levantem et levatum (a fortiori inter baptizantem et baptizatum); 4) crimen cum mortis machinatione, etsi non publicum; 5) publica honestas ex *matrimonio* exorta, saltem in proximo gradu; 6) defectus aetatis; 7) clandestinitas.

4. Impedimenta igitur, in quibus *ex causis minus gravibus* dispensatur, sunt: 1) consanguinitas et affinitas in tertio et quarto gradu; 2) publica honestas ex sponsalibus orta; 3) crimen adulterii tantum „neutro machinante"; 4) cognatio spiritualis *compaternitatis;* 5) attamen etiam impedimenta graviora supra recensita, si occulta sunt et ex crimine orta, maxime post matrimonium quoad externam speciem contractum.

Ad II. 1. Si sponsi ex diversis dioecesibus sunt, sufficit in impedi- 793
mentis *correlativis,* dispensationem ab uno Episcopo impetrare, vid. ab Episcopo ejus sponsi, qui forte causam seu originem impedimenti posuit. Nam uno dispensato uterque habilis efficitur; quod eo minus repugnat, etsi non uterque est Episcopo dispensanti subditus, quia Episcopus potestate a Summo Pontifice utpote *omnium* fidelium Superiore delegata utitur: v. S. Alph. l. 6 n. 1142. Quare contraria opinio merito spernenda est.

2. In iis causis, in quibus secundum probabilem opinionem (cf. III) facultas dispensandi ad Episcopum jure ordinario devolvitur, Episcopus aut per se, aut per alium dispensare potest; immo aliis hanc facultatem generali delegatione communicare potest. S. Alph. l. c. n. 1025 dicit, id *communiter affirmari.* Cf. etiam Heiss § 49 III.

Quando vero ex solo privilegio Episcopis facultas dispensandi competit, videre debent, num et quanta facultas alios delegandi (seu potius subdelegandi) ipsis in privilegio concessa sit.

3. In quo privilegio seu indulto Episcopis non raro dato clausulae 794
quaedam apponi solent, quae ad amussim observandae sunt, ne valor dispensationis corruat aut dubius fiat. Aliquas gravioris momenti hîc adnoto:

1) Si dicitur „nullo modo uti possit extra fines suae dioecesis", non tantum requiritur, ut ille, cui datur dispensatio, Episcopo dispensanti *sit subditus*, per domicilium aut quasi-domicilium, sed etiam, ut subditus ille *actu sit in dioecesi,* quando dispensatio conceditur: non vero necessarium est, ut in dioecesi incipiat dispensatione accepta uti. Si vero illa similisve clausula abest, Episcopus suum subditum ubique dispensare potest, i. e. sive Episcopus dispensans est extra dioecesim, sive subditus dispensandus peregre exsistit. Cf. Acta S. Sedis II, 671.

2) Non raro pro dispensationibus *publicis* haec clausula praecipitur observanda: „in dispensatione tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod concessae fuerint". Si insuper additur: „alias nullae sint dispensationes", satis patet, hanc temporis etc. insertionem *ad valorem dispensationis* requiri. — Si vero haec clausula „alias nullae sint" omittitur, temporis insertio est quidem per se omnino observanda, sed non requiritur ad valorem; imo si pro circumstantiis observari nequit (ut si per telegraphum ex necessitate danda est dispensatio), licite negligitur, quando pro valore praescripta non est. S. Off. 15. Jun. 1875, v. *Archiv f. k. K.* 36, 148 sq.

Videl. ad *Quaesitum:* „An dispensatio super impedimentis matrimonialibus ab Ordinario hujus regionis juxta facultates Apostolicas concessas, quamvis graviter illicita, tamen valida sit, quando data sit *informis,* propterea quod *tenor facultatis* a S. Sede delegatae, vel *tempus,* ad quod concessa, expressa non sint, vel quia telegraphice paucis verbis, vel oretenus tantum concessa sit. — Dubium hoc oritur ex omissione clausulae ‚alias nullae sint' in facultatibus Americae *nunc* concessis; quae clausula *olim* in hujusmodi facultatibus expresse apposita fuerat." R. „*Affirmative*" (igitur valida est dispensatio informis) „dummodo reapse mulier rapta non fuerit, vel si rapta, in potestate raptoris non exsistat" (sc. clausula haec *etiam* apponitur in formulis, quibus privilegium Episcopis conceditur; *haec* clausula semper ad valorem spectat, quia aliter impedimentum *raptûs* etiam adesset, a quo Episcopi dispensare non possunt). „Clausulas vero servandas ad amussim esse, *quantum tamen rerum, temporum locorumque adjuncta ferre possunt.*"

3) In eodem responso modo citato dicitur, Episcopos, qui acceperunt facultatem dispensandi in hoc et illo gradu consanguinitatis et affinitatis, ea facultate uti posse, sive gradus oriatur ex uno, sive ex multiplici stipite.

4) Si vero in una eademque persona occurrunt plura impedimenta, quae dispensatione indigeant, ex regula communi requiritur specialis privilegii concessio, ut fieri possit dispensatio isto modo cumulativo. — Verum nota exceptiones: a) Etsi concessum non sit, ut concedantur sine speciali facultate eisdem personis *plures* dispensationes: haec prohibitio non extenditur ad eos casus, in quibus cum impedimento natura sua publico aliud occurrit impedimentum dirimens *occultum* seu fori interni. b) Si praeter impedimentum dirimens occurrit impedimentum *impediens* mixtae religionis, vel sponsalium, vel voti simplicis perpetuae castitatis, specialis cumulandi facultas requiritur, ut privilegii dati usus fieri possit; *„secus in reliquis, circa quae Episcopus uti poterit jure suo"*. Ita ex decr. S. Off. d. 18. Aug. 1897, die 20. ejusd. m. a S. Pont. approb. c) Illa facultas *„sive ex multiplici stipite" sub 3)* extenditur ad casum, *quo sponsi innodantur duobus impedimentis consanguinitatis, uno in 3^io^ gradu simplici, et altero in 4^to^ gradu simplici:* S. Off. 16. Mart. 1898.

795 Ad III. 1. Facultatem Episcoporum, quam sine speciali privilegio jure ordinario exercent, ad solos *occultos* casus restringi, neque exerceri posse in *publicis* causis, etsi videatur adesse vel adsit urgentissima causa, vide apud Bangen II. pag. 154, von Schulte op. cit. pag. 374, S. Alph. l. 6 n. 1122, et habes edictum S. C. C. 19. Jan. 1661.

2. Non in dubio juris tantum (in quo summa lege ne requiritur quidem dispensatio), sed etiam in dubio facti, si res *vere dubia* manet, dispensare Episcopos posse, habes apud S. Alphonsum n. 902 in fine et apud Scavini III. n. 1029: „Plures auctores graves dicunt, quod tunc poterit Episcopus dispensare." S. C. C. hac de re interrogata 18. Sept. 1852 re-

spondit: „Consulat probatos auctores, et in casibus *gravioris dubii* recurrat ad S. Sedem saltem ad cautelam“: propterea supra monui: „si magna praesumptio adsit pro impedimento“, Episcopo potius esse abstinendum a dispensatione, nisi ex privilegio in hac specie possit dispensare: cf. n. 729.

Quid vero vi privilegii Episcopi possint, certe non idem est in diversis regionibus.

Ad IV. Seposito igitur Episcoporum privilegio, quod in remotioribus 796
locis satis amplum concedi solet, idque magis amplum pro solo foro conscientiae, quaedam sunt notanda de tribunalibus Romanis, ad quae sive in omnibus sive in gravioribus causis recurri debet[1].

Dataria unum tribunal est, alterum Poenitentiaria.

Dataria concedit dispensationes in foro externo circa impedimenta publica, Poenitentiaria in foro interno circa occulta impedimenta[2]. — Quamquam pro natura impedimentorum haec duo tribunalia sola distinguuntur; tamen notum est,

1) ex regionibus, quae S. Congr. de Prop. Fide subjiciuntur, hanc ipsam Congregationem adiri, utpote quae loco omnium aliarum Congregationum et tribunalium quaelibet negotia „ad terras missionum“ spectantia tractet;

2) impedimentum, quod ex notorio delicto ad S. Inquisitionem spectante ortum ducit, ad eam referri debere; spectant vero ad S. Inquisitionem ea crimina, quae reddunt hominem de haeresi suspectum, ut inter alia est publicum criminis impedimentum, vel si quis, vivente conjuge, alteram duxit: v. Bangen II. pag. 171.

Pro praxi confessariorum et parochorum utile est scire, quae facultas per diversa privilegia Episcopis data sit: unde colligant, quando ad hos, quando sive per se sive per Episcopum suum ad Romana tribunalia confugere debeant.

Poenitentiaria quidem, etsi ex Constitutione Bened. XIV. „*Pastor bonus*“ facultates exercet limitatas, tamen in *quolibet* impedimento *fori interni*, nisi per Episcopum dispensari possit, adeunda est. Si enim ordinaria potestate Cardinalis Poenitentiarius Major dispensare non potest, adibit Summum Pontificem, ut per eum dispensatio detur vel facultas delegetur, atque si causa Summo Pontifici probata fuerit, petitioni confessarii aliorumque petentium satisfacturus est.

---

[1] Communiter quidem, nisi forte periculum laedendi sacramentale sigillum obstat, parochus vel confessarius *primo* recurrat ad Ordinariatum, ut aut ab ipso dispensationem accipiat, aut per Ordinarium petitio Romam dirigatur. — In casibus occultis in confessione cognitis nihil quidem impedit, quin statim Romam recurratur; in casibus vero publicis ipsa dispensationis expeditio fieri communiter nequit nisi *per Ordinarium.*

[2] Ita saltem ex nativo munere horum tribunalium. Attamen recentiore tempore Pius IX. Poenitentiariae quoque concessit potestatem dispensandi pro pauperibus in foro *externo* circa publica impedimenta. Quo in casu forma petitionis eodem modo conficitur, ac si Dataria adiretur, i. e. expressis *veris petentium nominibus;* sed negotium absolvitur *minoribus expensis.* Cf. Acta S. Sed. vol. I. pag. 382 sqq. Quoad taxam solvendam, qui canonice pauperes sunt (cf. infra n. 805), ita tamen, ut aliqua bona possideant: 1) apud Datariam si agunt, offerant ad quod solvendum parati sint; 2) apud Poenitentiariam taxa statuta est pro gravioribus causis *(gradu 1mo*, vel *2do attingente 1^{mum})* 32 Frcs., pro *gradu 2do simplice* 26 Frcs.: haec, si immediate ad s. tribunalia recursus patet; si res tractatur per *agentes*, pro *agentura* adde 5 Frcs. Quodsi dicta taxa oratoribus nimia videatur esse, indicetur in petitione, quid solvere parati sint. Qui *nihil solvere valent*, id in petitione exprimendum curent, ut dispensatio *omnino gratis* fiat.

Pro non-pauperibus apud Datariam taxa longe major est.

797 Facultates autem, quae Episcopis per privilegia dari consueverunt, pro diversis regionibus diversa esse, jam monui.

Facultates quinquennales, Episcopis Germaniae dari solitae[1], quatenus matrimonium spectant, hodie sic dari solent (cf. Manuale sacerd. ed. 15 p. 344 sqq.):

Pro foro externo: „N. III. Dispensandi in *3^io^* et *4^to^ simplici et mixto* (consanguinitatis et affinitatis) gradu tantum, nedum cum pauperibus, sed etiam cum nobilibus et divitibus, in contrahendis et contractis; cum haereticis vero conversis, etiam in *2^do^ simplici et mixto,* dummodo nullo modo attingat *1^mum^* gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam."

„IV. Dispensandi super impedimento publicae honestatis justis ex sponsalibus proveniente."

„V. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante; ac restituendi jus petendi debitum amissum."

„VI. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum."

„VII. Hae vero dispensationes matrimoniales, videlicet III, IV, V et VI, non concedantur, nisi cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, vel, si rapta fuerit, in potestate raptoris non exsistat, et in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse, illas concedi tanquam a Sedis Apostolicae delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae"[2].

798 *Pro foro interno:* „N. IX. Dispensandi ad petendum debitum conjugale cum transgressore voti castitatis privatim emissi, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, monendo etc."

„N. X. Dispensandi cum incestuoso vel incestuosa ad petendum debitum conjugale . . . remota occasione peccandi, et injuncta gravi poenitentia salutari, et confessione sacramentali quolibet mense per tempus arbitrio dispensantis statuendum."

„N. XI. Dispensandi super occulto impedimento *1^mi^*, necnon *1^mi^ et 2^di^*, et *2^di^ tantum* gradûs affinitatis ex illicita carnali copula provenientis, quando agitur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto, et quatenus agitur de copula cum suae putatae uxoris matre, dummodo illa secuta fuerit post ejusdem putatae uxoris nativitatem, et non aliter; monito poenitente de necessaria secreta renovatione consensûs cum sua putata uxore, aut suo putato marito, certiorato seu certiorata de nullitate prioris consensûs, sed ita caute, ut ipsius poenitentis delictum nusquam detegatur; et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat,

---

[1] Ejusdem fere tenoris facultates Ferdinando Archiep. Colon. sub Urb. VIII compluries *ad septennium* datae erant (ultimum d. 21. Dec. 1645), dein a d. 12. Jan. 1651 ejus successoribus aliisque Germaniae Archiepiscopis dari solebant *ad quinquennium.* Cfr. *Legatio Apost. Al. Carafae,* Leodii 1634; *lit. circulares* d. d. 30. Nov. 1786 ad parochos *a Barth. Pacca,* tum Nuntio Apost. ad tractum Rheni.

Circa sensum ejusmodi facultatum nunc attende decr. S. Off. d. d. 24. Nov. 1897, a Leone XIII. d. 26. Nov. approbatum: „facultates omnes speciales habitualiter a S. Sede Episcopis aliorumque locorum Ordinariis concessas non suspendi vel desinere ob eorum mortem vel a munere cessationem, sed ad successores Ordinarios transire ad formam et in terminis decreti . . d. 20. Febr. 1898" (quod v. *hic* supra n. 791 not.).

[2] Quid juris sit, si quando clausulae N. VII. non accurate serventur, habes supra n. 794.

renovato consensu juxta regulas a probatis auctoribus traditas: remota occasione peccandi, ac injuncta gravi poenitentia salutari etc.

„Item de speciali et expressa Apostolica auctoritate vobis facultatem concedimus dispensandi super dicto occulto impedimento seu impedimentis affinitatis ex copula illicita etiam in matrimoniis contrahendis, dispensandique facultatem subdelegandi, etiam habitualiter, parochis vestrae dioecesis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium, usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio, absque periculo gravis scandali differri queat; remota semper occasione peccandi et firma manente conditione" (ut supra).

„N. XII. Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione et agatur de matrimonio jam contracto: monitis putatis conjugibus de necessaria consensûs secreta renovatione.

„Item ex eadem speciali et expressa Apostolica auctoritate pariter facultatem concedimus dispensandi super eodem occulto impedimento . . etiam in matrimoniis contrahendis, in casibus tamen urgentioribus, in quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem; injuncta in utroque casu gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel singulis mensibus per tempus dispensantis arbitrio statuendum."

NB. 1. Explicandi causa additur: „Mens nostra est: 1. ut si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra praedictum terminum his facultatibus vos uti contingat, absolutiones seu dispensationes exinde impertitae ratae sint et validae; 2. ut injunctio confessionis sacramentalis, de qua sub nn. X, XI et XII, non sit irritativa, sed tantum praeceptiva; 3. ut his facultatibus fori interni non solum singillatim, sed *etiam cumulatim* in uno eodemque casu uti possitis."

NB. 2. Pro certo numero causarum etiam amplior facultas aliquando conceditur, e. g. pro foro externo in 1^{mo} *cum* 2^{do} gradu consanguinitatis lineae collateralis, in 1^{mo} gradu affinitatis lineae collateralis. — Pro foro interno generatim non invenitur facultas dispensandi in consanguinitate, siquidem haec, etsi re ipsa occulta sit, *jure* censetur *publica.*

In regionibus dissitis facultates etiam omnino ampliores concedi consueverunt. Exhibeo facultates, quas Episcopi Americani recipere solent.

I. Facultates *ordinariae* (Formulae I), quas Episcopi iis, quibus visum 793
fuerit, subdelegare possunt, quatenus matrimonium spectant, sunt hae: a

„6. Dispensandi in 3^{io} et 4^{to} consanguinitatis et affinitatis gradu *simplici et mixto* tantum, in 2^{do}, 3^{io} et 4^{to} *mixtis,* non tamen in 2^{do} *solo* quoad futura matrimonia; quod vero ad praeterita etiam in 2^{do} *solo,* dummodo nullo modo attingat 1^{mum} gradum, cum his, qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam, et in praefatis casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

„7. Dispensandi super impedimento publicae honestatis justis ex sponsalibus proveniente.

„8. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, et restituendi jus amissum petendi debitum.

„9. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis praeterquam inter levantem et levatum.

„10. Hae vero dispensationes matrimoniales non concedantur nisi cum clausula: *dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non exsistat;* et in dispensatione tenor hujusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae.

„11. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti."

II. Facultates *extraordinariae* (Formulae D), quae non omnibus sub- 798
delegari possunt, sed solis Vicariis Generalibus, si Episcopus ultra diem b

abfuerit, et duobus vel tribus presbyteris in locis remotioribus dioecesis pro certo numero casuum urgentiorum:

„1. Dispensandi super impedimento cognationis spiritualis inter levantem et levatum.

„2. Dispensandi in casibus occultis et in foro conscientiae tantum super *1mo* et *2do gradu simplici et mixto* affinitatis ex copula illicita provenientis, in linea sive collaterali sive etiam recta, dummodo, si de linea recta agatur, nullum subsit dubium, quod conjux possit esse proles ab altero contrahentium genita, tam in matrimoniis scienter vel ignoranter contractis, quam in contrahendis.

„3. Dispensandi cum subditis, [exceptis Italis, de quibus non constat Italicum domicilium omnino deseruisse, atque][1] excepto insuper casu matrimonii cum viro vel muliere Judaeis, super impedimento disparitatis cultûs, quatenus sine contumelia Creatoris possit, et dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis ac praesertim de amovendo a catholico conjuge perversionis periculo, de conversione conjugis infidelis pro viribus curanda ac de universa prole utriusque sexûs in catholicae religionis sanctitate omnino educanda: servata in reliquis adjecta instructione typis impressa.

„4. Dispensandi cum suis subditis, [exceptis Italis, de quibus non constat Italicum domicilium omnino deseruisse][1], super impedimento mixtae religionis, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis prout in superiore n. 3.

„5. Dispensandi in matrimoniis mixtis jam contractis, non item in contrahendis, super gradibus consanguinitatis et affinitatis, super quibus Apostolicam facultatem pro catholicis jam obtinuit, quatenus pars catholica, praevia absolutione ab incestûs reatu et a censuris, cum parte acatholica rite et legitime matrimonium contrahere de novo possit, prolesque suscepta ac suscipienda legitima declarari, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis prout in sup. n. 3[2].

„6. Sanandi in radice matrimonia contracta, quando comperitur, adfuisse impedimentum dirimens, super quo ex Apostolicae Sedis indulto dispensare ipse possit, magnumque fore incommodum requirendi a parte innoxia renovationem consensûs, monitâ tamen parte conscià impedimenti de effectu hujus sanationis.“

Additur clausula: „Voluit autem Sanctitas Sua et omnino praecepit, ut praedictus Episcopus superioribus facultatibus justis dumtaxat gravibusque accedentibus causis, *et gratis,* utatur, injuncta tamen aliqua congrua eleemosyna in pium opus arbitrio Episcopi eroganda, atque ut elapso quinquennio *de singulis dispensationibus concessis certiorare debeat Apostolicam Sedem.*“

798 c III. Facultates extraordinariae (Formulae E), quae etiam solum iis subdelegari possunt, quibus facultates Form. D, et quae *insuper* requirunt *urgentissimas* causas, atque pro solo *certo numero* casuum dantur:

„Dispensandi in utroque foro cum catholicis, ejus jurisdictioni subjectis, in matrimoniis sive contractis sive contrahendis super sequentibus impedimentis:

„1. Super impedimento *1mi* gradûs affinitatis in linea collaterali ex copula licita provenientis pro [v. g. 10] casibus.

„2. Super impedimento *2di* gradûs consanguinitatis vel affinitatis *admixti cum 1mo* in linea transversali pro . . . casibus.

---

[1] Haec clausula a die 4. Maji 1887 non amplius addetur: cf. Zitelli op. c. pag. 94.

[2] Si cautelae illae *obtineri nequeant,* recurratur *denuo* pro sanatione.

„3. Super impedimento 2^{di} gradûs consanguinitatis vel affinitatis in linea transversali aequali pro [conceditur major numerus] casibus.

„4. Super impedimento publico 1^{mi} gradûs affinitatis ex copula illicita provenientis in linea sive collaterali sive etiam recta pro . . . casibus, dummodo, si de linea recta agatur, nullum subsit dubium, quod conjux sit proles ab altero contrahentium genita.“ (Additur clausula fere ut supra, sed ut *urgentissimis* dumtaxat concurrentibus causis Episcopus his facultatibus utatur.)

Dataria pro quibuslibet impedimentis publicis, quorum dispensatio 799
sperari potest, aditur. Modum, qui observari debeat tum apud Datariam, tum apud Poenitentiariam, vide infra n. 804 sqq.[1] — Gratiae autem, quae a Dataria conceduntur, in diversis expediuntur dicasteriis: primum est officium *„Minoris gratiae“*, ubi in remotioribus gradibus dispensatur; secundum officium *„Cancellariae“*, ubi in gradibus mediis; tertium *„Praefectura Brevium“*, ubi in proximis gradibus dispensari consuevit. Quare si ex regionibus remotioribus recursus ad S. Sedem haberi debet, plerumque ex Praefectura Brevium dispensatio habebitur, siquidem in iis gradibus, in quibus alia officia consueverunt dispensare, plerumque Episcopi ex privilegio speciali dispensare valent. Cf. etiam Bangen II p. 175.

Scil. officiales Datariae expediunt omnes dispensationes in gradu 3^{io} *et* 4^{to} et in 4^{to}; officiales Cancellariae eas, quae petuntur in gradu 2^{do} aut in 2^{do} *attingente* 3^{ium}; in Praefectura Brevium expediuntur dispensationes omnes, quae utcunque attingunt gradum 1^{mum} aut in affinitatis gradu 1^{mo} *solo* petuntur.

Si autem in necessaria impedimenti explicatione criminis mentio occurrit, quod ad tribunal S. Inquisitionis spectat, hoc S. Officium adiri quidem debet: at si parochus dispensationis obtinendae tentamen facere pro consulto habeat, nihil impedit, quominus ipse literas supplices ad Datariam dirigat vel pro circumstantiis ad Poenitentiariam; nam in iis, in quibus Poenitentariae sive Datariae officiales nihil ex se possunt, S. Pontificem, ut dixi, adibunt, quid concedere velit, exploraturi.

Ceterum in quocunque impedimento *publico* dispensatio petitur, securius et efficacius petitur per Ordinariatum. Nam Ordinarii attestatio atque causae inquisitio a Romana Sede exigi solet: quare nisi jam in ipsis literis supplicibus haec Ordinarii recognitio continetur, saltem morae trahuntur, antequam dispensatio vel potius dispensandi facultas concedatur.

§ 2.

De causis dispensandi.

Uti dictum est, dispensatio non sine causa conceditur. Neque 800
omnis causa pro omni impedimento ut sufficiens haberi potest.

Distinguuntur causae honestae et inhonestae; causae finales seu *motivae* et causae *impellentes*. Causa finalis seu *motiva* ea respicit, quae sibi attingenda aut removenda legislator dispensans proponit,

---

[1] Quaeritur, num per recursum Romam factum *delegatus* impediatur, quominus in ea ipsa causa *sua* dispensandi facultate, quam alioquin habet, utatur. Ad quod accipe responsum ex D'Annibale *sum.* I § 77 not. 63 (ed. 4^a): „Manuum appositione Romani Pontificis per recursum indigentis *non aufertur* Superiori inferiori sive potestas ordinaria sive delegata *in foro interno;* indecens et temerarium esset agere *in foro externo.*“ Conceditur tamen aliquando Ordinariis specialis facultas, ut etiam in foro externo agere liceat. Cf. etiam Gasparri *de matrim.* n. 410.

v. g. prolis legitimationem, scandalum et infamiam auferenda vel praecavenda, difficultatem puellae inveniendi virum, cui convenienter nubat, et similia: sunt igitur internae rationes, cur dispensatio concedatur, seu quas ipsa dispensatio respiciat. Causae impellentes sive *impulsivae* dicuntur eae, quae dispensantem movent, ut facilius dispensationem concedat, quae causam motivam supponunt.

I. Valor dispensationis et subsequentis matrimonii corruit, si causa motiva vera et sufficiens non exsistit; non corruit, si, exsistente quidem et allegata veraciter sufficienti causa, etiam alia falso addita erat.

II. Facilius omnino, etiam in propinquioribus gradibus, dispensatur ex causis inhonestis, quam ex honestis; siquidem in illis semper quaedam necessitas seu malum avertendum habetur.

801 Praestat causas canonicas indicare ex recentiore *Instructione super dispensationibus matrimonialibus* a S. C. de Prop. Fide 9. Maji 1877 edita (v. Acta S. Sedis vol. 10 p. 291 sqq.), quae et causas canonicas breviter enumerat, et ea, quae in petenda dispensatione praeter causas necessario sunt exprimenda, indicat. Addit S. C. hoc monitum: „Haec prae oculis habere debent non solum ii, qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam, qui ex Pontificia delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus, quibus pollent, rite, ut par est, utantur"; insuper monet: „Quin immo facile quisque intelligit, tanto graviorem causam requiri, quanto gravius est impedimentum, quod nuptiis opponitur". — Dein pergit S. Congr.:

„Opportunum visum est, in praesenti instructione paucis perstringere praecipuas illas causas, quae ad matrimoniales dispensationes obtinendas juxta canonicas sanctiones et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium pro sufficientibus haberi consueverunt; deinde ea indicare, quae in ipsa dispensatione petenda exprimere oportet.

„Atque ut a causis dispensationum exordium ducatur, operae pretium erit imprimis animadvertere, unam aliquando causam seorsim acceptam insufficientem esse, sed alteri adjunctam sufficientem existimari; nam quae non prosunt singula, multa juvant. Hujusmodi autem causae sunt sequentes:

1. „Angustia loci sive absoluta, sive relativa (ratione tantum oratricis), quum scilicet in loco originis vel etiam domicilii cognatio feminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere ei sit durum."

NB. Angustia loci non est desumenda a numero focorum cujusque parochiae, sed a numero focorum cujusque loci, vel etiam plurium locorum, si non distent ab invicem ultra milliare: ex resol. S. C. C. 8. Julii 1876. Angustus autem dicitur locus, qui non plus quam 300 focos habet.

2. „Aetas feminae superadulta, si scil. vigesimum quartum aetatis annum jam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa non suffragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat." [1]

---

[1] Refert Knopp op. cit. ‚*Eherecht*' edit. 3 pag. 454, hanc causam aetatis superadultae etiam admitti, quamquam puellae antea oblatae sunt nuptiae cum viro paris conditionis, modo propterea eas recusaverit, quia constituerat manere coelebs.

3. „Deficientia aut incompetentia dotis, si nempe femina non habet actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata exsistat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit."

4. „Lites super successione bonorum jam exortae, vel earundem grave et imminens periculum. Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat, neque adest alius, qui litem hujusmodi in se suscipiat, propriis expensis prosequatur, praeter illum, qui eam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim reipublicae, ut lites exstinguantur. Huic proxime accedit alia causa, sc. ‚dos litibus involuta', quum nimirum mulier alio destituta est viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum hujusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit."

5. „Paupertas viduae, quae numerosâ prole sit onerata, et vir eam alere pollicetur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod junior sit, atque in periculo incontinentiae versetur."

6. „Bonum pacis, quo nomine veniunt non tantum foedera inter regna et principes, sed etiam exstinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad exstinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sunt, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur: vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et, licet pax inter ipsos inita jam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret."

7. „Nimia, suspecta, periculosa familiaritas, necnon cohabitatio sub 802
eodem tecto, quae facile impediri non possit."

8. „Copula cum consanguinea vel affini vel alia persona impedimento laborante praehabita, et praegnantia ideoque legitimatio prolis, ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quae secus innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebejis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non sit sub spe facilioris dispensationis: quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda" — cf. hac de re nunc infra n. 812.

9. „Infamia mulieris ex suspicione orta, quod illa, suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa; quum nempe, nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata vel innupta maneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur."

10. „Revalidatio matrimonii, quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est; quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo et gravi damno, praesertim feminae. At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. sess. 24 c. 5 *de ref. matr.*"

11. „Periculum matrimonii mixti, vel coram acatholico ministro celebrandi. Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis, spreta Ecclesiae

auctoritate, justa invenitur causa dispensandi, quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis et defectionis a fide taliter agentium, et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi haereses impune grassantur. Ita docuit haec S. Congregatio in instructione die 17. Aprilis 1820 ad Archiepiscopum Quebecensem data. Pariter quum Vicarius Apostolicus Bosniae postularet, utrum dispensationem elargiri posset iis catholicis, qui nullum aliud praetexunt motivum, quam vesanum amorem, et simul praevideatur, dispensatione denegata, eos coram judice infideli conjugium inituros, S. Congr. S. Officii in IV. fer. Aug. 1822 decrevit, ‚respondendum oratori, quod in exposito casu utatur facultatibus sibi in formula II. commissis, prout in Domino expedire judicaverit'. Tantundem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholica matrimonium celebrare audeat."

12. „Periculum incestuosi concubitûs. Ex superius memorata instructione anni 1822 elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu sordescat cum publico scandalo atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse."

13. „Periculum matrimonii civilis. Ex dictis consequitur, probabile periculum, quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat civile, ut ajunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam."

14. „Remotio gravium scandalorum."

15. „Cessatio publici concubinatûs."

16. „Excellentia meritorum, quum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute aliove modo de religione sit optime meritus."

„Hae sunt communiores potioresque causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent; de quibus copiose agunt theologi ac sacrorum canonum interpretes."

803 Porro quum hae causae sint potiores, aliae non excluduntur. Affertur v. g. passim a scriptoribus pro causa „conservatio divitiarum in eadem familia illustri"; insuper dispensatio, quam S. Pontifex interdum concedere solet sine iis causis, quae ut canonicae habentur — vocatur illa dispensatio „ex certis et rationabilibus causis" —; a fortiori causa quaelibet ‚magni publici boni' ratio dispensandi est.

Uti fere per se patet, causae a n. 6 et deinceps allatae graviores sunt, et ad dispensationem etiam in difficilioribus impedimentis possunt sufficere; priores nn. 1—5 fere pro remotioribus gradibus cognationis aut similibus impedimentis tantum sufficiunt, nisi forte plures causae simul conjunctae exsistant. — Cf. Bangen II. p. 179 sqq., von Schulte op. cit. pag. 359 sqq., Knopp § 44—56.

§ 3.

De petitione dispensationis.

804 I. Parochus aut confessarius, quando dispensatio per ipsum petenda est, primo videat, a quo debeat dispensationem petere; dein maxime attendat, quid necesse sit in petitione exponi.

Quando igitur a publico impedimento petenda est dispensatio, exponere debet nomen sponsorum, i. e. cognomen et nomen *integre* scriptum, adeoque v. g. ‚Andreas', non A., et locum atque dioecesim sive originis, sive actualis domicilii; idque faciendum est, sive per Datariam, sive per Poenitentiariam in forma pauperum (sive immediate, sive per Ordinarium) dispensatio concedenda speratur.

Censetur autem *publicum* impedimentum quaelibet consanguinitas, atque etiam facile affinitas ex illicita copula orta, si femina gravida evasit, modo agatur de matrimonio *contrahendo* (v. Bangen II. p. 169). Alioquin *occultum* dicitur impedimentum, si pauci tantum, iique prudentes, qui praevidentur rem silentio premere, conscii sunt; *omnino occultum* dicitur, si praeter impedimenti auctores nemo est, qui illud cognoverit, aut summum unus, qui probare illud non possit (v. infra § 4).

II. In publico impedimento triplici forma dispensatur: 1) in forma nobilium, 2) in forma ordinaria, 3) in forma pauperum. Omnes illae diversae dispensandi formae occurrunt apud Datariam. Attamen qui in forma pauperum dispensationem petunt, possunt, ut jam dictum est, literas etiam ad S. Poenitentiariam dirigere minoribus expensis.

Discrimen vero diversae formae in eo est, quod in forma nobilium causa minus gravis sufficiat ad impetrandam dispensationem, at multo etiam major taxa pecuniaria in pios usus expendenda exigatur. Neque id injustum est. Nobiles enim sibi demereri, causa publicae utilitatis est pro Ecclesia et ad bonum publicum promovendum; imo ipsa largae eleemosynae erogatio partim defectum gravioris causae supplet, ita ut supremus Ecclesiae legislator pro gratia exceptionem aliquam a communi lege facere possit.

In forma pauperum antiquitus vix alia causa admittebatur, quam 805
„causa infamans", ut: copula habita, nimia familiaritas, sponsae diffamatio, matrimonium jam contractum, propter quod sine scandalo separatio fieri nequiret etc. — Decursu autem temporis facilius concessae fuerunt dispensationes pauperibus ex aliis „rationabilibus causis", ut exponunt editores Act. S. Sedis vol. I. p. 446. — Ut autem illo modo dispensatio peti possit, debet vere de canonica paupertate constare[1]. Juvabit declarationem Pii VI. exhibere (v. Knopp p. 271, Bangen II. p. 211): „Vere autem pauperes non utique alii existimantur, quam qui adeo miserabiles exsistunt, ut labore manuum et industriâ tantum vivant; quo fit, ut dispensatio in forma pauperum non aliter a S. Sede Apostolica concedatur, quam si de paupertate dispensandorum constet ex proprii Episcopi attestatione, et ea quidem, quae exarata sit juxta decretum Urbani VIII., quod nimirum oratores pauperes et miserabiles exsistant, et ex suis laboribus et industria tantum vivant. — Quia tamen illi etiam pauperes merito dici possunt, qui aliqua possident bona, hinc non denegatur a S. Sede dispensatio in forma

[1] Quare nunc, si rigorose loqui volumus, jam distinguunt dispensationem *in forma pauperum* et *pauperibus concessam.* Prior illa datur ex causis inhonestis etiam iis, qui pauperes non sunt, si hanc formam magis volunt, cum minoribus expensis, tamen ratione habita conditionis fortunae; posterior solis pauperibus, diminutis vel condonatis expensis, conceditur etiam ex causis honestis.

pauperum, etiamsi oratores bona in capitali possident valoris scutatorum 300 monetae Romanae, si ipsi citra montes degunt, vel si ultra montes, valoris ducatorum de camera 300, summam attingentium scutatorum 525 monetae Romanae (NB. circiter 2400 M. seu 3000 Fr.). Quodsi bona habeant ad quantitatem usque scutatorum vel respective ducatorum 1000, dispensatio nihilominus in forma pauperum conceditur, soluta tamen eleemosyna, quae vulgo ‚*componenda*' dicitur scutatorum 4 pro quolibet centenario[1], quae S. Dominus N. memorat et vult vel eroganda esse in subsidium pauperum vel ipsis dispensandis titulo eleemosynae remittenda, si nihilominus, eorum conditione inspecta, pauperes esse videantur. Amplius vero possidentibus dispensatio in forma pauperum non conceditur."

Nostris vero temporibus videtur summa duplo major sumenda esse; jam anno 1841 summa 5000 Fr. a rectoribus Datariae assignabatur: vide Gury II. n. 879. Imo secundum Bangen II. p. 212 canonica paupertas allegatur in precibus, quoties aliquis ex meris reditibus bonorum suorum pro conditione statûs sui decenter vivere non potest, nisi adhibeat negotium, industriam vel manuum laborem. Qui vero munus publicum gerit, ex eoque salarium percipit, quod pro victu secundum statûs sui conditionem ac muneris dignitatem et onera, annuatim vel omnino vel quasi totum insumit, hic inter pauperes pariter reputatur. — Attamen si qui *lato sensu* pauperes sunt, eorum conditio et bona fortunae exponantur, vel dicatur, *quamnam* taxam pecuniariam, minorem vel majorem, solvere parati sint: cf. supra n. 796 not. 2.

Instructio Ep. Hildesiensis d. d. 14. Martii 1886 *simpliciter pauperes* eos vocat, quorum possessiones frugiferae valorem 2400 M. non superent; *fere pauperes*, etiamsi possessiones valorem circiter 8000 M. attingant. (Cf. *Archiv für K.-Recht* vol. 56 pag. 264 sqq.)

Si petitio falso tamquam pauperibus facta est, dispensatio non censetur invalida; at exsecutor, qui ante dispensationem datam falsitatem detegit, negotium sistere et re exposita sanationem debet petere: cf. n. 819, 10.

In casibus *occultis* apud Poenitentiariam nulla fit distinctio diversae formae, neque taxa pecuniaria ulla imponitur; sed summum expensae in expeditione literarum necessariae solvendae sunt.

806 III. Literae melius quidem scribuntur linguâ latinâ; at quum cuilibet tribunali Romano praesto sint interpretes diversarum linguarum, absolute necessarium non est, literas ad tribunalia Romana directas latinâ linguâ conficere. Verum si vernaculâ linguâ scribantur, id saltem observetur, ut scribens charactere latino utatur. — Nomina loci, dioecesis etc. propriis suis nominibus scribi debent, quibus in sua patria vocantur, non nominibus latinis, in quae latina lingua secundum lexica ea mutat; atque nomini urbis vel oppidi nomen provinciae addatur, ne pro directione literarum oriantur difficultates.

Literae ad Datariam directae foris inscribuntur: „*Ad Summum Pontificem — Romam*", — vel etiam: „*Eminentissimo Principi, Reverendissimo D.*

[1] Haec taxa ea est, quam Dataria, si apud eam petitio fit, consueverit imponere; nam apud Poenitentiariam, si a publico impedimento pro pauperibus dispensatur, taxam longe minorem esse, jam supra dixi n. 796 not. 2.

D. N. (praenomen) *Cardinali N.* (cognomen) *Prodatario*". Etiam *in* ipsis literis, qui scribit, ipsum S. Pontificem alloquitur, verbis: *Beatissime Pater*".

Literae ad Poenitentiariam destinatae scribuntur ad Cardinalem Poenitentiarium Majorem:

„Eminentissime Princeps,
Reverendissime Domine!"

foris vero similiter ut supra:

„Eminentissimo Principi,
Reverendissimo D. D. N. Cardinali N. (Poenitentiario Majori)
Romam";

vel si mavis:

„Sacro Tribunali Poenitentiariae Apostolicae
Romam."

IV. Tenor literarum, quae dirigi debent ad Apostolica tribunalia, 807
jam considerandus est. Quem in finem juvat prosequi instructionem S. Congregationis de Propag. Fide, supra praec. § ex parte jam datam ex die 9. Maji 1877.

„Sed jam se convertit instructio ad ea, quae *praeter causas* [NB. ergo ante omnia causae vere motivae, eaeque canonicae indicandae sunt, ut dispensatio concedi *possit*] in literis supplicibus pro dispensatione obtinenda de jure vel consuetudine aut stylo curiae exprimenda sunt, ita ut si etiam ignoranter taceatur veritas aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur. Haec autem sunt:

1. „Nomen et cognomen oratorum, utrumque distincte ac nitide ac sine ulla literarum abbreviatione scribendum."

2. „Dioecesis originis, vel actualis domicilii. Quando oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant."

3. „Species etiam infima impedimenti, an sit consanguinitas vel affinitas orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus vel matrimonio rato; in impedimento criminis, utrum provenerit ex conjugicidio cum promissione matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii; in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem."

4. „Gradus consanguinitatis vel affinitatis, aut honestatis ex matrimonio rato, et an sit simplex, vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior, uti et linea, an sit recta an transversalis; item an oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris, quam ex parte matris." [1]

5. „Numerus impedimentorum, e. g. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel aliud quodcunque impedimentum sive dirimens, *sive impediens.*" Sic qui consobrini sunt ex avo et avia inter se consobrinis, *tribus* tenentur impedimentis, uno 2^{di} gradus, duobus 4^{ti} gradus: quae omnia indicanda sunt. S. C. Off. 11. Martii 1896.

6. „Variae circumstantiae, sc. an matrimonium sit contrahendum vel 809
contractum; si jam contractum, aperiri debet, an bona fide saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; idem an praemissis denuntiationibus

[1] Quibus limitibus haec omnia *valorem* dispensationis attingant, vide infra.

et juxta formam Trident.; vel an spe facilius dispensationem obtinendi: demum an sit consummatum; si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti —: quae nunc moderare ad normam decreti n. 812 relati.

7. [„Copula incestuosa habita inter sponsos *ante dispensationis exsecutionem* sive ante sive post ejus impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publice nota sit, sive etiam occulta. Si haec reticeantur, subreptitias esse, et nullibi ac nullo modo valere dispensationes super quibuscunque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis necnon et publicae honestatis declaravit S. Congr. S. Officii fer. IV. 1. (8.?) Aug. 1866. — In petenda vero dispensatione super impedimento affinitatis primi vel secundi gradûs lineae collateralis, si impedimentum nedum ex matrimonio cum defuncto conjuge oratoris vel oratricis, sed etiam ex copula antematrimoniali seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata oriatur, necesse non est, ut mentio fiat hujusmodi illicitae copulae, quemadmodum patet ex responso Sacrae Poenitentiariae dici 20. Martii 1842, probante s. m. Gregorio XVI. ad Episcopum Namurcensem, quod generale esse, idem tribunal literis diei 10. Decembris 1874 edixit."] — Haec tamen, quae hoc n. 7 dicuntur, per decretum Leonis XIII. 25. Junii 1885 abolita sunt, ita ut in posterum dispensatio non reddatur nulla, etsi copula incestuosa vel prava intentio, ex qua perpetrata sit, reticeatur.

De quo habes etiam decr. S. Officii d. 18. Martii 1891, *dispensationes matrimoniales super quovis impedimento, sive agatur de matrimoniis invalide contractis, sive de contrahendis, esse validas, etiamsi copula, vel consilium et intentio per eam facilius gratiam impetrandi reticita fuerit:* v. Acta S. Sedis vol. 26 p. 510.

Adde 8.: „Tandem exponi debet, si quid ex clausulis, quae in instrumento dispensationis apponi solent, verificari vel impleri non posse praevidetur, ut pro gratia tales clausulae omittantur: alias enim instrumentum facile vi sua destituetur."

809 **Explicatio quaedam ad n. IV.** Ad n. 1 et 2. Ea, ut patet, pro solis iis literis supplicibus circa dispensationem, quae in foro externo dantur, valent: pro foro interno ad Poenitentiariam confessarius in literis suis ficto nomine utitur.

Ad 3. In cognatione spirituali radix non necessario declaranda est, i. e. sive orta sit ex sacramento baptismi, sive ex confirmatione: vide von Schulte op. cit. p. 367; neque *pluralitas*, si quis plurium ejusdem personae filiorum patrinus evaserit: S. Off. 29. Apr. 1894. — In affinitate *illegitima occulta* perinde est, utrum sit linea recta an transversalis, ita ut error hac in re in literis supplicibus commissus dispensandi facultatem vi sua non destituat; vide von Schulte ib., Knopp l. c. p. 478.

Ad 4. Si gradus mixtus tamquam simplex gradus expressus est, idque secundum remotiorem distantiam, suppressa propinquiore: dispensatio *irrita fit*, idque semper, quando gradus propinquior suppressus est *gradus primus* [1]; aliter irrita non fit, in dispensatione Datariae attamen *illicite* exsecutioni datur. (Cf. Knopp. p. 476.) — Ben. XIV. Brev. *„Etsi matrimonialis"* a. 1755.

Imo Scavini addit, in gradu inaequali seu mixto exprimendum etiam esse sexum illius, qui in gradu propinquiore cognatus sit, siquidem diffici-

[1] Declaratio *primi* gradûs propinquitatis, non solum si est mixtus cum *secundo*, sed si *cum quocunque mixtus est, ad valorem* pertinet, ut habetur ex Bulla S. Pii V., cujus meminit Ben. XIV. in *‚Quaest. canon.'* q. 183 n. 12.

lius dispensatur, ut nepos ducat amitam, quam ut avunculus ducat neptem: quod Del Vecchio t. II. n. 1010 not. 1 saltem „consultissimum" dicit.

Sin errore *gradus* propinquior loco remotioris expressus esset, modo *natura* impedimenti (et *linea*) recte notata sint, dispensatio videtur valere; *Gasparri* tamen l. c. n. 357 id negat. Quodsi *natura* impedimenti falso narratur, etsi difficiliorem reddat dispensationem, quam si secundum rei veritatem exposita esset, tamen dispensatio nulla est.

Ad 5. Valde essentiale est, *omnia impedimenta* exponi. Hoc ita est verum, ut, si in Dataria aliquod impedimentum aut aliqua circumstantia, utpote occulta, suppressa est, in literis ad Poenitentiariam dirigendis non tantum illa res suppressa declarari debeat, sed simul totum impedimentum apud Datariam antea expositum, nisi forte sint res omnino disparatae, quae dispensationem nullo modo difficiliorem aut cum majore gravamine conjunctam reddant. Exponi igitur debet, a Dataria hanc vel illam dispensationem esse obtentam, aut literas ad eam esse directas, prout res se habet: caveri tamen debet secreti proditio, aut si sigilli sacramentalis laedendi periculum fuerit, solum cum licentia poenitentis procedendum est.

Ad 6. Circumstantiae illae aggravantes, sc.: a) neglectio legum Ecclesiae 810
de bannis vel clandestinitate, b) mala fides seu scientia impedimenti in ipso matrimonio contrahendo, [c) consummatio matrimonii post cognitam ejus nullitatem et d) prava intentio sic extorquendi dispensationem seu facilius obtinendi — de his cf. n. 812] necessario exprimendae sunt, idque pro valore dispensationis, saltem si ab utroque (putativo) conjuge ita peccatum est. Si enim alteruter bona fide egit, in ejus favorem dispensatio obtenta videtur pro valida sustinenda esse, sed quum primum cognoscitur, alterum mala fide egisse vel in enumeratis circumstantiis peccasse, delegatus jam licite procedere nequit ad dandam dispensationem, sed iterato recursu ad S. tribunal Poenitentiariae opus est.

Videlicet culpam ab alterutro tantum commissam *valori* matrimonii non obstare, concludo ex casibus, nomine Bened. XIV. editis, ubi cas. II. *mens. Sept.* 1740 de certa aliqua ejusmodi circumstantia dicitur, „hoc tamen intelligendum puto, quando ea intentio (facilius extorquendi dispensationem) reciproca fuit, quum aequum non sit, ut unius delictum alteri noceat". — Cave tamen, ne hoc principium applices ad *ipsum impedimentum,* quod vocatur *„criminis"*, et ad matrimonium cum illo impedimento ab uno tantum *ut tali* cognito contractum: de quo n. 770.

Ad 7. De incestuosa copula, quae antea declaranda erat, et propter quam non 811
declaratam dispensationes ante d. 25. Junii 1885 datae etiamnunc invalidae esse possunt, haec noto (intelligitur incestus *lato* sensu, sive consanguinitas, sive affinitas, sive honestas publica, sive spiritualis vel legalis cognatio exsistit):

1) Declaranda illa circumstantia non erat, si post dispensationem oratoribus *applicatam* copula perpetrabatur aut iterabatur: v. Scavini III. n. 925 et 926.

2) Quando incestus declaratus quidem erat, sed ante dispensationem applicatam *iterabatur,* nova seu iterata declaratio solum exigebatur, si dispensatio fiebat in forma pauperum, vel ad ejus analogiam.

3) Sed ne tum quidem exigenda erat, nisi sponsi incestum iteraverant, postquam ex mandato delegati separatio pro certo aliquo tempore iis indicta fuerat, ut, eo elapso, dispensationem reciperent. Ita omnino clare Pyrrhus Corradus *„Praxis dispensationum Apostol."* l. 8 c. 5 n. 36.

4) Declaranda omnino erat praeter incestum, quando ipse incestus ejusve fama pro causa dispensationis allegabatur, etiam prava intentio, quoties sponsi hac mente copulam habuerant, ut facilius obtinerent dispensationem; idque *sub poena nullitatis,* si ambo hac prava intentione egerant. — Ad quae omnia *non amplius est obligatio.*

812 Omissa igitur quaestione de dispensationibus antea datis earumque necessariis conditionibus, nunc, i. e. ex die 25. Junii 1885, omnia componenda sunt secundum literas Leonis XIII., quibus post relatum decretum S. Officii d. d. 1. Aug. 1866 et responsum S. Poenitentiariae d. d. 20 Julii 1869 S. Pontifex ita prosequitur: „Verum quum plurimi sacrorum antistites sive seorsum singuli, sive conjunctim S. Sedi retulerint, maxima ea de causa oriri incommoda, quum ad matrimonialium dispensationum exsecutionem proceditur, et hisce praesertim miseris temporibus in fidelium perniciem non raro vergere quod in eorum salutem sapienter inductum fuerat, Sanctissimus D. N. D. Leo divina providentia Papa XIII. eorum postulationibus permotus, re diu ac mature perpensa, et suffragio adhaerens Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium in universa christiana republica una mecum inquisitorum generalium, hasce literas omnibus locorum Ordinariis dandas jussit, quibus eis notum fieret, decretum superius relatum S. romanae et universalis Inquisitionis et S. Poenitentiariae, et quidquid in eundem sensum alias declaratum, statutum aut stylo Curiae inductum fuerit, a se revocari, abrogari nulliusque roboris imposterum fore decerni; simulque statui et declarari, dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas futuras: contrariis quibuscunque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.“

Ex dictis sequuntur pro praxi notanda:

813 1. Si impedimento publico adjungitur impedimentum occultum aut circumstantia necessario exprimenda occulta: publicum impedimentum in Dataria, aut secundum normam Datariae, exponi debet; occulta vero deferuntur ad Poenitentiariam suppressis nominibus, at mentione facta publici impedimenti ejusque dispensationis vel petitionis apud Datariam factae.

2. Si carnalis copula, quae exprimi debeat, pluries commissa est, sufficit, ut factum narretur; numerum peccatorum non oportet exprimi.

3. Si quis fornicaria copula contraxit cum sponsa affinitatem, post dispensationem autem acceptam iterum cum eadem sponsae consanguinea peccat, probabiliter non indiget nova dispensatione: S. Alph. n. 1140 cum Garcia, Gury II. n. 871 ex quadam declar. S. C. C.; indigeat autem dispensatione in ordine ad debitum conjugale, si *post* contractum matrimonium peccatum iteret; contrahit enim illo peccato iterum affinitatem cum sua uxore, quae sublata erat non ad liberius peccandum, sed ad finem matrimonii contrahendi.

4. Qui, dispensatus ab affinitate illegitima, cum *alia* consanguinea sponsae peccat, *nova* dispensatione indiget, quia novam affinitatem contraxit. Imo semper id addi debet, quando affinitas ex copula cum pluribus sponsae consanguineis exsistit, utpote quod *multiplicem affinitatem* creaverit [1].

5. Si quis post acceptam dispensationem secundam dispensationem petere debet, primae dispensationis mentio facienda est, si secundum impedimentum connexionem cum priore habet vel ex simili crimine oritur: quia

[1] Alia autem causa exsistere potest, in qua perperam dixeris esse *duplicem* affinitatem, quae declarari debeat. Videlicet si vir, defuncta uxore, quacum ante matrimonium peccaverat, ejus sororem vult ducere, illi affinis quidem factus est tum ante suum matrimonium illegitima affinitate, tum legitima ex matrimonio. Sed *sola posterior*, in quam prior affinitas transiit, declaranda est. Ita expresse declaravit S. Poenitentiaria 20. Martii 1842, approbante Gregorio XVI., ad Ep. Namurcensem, item 10. Dec. 1874, ut habes supra n. 808.

duo haec impedimenta in uno homine concurrere, habetur pro *circumstantia aggravante,* quae aut difficiliorem reddit dispensationem, aut graviorem poenam imponendam inducit.

Appendix. In literis supplicibus, quae Romam ad tribunalia 814
diriguntur, secundum stylum *nunc vigentem* quam brevissime indicantur impedimenta cum suis circumstantiis aggravantibus, et causae pro dispensatione exsistentes. In literis ad Ordinariatum datis idem modus potest observari, quamquam etiam fusiore calamo enarratio fieri potest. Formam exhibiturus sum tum ad S. Poenitentiariam, tum ad Ordinariatum.

I.

Reverendissime Domine!
Celsissime Praesul!

Maria N. ex oppido N. (hujus) dioecesis orta (vel oppidi N. etc. incola) annos 25 nata cum Tullio N. ex oppido . . . dioecesis . . . annorum 33 [1] matrimonium inire cupit. Obstat impedimentum secundi gradûs consanguinitatis attingentis primum, ut ex schemate adjuncto patet. Petunt igitur humillime dispensationem. — Rationes sunt hae: 1. Aetas Mariae superadulta; 2. defectus dotis, quo non obstante Tullius eam alere vult; 3. ex parte Tullii vidui, patris 4 filiorum parvulorum, difficultas inveniendi aliam personam, quae pro matre educationem procuret.

Supradicti igitur oratores rogant per me, ut Reverendissimus Episcopus dispensationem concedere, aut, si opus sit, Româ implorare dignetur. Quod si posterior via ineunda sit, videntur sane sub forma pauperum dispensationem sperare posse, quum non solum Maria pauper et miserabilis exsistat, sed etiam Tullii bona, quae possidet, tantummodo ad valorem 4000 M. ascendant, ex annuo autem salario 3000 M. pro viri et familiae conditione superfluum aliquid reponi vix possibile sit.

Reverendissimae Dominationis Vestrae
servus humillimus
N. N.

Quodsi tandem ejusmodi dispensationis petitio Romam dirigitur directionem habes supra n. 806.

II. Pro impedimento occulto propono exemplum literarum, quae 815
dirigantur ad Poenitentiariam: quodsi ad Ordinariatum dirigantur, tenor idem manet, sola directio (Adresse) et allocutio diversa est.

Eminentissime Princeps!
Reverendissime Domine!

Titus et Titia cupiunt matrimonium inire. Sed obstat impedimentum affinitatis 1^mi gradus lineae rectae ex copula illicita, quam Titus cum matre Titiae post sponsalia cum hac contracta habuit.

---

[1] Imo in petenda dispensatione fori externi servetur mos apud Datariam vigens, ut utriusque sponsorum aetas semper notetur, sive aetas superadulta exsistit et pro causa dispensandi allegatur sive non, i. e. dicatur: „natus die *tali* anno *tali*“.

Quare sponsus, de commisso crimine dolens, humillime per me confessarium petit, ut haec gratia et indulgentia dispensationis sibi concedatur.

Causae sunt: sponsalia jam inita; timor diffamationis, si sponsalia ex causa non apparente dissolverentur.

Münster, Domplatz (seu via X) N. n.
Westfalen (Germania)[1].

Eminentiae Vestrae
humillimus servus
N. N.

III. Pro matrimonio jam contracto:

816 Titia cum Tito vivit in matrimonio specietenus valido, re ipsa nullo. Obstat impedimentum consanguinitatis occultae in 2^do^ gradu ex crimine ortae, ut constat ex schemate annexo: quod ambo quidem sciverunt, sed spreverunt, ita ut civile matrimonium inirent, quod alias in hoc loco, utpote Tridentinae legi de clandestinis matrimoniis non subjecto, nullitatem non inducit. Titia nunc tanti criminis poenitens humillime petit dispensationem, ut clam cum Tito nunc legitimum consensum ponere possit. — *Rationes* sunt: 1. publicum scandalum ex separatione oriundum; 2. periculum educationis prolis jam natae, quam alias Titus, bonis moribus non indutus, sibi verisimiliter vindicabit; 3. civilis impossibilitas separationis, quum Titia lege et poenis cogi possit ad convivendum cum Tito.

Instanter igitur rogo nomine Titiae, ut Eminentia Vestra pro facultate sibi data dispensationem misericorditer concedere dignetur etc.

NB. Si agitur de impedimento publico, nomina vera sponsorum vel putativorum conjugum, locus originis, vel domicilii accurate scribi debent, ut in exemplo priore ad Ordinariatum.

817 ### IV. Exemplum literarum, quibus petitur sanatio dispensationis propter defectum invalidae aut dubiae.

Publius et Anna a secundo gradu consanguinitatis dispensationem obtinuerunt. Nunc autem detectum est, eorum consanguinitatem revera attingere etiam gradum primum. Quum matrimonii celebratio jam instet neque sine scandalo possit omitti, sponsi supplices implorant ab Eminentia Vestra sanationem dispensationis prius obtentae, ut tuta conscientia matrimonium possint contrahere. (*Subscriptio etc.* ut supra.)

NB. In literis sanatoriis consuevit breviter dici *„perinde valere“*; quod igitur sic intellige, ut dispensatio nunc valide dari seu dispensatio data nunc sanari possit *perinde, ac si defectus ille enarratus commissus non esset.* Haec autem sanatio etiam in forma commissoria concedi solet, ita ut commissarii (confessarii) sit, eam poenitentibus *applicare,* sicut ipsam primam dispensationem, secundum modum, quem sq. § explicaturus sum.

Si defectus seu impedimentum noviter detectum gravius non est, quam impedimentum circa quod dispensatio data erat, necesse non est novas rationes in libellis supplicibus enarrare; alias addantur rationes suadentes prout adsunt.

Si post dispensationem ob defectum invalidam matrimonium jam fuerit specietenus contractum, non petendum est *Perinde valere,* sed nova dispensatio secundum form. III. mutatis mutandis.

---

[1] *Regnum,* quo dirigi debent literae italico suo nomine, quantum fieri possit, scribatur; reliqua autem, i. e. oppidum, provincia nomine suo, quo in patria vocantur.

§ 4.

De concessione dispensationis.

I. Dispensatio a S. Sede conceditur aut *„in forma gratiosa“*, aut 818
„in forma commissoria“, i. e. aut S. Pontifex tribunalve Romanum per se ipsum *dispensationem elargitur*, aut alteri, sc. Episcopo vel confessario, *committit*, ut dispensationem largiantur. Quod ultimum communiter fit; primum fieri consuevit in causa Principum et similium.

Discrimen illud aliquando omnino observandum est. Nam ad valorem dispensationis atque subsequentis matrimonii exigitur, ut, quae in literis supplicibus dicta fuerint, vera sint saltem tempore, quo dispensatio ipsa datur (cf. Scavini III. n. 930, Pyrrh. Corradus op. c. l. 7 cap. 6 n. 24: „et sufficit, causam ipsam verificari tempore exsecutionis literarum, licet tempore impetrationis illarum [in forma commissoria] non esset vera“).

II. Si igitur ipse S. Pontifex ejusve tribunal dispensavit, seu, quod idem est, si dispensatio fit in forma gratiosa, impedimentum tollitur eo tempore, quo rescriptum subscribitur et sigillo munitum expeditur.

III. Per Datariam *mandatum dispensandi* ad Ordinarium alterutrius sponsorum dirigitur, qui, inquisitione de veritate rerum in literis supplicibus expositarum facta, mandatum tenetur exsequi: quapropter tunc dispensatio perficitur, seu impedimentum aufertur, quando Ordinarius hanc suam voluntatem declarat, seu quando instrumentum conscriptum signat et expedit (nisi forte dispensationem alteri, v. g. parocho, committere possit et committat). Idem, si *ad Poenitentiariam* in fori externi causis recurritur.

IV. S. Poenitentiaria in foro interno per confessarium dispensationem impertitur: quapropter tunc impedimentum aufertur, quando confessarius id poenitenti aliquo modo indicat seu pronuntiat. Videlicet convenit quidem, ut, confessione peracta (quae communiter requiritur) et absolutione data, subjungat: „Et ego auctoritate mihi delegata dispenso tecum in impedimento NN., quod contraxisti, et habilem te reddo ad matrimonium cum NN. ineundum, atque legitimam declaro prolem conceptam (sive natam) et concipiendam, in nomine Patris etc.“; attamen certa forma ex se praescripta non est, ideoque sufficit, ut cum intentione dispensandi vernaculâ linguâ confessarius poenitenti dicat, se facultate accepta ipsum dispensare.

Clausulas autem, quae notatu dignae sunt, hîc afferam:

I. In instrumento *publico*, sive a Dataria sive a Poenitentiaria datur, 819
hae pro diversis dispensandi causis praecipuae sunt clausulae, prout a die 28. Aug. 1885 apponi solent:

1. „Suprascriptos oratores a quibusvis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis tam a jure quam ab homine .. latis .. ad effectum infrascriptae gratiae dumtaxat consequendae, hujus rescripti tenore absolvens etc.“ — Haec clausula id solum efficit, ut nulla poena ecclesiastica, quam oratores fortasse incurrerint, valori dispensationis obstet. De reliquo censurae illae vel poenae in omni suo vigore persistunt. De pleniore absolutione cf. clausulam 4.

2. „Proprio *oratoris (oratricis, oratorum) Ordinario* (vel *Ordinario loci*) facultatem concedit.“ Ita nunc literae Româ dirigi solent. Appellatione *Ordinarii* veniunt Episcopi, Administratores seu Vicarii Apostolici, Praelati seu Praefecti habentes jurisdictionem cum territorio separato, eorumque Officiales seu Vicarii in spiritualibus Generales, et sede vacante Vicarius Capitularis vel legitimus administrator: ergo loco Episcopi defuncti Vicarius Capitul. suffectus literas exsequi potest, et vice versa; de quo cf. supra n. 791.

3. „Praevia absolutione sive per se sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam ab Eo ad hoc specialiter hac vice tantum specialiter deputandam a censuris etc.“ Quamquam igitur facultas dispensandi in impedimento matrimonii delegari per Ordinarium non potest, nisi ad normam supra n. 791 datam, facultas absolvendi a censuris potest alteri committi, sed specialiter pro singulis causis occurrentibus.

4. „(Praevia absolutione) . . . a censuris et poenis ecclesiasticis, si quas ob praemissa incurrerint, et ab incestûs reatibus.“ Circa poenas igitur, quas propter incestum aliave crimina, quae causam vel ansam dederunt dispensationis petendae, plene et absolute relaxatio seu absolutio conceditur. Est autem etiam in casu, quando dioecesana lex incestum censurâ aliâve poenâ punit, necessarium, ut Apostolica Sedes facultatem dispensandi concedat, si ad eandem Apostolicam Sedem recurri debebat pro dispensatione impedimenti matrimonii: nam si causa aliqua ad Sanctam Sedem refertur, illa causa *tota* ad eam trahitur, neque inferiori Superiori quidquam potestatis in ea causa remanet. — Absolutio autem haec sic dari potest, ut pro utroque foro, i. e. et externo, si necesse sit, et interno, valeat. Aliter, si S. Poenitentiaria pro solo interno foro facultatem concedit [1].

5. „Imposita eis pro modo culpae salutari poenitentia.“

Si crimen commissum in causa est, et a Pontifice seu ejus tribunali *poena determinatur*, haec necessario, ne invalida fiat dispensatio, imponi et accipi debet. — Si vero nulla determinata est, etiam sub poena nullitatis poenitens acceptare debet poenitentiam, *quae imponitur*, cum animo eam implendi; commissarius vero sub gravi tenetur imponere poenitentiam, at si negligit, dispensatio non corruit: v. Scavini t. 4 n. 395.

6. „Si vera sint exposita.“ — Hinc pro dispensationibus in posterum concedendis sublata est dubitatio de valore dispensationis, si causa exposita vera quidem erat, sed informatio a dispensante contra praescriptum erat omissa. Nunc enim *a sola rei veritate* dispensationis valor pendet, scilicet a veritate eorum, quae n. 807—814 supra explicata sunt.

7. „Dummodo super petita dispensatione recursus ad Apostolicam Datariam factus non sit.“ Hanc clausulam S. Poenitentiaria addit, quia vicario modo pro Dataria dispensationem concedit, neque eandem causam ad se trahere potest, quae jam delata est ad proprium Datariae tribunal.

8. „Aliudque eis non obstet canonicum impedimentum.“ Sive igitur aliud aliquod impedimentum dirimens, sive solummodo impediens subest, dispensatio non valet, quia omnia impedimenta declarari debent: cf. supra n. 809.

---

[1] Post decretum Leonis XIII., de quo n. 812, clausula non amplius locum habet, quae alias erat summi momenti, videlicet: „Recepto prius ab eis juramento, quod sub spe facilius assequendae dispensationis hujusmodi, incestum non commiserint.“ — Quod dicitur ‚*sub spe*‘, intelligitur ‚*ex ea intentione*‘; nam si haec aberat et solum aliqua spes habendi dispensationem suboriebatur, id indicandum non erat. — Quid juris fuerit, si unus tantum hanc pravam intentionem habebat, jam supra dictum est.

9. „Remoto, quatenus adsit, scandalo, praesertim per separationem tempore tibi bene viso, si fieri possit.“ Quum non amplius absolute dicatur „ab invicem separes“, difficultas et dubium circa valorem dispensationis propter separationem non factam vel a sponsis violatam, evanuit; atque res committitur prudentiae Ordinarii.

10. „Dummodo ipsi pauperes et miserabiles exsistant.“ Si in forma ut pro pauperibus dispensatio postulata est, haec clausula consuevit addi. Qua conditione non verificata, *non licet* dispensare; at dispensatio valida est ex sententia S. Alphonsi hucusque practice tuta. Cf. *Homo Apost.* tr. 18 n. 87, ibique resp. S. C. C. 9. Sept. 1679, quae nihilominus 18. Apr. 1863 respondit ad Quaesitum: „*Dilata.*“

II. Clausulae in instrumento *pro foro interno* apponi solent sequentes: 820

1. „Si ita sit“ sive „si preces veritate nitantur“. Quodsi ita dicitur, dispensationis valor, ut supra habes, pendet a sola objectiva veritate. Quapropter confessarius *debet* utique in veritatem rerum expositarum inquirere, at fides adhibenda est poenitenti, nisi forte aliunde certo scitur contrarium.

2. „Audita prius sacramentali confessione.“ Confessio ad valorem dispensationis necessaria est, at non requiritur valida absolutio, immo responsum S. Poenitentiariae (v. Scavini t. III. n. 390) statuit, „dispensationem validam fore, etsi confessio sit nulla et sacrilega, et absque sacramentali *absolutione* concedi posse (dispensationem), si forte urgens aliqua necessitas id suadeat. (Quae necessitas saepe adest, si post auditam confessionem absolutio dari nequit: verum sacrilega matrimonii susceptio caveri debet, si et in quantum fieri potest, per exhortationem et conatum contritionis perfectae.)

3. „Sublata occasione peccandi“, i. e. aut de facto, si occasio est voluntaria, aut ex animo, ita ut fiat occasio ex proxima remota. Haec clausula confessarii monendi causa additur, non facit valorem irritum.

4. „Dummodo impedimentum sit occultum.“ — Si dicitur „*omnino occultum*“, id non verificatur, si per duos testes res probari potest, imo ne tum quidem videtur verificari, si, accedente aliquo indicio, praeter impedimenti auctores unus testis adsit in ejusmodi causa, in qua in judicio unus admittatur: nam tum revera res *probari potest* in foro externo, quod autem sic probari potest, non censetur „omnino occultum“. — Si vero dicitur simpliciter „*occultum*“, cognitio, quam 4—5 personae, immo pro rerum circumstantiis 7—10 personae de re habent, non obstat, modo ne ex earum indole et ingenio praevideatur ulterior propalatio. (Cf. Scavini t. III. n. 930, S. Alph. l. 6 n. 1111, aliosque scriptores ibi allatos.)

5. „Injuncta poenitentia gravi . . . salutari“. Cf. quae supra de simili clausula dicta sunt. — Haec poenitentia determinanda est non tantum ex criminis gravitate, sed etiam ex poenitentis conditione. Valor non tangitur[1].

Quandoque dicitur „poenitentia *gravi et longa*“: quod intellige, ut imponatur saltem *per annum* v. g. semel in mense ad sacramenta accedere, vel semel quavis hebdomada jejunare, quavis hebdomada aliquoties rosarium recitare, quotidie Sacro assistere. — Si solummodo dicitur „*gravi* poenitentia“, sufficit, ut ejusmodi opera ad brevius tempus reducantur, maxime si poenitens antea jam convenientem poenitentiam egit.

[1] S. Poenit. d. 12. Nov. 1891 resp.: „Clausulae praescribenti impositionem poenitentiae censeri satisfactum, etiamsi ficto animo ab iis suscipiatur, qui dispensantur“: Monitore eccl. ser. II. III, 12. — Similiter dic, quando confessarius omiserit poenitentiam imponere.

Aliquando dicitur: „poenitentia *gravi et diuturna*“, quae ex stylo Curiae intelligitur imponenda saltem *per tres annos;* si dicitur *„perpetua“* intelligitur *pro tota vita* [1].

Si additur: „poenitentia *gravissima*“, ex operibus poenalibus modo enumeratis saltem plura simul conjungi debent: vide Scavini l. c., Bangen II. q. 232.

821 6. „Dispensatio in foro externo nullatenus suffragetur.“ — Igitur, si impedimentum postea publicum fiat, potest accidere, ut novus recursus (ad Datariam) necessarius sit, et interim separari conjuges debeant: (quamquam ipsi occulte ut conjuges vivere tuta conscientia possunt). At si, petentibus conjugibus, confessarius fidem facit de dispensatione rite obtenta, Episcopus aliive judices ejus testimonio acquiescere possunt, modo hac ratione publicum scandalum etiam auferatur.

7. „Praesentibus laceratis sub poena excommunicationis latae sententiae“. Quae clausula imprimis apponi solet, quando agitur de revalidando matrimonio jam contracto. Attamen etiamsi de matrimonio contrahendo agitur, neque illa clausula adjuncta est, nihilominus literae S. Poenitentiariae destruendae, aut saltem occultandae sunt. Clausula haec sane non est irritans; destructio literarum imposita facienda est intra triduum post datam seu applicatam dispensationem, aut si de matrimonio contrahendo agatur, saltem post matrimonium contractum.

8. Inscribuntur literae „discreto viro N. N. confessario“. Quodsi literae ad certum confessarium diriguntur, ipse facultatem acceptam exsequitur: ita fieri solet, si ipse confessarius a Poenitentiaria facultatem sibi petierit.

Quodsi poenitentes ipsi supplicationem ad S. Poenitentiariam direxerunt, literae ad eos diriguntur, incluso instrumento, quod inscribitur „discreto viro confessario ex approbatis ab Ordinario“ [2]. Quare ille solus, qui a poenitente eligitur, instrumentum aperire et verificatis clausulis exsequi potest. Si autem ambo sponsi vel putativi conjuges impedimenti conscii dispensatione indigent, potest uterque *sibi* confessarium eligere: quare prior confessarius instrumentum reddere debet, ut alter eo etiam utatur.

822 Pro dispensatione in matrimonio jam contracto insuper addi consuevit:

1) „Si separatio fieri non possit absque scandalo etc.“: quae clausula, ut recte notat Scavini, confessarium inquietare non debet, siquidem ex natura rei scandalum ex separatione vix non semper oritur.

2) „Certiorata altera parte de nullitate matrimonii, sed ita caute, ut oratoris delictum nunquam cognoscatur.“ Quod certe non raro gravem parit difficultatem. Quare si moraliter impossibile est, id exsequi: aut haec difficultas praevideri debuit et moneri S. Poenitentiaria, ut pro illa hypothesi quasi ‚in radice‘ dispenset; aut licebit sumere, in casu nimiae difficultatis hanc clausulam non esse irritantem, sed conjuges putativos

---

[1] Cave tamen, ne putes mandatum esse perpetuam poenitentiam imponendi, si ipsa poenitentia definiatur et *indefinite* exprimatur v. g. confessio singulis mensibus peragenda: sufficit enim, talem poenitentiam *ad notabile tempus* imposuisse (cf. Scavini l. c. ex synodo Navarr. anni 1778).

[2] Olim, nunc raro, dici solebat: „Discreto viro in theologia vel decretorum doctori.“ Quod si fit, eligi debet confessarius Doctor in theologia aut in jure canonico, aut confessarius religiosus ex ordinibus mendicantium, quibus ex literis Greg. XIII. *„Exponi nobis“* instrumenta sic inscripta aperire et exsequi licet.

posse verum matrimonium contrahere, etsi unus tantum consensum renovet, alter impedimenti inscius in consensu antea dato perseveret. Hunc modum ipse Ben. XIV. *notificatione* 87 n. 74 non reprobat. Imo hoc idem S. Poenitentiariam solere clausula sua recentioris temporis insinuare, v. infra n. 825 in fine.

Sed haec jam praeoccupant ea, quae mox seq. § de revalidando matrimonio dicturi sumus.

§ 5.

De matrimonio revalidando.

Punctum I.

De modo ordinario matrimonii revalidandi.

Facta dispensatione circa aliquod impedimentum, si de matrimonio 823
contrahendo agitur, ad illud tum tandem proceditur; si matrimonium specie tenus jam contractum est, debet nunc revalidari. De hoc igitur nunc agendum est. Sed pro diverso impedimento, quod intercesserat, diverso etiam modo revalidatio fieri debet.

I. Si forma substantialis a Tridentino praescripta observata non est, aut si palam constat seu probari potest matrimonii nullitas, omnino ad valorem requiritur, ut secundum formam Tridentinam consensûs renovatio fiat, nisi forte — id quod raro conceditur — etiam ab hac forma dispensatum fuerit, aut de regione agitur, in qua Tridentina lex non viget.

II. Si vero matrimonium laborat occulto defectu seu impedimento, lex autem Tridentina observata fuit, quum primo iniretur: occulta renovatio consensûs ad matrimonii valorem et liceitatem sufficit.

III. Si impedimentum, uni tantum conjugum notum, eundem etiam solum respicit, sufficit, ut ille consensum suum renovet, si modo alter voluntate efficaci consensum non retractaverit.

IV. Si vero impedimentum, quodcunque tandem est, utrique conjugi notum est, practice uterque, sublato impedimento, consensum renovare debet.

V. Imo etsi notum nondum est utrique, sed uni tantum, attamen ejusmodi est, ut utrumque, i. e. mutuam ad alterum relationem afficiat, curandum est, ut, quantum fieri possit, utriusque consensus novus a priore independens post sublatum impedimentum ponatur, nisi obtineatur ‚sanatio in radice'. Quodsi obtineri nequit sanatio in radice, neque cognitio aut dubitatio nullitatis matrimonii conjugi hucusque ignaro injici potest: licet consensûs unius, qui impedimenti conscius (et causa) est, renovationi acquiescere, siquidem Ecclesia sanationem ad modum sanationis in radice et dare potest, et datura esse in tanta necessitate merito censetur.

Explicatio. Ad I. Nota 1. Facile intelligitur, defectum formae 824
Tridentinae illius tandem observatione supplendum esse. Quodsi putativi conjuges adduci non possunt, ut in ecclesiam conveniant, id saltem agendum est, ut domi coram parocho et testibus contrahant, aut ut alteruter, qui publicae revalidationi repugnat, procuratorem constituat.

Si vero nihil horum obtineri potest, in favorem alterius partis, si illa reconciliationem cum Deo desiderat, parochus experimentum facere potest, num S. Pontifex dispensationem aliam concedat: secus nihil faciendum est, nisi ut miseri peccatores Deo commendentur.

2. Si vero illi, qui propter solum defectum formae Tridentinae legitimi conjuges non sunt, nunc versantur in loco, ubi lex Tridentina non viget, fiunt veri conjuges, si sui matrimonii nullitatem cognoscentes vitam conjugalem libere protrahunt *animo conjugali.* Eo ipso enim ponunt non verbis, sed factis consensum conjugalem in eo loco, ubi consensus privatus matrimonium validum efficit: at sine graviore causa ita agere sane non licebit; nihilominus melius est id agere, quam continuo in concubinatu manere. Verum si nescientes sui matrimonii nullitatem in connubio perseverant, *nihil efficiunt,* idque ne tum quidem, quando ita comparati sunt, ut si nullitatem scivissent, eam emendassent; perseverant nimirum in consensu priore invalido, quem emendassent quidem, sed revera non emendaverunt. Hoc ita certum est, ut ante aliquos annos S. Congr. matrimonium illis conditionibus affectum pronuntiaverit *nullum,* data potestate ad alias nuptias transeundi.

Ad II. Si utcunque de nullitate matrimonii *vulgo constat,* renovatio fieri debet in forma Tridentina (cf. Acta S. Sedis vol. II. pag. 19 et 52). Quare si consensus propter metum gravem nullus fuit, videndum est, utrum ex circumstantiis gravis ille metus aliis notus fuerit, necne. Si notus erat, matrimonium sanandum est coram parocho et testibus; si ignotus erat et mansit, neque facile probari possit incussus metus, sufficit privata renovatio.

825 Ad III. Si consensum ab uno conjuge invalide et ficte datum esse, nemini, ne alteri quidem conjugi, notum est, sufficit, ut verus consensus nunc detur ab eo, qui invalidum posuit. Nam moraliter perseverante seu non retractato alterius consensu, sine dubio nunc utriusque consensus legitimus conjungitur atque ita matrimonium verum producit. — Quod idem transfer ad ea impedimenta, quae juris naturalis sunt atque sine interventu Ecclesiae auferuntur, quatenus haec comprehendi possunt sub titulo „consensûs ab alterutra parte ficte seu invalide dati".

At si gravis causa non obstat, quominus alter etiam moneatur, praeferenda utique est renovatio consensûs utriusque, tum quia aliqui scriptores, quamquam sine sufficienti ratione, id per se exigere videntur, tum ut melius constet de consensu ab altero *non revocato.*

In n. V. agitur de impedimento ecclesiastico consanguinitatis, affinitatis aliarumque relationum, quae mutuae sunt. Quodsi ejusmodi impedimentum post matrimonium jam contractum detegitur, vel tum tandem aufertur, conjuges putativi non fiunt eo ipso veri conjuges, sed dispensatio Ecclesiae facit eos *habiles, ut possint* nunc consensum validum dare, quem antea invalidum dederant. Sed ex hoc, quod consensus antea datus invalidus fuit, Ecclesia rationem sumit exigendi novum consensum a priore, utpote invalido, *independentem,* ita ut no-

titiam nullitatis vel saltem ejus dubium ante renovationem consensûs postulare consueverit. Atque id in inhabilitate, quae ex clandestinitate ortum habuit, ita certum est, ut S. Congr., ut antea dixi, aliam sanationem prorsus excluserit et propter solam priorem nullitatem ignoratam matrimonii dissolvendi novarumque nuptiarum ineundarum facultatem dederit.

Imo idem, teste S. Alphonso l. 6 n. 1115, plerique et gravissimi scriptores universim de impedimento loquentes docent, ut S. Thom., Scot., Cajetan., Navarr., Lessius, Sanchez etc.: quamquam pro contraria sententia S. Doctor etiam non paucos affert, ut: Salmantic., Soto, Ledesma etc.

Verum hanc renovationem cum cognitione vel dubitatione circa nullitatem matrimonii *ex natura rei* necessario exigi, dici non potest: alioquin Ecclesiam matrimonium in radice sanare, impossibile foret. Quare ita tantum necessaria dici debet renovatio consensûs ex utraque parte, quia Ecclesia communiter priorem consensum ne nunc quidem pro legitimo acceptare *vult;* sed, nisi acceptet, consensus potestati Ecclesiae irritanti subjectus *inefficax manet.* Vide etiam Heiss § 63. I.

Recte igitur S. Alphonsus l. c. pro praxi concludit: in solo casu necessitatis, quando sc. ex notitia nullitatis matrimonii prudenter timeri possit periculum mortis, gravis scandali, infamiae, et ex altera parte conjux impedimenti conscius sive conscia redditionem debiti conjugalis non possit evitare, locum esse hujus benignioris sententiae. Quod recte admittitur non tantum, quia in tali necessitate opinione uti licet minus probabili, sed quod in tali necessitate Ecclesia seu S. Pontifex legali sua voluntate remedium illud afferre censendus est, quod possit. At potest sine dubio efficere, ut matrimonium valeat non vi consensûs de novo praestandi, sed vi consensûs antea dati et hucusque perseverantis. Ac propterea recentiore tempore in facultate dispensandi haec clausula additur: „Et quatenus haec certioratio (nullitatis matrimonii) absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis auctoribus traditas.“ (Cf. *Archiv für kath. Kirchenrecht* vol. 43 p. 23.)

Igitur si confessarius praevidet, fore ut moraliter impossibile sit, con- 826
jugem innoxium impedimenti ignarum de nullitate matrimonii moneri (id quod sine dubio moraliter impossibile facilius est, si mulieris crimen, quam si viri crimen in causa est): consultum erit, statim sanationem in radice a legitimo Superiore petere, aut saltem eum monere, renovationem consensûs impetrari vix posse; at si neque petitionis, neque adjectae monitionis ratio habetur, propter sententiam illam, quam S. Alph. l. c. in tali necessitatis casu censet *„probabilem“*, videtur legali voluntate Summi Pontificis id ex parte concedi, quod expressa voluntate negabatur, secundum axioma: in probabilitate juris supplet Ecclesia id, quod a sua potestate pendet, si forte illa probabilis opinio falsa sit.

Imo si ne ad eum quidem, qui dispensare potest, recursus possibilis est, antequam gravissima illa difficultas instet, qua conjux rea non possit citra gravem infamiam periculumque scandali et gravissimae discordiae debito conjugali se subtrahere: videtur alia via talem necessitatem evadendi superesse.

Sume enim, conjugem reum vel ream confiteri crimen ante matrimonium commissum, ex quo matrimonium evasit nullum. Quid faciendum confessario?

R. 1. Si in bona fide est poenitens circa *valorem* matrimonii, plerumque expedit in bona fide eum relinquere, sed sub alio praetextu eum movere, ut post certum tempus ad confessionem apud ipsum illum confessarium redeat; interim quaerat confessarius facultatem dispensandi, ut redeunti possit totam rem exponere eumque statim habilem ad contrahendum verum matrimonium efficere.

R. 2. Si poenitens scit matrimonii nullitatem, evitare vero debitum conjugale aliquo praetextu, itinere etc., impossibile non est, quamquam cum difficultate conjunctum: debet id omnino fieri, donec a legitima potestate ecclesiastica dispensatione obtenta matrimonium sanatum sit. At id viro quidem saepius possibile erit, mulieri longe rarius. Quare:

R. 3. Si neque tam cito dispensatio obtineri potest, neque evitari debitum conjugale sine urgente periculo gravissimi mali, ut diffamationis, scandali etc.: *videtur lex ecclesiastica irritans cessare*, ita ut *nunc* putativi conjuges habiles evadant ad efficiendum matrimonium validum, renovando consensum secundum ea, quae mox n. 827 dicturus sum; quamquam obligatio manet recurrendi statim ad legitimum Superiorem, tum ut pro cautela certior fiat dispensatio, tum ut crimine admisso suscipiatur justa poena, et Superioris mandato obedientia praestetur. (Suppono vero semper, agi de impedimento non publico neque de impedimento, quod solum per accidens sit occultum, publicum ex natura sua, paucis agi de iis impedimentis, in quibus petentibus dispensatio *in fôro interno dari solet.*)

827 Ut autem hujus responsi — quod legenti forte benignius videtur — breviter rationem dem: moveor auctoritate S. Alphonsi dicentis in simili causa, quando, sponsis jam in ecclesia cum comitatu praesentibus, detegatur impedimentum dirimens (l. 6 n. 613), „dicit Roncaglia . . . Jord. et Pignatelli, quodsi aliquando nec etiam ad Episcopum aditus pateret et nullo modo aliter vitari posset gravissimum periculum scandali aut infamiae, posset parochus vel alius confessarius declarare, quod lex impedimenti eo casu non obliget, quia eadem ratio tunc urget, nempe quoa cessat lex, quando potius est nociva, quam utilis . . . Notant tamen auctores, quod . . . tamen quantocius, saltem ad majorem securitatem et ad salvandam reverentiam legibus ecclesiasticis debitam, recurri debeat ad S. Poenitentiariam, ut ab illa dispensatio obtineatur". Sed — ut meam promam sententiam — si in tali casu lex probabiliter cessat, cur non idem dicamus in altero, ubi similis, imo major necessitas graviusque damnum immineat? Quapropter consensus et nunc statim renovandus est *(saltem* ab illo conjuge, qui impedimentum scit, ejusque causa fuit) et postea, accepta legitima dispensatione, iterum (sub conditione) renovari deberet ab illo, vel potius ab utroque conjuge, nisi — id quod praestat — sanatio in radice impetrata sit.

Dixi supra, consultum esse petere sanationem in radice. Quae hodie facilius conceditur in iis circumstantiis, in quibus nimis difficile est, alterius partis renovatum consensum obtinere. Qua autem formula utendum sit, si confessario facultas in radice sanandi detur, determinate non praescribitur; agi igitur licet vel debet secundum ea, quae § 4 n. 818 notata sunt.

Porro explicandum est, quid sit sanatio in radice, quo melius constet, Ecclesiam posse sine consensûs renovatione matrimonium validum efficere.

Punctum II.

De sanatione matrimonii in radice.

Sanatio matrimonii *in radice* est ejus sanatio seu revalidatio *vi con-* 823
sensus primitus dati. Videlicet *ordinario modo* sanatio matrimonii invalidi seu dispensatio sic peragitur: Ecclesiastica potestas auferens impedimentum reddit conjuges putativos habiles, ut *consensu nunc dando* matrimonium verum et validum efficiant. Aliis verbis, in ordinaria dispensatione Ecclesia id non facit, ut consensum antea datum accipiat, sed dat potestatem, ut putativi conjuges *nunc* consensum legitimum ponere possint.

Sanatio autem in radice id efficit, ut matrimonium verum evadat *vi consensûs antea dati.* Videlicet ille consensus antea datus ex intentione contrahentium verum matrimonium pro objecto habuit, et tamdiu pro objecto habere pergit, dum efficaci voluntate retractatus non est.[1] Ergo nihil obstat, quominus illum consensum antea datum nec retractatum Ecclesia legi suae irritanti in speciali casu plenissime derogando ad omnem effectum juridicum producendum assumere possit. Atqui id unum, sc. Ecclesiam consensum illum ratum non habere, impedimento erat et est, quominus matrimonium verum factum sit; ergo cessante illo impedimento, matrimonium exoritur. — Sanatio autem in radice praeter valorem matrimonii nunc oriturum id ex potestate Ecclesiae efficit, ut alii juridici effectus, v. g. legitimatio prolis et quae ab illa pendent, ita sustineantur, ac si matrimonium ab initio validum

---

[1] Sanationem hanc fieri *vi consensus antea dati,* satis convenit inter auctores; non ita, utrum dici debeat „vi consensus antea dati *virtualiter perseverantis*", an sufficiat „vi consensus solummodo non efficaciter retractati seu *habitualiter tantum perseverantis*". Quodsi dixeris, sanationem matrimonii in radice esse ejus revalidationem vi consensus antea dati et *virtualiter perseverantis:* causam efficientem matrimonii ejusque sacramenti potius habes actum illum, in quo *nunc* consensus antea datus perseverat, quam actum illum, quo *antea* consensus erat datus; facilius explicabis, quomodo contrahentes conjuges vere sint ministri, qui conficiant sacramentum eo tempore, quo matrimonium sanatur; at debes etiam excludere possibilitatem sanandi in radice matrimonii eorum, quorum uterque vel alteruter inciderit in amentiam. — Non consuevit quidem in tali casu dari sanatio in radice. Neque tamen putaverim, id Ecclesiae excedere potestatem, quum putem, *posse* Ecclesiam revalidare matrimonium vi consensus antea dati *solum habitualiter perseverantis,* ita ut causa efficax et contractûs et sacramenti ipse ille consensus sit, qui primitus est datus, qui *nunc* demum efficaciam suam exercet. Neque *huic* sacramento repugnat, causam efficientem poni antea, postea re ipsa sacramentum effici: quod ita fit e. g. in matrimonio sub conditione de futuro inito. Similiter *huic* sacramento non repugnat, sacramentum perfectum evadere et confici, quando contrahentes actu humanae actionis capaces non sunt: quod habes v. g. etiam tum, quando matrimonium initur per procuratorem eo tempore, quo mandans somno sit oppressus. In hac igitur explicatione quando matrimonium in radice sanatur, conjuges consensu suo primitus dato *inchoative* posuerunt ut ministri actionem sacramentalem: quae perfecte et vere evadit sacramentalis per sanationem ab Ecclesia datam.

Ceterum in consueta Ecclesiae praxi parum refert, utrum uno an altero modo rem explices. Quum enim vix non semper habeas consensum antea datum virtualiter perseverantem, in angustiis non eris, etsi *hunc* consensum necessarium habeas; minus etiam, si putes, in rigore sufficere eum consensum perseverantem tantum habitualiter.

fuerit. Quod a summa ecclesiastica potestate effici posse, indubium est, siquidem de iis rebus agitur, circa quae publica auctoritas Ecclesiae ex justa causa disponere possit.

829 Hunc esse genuinum et facilem conceptum sanationis in radice, optime exponit Dr. Braun in *Archiv für kath. Kirchenrecht* vol. XLIII. pag. 4 sqq.

Clare rem ipsam exhibet Ben. XIV. in decreto 17. Sept. 1755 „*Cum super matrimonio*“: „Porro gratia concessa importat dispensationem in radice matrimonii, quae a Romanis Pontificibus concedi consuevit, urgente magna causa, et quando agitur de impedimento matrimonii ortum habente non a jure divino, aut naturali, sed a jure ecclesiastico, et per eam non fit, ut matrimonium nulliter contractum non ita fuerit contractum, sed effectus tolluntur de medio, qui ob hujusmodi matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu producti fuerunt.“

Videlicet immediatus effectus, prout matrimonium nullum est aut validum, est prolis legitimitas. Quare in sanatione radicis matrimonii proles nata ita plenissimo sensu fit legitima, ac si ex matrimonio ab initio valido orta esset.

Restringitur illa sanatio ad impedimenta ecclesiastica tantum; nam in impedimentis juris divini vel naturalis certum non est, eam esse possibilem. E. g. qui inscius contraxerit cum muliere, cujus vir superstes erat, etsi postea vir ille moritur, non potest ulla dispensatione vel sanatione ecclesiastica vero matrimonio cum uxore putativa *certo* jungi, nisi *vi novi consensûs,* qui post mortem primi viri mutuo detur atque manifestetur. Radix enim putativi illius matrimonii *jure divino et naturali* intrinsecus vitiata est, neque unquam ab Ecclesia pro vero consensu acceptatur.

Imo id etiam sequitur, si quod ecclesiasticum impedimentum alia ratione quam dispensatione cesset, matrimonium validum fieri non posse, nisi per *novum* consensum, quum Ecclesia primum consensum nunquam acceptarit: in dispensatione vero ordinario modo data *per se quidem* etiam talem prioris consensûs acceptationem non contineri, contineri tamen *posse* ex voluntate Ecclesiae in casibus difficilibus *tacite data.*

Explico: Si qui contraxerunt clandestine in loco, ubi lex Tridentina viget, impedimenti dirimentis ignari: quamquam postea in loco, ubi lex Tridentina non viget, vitam conjugalem agunt, matrimonium non convalescit, siquidem haec vita conjugalis fundatur in priore consensu invalide dato. Verum si scientes, se antea invalide contraxisse, nunc vero se a valido matrimonio per legem Trid. non impediri, vitam conjugalem producunt, matrimonium reddunt validum, eo quod non verbis quidem, sed *re* consensum novum a priore independentem ponunt. Cf. n. 780 et 824.

830 E natura igitur rei jam probatum est, Ecclesiam posse in radice matrimonium illud sanare, cui solum ecclesiasticum impedimentum obstat. Quod idem ex factis innumeris probatur. Ex rebus enim a S. Pontifice gestis tum saltem recte ad potestatem ita agendi concluditur, quando a) haec communis agendi norma effecta est, idque b) in rebus, quae mores eorumque puritatem apprime tangunt. Communem jam agendi normam esse illam sanationem, melius, quam ex singularibus factis, quae enumerare longum est, ex facultatibus generalibus patet, quas in dissitis regionibus S. Pontifex Episcopis dare consuevit, quarum una (*sexta* ex „facultatibus extraordinariis D.“ Americae Epp. datis) est haec: „sanandi in radice matrimonia jam contracta etc.“ (supra

n. 798 b). — Similiter Pius VIII. anno 1830 Episcopis Rhenaniae et Westf. dedit potestatem certa quaedam matrimonia sanandi in radice.

Facile jam erues conditiones necessarias, ut sanatio in radice fieri possit:

1ma conditio est: ut putativi conjuges ab initio verum intenderint 831
matrimonium: in quo tamen fac attendas, hanc intentionem veri matrimonii adesse posse etiam in matrimonio clandestino vel civili eorum, qui sciunt, Ecclesiam haec matrimonia reprobare, idque in iis ipsis locis, ubi clandestinitatis impedimentum viget. Nam etiamtum voluntas praevalens seu absoluta ea esse potest, ut contrahentes velint omnino mutuum jus conjugale sibi tradere. Atque ita Ecclesia jam concedit matrimonii civilis sanationem in radice, et matrimonii mixti etiam sine cautione data de prole catholice educanda, si modo pro posse in id adlaboretur. Acta S. Sedis XXX, 382. Immo adsunt exempla sanationis in radice quoad consensum unius, quum matrimonium esset invalidum ex impedimento ligaminis, quod postea morte sublatum erat: cf. Gasparri *de matr.* n. 1137.

2da conditio est: ut illa voluntas ita saltem perduret, ut *efficaci* voluntate retractata non sit. Quare:

1) Debent ignari esse matrimonii nullitatis, i. e. aut ipsam *rem impedimenti* ignorare, aut *ejus vim*, ita ut saltem non fuerint neque sint in persuasione, se non potuisse validum matrimonium inire. — Quodsi alteruter putativorum conjugum nullitatem matrimonii scivit, aut ante sanationem comperit, ille practice *novum* consensum dare debet: haec igitur etiam vocatur sanatio in radice, non tamen perfecte talis est, sed solum alterius conjugis ignari consensus (in radice) sanatur.

2) Debent permanere in consensu dato. Quapropter communiter de bona pace et concordia inter conjuges constare debet, ut S. Sedes sanationem in radice largiatur. Non tamen *absolute* necessarium id est[1]. Nam si sola est *velleitas* discedendi, non vero propria voluntas: nihil impedit, quin Ecclesia matrimonium sanare possit. At etiam in magnis discordiis vix aliud concipitur aut concipi potest a discorde conjuge, quam sola velleitas discedendi ab altero et a *vinculo* matrimonii, modo subjectiva persuasio de matrimonii valore habeatur. Quae erronea persuasio impedit, quominus seria et efficax voluntas retractandi consensum matrimonialem (quae concipitur ut res impossibilis) foveatur; nam vir e. g. sibi dixerit: „recederem ab uxore, si possem, seu nisi eam duxissem", at nunc non recedit, neque vult recedere, eo quod contractum tamquam insolubilem considerat. Quae quidem voluntatis affectio non sufficeret, ut nunc contractus per eam concluderetur, sufficit tamen, ut consensus antea datus non retractetur.

Sic revera, teste Ben. XIV., sanatio data est matrimonii, quod solvi 832
vir jam petierat, sed ex causa, quae vana erat et quam S. Congr. rejecerat, quum postea re ipsa ab uxore, quae instabat pro sanatione, manifestaretur aliud impedimentum vere dirimens, quod censebant viro esse incognitum. Atque etiamnunc sanatio in radice datur, quando timor est, ne, nullitate matrimonii utrique conjugi patefacta, alter compartem deserat.

Omni sane periculo in ejusmodi cirumstantiis non occurritur. Nam

[1] Neque desunt exempla sanationis in radice, alterutro conjugum jam defuncto. Quod ut fieri possit, constare debet, illum conjugem in bona fide veri matrimonii defunctum esse. Neque sanatio illa proprie *matrimonii* sanatio est (cf. n. 838 cum *nota*), sed omnium effectuum juridicorum — praecipue pro filiis — ac si ab initio verum matrimonium exstiterit: v. Acta S. Sedis loco infra cit.

si conjux dissentiens artificioso quodam modo retractationem consensus conciperet, quo non solum velleitatem, sed omnimodam voluntatem haberet discedendi et revocandi consensum suum, si forte quomodocunque matrimonium invalidum esset: vere sanatio in radice non fieret. At sine dubio, qui sic dispositus esset, graviter peccaret, et si matrimonii solutionem flagitans repelleretur, nihil ipsi relinqueretur, nisi ut malignam illam retractationem retractaret atque iterum in verum matrimonium consentiret. (Cf. Acta S. Sedis I, 182 sqq.; Ben. XIV. Const. „*Etsi matrimonialis*“.)

Id unum notandum restat, Episcopos ex eo, quod recipiant facultatem in certis impedimentis „dispensandi“, neutiquam habere potestatem sanandi matrimonii in radice, quando ejusmodi impedimenta occurrunt; sed ut haec potestas adsit, speciale prorsus privilegium necessarium est.

Appendix. Circa dispensationem impedimentorum graviter peccari facilius potest:

1. si delegata potestate utens sine causa dispensat;
2. si petens dispensationem subreptionem seu obreptionem committit, aut in re aliqua gravi, licet ad valorem non pertineat, mentitur vel verum supprimit;
3. si sponsi graviora mala committenda molientes dispensationem extorquent;
4. si ille, cui dispensatio committitur, dispensationem vel instrumenti clausulas non fideliter implet.

Sectio IV.

De jure, quod ex matrimonio conjugibus oritur.

833 NB. Cum S. Alphonso in mentem revoco, in tractanda hac materia ejusque studio, confessariis necessario, oratione et crebro ad Deum recursu esse insistendum, ne qui ex lubrica illa re conscientiae maculam contrahant, sed potius in amore Dei et merito crescant.

Jus, quod ex matrimonio oritur, ex ejus fine repetendum est. — Internus et essentialis finis ad propagationem generis humani dirigitur; secundarius autem finis remedium contra concupiscentiam est. De priore fine cf. Gen. 1, 28; de posteriore 1 Cor. 7, 2. Ex quibus et ea, quae *liceant* conjugibus, et ea, quae *sibi debeant,* sequuntur.

Caput I.

Quae licita sint conjugibus, quaeque illicita.

Brevi hac regula, quae saepe ipsis conjugibus sufficit, licita et illicita continentur:

1. Licet absolute, quidquid *pro* fine matrimonii essentiali utile est. 2. Graviter est illicitum, quod *contra* finem matrimonii essentialem est, seu quod tendit ad illum frustrandum. 3. Saltem non graviter illicitum illud est, quod, quum contra finem primarium seu essentialem non sit, versatur *praeter* finem.

Verum quo brevius confessarius ea, quae ad usum matrimonii spectant, expedienda curare debet, quantum necessitas conscientias recte instruendi illud patitur, eo accuratius ipse, quid liceat, ex certis rationibus et ex auctoritate sciat oportet, ne aut laxior illicita approbet, aut rigidior licita prohibeat.

Articulus I.

De licitis et illicitis ex parte rei, seu ex parte ipsius actionis.

§ 1.

De actibus inter conjuges mutuis.

I. Licitus actus est ex natura sua ad prolem generandam desti- 834
natus, etsi per accidens proles non generetur, seu licita est copula carnalis essentialiter consummata.

II. Liciti illi actus imperfecti sunt, ut tactus, aspectus etc., qui ad copulam praeparant vel disponunt, quando aut intentio ejus exercendae adest, aut saltem possibilitas et pro eo casu etiam voluntas, si forte urgens pollutionis periculum oriatur.

III. Illiciti aut non sunt, aut non sunt graviter illiciti actus imperfecti venerei inter conjuges mutuo facti etiam extra voluntatem vel facultatem copulae, saltem si grave pollutionis periculum non inducunt.

IV. Graviter autem illiciti illi actus imperfecti sunt, qui adeo turpiter mutuo exercentur, ut ex sese proximum periculum pollutionis inferant antequam conjuges ad copulam procedere possint aut velint.

V. A fortiori graviter illicita est seminis extra copulam effusio seu frustratio ex consulto facta seu inducta.

Explicatio. Ad I. 1. Quum non solum ad prolem re ipsa generan- 835
dam, sed etiam ad consulendum concupiscentiae matrimonium inductum sit: constans est doctrina theologorum, post matrimonium legitime contractum licitam esse copulam conjugalem, in qua ex parte conjugum nihil fit ad prolis generationem impediendam, quamquam propter diversas circumstantias re ipsa *non potest* proles generari. Quare copula non prohibetur ex hac ratione eo tempore, quo uxor gravida est. Cf. n. 847 sq.

2. Neque prohibetur copula propter sterilitatem mulieris, v. g. si semen virile recipit quidem, sed retinere non possit, quando id evenit per accidens post actum ex sese legitime consummatum. Praeter alias rationes habes, quod non omnis spes desit post diuturnam sterilitatem nihilominus prolis concipiendae; nam causae sterilitatis saepe ignotae sunt possuntque cessare. Cf. infra 5.

3. Idem concedunt Laym., Bonac. aliique, si mulier ex experientia scit, se non posse, nisi prolem mortuam edere (ex pari ratione, si experta est, se abortum pati): saltem *in periculo incontinentiae* licere docent actum conjugalem exercere, eo quod etiam tali proli melius sit cum peccato originali exsistere, quam omnino non esse, et ex altera parte a parentibus ille status privationis seu exclusionis a supernaturali beatitudine permittatur ex gravi causa, i. e. propter periculum formalis peccati incontinentiae removendum. Vide, quod magis consuli possit, postea n. 851.

4. Licita etiam habetur copula, si vir sterilis est aut a) propter senectutem, aut b) propter impotentiam supervenientem; saltem si in utroque casu congressus perfici potest, etsi *veri* aut *fertilis* seminis emissio non habeatur. Ita Tolet. *instructio sacerdotum* l. 7 c. 16 n. 2, Sanchez *de matr.* l. 7 d. 102 n. 7, Reuter *theol. mor.* t. IV. n. 558 et 559 cum aliis (cf. Lacroix l. 6 p. 3 n. 317); siquidem in actu ex se conjugibus licito non ipsi faciunt, quo impediatur generatio, sed hoc fit naturae defectu.

5. Eadem ratio subest, si mulier post legitimum matrimonium contractum impos evadat, v. g. excisis utero vel ovariis, de quo cf. n. 744.

6. Communiter quidem theologi ad copulam conjugibus licitam requirunt, ut in ipsa vasis muliebris perforatione fiat virilis seminis effusio; idque, si fieri potest, fieri utique debet, quia aliter cum seminis partiali profusione periculum totalis frustrationis est: quod ex consulto committere aut sine gravi causa permittere sane non licet. Verum hodie inter physiologos et medicos constat, sufficere posse ad generationem, si semen virile ita organum muliebre contingat, ut ab illo aliquo tandem modo recipiatur vel intro attrahatur. Quare in casu matrimonii certo valide contracti, quando impossibile est, aut mulieri graviter damnosum, perfectius coire, neque alia impotentiae causa accedit: non videtur peccati ejusque gravis ille coitus damnandus esse, qui sufficere possit ad essentialem matrimonii finem obtinendum.

Utrum vero, si illa impossibilitas ab initio exsistat, matrimonium concepta prole pro valido habendum sit, an ex impotentiae impedimento pro invalido, id, ut Ball.-Gury II. n. 855 notat, non confessarii (pro quo haec scripta sunt), sed judicis ecclesiastici in externo foro est judicare.

836 Ad II. et III. 1. Quae n. II. habes, per se patent, quum illi, cui liceat actus consummatus, etiam liceat ejus inchoatio, seu ea, quae utcunque tamquam ejus inchoatio vel praeparatio considerari possunt.

2. Imo etsi haec intentio consummati actûs non adest, quoslibet actus imperfectos peccati, ejusque gravis, damnare, esset conjuges in perpetuo periculo peccandi constituere. Et revera communis omnino sententia cum S. Alphonso l. 6 n. 933 docet 1) ejusmodi actus, si periculum pollutionis non adsit, etiam ex sola voluptate venerea assumptos, non esse nisi veniale peccatum; 2) ex honesto fine, ut fovendi sive reconciliandi mutui amoris eos exercere, aut ad compartis petitionem eos pati vel ad eos cooperari, nullum esse peccatum.

3. Quando tactus ex sese pudici sunt, si periculum pollutionis ex iis in alterutro conjuge praevidetur, sine graviore causa eos exercere peccatum erit (idque S° Alph. etc. videtur grave, aliis aliter); ex graviore autem causa (e. g. ad avertendam suspicionem propensionis ad alteram personam, ad mutuum amorem ex aliqua necessitate fovendum) eos *agere* licebit; imo *pati* seu *reddere* etiam minus pudica seu turpiora, nisi sint quasi inchoata pollutio, licebit: S. Alph. 934.

4. Quamquam in pollutione, seu extra congressum maritalem in seminis effusione quiescere eamque *completam* veneream voluptatem voluntarie capere seu admittere non licet, ac propterea ob periculum consensûs actus, de quibus n. 3 sermo est, objective peccata gravia fieri possunt (v. S. Alph. n. 934 in prima sent., Sanch. l. 9 d. 45 n. 34 sqq., Scavini t. III. n. 962 not. 2 etc.): nihilominus non puto expedire, hac de re conjuges moneri; nam raro videntur in ea re peccatum deprehendere, et, si dedocentur, periculum peccati formalis difficulter aberit.

5. Cui propter varias circumstantias consummata copula illicita est vel impossibilis, actus imperfecti — periculo pollutionis secluso — propterea interdicti nondum sunt. Verum ille tum longe cautior esse debet, quum pollutionis gravius sit periculum, facultas praeveniendi nulla.

Ad IV. 1. Difficulter inveniuntur actus imperfecti, qui absolute et 837
pro omnibus sub reatu mortalis peccati interdicendi sunt, quum iidem actus idem pollutionis periculum non omnibus inferant. Sunt tamen aliqua, quae adeo turpia sunt, ut periculum facere vix unquam liceat, quaeque immunia a peccato eoque gravi dici vix possint, nisi relate ad eos, qui ex experientia (cum peccato habita) sciant, sibi illud periculum non creari.

2. Ad ea referenda videtur inchoata copula, a qua ex mutuo consensu conjuges desistant ante seminis effusionem. Quod plures auctores excusant, si, cessante pollutionis periculo fiat ad sedandam concupiscentiam ab iis conjugibus, qui juste timent numerosam prolem: at revera concupiscentia potius excitabitur, ita ut conatu magno et pugnâ pollutio reprimenda sit. Quapropter, etsi theoretice cum S. Alphonso auctoribus illis assentiri licet, id ad praxim admodum raro utile erit. — Ceterum si periculum gravis damni copulae inchoatae superveniat, illa abrumpi sine peccato potest et debet, etsi pollutio sequatur: quam promovere tamen tum non licebit.

3. Videntur eadem principia applicanda esse ad actum illum, quem a culpa nemo eximit, gravis culpae complures damnant, scil. si vir pudenda in os mulieris inmittat (S. Alph. n. 935): quod S. Alph. *semper* mortalis peccati damnat; Sporer, Sanchez, Fill. etc., si obiter fiat, et — ut Castropal. addit — immediate ante legitimum congressum maritalem atque sine praeviae pollutionis periculo, a *mortali* peccato excusant. De qua re sponte interrogare, pro gravi omnino imprudentia et scandalo habeo, si autem deprehendatur poenitens, qui non possit per se exprimere foedissimas istas res, sed neque conscientiae pacem habeat, nisi dixerit: confessarii erit, si moraliter certus sit, ipsam illam rem commissam esse, quam castissime possit, interrogare, v. g. mulierem, num ore abusa sit. Idem accidere potest, si quis vir cum meretrice consuevit peccare: revocari autem hoc peccatum aliquando debere ad sodomiam specie imperfectam sive affectu sive re commissam, legenti facile patet. — Ex quibus exemplis allatis alia, si forte confessario dijudicanda occurrant, facile discerni possunt.

Ad V. 1. Huc refertur concubitus sodomiticus vel copula in vase 838
praepostero. Imo si affectio ad vas non legitimum adest, *affectu* graviter peccatur, etsi forte seminis effusio seu infusio non sequitur: idque tum in agente, tum in patiente seu permittente. Sunt quidem aliqui scriptores, qui cum Navarro putent, non peccare graviter virum inchoando copulam in vase praepostero, si intendat eam in vase debito consummare. Quod quamquam a Sanchez, Tamburini, S. Alphonso n. 916 non admittitur, et objective vere rejiciendum videtur: tamen haec aliquorum sententia ratio esse potest, cur praesertim uxor, quando potius invita ejusmodi quid patiatur, non etiam in omni casu graviter peccasse dicatur; imo aliquando res dijudicari possit ex iis, quae ad IV, 3 dicta sunt.

2. Huc referendus etiam est onanismus, sive vir sese retrahat et semen extra vas mulieris effundat, sive alia nefanda arte efficiatur, ut semen in vas muliebre non perveniat. Quae quidem, utrum et quomodo ex parte mulieris peccaminosa esse possint, vide infra n. 858. Nam generatim ex parte viri principaliter peccatum oriri, patet.

3. Ex parte mulieris graviter peccatur, si ipsa post legitimum congressum semen receptum expellere studeat, lotione aliove studioso conatu.

4. Quasdam actiones mulierum hîc juvat adnotare, quae ex earum subjectiva intentione graviter peccaminosae fieri possunt, objective autem

fere inefficaces sunt, ita ut inefficaciam conatûs edoctae ab impietate, si committere pronae sint, revocari debeant. Scilicet 1) in maritali copula naturam compescere, ne mulieris quasi-seminatio seu spermatio sequatur: quod impedire generationem secundum physiologos et medicos non potest, quamquam naturale aliquod complementum subtrahitur; 2) statim post copulam surgere, aut etiam mingere ex intentione generationis impediendae: sed revera, nisi alia violenta actio accedit, id *vix* efficax est; siquidem brevi post habitam copulam et semen receptum matrix clauditur atque tantum seminis retinet, quod ad foecundationem prorsus sufficit: vide Capellmann *medica pastor.* de cop. conjug.

5. A peccato sodomitico apprime distinguat confessarius oportet actum, cujus aliquando conjuges sese accusant illis verbis, quae etiam sodomiam exprimere possunt, vid. se praepostere vel a tergo congressos esse. Quare omnino videre debet seu interrogare, utrum generatio prolis propter illum actum fuerit possibilis, necne: quodsi respondent, impossibilem non fuisse, habetur sola inordinatio in situ, quae ex sese sine ratione facta peccatum veniale non excedit, si modo revera effusio seminis extra vas facta non sit, vel tantum partialis effusio fuerit praevisa. Si vero aut actus sodomiticus erat, aut mera effusio seminis extra vas, mortale peccatum ex se plane erat.

6. Nostra aetate recurrunt aliquando ad foecundationem artificialem. De qua quaeritur, num liceat inter conjuges. Nam ab iis, qui matrimonio inter se juncti non sunt, per eam gravissima peccata committi, evidens est. Quando igitur inter conjuges res ita fit, ut in ipsa copula inchoata ad eam plenius perficiendam auxilium medici vel medii externi adhibeatur, id, si ad conceptionem securius habendam necessarium sit, per se a culpa vacat. Quando vero actus ipse non est conjugalis, sed extra eum semen emissum in vase excipitur atque a medico praeparatum in vas muliebre infunditur: id mihi videtur a pollutione non distare ideoque esse illicitum, utut aliqui erant dubii. Nunc habes rem decisam a S. Off., conf. Leone XIII., d. 17. Mart. 1897, *artificialem foecundationem adhiberi non licere:* Acta S. Sedis v. 29 p. 704.

§ 2.

De actibus conjugum, qui sine mutua ad invicem relatione fiunt.

839 I. Actus, qui ab alterutro conjuge exercentur cum relatione ad personam extraneam, malitiam gravem adulterii contrahere, ex se evidens est.

II. Actus, qui ab alterutro conjuge solitarii fiunt sine relatione ad extraneam personam, sed etiam sine expressa relatione ad compartem (in proprium corpus), gravia peccata sunt, si periculum pollutionis adest — quod longe facilius ita adest, ut praeveniri nequeat, quam in actibus mutuis —; alias peccata quidem sunt, sed gravia peccata ea esse, non constat: v. S. Alph. n. 396.

Explicatio. Ad I. nota: 1. Adulterii malitiam non solum contrahi actibus externis, etiam imperfectis, sed etiam interno affectu; quare adulterii *malitiam* ille contrahit, qui in legitima copula de aliena muliere cogitat, vel etiam de sua uxore defuncta; aut si forte formalis adulterii reus nondum est, saltem sese in hujus peccati grave periculum conjicit.

2. Simile quid dicendum est de circumstantiis sacrilegii, incestûs etc., quae contrahi possunt.

840 Ad II. 1. Etsi in actibus n. II., secluso gravi periculo pollutionis, *de mortali* peccato non constat, tamen conjuges ab illis actibus solitariis omnino

retrahendi sunt, 1) quia sunt saltem utcunque peccata, 2) facile omnino periculo pollutionis eos exponunt.

2. Qui igitur illos actus per se a gravi peccato excusant, rationem hanc proferunt, quia actus imperfecti, etsi relatio expressa non habeatur, ex se tendunt ad consummatum actum eumque legitimum, nisi expresse contrarium, i. e. pollutio intendatur sive directe sive indirecte: vel considerari possunt tamquam excitatio et praeparatio quaedam ad futurum legitimum congressum; at quia sane sunt superflua prorsus praeparatio et excitatio, saltem veniale peccatum evadunt.

3. Ab illis autem actibus solitariis omnino distingui debet excitatio, qua, post consummatam copulam ex parte viri, mulier, quae nondum ex sua parte actum complevit, sese ipsa tactibus excitat, ut sibi plene satisfaciat et naturale complementum copulae producat. Quod licitum esse, etiam post hodiernam physiologorum et medicorum sententiam, plane censeo. Nam utut hoc mulieris complementum ad generationem non est necessarium, tamen cum Capellmann l. c. prorsus consentio, naturam nihil frustra instituisse, ac propterea illam mulieris spermationem ad foetûs conceptionem melioremve efformationem aliquid saltem conferre: quod sufficit, ut dicamus, uxori prorsus licitam esse debere hujus complementi procurationem.

4. Ut ad actus plene solitarios revertar, qui propter periculum gra- 841
viter peccaminosi esse *possunt,* iis adnumerandae etiam sunt cogitationes de venereis rebus in se non illicitis (ut taceam de desideriis, quae si in alienas personas feruntur, eorum malitia omnibus patet) atque sermones, si adeo producuntur aut ita vivide sustinentur, ut periculum pollutionis inducant. Ceterum simplex cogitatio vel complacentia de ipso conjugali actu sibi licito conjugibus peccaminosa non est.

5. Seminis autem effusio ejusve grave periculum in conjugibus *gravius* est peccatum, quam in solutis: participat enim, ut recte S. Alph. notat, rationem adulterii, quum et sacramenti sanctitatem laedat, et jus alterius conjugis violet secundum Apostolum: „Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier".

6. Quamquam in muliere propria seminatio non habetur, tamen idem omnino dicendum est de completa voluptate venerea extra legitimam copulam habita, quae fit cum secretione humoris organorum muliebrium: quam, quum exterius non semper effluat, non semper certo cognoscent adfuisse; quare communiter sufficit sciri a confessario, ut jam supra de interrogationibus a confessario faciendis notavi n. 351 et vol. I. n. 873, adfuisse *magnam* excitationem, seu completam voluptatis *satisfactionem.*

Articulus II.

De licitis et illicitis inter conjuges ratione circumstantiarum.

§ 1.

Ratione ipsius matrimonii.

Id, quod hîc considerandum est, respicit matrimonii certum du- 842
biumve sive valorem sive nullitatem.

I. Si cognoscitur matrimonium certo ut invalidum, etsi ab uno conjuge tantum, neque matrimonium nunc sanari potest: non licet aut petere aut reddere debitum conjugale, quolibet malo ex illa denegatione orituro, nisi forte haec cognitio ex solo sacramentali secreto habeatur.

Nam actus est certo fornicarius, proin intrinsecus malus, quem exercere vel in quem consentire, in nullo casu licere potest. Cf. tamen, quae supra dicta sunt n. 826.

II. Si dubium de valore matrimonii ab utroque conjuge habetur, saltem ante inquisitionem in rei veritatem factam neque petere neque reddere debitum licet: alias (secundum principia de dubia conscientia) conjuges temere sese actibus fornicariis exponerent.

III. Si vero, inquisitione facta, dubium perseverat, conjuges in vita maritali pergere possunt, nisi forte cum impedimento ligaminis fortasse exsistenti dubia aut mala fide matrimonium contrahere attentaverint.

IV. Si alteruter de valore matrimonii dubitat, ille *ex sua parte* abstinere debet a petendo debito ante inquisitionem veritatis, pergere potest post frustraneam inquisitionem: monere vero alteram compartem in bona fide versantem non tenetur; atque *petenti debitum est reddendum,* siquidem ille propter dubium alterius suo jure non est privandus, quum melius sit, materialem fornicationem permittere, quam committere injustitiam formalem.

V. Qui *mala vel dubia* fide cum dubio impedimento ligaminis contraxit, a petendo debito tamdiu prohibetur, donec certus fuerit de ligamine non exsistente: qui vero *bona* fide contraxit, si post inquisitionem dubium de ligamine solvi non potest, jure suo non privatur; quare etiam a conjuge altero postulare potest, ut debitum matrimoniale sibi reddat.

843 **Quorundam uberior explicatio.** Nota ad III. Si impedimentum, quod forte exsistit, dispensatione auferri potest, haec utique requirenda est. Sed si dispensatio nihil efficere potest, tum regula III. servanda est, imprimis quando matrimonium bona fide, saltem ab alterutro, est contractum (S. Alph. n. 904 et 905), etsi gravior ratio pro nullitate videatur esse; imo etsi *dubia fide,* i. e. cum dubio de impedimento, matrimonium initum est, Sanctus Doctor n. 906 cum aliis satis probabile esse dicit, dubitantem post frustraneam inquisitionem debitum petere posse, nisi dubium versetur de ligamine prioris matrimonii.

Ad V. 1. Cur in causa ligaminis ille, qui cum mala seu dubia fide novum matrimonium iniit, severius dijudicandus atque a petendo conjugali debito prohibendus sit, ea ratio est: quod non solum reverentia sacramenti, sed etiam *prioris* conjugis jus probabile et prioris sacramenti reverentia objiciuntur; quae vinci non possunt a dubio jure, quod nunc praetenditur, sed nunquam legitime inceptum est. Videlicet ratio applicanda est similis illi, quae in qualibet materia justitiae viget: eum, qui mala vel dubia fide possessionem inceperit, quamdiu dubium ipsius juris perseveret, ut legitimum possessorem agere seu disponere non posse.

844 2. Multis difficultatibus causa involvitur, si conjux sine plena probatione prioris matrimonii per mortem compartis soluti novum matrimonium inierit. Nimirum quaeritur, num unquam dici possit, alterum matrimonium *bona* fide esse initum, atque secundum regulas, quae bonam fidem in contrahendo matrimonio supponunt, procedi posse. Quod aliqui videntur prorsus negare. Verum Lacroix l. 6 p. 3 n. 310 cum aliis putat — idque videtur rectius fieri — bonam fidem non esse impossibilem. Dicit enim, non solum alteram compartem posse ignorare prius matrimonium, sed etiam „fieri

potest, ut etiam alter ex probabilibus argumentis bona fide judicet, priorem suam conjugem obiisse, neque sciat, requiri de hoc pleniorem certitudinem. Unde etiam ille dicitur hîc bona fide contraxisse, qui inculpabiliter judicavit, sibi licere etiam stante tali (aliquali) dubio et in ejusmodi circumstantiis matrimonium contrahere, tametsi universaliter scivit, superstite altero conjuge non licere ad secundas nuptias transire: e contra si processerit cum dubio, formidine aut remorsu, ne peccaret sic contrahendo, non processit bona, sed mala fide“ [1]. Imo formido et remorsus peccati committendi vel commissi, ex aliis causis forte conceptus, e. g. quod matrimonium ineatur spretis bannis aliisve Ecclesiae legibus, certum nondum facit, bonam fidem circa ligaminis absentiam ejusque certitudinem defuisse.

NB. Quando dicitur in hac paragrapho, non licere debitum conjugale petere, id, ut patet, intelligitur non de sola copula, sed de quibuslibet actibus imperfectis; neque in eo, cui haec prohibita sunt, excusatio a gravi peccato *(objectivo)* admitti potest, si leviores actus in proprium corpus exercet (§ 2 art. I.). Quousque autem in subjectiva ignorantia relinqui possit, ad generales prudentiae regulas spectat.

§ 2.

Circumstantiae personarum.

Ad quas revocari debet: 1) impotentia superveniens; 2) jus con- 845
jugalis debiti amissum ex incestu; 3) jus conjugale precarium factum ex quolibet adulterio; 4) jus conjugale ligatum ex voto castitatis.

I. In impotentia superveniente, quousque liceat copulam exercere, habes n. 835. Si vero hanc exercere non amplius licet, nihilominus ea interdicta non sunt, quae vocantur actus imperfecti, modo pollutionis periculum ne inducant: at multo cautiores conjuges tunc esse debent, maxime ille, qui petit; qui reddit, facilius excusatur, etsi forte aliquando praeter intentionem et consensum pollutio accidat. Ut immunis sit ab *omni* peccato, causa cohonestans accedere debebit in petente.

II. Qui ex incestu cum sui conjugis consanguineis (usque ad *secundum* gradum canonicum inclusive) suo conjugi affinis factus est: amisit *jus petendi* debitum conjugale ex lege ecclesiastica; cujus igitur condonatio a conjuge fieri nequit — idem sequi ex contracta cognatione spirituali inter ipsos conjuges, certum non est, ac propterea practice negligi potest —: verum tenetur debitum reddere.

III. Qui autem quodcunque adulterium commisit, a suo conjuge repelli potest quoad debitum conjugale, secundum ea, quae dicta sunt circa *causas divortii:* verum ipse adulter ex se non amisit *facultatem* petendi, quasi ipsa debiti conjugalis petitio ipsi peccato esset: id enim

---

[1] Hujus rei confirmationem petere potes ex responso S. Officii d. d. 22. Martii 1865 (*Collect. Mission.* n. 973): „Mulier, quum frustra reditum mariti exspectasset, post tres annos existimans ipsum jam mortuum esse, bona fide alii viro in matrimonio se conjunxit, et quum impossibile nunc sit investigare, utrum primus maritus vivat adhuc, aut reapse mortuus sit, quaeritur, utrum relinqui ipsa possit in usu secundi matrimonii contracti, donec certitudo habeatur de vita primi viri?“

R.: „Relinquendos esse in bona fide.“

soli incestui pro poena impositum est secundum n. II; multo magis obligatur ad reddendum debitum conjugi petenti.

IV. Qui voto castitatis ligatus est, ex sua parte petere non potest debitum conjugale, at debet alteri petenti reddere: imo id a S. Alphonso n. 944 recte extenditur ad casum, quando uterque solo voto ligatus esset, etsi ille, qui contra suum votum petit, monendus sit ex caritate, ut ab illicita petitione desistat. Cf. infra n. 854.

846 **Explicatio.** Nota ad II.: 1. Ut incestus cum compartis consanguineis inducat privationem juris petendi debitum, debuit adesse: 1) consummata copula; 2) secundum S. Alphonsum non solum cognitio prohibentis legis *ecclesiasticae,* sed etiam ipsius *poenae* cognitio; 3) crimen *sponte,* seu non ex gravi metu, commissum.

2. Privatio conjugalis juris in poenam statuta sic intelligitur, ut sola copula interdicatur, non quaelibet actio imperfecta. Cf. S. Alph. n. 933 et Ball. ad Gury II. n. 919.

Ad III. 1. Ex peccato autem, ut est *adulterium,* parti innocenti oritur jus adulterum repellendi non a sola copula, sed ab omni consortio conjugalis vitae.

2. Qui adulterium commisit, quod a comparte condonatum nondum est, neque mutuo adulterio quasi sopitum, non prohibetur quidem, quominus petat debitum conjugale *rogando,* controvertitur, num possit *exigendo.* Multi hoc negant. Quare ex eorum sententia ab imperio erga uxorem prorsus abstinere debet, tum ne sibi ultra jus aliquid arroget, tum ne conjugi jus denegandi, quod ipsa habet, ignoranti injuste ansam det per denegationem peccandi. Cf. Sanchez *de matr.* l. 1 d. 68 n. 2—6, ubi pro hac sententia inter alios recensentur Tabien., S. Antonin., Navarrus. Ipse autem Sanchez cum Cajetan., Soto aliisque etiam multis contrarium sentit, videlicet jus *exigendi* tum tandem amitti, quando pars innocens post crimen cognitum *sese ab obligatione absolverit* (vel absolvere debeat), antea ipsam obligatam, alterum in possessione juris coactivi manere. Haec etiam confessarius prae oculis habeat, quo pro prudentia sua et variis circumstantiis monere possit adulterum, non tamen obligare. Inde sequitur, pro diversa opinantium sententia alios scriptores confessario illi, qui in casu incestûs jus petendi debiti restituere possit, nihilominus negare facultatem, qua restituere possit jus *exigendi,* alios concedere etiam hanc potestatem.

Ad IV. 1. Qui voto castitatis simpliciter ligatur, interdicitur *ab omni* etiam imperfecta actione, nisi qua a comparte jure postulatur.

2. Quare si altera pars sive per incestum, sive per quodlibet adulterium jus amisit, ille, qui voto castitatis ligatur, neque petere neque reddere potest ullum debitum conjugale sive perfectum, sive imperfectum.

3. Nihilominus qui sive incestu sive voto prohibetur, quominus *petat,* tum *petere potest,* quando conjux petere non ausa in periculo incontinentiae versatur, vel graviter fert, maritum non petere, quia tunc potius reddit, quam petit: excipe, si forte etiam illa *propter votum* petere licite non possit. Imo si non voto, sed sola lege ecclesiastica ratione incestus prohibetur, ratio propriae incontinentiae — si periculum magnum in mora est, nec brevi peti potest dispensatio — causa est, cur probabiliter debitum conjugale petere possit. A voti autem obligatione periculum propriae incontinentiae eximere nunquam potest. Cf. S. Alph. n. 630.

§ 3.

Circumstantiae temporis.

Alia temporis circumstantia est prorsus externa, alia quasi interna, 847
quae afficiat conditionem ipsius personae.

I. Diebus festivis, vel jejunii, qui praecipue divino cultui vel poenitentiae dedicati sunt, quamquam consilium est a *petendo* conjugali debito abstinere: nihilominus praeceptum non est; imo ne consultum quidem, si periculum incontinentiae exsistit: v. S. Alph. n. 923.

II. In die S. Communionis magis etiam quam alias specialis quaedam causa urgere quidem videtur, cur ab omni veniali culpa cum immunem esse negemus, qui solius voluptatis causa, nulla tentatione aliave ratione urgente, conjugale debitum petat: tamen cavendum est, ne uxor, quae frequentius accedat ad S. Communionem, roget virum, ut desistat a debito petendo, nedum petenti difficiliorem sese exhibeat: S. Alph. n. 922.

III. Tempore praegnationis per se satis probabiliter peccatum non est, copulam maritalem habere, maxime si causa aliqua cohonestans accedit: v. S. Alph. ib. Sola ratio abortûs timendi obstare potest. Verum grave periculum non est, nisi specialis dispositio uxoris ad abortum exsistit — quae si adest, leves causae abortûs occasionem dare possunt, eas autem omnes sub timore gravis peccati evitari debere, videtur prorsus intolerabile esse.

Capellmann op. cit. dicit: 1) primo tempore post conceptionem facilius fieri posse abortum, sed tum de ea non constare, atque abortum vix adverti: 2) postero tempore, i. e. primis gestationis uteri mensibus, si aliquod periculum jam adsit ex speciali uxoris dispositione, copulam aliquantulum periculum posse augere; 3) alii insuper advertunt, tempore partui proximo, nisi conjuges in copula situm mutent, periculum creari posse.

Quibus omnibus consideratis, tandem concludi debet, rarissime conjuges plane obligandos esse, ut tempore gestationis uteri a copula abstineant: nam 1. raro *grave* periculum abortûs per copulam inducitur, rarius de eo constat; 2. aliquod autem periculum pro minore majoreve incontinentiae periculo, quod conjuges alioqui subirent, permitti seu tolerari potest.

IV. Tempore purgationis post partum, tempore fluxûs menstrui 848
consueti vel etiam tempore extraordinarii fluxûs muliebris periculum damni, quod forsitan mulieri oriatur, considerari debet, ut de liceitate copulae judicium feratur. — Plerumque scriptores copulam illis temporibus, nisi gravior quaedam causa cohonestans (ut periculum incontinentiae) accedat, pro peccato quidem, sed *veniali* habent, quia indecentia est, et quia mulieris incommodum et gravamen saltem augetur. — Imo, teste Capellmann, periculum *non leve,* praesertim brevi i. e. duabus hebdomadis post partum, mulieri creari potest. Quare quid liceat tunc, collige ex sequenti principio.

V. Quando propter morbum similesve circumstantias ex usu matrimonii *grave* damnum seu periculum sequitur, non tamen imminentis mortis periculum, ut copula liceat, *gravis* causa accedat necesse est: qualis est, praecipue in diuturno morbo compartis, grave incontinentiae periculum. Sed quamquam caritas erga periclitantem permittit alteri, ut seipsum periculo exponat, obligatio tamen non est, siquidem ad tentationem vincendam tandem alia remedia exsistunt. Cf. Lacroix l. 6 p. 3 n. 361 ex Busenb.

In imminentis mortis periculo, ex copula secuturo, ille usus matrimonii graviter illicitus est, utpote temeraria de vita dispositio: quo autem minus *imminens* periculum sit, etsi in se non leve, *gravis* quaedam causa usum matrimonii *licitum* reddere potest. Cf. Tambur. *in decal.* l. 7 c. 3 § 5 n. 24, Laymann l. 5 tr. 10 p. 3 c. 1 n. 5 etc.

Hinc: 1. post balneum, post prandium communiter vix ullum notabile damnum timendum est ex copula: v. Capellmann l. c. „usus matrimonii 4. f.“

2. In morbis gravibus acutis, magnis febribus etc. de periculi, quod tum maxime adest, gravitate medici est judicare: v. Capellmann ib.

3. Si uxori ex hoc periculum impendit, quod in partu consuevit in grave discrimen adduci: quum ex copula conceptio secutura non certo sit, secundum Laym. l. c. n. 5 et 7, Lacroix, Sanchez *licebit* uxori ex gravi causa (ut gravis incontinentiae) sese tali periculo exponere, ita ut id non pro imminenti mortis periculo habeatur. Ceterum periculum illud modo licito multum removeri potest, si attendis, quod mox § 5 ad IV. n. 851 adnotabitur.

§ 4.

De circumstantia loci et situs.

849 I. Usus matrimonii ex natura sua exigit locum secretum. Cujus rei violatio ratione scandali grave peccatum est. — Imo id etiam notari debet, conjuges peccare, nisi caveant, ne filii de re maritali notitiam capientes scandalum patiantur. Quod scandalum facillime oriri potest, si pueri sive puellae grandiusculi modo in eodem cubiculo cum parentibus dormiant.

II. Ratione sacrilegii vetatur usus matrimonii in loco sacro. In qua re et de casibus exceptis confer, quae vol. I. n. 384 dicta sunt.

III. De situ id unum fere notandum est, etsi naturalis situs violatio sine causa facta venialis deordinatio sit, grave peccatum nulla mutatione induci, nisi forte copula perfici nequeat ad generationem apta. Imo aliqua seminis per accidens perditio, si conjunctio ad generationem certo sufficiens facta sit, secundum S. Alphonsum pro gravi peccato non habetur lib. 6 n. 917 in fine et *H. Apost.* tract. 18 n. 39; neque per se pro *ullo* peccato habendum est, si solus modus possibilis generationi adhuc aptus adhibetur, etsi „non modica“ pars seminis dispergatur. Cf. S. Alphonsum ib., Sanchez *de matr.* l. 9 d. 16 n. 5.

De alio peccato, quo saepe sola debita sitûs circumstantia laeditur, vide supra n. 838 ad V, 5.

Ceterum per se de situ conjuges in confessione interrogandi non sunt: nam si peccatum grave committitur, id alio modo deprehendi solet; ut de situ interrogatio fieri debeat, per accidens erit.

Aliquando vero situm per se naturalem conjuges mutare *debent*, ut tempore graviditatis jam progressae, ne foetus damnum capiat.

§ 5.

De circumstantia finis et intentionis.

I. Quamquam solius voluptatis causa matrimonii jure uti, veniale 850
peccatum dicitur — quod idem de quolibet cujusvis rei usu dicere debeas — tamen practice id prorsus prae oculis haberi debet, aliud esse agere *ex* voluptate, aliud *cum* voluptate, si ipsa res, quae agitur, in se licita est.

II. Finis primarius utique est liberorum ad Dei servitium procreatio; secundarius concupiscentiae remedium: in eo vero, qui alteri obsecundet, honestissima ratio est ipsius juris redditio. Primarium finem excludere positive, i. e. aliquid *contra* illum *agere*, nunquam licet; verum si sic positive non excluditur, ex se peccatum non habetur. Neque constat, peccatum esse, primarie ex intentione secundarii finis agere.

III. Ex communi theologorum sententia et ex praxi Ecclesiae comprobata eruitur, matrimonii usum nondum evadere in se illicitum, quando per accidens primarius finis non attingitur neque attingi potest, si modo actus ex sua natura legitimus sit.

IV. Imo neque fit ejusmodi actus ex eo peccaminosus, quod fortasse conjuges cupiant, ne sequatur prolis conceptio, si modo ipsi positive eam non impediunt.

Quorundam explicatio. Nota ad II. 1. Ad fines honestos secundarios, 851
quorum intuitu principaliter agere peccaminosum non est, etiam refertur, amorem conjugalem fovere; ad quem maxime reliqui actus imperfecti, qui supra pro licitis notati sunt, referri saepe possunt.

2. Id, quod multi censent, scilicet aliquod peccatum veniale committi ab eo, qui, quando aliis mediis concupiscentiam facile vincere possit, in usu matrimonii nihil nisi hoc remedium quaerat, vix practicam regulam subministrat, quia certe facile non erit, constanter aliis remediis concupiscentiam compescere. Nihilominus id attendi potest, quo magis iis conjugibus, qui *perfectionem* christianam sectari volunt, temporanea continentia quam citra peccati periculum observare possint, virtutis exercendae causa *suadeatur*.

Ad III. Ecclesiae sensum colligimus ex benedictione nuptiarum eorum, qui ex senectute steriles sunt: quae fieri non posset, si in usu matrimonii re ipsa conceptio sequi deberet, aut sequi posse deberet. — Sic etiam tempore graviditatis usus matrimonii non interdicitur. Quae omnia supra jam dicta sunt.

Ad IV. Imo si conjuges, qui timent multam prolem, in periculo sunt peccandi, suaderi illis potest, ut, reliquo tempore sese continentes, eo tempore matrimonio utantur, quo spes generandi magis remota sit: quod accidit, si sese continent paucis diebus ante mulieris fluxum menstruum et plenos quatuordecim dies post menstruationem inceptam, ita ut sine magna spe — vel, ut ipsi considerant, periculo — generandi circiter decem intermediis diebus vel pluribus matrimonio uti possint: v. Capellmann l. c. Verum tamen non est, generationem omnino certo non posse sequi. Quam praxim damnandam non esse, atque insinuari caute posse conjugibus, si aliter ab onanismi peccato non retraherentur, S. Poenitentiaria 16. Jun. 1880 edixit.

Caput II.

De obligatione circa actus conjugales.

852 Quoniam pleraque, quae de conjugali vita dicenda sunt, ex praecedentibus satis colliguntur, ea, quae de obligatione ulterius exponi debent, ad duas quaestiones breviter reduci possunt: 1) quae sit obligatio reddendi debitum, 2) quae obligatio denegandi.

§ 1.

Obligatio conjugale debitum reddendi.

Quum secundum Apostolum mulier non habeat potestatem corporis sui, sed vir, et vir non habeat potestatem sui corporis, sed mulier, statuendum est:

I. Serio et rationabiliter petenti debitum conjugale reddendum prorsus est: quod imprimis de actu perfecto intelligitur, sed etiam extendendum est per se ad actus imperfectos non certo malos.

II. Si alter jus petendi vel exigendi amisit, reddendi obligatio per se non erit; at generatim neque obligatio *omnino* denegandi vel in denegatione persistendi, nam haec denegandi obligatio oriri tantum potest ex obligatione caritatis, alterum monendi, ne ipse peccet: verum hoc ipsum praeverti potest, si conjux rogata, potius quam reddat, ipsa *petat* debitum.

853 III. Excusatur aut omnino aut saltem a mortali peccato, qui non reddit debitum petenti, *secluso incontinentiae periculo probabiliter animadverso* — quod periculum tamen facile adesse potest — in his adjunctis:

1) Si non est petitio seria, aut si roganti facile remittitur petitum.

2) Si petitio est nimis immoderata. Cavendum quidem est, ne facilius petitio pro immoderata habeatur; attamen S. Alph., qui tandem uxorem tum non audet peccati gravis damnare, quando, nisi speciale periculum in viro sit, post tertiam vicem in eadem nocte quarta vice negaverit, videtur plane de extraordinariis circumstantiis id intelligere: nam adeo frequens usus matrimonii diutius productus viro potius quam mulieri grave damnum facile infert. Sed etiam uxoris, si viribus debilis est, ratio haberi debet.

In dubio perdurante consulatur medicus; confessarii tamen est animadvertere, non quodlibet incommodum, sed serium damnum, quod ex prudentis medici judicio omnino timetur, ab obligatione reddendi vel frequentius reddendi debitum excusare. Cf. infra ad IV. 2.

Excusatur igitur 3) generatim uxor, a qua petitur debitum, si grave damnum, etsi non imminens mortis periculum, juste timere debet: quare pro viribus uxoris facilius aut minus facile petitio immoderata censenda est.

4) Si ad breve tempus, secluso semper periculo, differtur.

5) *Cum eadem restrictione* etiam admitti debet, *raro* denegare, si saepe praestatur, ex parvitate materiae esse veniale peccatum, v. g., ut S. Alphonsus dicit, si mulier, quae saepius in hebdomada rogata debitum praestare consuevit, semel in mense denegat.

6) Si vir uxoris et prolis curam non habet, ita ut ex culpa viri vagabundi illae sibi suaeque miseriae atque gravi paupertati relinquantur, uxor obligari non potest; imo nisi vir resipiscat, ne periculum quidem incontinentiae ratio esse videtur, quae uxorem cum tanto incommodo obliget, ut mero arbitrio et libitui viri addicta sit.

7) Si sine culpa viri magna paupertas et conjugibus et numerosae proli impendet, haec per se ratio non est, cur perpetuo aut diu debitum denegetur; siquidem grave periculum incontinentiae non aberit, et tandem proli melius est pauperem esse, quam omnino non esse. At si diu denegare non licet, vix quidquam juvabit, aliquando negare, eo quod post debitum diutius negatum, quando redditur, facilior est spes concipiendi. Tamen si proles concipienda aut ipsi conjuges extremae necessitati exponerentur, haec ratio denegandi foret: v. S. Alph. n. 941. — Verum haec paupertatis, etsi non extremae, conditio, et timor numerosae prolis, ratio est, cur insinuetur conjugibus, ut potius quam incontinentiae periculo sese exponant, secundum ea agant, quae dicta sunt supra cap. I. § 5 ad IV, n. 851.

IV. 1. Obligatio reddendi debitum petenti non exstinguitur per 854
hoc, quod petens *illicite* tantum petat, modo ne *injuste* aut *rem illicitam* petat.

Quare de voti impedimento magis etiam intellige ea, quae n. II dicta sunt. Nam votum obligat quidem erga Deum ex virtute religionis voventem, ne petat; sed hujus rei judicium alter non habet; quare, etsi vovens *illicite* petat, petit tamen, quod ad jus suum pertinet, ac proin nolenti desistere altera pars reddere debet: nisi forte — quod melius est — partes *petentis* vult assumere.

Imo etsi conjuges ambo vovissent castitatem, ita tamen, ut invicem se non abdicassent *usu juris,* persistenti in exactione alter reddere deberet, quia hic per votum sibi tantum illicitam reddit petitionem, non vero redditionem actûs conjugalis, neque ipsius est dijudicare, cur alter jus suum exigat: cf. S. Alph. n. 944, et cum eo contra paucorum opinionem Suarez, Lugo, Laym., Bonacina, Elbel, Sporer, Holzmann, Diana, Filliuc., Salmantic. etc. — vide supra cap. I § 2 n. 845.

2. Quando propter grave malum ipsis conjugibus timendum obligatio reddendi non amplius subsistat, vide supra. Hîc tantum addo, propter communia vel non adeo gravia incommoda defatigationis, dolorum capitis, etsi, quando ita vehementes non sunt, ad aliquot menses post partum

protrahantur, uxorem a reddendo debito non excusari. Cf. Elbel *de matr.* n. 397.

555 3. Perfecte amenti, si petit, utpote qui humano modo non petat, reddendi debitum obligatio per se non est. Facultas autem reddendi aut petendi ex parte conjugis sani plerumque aderit. Excipiendus est casus, quando *uxor* non sterilis *furiosa* amentia laborat, siquidem summum periculum seu moralis certitudo faciendi abortûs tunc aderit: nihilominus si maritus in gravi periculo incontinentiae versatur, quod sibi videtur aliter vincere vix posse, de omnimoda obligatione ab usu matrimonii abstinendi puto non constare (cf. quae dicta sunt cap. praec. n. 835 ad I. 3). — Quod de amentia dictum est, per se valet etiam de ebrietate: extrinsecus tamen facilius obligatio reddendi debitum accidere potest, ut mox dicam.

Si amentia sive ebrietas plena non est, adeoque usum rationis, quamquam debilem, relinquit[1], petenti debitum reddendum est, idque in semi-amentia etiam magis, quam in semi-ebrietate, eo quod prior continua, posterior transitoria est; quare extra periculum incontinentiae in semi-ebrietate viri uxor facilius rem potest differre. Nimirum periculum defectuum corporalium non levium in prole progignendorum — quod tum ex amentia, tum ex ebrietate impendet — ratio esse potest non quidem perpetuo negandi, at differendi usum conjugii: verum si semi-ebrius in periculo imminenti incontinentiae est, periculum illud pro prole forte oriturum postponi debet, praecipue quando vir in eo statu exsistat, ut gravis peccati committendi forte sit capax, vel ex praevisa denegatione uxoris tum, quum levius se inebriat, gravem reatum luxuriae contracturus sit.

Gravior quaestio est, num perfecte ebrio vel amenti debitum conjugale reddi *debeat,* si petens alioqui sit in periculo pollutionis committendae: quod multi affirmant, ut S. Alph. n. 948, Sanchez l. 9 disp. 23, Scavini t. III. n. 959, eo quod sic impediatur actus saltem materialiter malus; alii, si sit rationabilis causa, negant, v. Ball.-Palm. tr. X. n. 657. — Sed a medicis et physiologis observatum est, ut dixi, pro prole ex tali actu conjugali oritura adesse gravis damni periculum, nimirum tum defectus corporales, tum *graves* (si agitur de conjuge ebrio) vitiosos habitus morales contrahendi. Quae pericula uxor graviora judicare potest, quam bonum illud, quod sit in impediendo actu mariti materialiter malo. — E contrario autem, si uxor ex quacunque causa in ea conditione est, ut concipere non possit, sane illud prolis futurae periculum cessat; dein, si vir ebrius ex denegato debito conjugali postea moveatur ad inimicitias vel graves discordias contra uxorem, aut si propter cognitam uxoris repugnantiam in periculo sit, cum ebrietatis malitia simul etiam malitiam luxuriae *praevisae* contrahendi: habes momenta, quae perpendi debeant, ut reddendi debiti obligatio ex parte uxoris potius urgeatur.

856 V. Ex obligatione mutua reddendi debitum conjugale sequitur pro conjugibus obligatio cohabitandi, ita ut sine mutuo consensu aut necessitatis causa diu unus ab altero abesse nequeat: quare si diu vir

---

[1] Quod extendi debet etiam ad tempus lucidi intervalli, at cum restrictione modo dicta in casu furiosae amentiae, in qua uxor versari consueverit. — Si vero uterque conjux perfecta et perpetua amentia laborat, etsi lucido intervallo raro interrumpatur, separatio eorum facienda est, eo quod educatio prolis reddatur impossibilis. Cf. Sanchez *de matr.* l. 9 d. 23.

absens esse debet, uxorem, si commode possit, secum debet ducere: S. Alph. n. 939.

Etiam gravis obligatio justitiae sequitur, qua uterque conjugum tenetur, ne se impotentem voluntarie reddat ad debitum, sive fit excessu peccandi luxuriose, sive excedente labore et maceratione.

Ad quam rem pertinet examinare, quousque liceat feminae subire operationem, qua ovaria vel uterus exstirpentur. Posterius non solum in utero ex sese periculose infecto, sed etiam accidere potest in *matre,* quae, ut prolem conceptam parere possit, pati debeat caesaream sectionem: hanc enim non raro medicus ita perficere cupit, ut et diminuat praesens matris periculum et praecaveat graviditatem pro futuro, proin uterum excidat. — Ovarii excisio tam in femina matrimonio juncta, quam in innupta propter ipsius organi morbidam affectionem ejusve timorem committitur.

Primo dicam de muliere matrimonio juncta. Utramvis excisionem sive ovariorum, sive uteri, habeo pro eo *defectu subsequente,* qui, etsi conceptionem prolis reddat impossibilem, usum matrimonii tamen non faciat illicitum. — Licere utramlibet operationem, si aliter nunc de vita uxoris actum sit, plane dici debet, sive maritus consentiat, sive non. Imo etsi periculum non adeo instans et certum est, si modo hac operatione periculum notabiliter diminuitur, eam fieri licet. Hinc, si in operatione caesarea hujus periculositas per uteri exstirpationem notabiliter minor fit, aut uterus ipse deprehenditur ulceratus vel aliter male affectus, ita ut ex hac mala affectione pro muliere grave vitae periculum juste timetur: mulier consentire potest, ut uterus exstirpetur. Atque id valet, etiamsi periculum illud futurum tantummodo est, et postea, si praesens evaserit, nova incisione et excisione tum facienda possit auferri; nam organum infectum cum tanto periculo iterato conservare mulier non tenetur, etsi sterilis evadat. — Verum si quaeritur de illa exstirpatione ad solam impediendam conceptionem futuram et praecavendam iteratam operationis caesareae necessitatem, ex hac sola ratione non puto eam licitam posse evadere. Membrum enim abscindere non licet, nisi ad salvandum totum corpus; hic autem id fieret proxime ad eum finem, ut matrimonii usus maneret sterilis. Aliunde igitur ista excisio seu mulieris sterilisatio jam debet exsistere licita; quod si obtinet, desiderium matrimonii usum efficiendi sterilem accedere potest tamquam causa impellens, causa per se movens esse nequit.

Hinc patet, quid *secundo* dicendum sit de femina innupta. Vix apud eam quaeri potest de tali ovariorum vel uteri excisione, nisi ob morbidam illarum partium affectionem. Ceterum eadem valent, quae de uxore. De sequelis quoad futurum matrimonium judica ex iis, quae n. 744 dicta sunt. Velle autem excisionem istam ad id solum, ut inducatur sterilitas atque commercii sexualis facultas sine timore prolis concipiendae, gravissimum est peccatum.

§ 2.

De obligatione denegandi.

Obligatio denegandi oriri potest solum ex eo, quod aut 1. res, quae 857
petitur, *in se* sit illicita, aut 2. res, quae petitur, *ex circumstantiis* fiat mala.

I. *Ex circumstantiis* res, quae petitur, mala fit, si inducit alterutrum conjugem in periculum magnum neque adsit causa excusans,

aut si in imminens vitae periculum conjiciat secundum ea, quae n. 848 dicta sunt.

II. *In se* illiciti sunt illi actus imperfecti, qui ex se evidens periculum pollutionis secum ferunt, quod conjuges praevenire nequeunt aut nolunt. Quare si tale quid petitur, denegandum est. Verum si periculum adeo certum ex sese non inducitur, reddens excusatur, etsi ipse in se periculum pollutionis aut pollutionem subeat (modo cohibeat consensum, de quo tamen cf. supra n. 836 ad III. 4): quia, qui obedit, praestat rem in se non certo illicitam ex obedientia erga alterum quasi-superiorem, ac proin effectus ille malus ipsi non imputabitur: v. S. Alph. n. 934 in fine.

III. Magis autem illicita sunt ea, quae tendunt in effusionem seminis extra vas, vel eam intendunt, sive est onanismus, videlicet abruptio copulae voluntaria cum effusione virilis seminis extra vas (saepe nomine onanismi vocant peccatum pollutionis studiose causatae; quare si poenitens id peccatum nominat, videndum est, quid velit designare), sive est sodomia. Haec igitur agere, aut in ea consentire, gravissime illicitum est.

Hinc: 1. Sodomia ex parte utriusque conjugis gravissimum peccatum est.

2. Onanismus per se ex parte viri gravissimum est peccatum.

3. Ex parte uxoris onanismus ejusmodi peccatum praecipue tum est, quando utcunque inducit virum ad illud scelus, sive directe, sive indirecte nimiis querelis de prolis numerositate et similibus, aut si utcunque approbat, aut si ea fiunt, quae indico seq. n. 858, 5.

858 IV. Quare si vir onanista est, uxor id agere debet, ut virum ad impium scelus omittendum inducat, monitis et precibus pro spe fructûs aliquoties iteratis, tum ex obligatione fraternae correctionis, tum ne ipsa videatur consentire[1].

At si nihil proficit, grave autem sibi est, viro usum corporis denegare aut periculum propriae incontinentiae subire: mulier, utpote quae ex sua parte rei licitae operam det, peccati rea non est, si *nihil aliud* fit, praeterquam quod vir se retrahit. S. Alph. n. 947.

1. Igitur tum timor, ne a viro aliquid grave pati debeat, graves rixas etc., tum timor, ne sibi periculosum et grave sit tamdiu a matrimonii usu abstinere, pro uxore legitimae rationes sunt, cur viri peccatum permittat eique materialiter cooperetur, modo illud sibi displiceat, idque sibi displicere ostendat. Quamquam si spes fructûs non est, non tenetur *singulis vicibus* monita et signa displicentiae positive iterare, etsi experientia scit, virum jure conjugali abusurum esse; — viro autem, qui se ad abusum copulam petere declaret, seu *ad abusum* petat, mulier obsistere debet, et solummodo *cum protestatione*, scilicet declarans, se nolle nisi legitimum usum, sui corporis copiam dare potest.

2. Si quando de viri peccaminosa voluntate non certe constat, potest non solum licitum pro uxore, sed etiam debitum esse, viro copulam petenti obsecundare.

[1] Studeat inducere ad temporaneam continentiam secundum supra dicta n. 851.

3. Quando igitur uxor licite aut petit copulam a viro onanista, aut ei reddit, ipsa non peccat voluptati internum consensum praebendo, neque semetipsam *ante* copulam excitando.

Attamen quod *post* copulam ex parte viri perfectam supra licitum esse dixi, sc. uxorem tactibus sese excitare posse ad complendum actum, si ex parte mulieris perfectus nondum fuerit: id in casu onanismi objective licitum esse, dicere minime possum. Quantum autem expediat, uxorem cum bona fide id agentem monere, ex communibus regulis desumitur, quae exponunt munus confessarii in poenitente instruendo atque monendo.

4. Ipsum peccatum viri uxori non posse placere, in comperto est. At cum vera peccati displicentia et detestatione conjungi potest quaedam complacentia seu gaudium circa effectus, v. g. si uxor viri onanistae gaudium concipiat, quod uterum non gestet, ab onere et labore partûs, educationis libera sit. Quae si accidunt, non illico peccati damnari debent. Verum uxori agendum est, ne illo gaudio nimis sese occupet, alioqui fieri facile potest, ut complacentia de illis effectibus transeat in complacentiam ipsius causae seu peccatorum, quae illis effectibus ortum dederunt. Suadendum ergo, ut, si tale gaudium mentem subeat, ipsa peccatum viri positive detestetur, atque ita se paratam esse coram Deo declaret, ut, si optio illi detur, nunquam ipsum abusum velit[1].

5. Verum si non sola retractione viri, sed alio modo onanismus fiat, ita ut statim ab initio copula contra leges naturae inchoetur et contra eas perficiatur, e. g. interposito instrumento, vel tegumento, quo impediatur receptio seminis in vas naturale mulieris: sane mulier tali rei *nullatenus* acquiescere vel cooperari potest, multo minus id ex sese peragere.

Communiora peccata conjugum gravia haec fere sunt: 859

1. Adulteram mentem fovere, a fortiori adulterium committere;
2. solitariis actibus vel etiam cogitationibus, verbis sese periculo pollutionis exponere;
3. mutuos actus ex sese vehementer ad pollutionem, quae anteverti nequeat, excitantes exercere;
4. sodomiam, onanismum committere;
5. debitum conjugale rationabiliter petenti, praesertim in periculo incontinentiae exsistenti, denegare;
6. debitum conjugale contra jus compartis seu cum gravi ejus damno irrationabiliter exigere vel extorquere;
7. matrimonio uti cum proprio periculo gravi, nisi forte aliquando causa gravis excuset.

Nota. Confessarius modestus et parcus esse debet in interrogationibus de usu matrimonii. Ex una quidem parte non semper potest ab interrogando abstinere, si justam causam habet suspicandi, non omnia rite manifestari a conjugibus, aut conjuges in errore periculoso versari; ex altera autem parte excederet omnino partes prudentiae et decentiae, si quoslibet conjuges de hac re interrogaret, imo si unquam

[1] Ad quod, si confessario videatur expedire, addi potest, ejusmodi matrimonii abusum inducere posse effectus sane tristes morborum, maxime pro femina.

sine vera necessitate ad res minutas descenderet. Quodsi gravis ratio interrogandi sit, incipiat prorsus a generali aliqua interrogatione, v. g. num in matrimonio bene vivant, uxorne viro obediat: responsa data et modus respondendi facillime confessarium docebunt, utrum ulterius interrogandum sit necne.

Responsa sive S. Poenitentiariae sive S. Officii circa plures quaestiones hic breviter expositas dare supersedeo; siquidem in manibus fere omnium sunt, et rem in se satis claram attingunt[1].

Pro appendice complebo doctrinam de mutuis inter maritum et uxorem relationibus atque officiis, recapitulando, quae sparsim variis in locis jam ex parte adnotavi. Cf. ex Busenb. Lacroix l. 3 p. 1 n. 708.

Qua conjuges, seu quoad matrimonium ejusque usum, maritus et uxor paris conditionis sunt, atque alter alteri debet obsecundare. Quatenus autem societatem domesticam spectamus, quae per matrimonium fundatur, maritus Superioris tum officium, tum potestatem habet.

Quapropter maritus 1. debet uxorem atque familiam alere, atque bona non sua tantum, sed etiam communia (vel etiam uxoris) administrare. — Hinc graviter peccat: a) si bona dilapidat atque familiae curam negligit; b) si, dum potest, uxorem indigentem et familiam non alit, nisi forte quoad uxorem ex hujus culpa divortium factum sit.

2. Tenetur maritus invigilare in bonos mores et familiae et uxoris. Et quamquam uxor hac in re multum eum juvare potest et debet circa educationem filiorum: nihilominus ut superiori prima cura marito incumbit, ita ut ipse videre debeat, utrum per uxorem aliosve bonae educationi bonisque familiae moribus satis provideatur necne, et ut ipse uxorem, si negligentior sit, ad officia religionis implenda debeat urgere. — Hinc a) incuria hac in re graviter delinquere potest; b) a fortiori graviter peccat, si uxorem ab officiis religionis necessariis impediat, vel etiam sine sufficienti causa ab exercitiis religionis non necessariis quidem, sed multum utilibus: ceteroqui, si eam impediat ab iis, quae consilii sunt, plerumque venialiter tantum peccet; etiam graviter peccat, si uxorem nimis severe vel crudeliter tractat eamque verbis *pro conditione sua* graviter contumeliosis contristat.

E contrario uxor graviter peccat: 1. si sibi, spreto viro, imperium vindicet; 2. si nolit sequi virum in domicilii habitationisque mutatione, nisi

---

[1] Responsum autem d. d. 10. Martii 1886 a S. Poenitentiaria hic communico: „Dub. I. Quando adest fundata suspicio, poenitentem, qui de onanismo omnino silet, huic crimini esse addictum, num confessario *liceat* a prudenti et discreta interrogatione abstinere, eo quod praevideat, plures a bona fide exturbandos, multosque sacramenta deserturos esse? Annon potius *teneatur* confessarius prudenter ac discrete interrogare?

II. An confessarius, qui, sive ex spontanea confessione sive ex prudenti interrogatione, cognoscit poenitentem esse onanistam, *teneatur* illam de hujus peccati gravitate aeque ac de aliorum peccatorum mortalium monere, eumque, ut ait Rituale Rom., paterna caritate reprehendere, eique absolutionem tunc solum impertiri, quum sufficientibus signis constet, eumdem dolere de praeterito et habere propositum non amplius onanistice agendi?

R. ad I. *Regulariter negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam. ad II. Affirmative, *juxta doctrinas probatorum auctorum.*“

Illud *regulariter* innuit, interdum per exceptionem fieri posse, ut potius res silentio premenda sit, ne sine ulla spe fructûs bona fides in fidem malam convertatur.

forte ex mutatione periculum valde grave subitura sit vel pacta de contrario neque causa pacti sit mutata, vel si vir post nuptias factus sit vagus; 3. si uxor, reverentiae plane immemor, virum contumeliis prosequatur pro conditione gravibus, vel rixis seu verbis ad gravem iram vel blasphemiam provocet; 4. si contra rationabilem viri voluntatem et contra consuetudinem feminarum similis conditionis notabile aliquid expendat, sibique sine justa causa rerum administrationem arroget (justa causa esset v. g. viri prodigalitas, damnum a domo sive familia avertendum).

Ceterum christiani conjuges incumbere debent, ut in suo statu non solum graves obligationes impleant, sed sese christiano more vere sanctificent. Atque sane intra ipsius domûs limites multas habebunt occasiones eximiarum virtutum exercendarum, supernaturali motivo atque spiritu fidei omnem domesticam conversationem sanctificantes, bona et religiosa lectione, si per tempus licuerit, saltem diebus Dominicis, sese excitantes, communi exercitio precum mane et vespere divinam opem implorantes, mutua pace et caritate sese praevenientes, mutuo exemplo sese provocantes ad Deum super omnia et in omnibus amandum, ejusque cultum et amorem in filiis aliisque subditis promoventes. Haec vel similia toties inculcat S. Scriptura, imprimis S. Paulus in epistolis suis, ut I Cor. 7, Coloss. 3, I Tim. 2, sed praecipue Ephes. 5, ubi ad ipsum Christum ejusque erga Ecclesiam amorem appellat, quo efficacius ad mutuam caritatem conjuges permoveantur: „Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae; ipse salvator corporis ejus, sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea. . . . Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.“

Liber II.

De Poenis ecclesiasticis.

860 Ecclesia hanc a Christo divino institutore provinciam accepit, ut homines eorumque actiones ad supernaturalem finem, qui solus est verus hominum finis, quique in altera vita tandem attingitur, efficaciter dirigeret. Quam ob causam illius potestati concredidit illiusque potestati atque administrationi subjecit sacramenta, illa videlicet divina media, quibus homo rite dispositus supra naturae suae conditionem effertur, ad divina opera exercenda idoneus efficitur, contra inimicos insultus et tentationes viribus et fortitudine donatur. At non solum illa subsidia, quorum vim et efficaciam ipsa suspendere nequit, Ecclesiae contulit, sed eam plena potestate et auctoritate regendi instruxit, qua solâ hominum multitudo in societatem coalescit atque unum corpus morale efficitur. Qua facultate potita, Ecclesia sive Ecclesiae rectores lege, judicio, poenâ fideles sibi subjectos dirigunt et urgent, ut praestitutum sibi finem aeternae vitae nunquam negligant, aut neglectum ordinem recti finis citius reparent eumque alacrius prosequantur.

Et quamquam pro sua prudenti voluntate Ecclesia eas poenas statuere potest, quas aptas judicat ad continendos vel corrigendos pervicaces et rebelles filios; tamen ipsius natura et indoles ea est, ut praecipue spirituales poenas statuat. Porro poenae ejusmodi aut arbitrariae sunt, scilicet boni alicujus spiritualis jam recepti, honoris, officii functionis privatio, vel alicujus boni habendi sive sperandi denegatio secundum arbitrium Superioris, aut sunt regulâ certâ jam determinatae et fixae.

De solis his poenis, ut facile patet, quae ad certos jam ordines redactae sint atque effectus determinatos legeque praestitutos habeant, nobis hîc sermo est.

Ordinarias ecclesiasticas poenas in tres ordines dividere possumus, videlicet in poenas *medicinales;* in poenas *vindicativas;* in *poenalitates,* quae quidem primo impedimenti rationem, secundarie poenae habent. Primus ordo complectitur *censuras,* quae vocantur; secundus poenas quoad effectus quidem censuris similes, quoad modum et finem tamen diversas, ut depositio etc.; tertius *irregularitatibus,* saltem quae vocantur „ex delicto“, constituitur.

Quia vero poenae illae secundi ordinis paucae sunt et raro occurrunt, ea, quae complementi causa de iis dicenda sunt, censuris adnectemus; et omnem poenarum ecclesiasticarum tractationem duabus sectionibus complectemur, quarum I[a] de censuris, II[a] de irregularitatibus agit.

Tractatus I.

De Censuris et poenis similibus.

Scriptores hac de re conferri possunt inter alios: Kober *der Kirchenbann,* Tübingen 1857, et postea: *das Interdict, die Suspension*; Thesaurus *de poenis ecclesiasticis,* Berardi *commentar. ad jus ecclesiast.* t. IV., Suarez *de censuris,* Schmalzgrueber in lib. 5 tit. 39.

Sectio I.

Generalis diversarum Censurarum explanatio.

Caput I.

De Censuris in communi.

§ 1.

Notio et divisio.

Censurae nomen quidem notam, vituperium significat, atque ideo 861
translatum est ad poenam, qua mala actio notetur, vituperio afficiatur, puniatur. Sed ecclesiastico sensu certas omnino et definitas poenas ab aliis prorsus distinctas significat. Quamquam in codice legum ecclesiasticarum expressa definitio non traditur, satis tamen tum ex illo, tum ex communi omnium juris peritorum doctrina, quid sit censura, habetur.

Definitur communiter „poena medicinalis, qua homo baptizatus et contumax bonis quibusdam spiritualibus privatur". — Quam definitionem veram esse, ut plene probetur, ad auctoritatem appellare debemus, aut ad ea remittere, quae postea de singulis censuris dicenda sunt. Quid enim sit censura, in *Corpore juris* sola enumeratione definitur; intelligi „excommunicationem, suspensionem, interdictum", ex cp. *„Quaerenti"* (20) de *verbor. signif.* l. 5 tit. 40 habes.

His 1) „privari hominem *bonis quibusdam spiritualibus*" infra patebit, quando exponetur, *quibus* privetur. — 2) Privari hominem *„quibusdam"* tantum bonis, ex hoc solo jam patet, quod bonis internis et homini inhaerentibus (habitibus virtutum) aut quasi-inhaerentibus (ut merito), Ecclesia neminem privare potest, sed solus homo se ipse iis exuere valet. — 3) Privari hominem *„baptizatum"* dicitur, quia Ecclesia in solos baptizatos judicium exercet. — Esse poenam contra *„contumaces"*, colligitur partim ex indole poenae, quae quum per se gravis sit, imo possit esse gravissima, partim ex iis, quae Ecclesia constituit de monitione praerequisita, quando

agitur de censura nunc infligenda, nondum ex lata lege inflicta, partim ex iis, quae jam de ultima voce „medicinalis" dicenda sunt. — Esse igitur poenam *„medicinalem"* ad frangendam hominis contumaciam eumque ad resipiscentiam inducendum, adeoque non mere vindicativam, apparet ex iis, quae de absolutione a censuris ab Ecclesia statuuntur. Eo ipso enim, quod absolutionem censurarum Ecclesia sollicite urget eumque, qui mandatis Ecclesiae obtemperare velit, ab illa poena liberat, eum vero, qui hanc liberationem non curat, etiam graviore nota et poena afficit[1], manifeste patet, poenam hanc non esse mere vindicativam — quippe quae ex se sit perpetua neque a resipiscente auferatur — sed vere medicinalem.

862 Notis qualitatibusque, quas exposui, quaelibet censura ab omnibus aliis poenis ecclesiasticis distinguitur. Maxima vero differentia apparet ex eo, quod ultimo loco dixi, scilicet *censuras* jure debere auferri, quam primum reus efficaciter fuerit correctus, alias autem poenas ecclesiasticas esse *de se perpetuas*. Et revera poenae ex propria sua institutione vindicativae, ut sunt degradatio, depositio etc., suas naturales conditiones etiamtum retinent, quando Superior eas pro medicina infligit, et proin etiam post correctionem effectam per se manent. Item impedimenta et inhabilitates in poenam inflicta sunt ex natura sua perpetua, ita ut, postquam reus resipuerit, non pro justitiae exigentia, sed pro gratia tantum, et proin non semper auferantur, si tandem re ipsa auferantur. Cf. c. 11 *(Ex litteris)* X 1, 2.

Quare homo reus pro peccato prorsus praeterito, quod scilicet in effectu suo non amplius perdurat, neque satisfactione vel reparatione indiget, censurâ, nisi quam antea incurrit, non jam affligitur. Si vero delictum *adhuc pendet*, ut ajunt, quia nondum ad finem perductum est, vel effectus malos producere pergit, vel satisfactione seu reparatione opus est, delinquens, ut desistat aut reparet, censurâ urgeri potest. Pro delicto autem mere praeterito quominus alia poena vindicativa imponatur, nihil vetat.

NB. Suspensio et interdictum aliquando naturam suam mutant, ita ut censurae non sint: quare, quando non ut censura infliguntur, eorum violatio secum non trahit irregularitatem, quae incurritur propter violatam censuram (de qua infra).

Divisio censurarum:

863 1. *Prima* divisio, ut jam notatum est, fit in *excommunicationem, suspensionem, interdictum:* prima privat communione fidelium, altera ecclesiastica potestate, tertia usu quarundam rerum sacrarum, prout fusius postea explicabitur.

2. Sunt censurae *a jure* et *ab homine,* prout leges ecclesiasticae seu jus ecclesiasticum certas censuras pro quibusdam peccatis jam tulit, aut Superior ecclesiasticus, occurrentibus delictis, pro arbitrio suo poenam illam sive in singulos, sive in plures subditos statuit. Si dicitur „a jure", intellige 1) jus commune universalis Ecclesiae — quod maxime intelligitur —, 2) etiam jus *particularis ecclesiae,* etiam a solo Episcopo statutum.

3. Censurae in jure constitutae sunt aut *latae* aut *ferendae sententiae,* prout contra delinquentes ita lex statuta et sententia jam quo-

[1] Cf. inter alia Trid. sess. 25 cap. 3 in fine *de ref.* „si (excommunicatus) obdurato animo . . . in illis (censuris) per annum insorduerit, etiam contra eum tamquam de haeresi suspectum procedi possit".

dammodo lata est, ut eo ipso, quod crimen commissum sit, poena incurratur, nulla amplius interposita judiciali sententia; aut sententia judicialis, quae censuram infligat, post crimen commissum ferenda est, ita ut lex solum moneat vel jubeat Superiorem ecclesiasticum censuram infligere. (Inde fit, ut censurae „ferendae sententiae", ut re ipsa incurrantur, ab homine ferri seu infligi debeant.)

4. Censurae „ab homine" feruntur aut *per modum mandati*, aut *per modum sententiae.* Priores imitantur censuras latae sententiae, siquidem Superior aliquid praecipit vel prohibet, ita ut inobediens ipso facto poenam incurrat; per modum sententiae censura fertur, quando, criminis perpetrati nondum plane praeteriti inquisitione facta, Superior reum pro culpa punit.

5. Aliae sunt censurae *notoriae,* aliae *occultae,* prout notum est, aliquem censuram incurrisse, ita ut nulla tergiversatione id tegi vel occultari possit, aut notum non est.

6. Aliae sunt censurae *reservatae,* aliae *non reservatae,* prout Superior earum absolutionem aut sibi reservavit, aut omnibus confessariis concessit.

NB. Censurae *ab homine,* saltem si in singulos latae sunt, semper reservantur. — Censurae vero *latae sententiae,* quae hodie vigent, ex Constit. Pii IX. *„Apostolicae Sedis"* pro majore minoreve reservatione ita distinguuntur: a) Censurae nemini reservatae (a quibus quilibet confessarius absolvere potest, nisi deducta sit causa ad forum externum); b) Censurae Ordinariis seu Episcopis reservatae; c) Censurae Romano Pontifici ordinario modo reservatae; d) Censurae R. Pontifici speciali modo reservatae, ex quibus forte unam etiam magis excipere possumus tamquam e) specialissime reservatam.

§ 2.

De conditionibus necessariis, ut censura incurratur.

Ex definitione censurae supra data plures conditiones facile eru- 864
untur, quae nisi adsint, censura non incurritur. Sed quo melius et accuratius cognoscantur, singulas tractemus. Communi consensu hae statuuntur circa delicta, quae censuris puniuntur: debet peccatum esse *mortale, externum,* in suo genere *completum, non mere praeteritum*, cum *contumacia* conjunctum.

1. *Mortale.* Quidquid ergo a *gravi* peccato delinquentem excusat, scilicet levitas materiae, imperfectio actûs, ignorantia, cooperatio materialis ex gravi causa: id etiam a censura eum liberat, ita ut saltem vere et coram Deo bonis illis spiritualibus non exsistat privatus, quamquam fortasse externe se ut censura ligatum gerere debeat. Circa peccatum dubie mortale S. Alph. l. 6 n. 600, Suarez *de censur.* d. 40 sect. 6 n. 3 dicunt, quemlibet confessarium absolvere posse a quolibet tali peccato alias reservato: id innumeros alios scriptores sentire, habes apud Lugo *de poenit.* disp. 20 n. 18, qui hanc sententiam ex-

presse etiam applicat ad censuram, quam poenitens propter illud peccatum, quod num subjective mortale fuerit dubitatur, fortasse incurrerit.

Attamen leviores quaedam censurae, ut excommunicatio minor (quae hodie jam non viget), quaedam suspensiones vel interdicta *partialia* non necessario requirunt mortalem culpam; imo ne excommunicatio quidem, quae *ferendae sententiae* in lege statuatur vel quae, ut a Superiore infligatur, facultas detur, argumentum certum est, rem, de qua agatur, esse aliquid sub culpa gravi faciendum; sed tum demum *certo* sub gravi faciendum est, quando Superior, facultate sibi data utens, a subdito sub poena incurrendae gravis censurae id postulaverit.

2. *Externum.* In peccatum enim *mere* internum Ecclesia nunquam consuevit in *suo* foro poenam imponere. Quamquam enim a *potestate* Ecclesiae id alienum nullatenus videtur esse, poena *latae sententiae* culpam mere internam punire, ab ejus consuetudine tamen alienum est. At cave, ne confundas peccatum internum cum peccato omnino occulto, cujus *solus reus* conscius sit. Ejusmodi enim peccata Ecclesia et potest certissime punire, et re ipsa punit, v. g. haeresim occulte sine ullo teste ore prolatam. — Porro illud „externum" intelligitur, ut peccatum, quod censurâ puniatur, se *ut grave* externe manifestare debuerit.

3. *In suo genere completum.* Poenalis enim lex, utpote odiosa, strictae interpretationis est; quare delictum, prout in lege poenam statuente exprimitur, plene adesse necesse est, aliter poena locum non habet. Hinc, si verba legis denotant ultimum actionis peccaminosae effectum, quocunque modo effectus impeditus fuerit, poena non incurritur: quando vero ipsa actio vel conatus censurâ punitur, sufficit actionem posuisse, ut poena valida evaserit. — Sume, homicidium sub excommunicatione prohiberi: qui venenum inimico dedit, antequam inimicus mortuus sit, excommunicatus nondum est; si utcunque sive casu sive miraculo ille non moritur, reus nunquam excommunicationem incurrit. Si vero „homicidium mandantes" *per se*, non solummodo *accessorie* ratione homicidii *facti* excommunicantur, eo ipso poenam incurrunt, quando alteri homicidium mandant, etsi ille nullatenus mandatum exsequitur. Attamen si verba vel intentio legislatoris alterum benigniorem sensum patiuntur, ille tenendus est.

865 4. *Non mere praeteritum.* Haec conditio tum tantum attentione digna est, quando de censura ab homine infligenda, non de censura latae sententiae agitur. — Quo sensu autem peccatum non mere praeteritum dicatur, supra explicatum est.

5. *Cum contumacia conjunctum.* Quae conditio ut rite intelligatur, quaedam clara et indubia, quaedam majore minoreve jure dubia et explicatione digna sunt. Contumacia minuitur, aut etiam abest propter 1) ignorantiam, 2) metum incussum, 3) monitionem non praemissam, 4) poenitentiam post factum, sed ante ejus ultimum effectum seu complementum secutam. De quatuor illis causis breviter dicendum est, num et quando a censura excusent.

I. *Ignorantia* potest esse a) ipsius *facti,* quod ponitur, ut si quis clericum percutiens nescit, eum esse clericum; b) ignorantia juris eaque talis, ut *legis* ecclesiasticae prohibitio ignoretur; aut c) ignorantia juris circa solam *poenam* ab Ecclesia inflictam; aut d) ignorantia juris circa solam poenae *reservationem.*

1. Ignorantia ipsius *facti* si adest, censura non incurritur, quia non adfuit *formaliter* illud peccatum, quod sub censura prohibetur, sed materialiter tantum.

2. Quoad ignorantiam juris circa *legis* vel *solius poenae exsistentiam* nota tres regulas. 1ma: Si lex poenam statuit contra „scienter, consulto facientes", quaelibet vera sive legis sive poenae ignorantia a censura excusat, etiam affectata. 2da: Si dicitur „temere facientes, facere praesumentes"[1], affectata quidem non videtur excusare, excusat vero crassa et supina. 3a: Etsi nulla harum clausularum additur, ignorantia non solum leviter culpabilis secundum omnes a censura excusat, sed secundum multos scriptores, idque satis probabiliter, etiam ea ignorantia, quae graviter quidem culpabilis est, non vero affectata neque crassa. — Attamen id addi debet, satis esse genericam quandam poenae notitiam, non requiri accuratam censurae ejusque effectuum cognitionem: quare satis est nosse, Ecclesiam certum illud crimen speciali poena prohibere.

Ratio *primae* et *secundae* regulae est, quia aliter verba legis non plene verificantur; re enim vera, ex quacunque ignorantia delinquitur, non idem est in delinquente auctoritatis et ecclesiasticae legis contemptus atque in eo, qui cum cognitione legis et poenae peccat. Nam etiam qui affectatâ ignorantiâ laborat, etsi ex temeritate et praesumptione contra legem ecclesiasticam peccare dicendus sit, tamen ita constitutus est, ut *si sciret* legem et poenam, ita peccare non auderet[2]. Cf. Sanchez *de matrim.* l. 9 d. 32 n. 3059.

Ratio *tertiae* regulae est ipse tenor ecclesiastici juris, quum l. 1 tit. 2 cap. 2 in 6 dicatur: „Ligari nolumus ignorantes, modo tamen ignorantia crassa non fuit aut supina."

Controversia autem tantum in eo consistit, quaenam ignorantia *crassa* aut *supina* dicenda sit. Quidam contendunt, omnem ignorantiam graviter culpabilem seu ex gravi negligentia ortam dici debere crassam. Ita S. Alph., Suarez, Laymann, Reginald. aliique: vide Gury II. 939. Alii vero (v. ib.), ut Tanner, Castropal. p. 8 n. 7, Sanchez, Avila, Pirhing, Reuter p. 1 n. 267, Mazzotta disp. 1 q. 2 c. 3 § 2, Barbosa aliique, nequaquam omnem ignorantiam graviter culpabilem pro crassa vel supina habent, sed eam tantum, quae ex negligentia cum excessu gravi oriatur: id quod practice admittere licet.

Affectata autem ignorantia, ut in nota dicitur, ea est, quam aliquis ex consulto fovet, seu inquisitione non deponit, ut liberius peccet, fortasse peccare non ausurus, si legem cognitam haberet. Hanc crassâ pejorem esse, quivis videt.

3. Quoad ignorantiam circa solam poenae *reservationem* haec nota: Si 866
accidit, ut aliquis poenam quidem impositam in se spectatam cognoverit, nesciverit autem, eam esse *reservatam,* ita ut absolutio non a quocunque confessario, sed ab Episcopo vel Romano Pontifice tantum concedi possit:

---

[1] Illud „temere" sive „ausu temerario" non solum non verificari, si adsit ignorantia aliquo modo excusabilis, sed neque, si delinquens metu moveatur, vide infra.

[2] Intellige ignorantiam, quae ex industria non depellatur, sed studiose foveatur, non vero ignorantiam, quam se habere delinquens solummodo affectet, praetendat: haec posterior vere ignorantia non est, sed prorsus scientia.

aliquibus visum est, *reservationem* censurae non incurri, quod idem recenter cl° Linsenmann *Moraltheologie* § 68 placuit. At prorsus cum S. Alphonso l. 6 n. 580 et Mazzotta *de poenit.* disp. 2 q. 3 c. 2 dicendum est, *istam* ignorantiam non efficere, ut absolutio illius censurae non sit vere reservata. Nam ratio, cur ignorantia excuset, est, quia Ecclesia ignorantes non vult subjicere poenae *extraordinariae.* At reservatio, si quando censura contracta est, non est quidquam extraordinarium, quod censurae adjiciatur, sed potius id, quod eam naturaliter consequitur, nisi legislator ex benignitate favorem facilioris absolutionis obtinendae constituerit.

867 II. *Metus,* praecipue gravis, contumaciam contra legem notabiliter minuit. Hinc ratio esse potest, cur a censura liberet. Sed haec consideratio simul exceptiones subministrat, quando metus etiam gravis a censura non liberet.

1. Metus *gravis* a censura excusat, quandocunque a lege *ut humana* violanda excusat. Excusat igitur in omnibus casibus, exceptis iis, in quibus etiam lex *ut humana,* metu gravi non obstante, vim suam retinet, videlicet: a) si metus incutitur in odium religionis vel contemptum auctoritatis ecclesiasticae; b) si agitur de delicto, quod *grave damnum commune causat;* c) si agitur de injuria valde atroci contra Ecclesiam, ita ut ipsum delictum naturâ suâ sit in odium religionis seu Ecclesiae; d) si agitur de crimine sub censura prohibito, cujus declinatio *communiter* grave damnum infert, aut si in particulari casu aliquid graviter periculosum ex gravissima causa a Superiore sub censura praecipitur.

Nam in iis circumstantiis Superior, quamquam scit, grave incommodum cum lege conjunctum esse, tamen potest suam legem urgere et, ut supponitur, re ipsa legitime urget (Mazzotta l. c.) — In aliis autem casibus, quantumlibet contra legem naturalem et divinam is peccat, qui metu gravi contra eam agit, tamen eandem legem *ut humanam* seu ecclesiasticam non censetur infringere. At censura ob ipsius ecclesiasticae legis violationem statuitur; ergo illam non incurrit. (Cf. Mazzotta l. c. c. 4 § 1, Reuter l. c., S. Alph. n. 49; cf. etiam supra vol. I. n. 155 et 156.)

2. Metus *quilibet,* etiam levis, si vere ad legem violandam induxerit, a censura excusat, quando in lege dicitur: „qui *sponte* id fecerit", vel similiter. Cujus exemplum habes in excommunicatione contra „ausu temerario asylum ecclesiasticum violantes"; quam non incurrunt, qui ab aliis jussi asylum violant: vide decret. S. Officii 22. Dec. 1880, *Archiv für kathol. Kirchenrecht* vol. XLVI. p. 27.

III. *Moralis impotentia* implendae legis excusat eodem modo ac metus gravis.

868 IV. Difficilius solvitur quaestio, num *revocatio sive resipiscentia interposita,* antequam effectus ultimus secutus fuerit, contumaciam illam ita auferre censenda sit, ut censura non incurratur. Cf. hac de re S. Alph. l. 7 n. 40, Gury-Ballerini II. n. 934 nota c., Mazzotta l. c. cap. 5 § 4. Breviter videntur haec tenenda esse: Si ad censuram incurrendam ultimus effectus requiritur, sume v. g. „homicidium", ille, qui antea causam illius effectus posuit, non incurrit censuram in hac hypothesi:

a) Si antea confessus legitime absolutus est a peccato, — absolvi autem sine dubio potest ab eo, qui a censuris absolvendi potestatem non habet. — Ita contra Lugo, Dicastill., Ballerini practice teneri potest cum S. Alph., Mazzotta, Hurtado, Oviedo, Castropal.., Krimer etc.

Nam neque propter contumaciam, quam committit eo tempore, quo effectus mortis sequitur, punitur, utpote quae non exsistat, neque propter eam contumaciam, quae in praecedente peccato continetur et moraliter (i. e. imputative) perseverat, utpote quae *legitima absolutione* etiam *coram Ecclesia* deleta sit.

NB. At haec ad solam internam poenitentiam, quam reus forte agit, sive attritionem sive contritionem, referri vel extendi nullatenus possunt, siquidem contumacia, quae in ipso peccato commisso continetur, coram Ecclesia nequaquam deleta est — tenetur enim delinquens saltem in foro interno judici omnino se sistere, ut a peccato absolutionem recipiat; — quare prorsus dicendum est, nisi reus absolutionem receperit, contumaciam cum omnibus effectibus quoad imputationem perseverare.

b) Si delinquens, ut mandans, consulens, propter revocationem desiit moraliter causa effectûs secuturi exsistere. Id autem obtinet, si mandatum, consilium ex sua parte efficaciter retractavit, idque mandatario innotuit. Ita sent. prorsus communior cum Baller., Suarez, Laym., aliis.

Imo etiamtum, quando non innotuit quidem mandatario, sed id ipsum, ut non innotuerit, ab alio malitiose effectum est. Nam in illo casu is, qui ita malitiose egit, jam moraliter substituitur in locum prioris mandantis, atque hujus personam *in se transfert*. Quare non jam prior mandans, sed ille posterior utpote formaliter mandatum sustinens censuram incurrit, si quae in cooperantes lata est. Cum hac saltem restrictione teneri potest benignior sententia, quam tenent Castropal., Tabiena, Hurtado, Mazzotta, Salmant. Si vero *casu* impeditur, quominus revocatio innotescat mandatario, prior mandans non videtur excusari a censura, nisi antea confessus fuerit: id dandum est sententiae severiori, quam Suarez, Lugo, Dicast., Coninck, Ballerini etc. propugnant.

§ 3.

Quis in quos censuras ferre possit, seu de auctore censurarum earumque subjecto.

I. Ecclesiam habere potestatem censuras infligendi seu spiritualibus 869
bonis suae administrationi subjectis delinquentes privandi, patet 1. ex natura Ecclesiae ut perfectae societatis, cujus suprema saltem auctoritas poenas in suo ordine infligere semper potest; 2. ex expressis Christi verbis: „Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis“, quibus etiam puniendi facultas continetur; 3. ex exemplo Apostolorum, et perpetua Ecclesiae praxi. Cf. I. Cor. 5, 4 et 5.

II. S. Pontifex censuras ferre potest pro tota Ecclesia, item Concilium generale; Concilium provinciale pro tota provincia; Episcopus cum suo Vicario pro sua dioecesi; praelati regulares in suos subditos secundum sui ordinis instituta; paucis: omnes, qui ex munere suo vera potestate regendi in Ecclesia potiuntur, seu jurisdictione in foro externo, ut Cardinales in suis ecclesiis, Legati Pontificii in territorio suae legationis [1].

III. Potestate delegata ii soli clerici censuras ferre possunt, qui ab eo, qui habet ordinariam jurisdictionem, delegationem acceperunt.

---

[1] Singulorum potestas quousque pateat, quibus limitibus circumscribatur, quum sit causa *externi fori*, vide accuratius apud Canonistas.

IV. Episcopi in regulares exemptos per se censuram ferre non possunt, quum jurisdictionem ordinariam in eos non habeant. Attamen in multis causis lege canonica donati sunt ea potestate qua delegati Apostolici: quapropter in iis solis et omnibus etiam regulares exemptos, si opus est, censuris compellere possunt. Excipiuntur nihilominus iterum ii regulares, qui speciale privilegium habeant, ne *censuris puniri possint* ab Episcopis. Eos nimirum in illis tantum causis censurâ plectere possunt, in quibus ipsi tali speciali privilegio derogatum est, quod maxime locum habuit per Bullam Greg. XV. *„Inscrutabili Dei providentia“* Nonis Febr. 1622.

870 **Uberior explicatio.** Nota ad II. **De limitibus potestatis fer. censur.** 1. Summus Pontifex, ut evidens est, nullis censuris subjacet, imo si — quod Deus avertat — is, qui censurâ aliquâ ligatus sit, in S. Pontificem legitime electus sit, acceptatione electionis facta ab omni censura immunis evadit, quia non potest S. Pontifex ejusmodi poenam in se ferre, neque in se retinere, quum ille, qui sic punitur, illo, a quo punitur, debeat esse inferior, nemo autem se inferior esse possit, neque ulla censura ecclesiastica subsistat, nisi per voluntatem efficacem Romani Pontificis aut expresse aut legaliter datam.

2. De facto omnes Superiores ecclesiastici in foro externo jurisdictionem exercentes de se quaslibet censuras ferre possunt. Verum si naturam, saltem excommunicationis, inspicimus, illa talis est, ut complete suum effectum producere non possit, nisi per Summi Pontificis voluntatem. Quum enim excommunicatio hominem a fidelium omnium communione excludat, eumque privet participatione omnium precum, quae nomine Ecclesiae a quocunque offeruntur, ita ut — saltem si excommunicatus *vitandus* sit — nemo possit nomine Ecclesiae valide pro illo orare: consequi omnino videtur, ut illius voluntate vel consensu id fiat, qui possit *omnes* fideles vel omnes Ecclesiae ministros eorumque opera et preces ita constringere, i. e. Romani Pontificis utpote in *omnes* fideles potestate praediti. — At quum constanti praxi quilibet alii Superiores in Ecclesia censuras ferant, vel saltem persuasum omnibus sit, se eas ferre posse: hanc potestatem ad consensum Romani Pontificis reducere debemus, qui legali sua voluntate id compleat et suppleat, quod alii Superiores ex se efficere non possint[1].

3. Consuetudine vero inductum est, ut Reges et Principes a nullo censuris plecti possint, nisi a S. Pontifice.

4. Episcopi et Cardinales per se quidem censuris a Papa latis, utpote ab ipsorum Superiore, subjacent; at ex privilegio juris *suspensionibus et interdictis* generalibus non subjacent, nisi expresse nominantur, subjacent vero excommunicationibus, nisi expresse eximuntur.

5. Impuberes etiam ex Ecclesiae indulgentia censuris non subjacent, nisi expresse nominantur: eorum expressio fit in duabus excommunicationibus — his igitur subjacent, si aliae conditiones adsunt

[1] Nimirum primitus Episcopus subditum suum criminis reum privavit communione suae particularis ecclesiae: quod postmodum ita extensum est, ut non liceret aliis Episcopis eos ad suam communionem admittere, quos a proprio Episcopo communione privatos esse novissent. R. Pontificis igitur consensu secuto, plena et totalis evasit ecclesiasticae communionis privatio.

— scil.: 1) in percussione clericorum; 2) in violatione clausurae monialium: v. Trident. sess. 25 cap. 5 *de ref. regul.*

6. Episcopi in suo territorio quidem censuras ferre possunt. Sed 871
quid possint, si ipsi sint extra suam dioecesim; quid possint contra suum subditum extra dioecesim versantem; quid contra peregrinos: accuratius explicari debet.

Igitur Episcopi 1) *extra dioecesim versantes* omnia possunt, ac si in suo territorio sint, excepta publica causae instructione atque ea judiciali sententia, quae publicam et contentiosam inquisitionem postulet. Haec agere nequeunt, nisi Episcopus loci consenserit, aut pro casu, quo Episcopus peregrinus violenter e suo territorio ejectus fuerit, saltem rogatus sit, quamquam forte non dederit licentiam. — Ergo leges in suam dioecesim ibi publicandas mittere Episcopus peregre exsistens potest, subdito suo mandatum sub poena incurrendae censurae dare etc.

2) *In subditum suum etiam absentem* Episcopi possunt, aliis formis servatis, per modum sententiae censuram ferre propter delictum a) *in* dioecesi commissum, b) aut *ad* propriam dioecesim spectans, c) aut personaliter *per mandatum prohibitum.* — Attamen casus c) controvertitur; nec subditus ille peregre profectus incurrit *poenas territoriales.*

3) *Peregrinos* possunt Episcopi propter delicta in loco suae jurisdictionis commissa *vi sententiae* punire, etiam inflictâ censurâ; quia delictum sortitur forum loci, ubi committitur.

7. Praelati regulares, quum in suos subditos potius personalem, quam localem jurisdictionem habeant, communiter illos censurâ punire possunt sine respectu ad locum, atque ita plerumque etiam leges censurarum ab ipsis latae intelliguntur, ut subditos ubicunque exsistentes afficiant. — Restrictionem a Clemente VIII. statutam vide in tract. *„de poenitentia“* de casibus reserv. regul. *hoc vol.* n. 416.

Ad III. **De potestate laicorum.** Lege communi cautum est, ne quis ecclesiasticam potestatem exerceat, vel exercere possit, qui non sit clericus, saltem per tonsuram. Ideoque nemo, qui Papâ est inferior, valide facultatem censurarum ferendarum delegare potest homini laico. At Summum Pontificem id posse, in confesso est, quum ille, qui per tonsuram clericus factus sit, a laico solummodo ecclesiastica institutione distinguatur, quam Papa observare non absolute tenetur.

Num vero *mulieri* potestatem hanc ferendi censuras delegare Papa 872
possit, non ita unanimiter scriptores affirmant: at quamquam illa potestas (cf. vol. I. n. 123) *non solet* dari, de *possibilitate* tamen non videtur posse dubitari. Nam quamquam mulier divino jure *muneris* ecclesiastici incapax est, adeoque a gerenda ecclesiastica auctoritate excluditur: nullo modo sequitur, eam *delegata* potestate nihil posse, sed tantum, eam *ordinaria* potestate nihil in Ecclesia posse. In delegata enim potestate non tam conditio delegati, quam conditio delegantis respicitur, qui proprie ille sit, qui agat; alter enim mere alieno nomine agit, delegantisque personam sustinet, vel ejus quoddam instrumentum est. Ab illa autem facultate neminem excludere debemus, nisi quem ex natura actûs, qui exercendus sit, incapacem esse

monstretur. At mulierem ita incapacem esse, falsum est; aut intrinsecus repugnaret, reginam in republica summa potestate potiri, siquidem illa actus naturâ suâ prorsus similes, i. e. *judiciales*, exercere debet. — Cur autem ordinaria potestate mulier censuras ferre non possit, ea est ratio, quia potestas ferendarum censurarum iis ex munere suo inhaeret, qui constituti sunt „regere Ecclesiam Dei", aut qui ad partem hujus regiminis assumpti sunt; at hos pleno sensu solos Episcopos esse, i. e. qui *characterem* pontificalem vel habent, vel ad illum recipiendum destinantur et obligantur, institutionis divinae est; per quandam participationem secundum beneplacitum Ecclesiae sacerdotes secundi ordinis, quando parti dominici gregis pascendae ut quasi-Episcopi praeficiuntur. Porro a sacerdotali charactere mulieres excludi, ut notum et certissimum sumimus; ergo etiam a potestate vi proprii muneris ferendi censuras excluduntur mulieres. Cum hac distinctione mulieri adscribit potestatem, de qua loquimur, Lugo *responsa moral.* l. 6 dub. 6 n. 9, ubi quaerit, num S. Pontifex homini non baptizato spiritualem potestatem delegare possit[1], Schmalzgrueber in l. 5 tit. 39 § 1 n. 15 cum Suarez, Laymann, Pirhing etc.

873 Ad IV. **De potestate Episcopi in regulares.** Notum est, leges pontificias posterioris temporis, et maxime Tridentinam synodum in multis rebus exemptos regulares Episcopis subjecisse ut delegatis Sedis Apostolicae. Quos casus videre est apud Ferraris ad vocem *regulares*, Chokier *de jurisd. Ordinar. in exemptos* part. 2 q. 45; praecipuos enumerat S. Alph. *de priv.* n. 76 et Bened. XIV. *de syn. dioec.* l. 9 cap. 15 n. 4 sqq., scilicet in variis rebus, quae Missae celebrationem, sacramentorum administrationem, praedicationem verbi divini, delicta extra claustra commissa respiciunt.

Quare jam puniri possunt, si in illis causis delinquunt, etiam per censuras, nisi habeant *speciale* privilegium, quo *censuris* non possint puniri, illudque privilegium manserit intactum. At plene intactum non mansit. Nam isti speciali eorum privilegio, qui ne ab Episcopis quidem ut Sedis Apostolicae delegatis puniri possunt censuris, derogatum est in sequentibus:

1) in administratione sacramentorum erga saeculares; 2) in delictis, si quae committuntur circa personas intra septa degentes, aut 3) circa clausuram monialium, aut 4) in administratione bonorum monialium; 5) in praedicatione in alienis ecclesiis sine licentia Episcopi, aut 6) in suis ecclesiis sine benedictione Episcopi saltem petita aut Episcopo contradicente[2].

---

[1] Ita faciliore modo explicantur facta, quibus S. Pontifex aliquando Abbatissis facultatem fecit, sub censura subditis suis praecipiendi: si vere hanc potestatem fecit. Nam nimis violentum videtur dici, ipsum S. Pontificem quoslibet jam excommunicasse hypothetice, videlicet sub conditione praecepti, quod Abbatissa imponeret et urgeret. Alii tamen putant cum De Angelis, facta, quae referuntur, sic explicanda esse, ut presbyter Abbatissae vicarius censuram infligeret iis, qui contra obedientiam Abbatissae debitam delinquerent. Decretal. l. 1 t. 33 c. 12.

[2] V. Const. Greg. XV. *„Inscrutabili Dei prov."* Nonis Febr. 1622 et declarat. S. C. C. in causa Angelopolitana 16. Apr. 1648 confirm. a S. Pont. 14. Maji ejusd. anni. Videlicet extra omnem dubitationem est derogatio illius specialis privilegii facta in hisce postremis causis, quae in textu referuntur sub n. 5), 6) et infra 7), ex ipsa Bulla Greg. XV. et decreto Urbani VIII. De aliis causis in Constitut. Greg. XV. *„Inscrutabili"* citatis controversia excitatur, utrum *speciali* privilegio non

NB. Concedunt tamen communiter, pro aliquibus vicibus ipsum parochum licentiam in sua ecclesia praedicandi dare posse. V. S. Alph. *de privil.* n. 125. Craisson *manuale* n. 595 dicit „pro duabus aut tribus vicibus, aut si Ordinarius absens esset et religiosus aliquis transeunter adesset: in quibus casibus parochus illis concedere posset licentiam praedicandi ex concessione Gregorii XIII". Atque etiam praeceptum petendi benedictionem consuetudine aut circumstantiis temperatum est.

Accedit 7) *septima* causa, si agitur de removendis imaginibus Domini Nostri et Sanctorum inconsueto vel scandaloso modo pictis ex decr. U. et O. S. Congr. R. jussu Urbani VIII. editum et publicatum 26. Julii 1646 (v. Gardell. n. 1403), ubi vides additam clausulam privilegiis etiam maxime specialibus plenissime derogantem.

Tandem nota, Episcopum in omnibus casibus, in quibus censura papalis latae sententiae incurritur, posse regulares quomodolibet exemptos, si forte ejusmodi censuram incurrerint, tamquam Sedis Apostolicae delegatum *publice denuntiare,* quando delictum est ita *notorium,* ut judiciali inquisitione non indigeat: v. Mazzotta *de cens. et irreg.* disp. 1 q. 1 c. 4 § 4 n. 4.

§ 4.

De cessatione censurarum earumque absolutione.

I. Quamquam ad contumaciam frangendam censura infligitur, non 874
tamen per se solâ delinquentis poenitentiâ cessat, sed communiter indiget *absolutione.*

II. Per se absolvere potest tantum Superior, qui censuram inflixit ejusque delegatus, aut ejus Superior vel successor.

III. Regula modo sub II. enuntiata imprimis omnino servanda est in censuris *ab homine,* iis scilicet, quae speciali mandato vel sententia contra aliquem latae sunt. Has ille solus, qui tulit, aut ipsius Superior, aut qui specialiter ab ipso sit delegatus, absolvere potest.

IV. Censurarum autem *latae sententiae,* quae sunt *a lege,* eaque universali per S. Pontificem statutae, pro majore minoreve facultate absolvendi distinctionem jam supra habes n. 863, videlicet:

1. Censurae nemini reservatae, a quibus *quilibet confessarius* in foro interno absolvere potest; in foro externo, si causa ad illud deducitur, solus Ordinarius est, qui absolvat.

2. Censurae Ordinario reservatae, a quibus confessarii tum tantum absolvere possunt, si hanc potestatem ab Ordinario communicatam habent.

3. Censurae Romano Pontifici ordinario modo reservatae, ad quas absolvendas, *si occultae sunt,* pro foro interno ex cap. *„Liceat"* Trid. sess. 24 c. 6 *de ref.* et Const. Pii IX. (v. supra) Ordinariis facultas vi muneris conceditur.

---

subjacendi correctioni Episcoporum *per censuras* derogatum sit necne, videlicet in causis supra notatis n. 1)—4): quum videatur soli § *„Ac demum",* qua S. Pontifex causas n. 5) et 6) recenset, adjecta clausula „per censuras". Verum id contextui congruere non videtur; siquidem illa clausula „Ita ut . . ." referri debet non ad solam istam §, sed ad omnes praecedentes §§ „in suprascriptis casibus *in praemissis omnibus et singulis":* ut — quod opinor — legenti ipsam Constitutionem persuasum fiet.

4. Censurae R. Pontifici *specialiter* reservatae, quarum absolvendarum facultas in c. „*Liceat*“ non includitur, neque continentur unquam in generali facultate, per privilegium concessa, absolvendi a casibus (omnibus) Sedi Apostolicae reservatis, nisi expresse mentio harum censurarum facta est.

5. Imo ab ipsis illis casibus speciali modo Romano Pontifici reservatis unum alterumve casum excipere debemus, qui etiam strictiore modo Pontifici reservatus censetur. Excipiebatur antea *haeresis et apostasia.* Itemque etiamnunc post Bullam „*Apostolicae Sedis*“ facultas absolvendi ab haeresi et apostasia consuevit separatim et speciatim dari praeter facultatem generalem absolvendi a censuris etiam speciali modo R. Pontifici reservatis (v. Rohling *facult. Episcopis Americae dari solitae. Form.* I. n. 15 et 16). — Sed *specialissimo modo* excipitur „attentata absolutio complicis“ (et sine censura R. Pontifici specialiter reservata „falsa accusatio sollicitationis“). Quae delicta vel censurae nunc in amplissimis etiam facultatibus pro jubilaeo datis semper excipi solent, atque ipsa Congregatio Sacri Officii 27. Junii 1866 decrevit, nunquam censeri harum absolvendarum facultatem contentam in facultatibus, quae Episcopis *generali modo* dari consuevisssent. — Attamen ad certum numerum casuum aliquando S. Sedes etiam hanc facultatem pro dissitis regionibus concessit, conditionibus autem multum aggravantibus adjectis.

875 V. In articulo sive periculo mortis quilibet sacerdos, etsi nullum privilegium habeat, a quibusvis peccatis et censuris quantumlibet reservatis, absolvere potest, attamen firma manente etiamtum obligatione poenitentis, ut stet mandatis Ecclesiae, si convaluerit; alioquin in eandem censuram aliquando iterum incidere potest.

VI. Quamquam in Constitutionibus SS. Pontificum, quibus censuras statuunt sibique reservant, solus articulus mortis excipitur, in quo alius possit absolvere, idque aliquando sub gravissima poena contra eos, qui alias absolvere audeant: tamen hucusque communis erat sententia scriptorum eaque ex communi regula Corporis juris (cap. „*Ea noscitur*“ et „*Nuper*“ Decretal. l. 5 tit. 39 cap. 13 et 29 et cap. „*Eos qui*“ l. 5 tit. 11 cap. 22 in 6to) desumpta, potestatem absolvendi esse etiam circa legitime impeditos. Videlicet: 1) eos qui essent legitime impediti, quominus personaliter Rom. Pontificem adeant, posse absolvi ab Episcopo, sive casus occultus sit sive publicus, sive ordinario, sive speciali modo S. Pontifici reservatus; 2) qui etiam impediti essent, quominus Episcopum adirent, hos ab aliis confessariis posse absolvi; 3) attamen si quando ad forum externum causa deducta ibique componenda esset, neque res urgeret, per literas cum Episcopo communicationem esse faciendam.

Nunc vero, ut n. 410 retuli, S. Officium ita decrevit, ut in casu verae et gravis necessitatis liceret quidem cuilibet confessario a casu etiam specialiter R. Pontifici reservato absolvere, at sub onere, ut infra mensem etiam per literas et saltem per medium confessarium Romam recurreretur, nisi absolutus vellet reincidere in easdem censuras.

876 **Uberior explicatio.** Nota ad I. **De censura sine absolutione cessante.** De facto sunt suspensiones quaedam et interdicta, quae inter censuras re-

feruntur, ad certum tempus statuta. Quae, sive veri nominis censuras eas dixeris, sive non, elapso illo tempore, absolutione non indigent, sed eo ipso cessant; antea ut auferantur, absolutione opus est. — Potest etiam ferri censura *sub conditione resolutiva.* Quod si fit, conditione perfecta, cessat eo ipso censura.

Ad II—IV. **De potestatis absolvendi ambitu.** 1. Ipsum Superiorem posse etiam eum absolvere, qui invitus vel indignus sit, nullum est dubium. Delegati potestas communiter non ita arbitrario usui patet. Attamen fieri potest, ut poenitens satis dispositus non judicetur, ut recipiat sacramentalem absolutionem, neque vero propterea necessario a censurae absolutione excludi debeat. Sufficit, ut contumaciam in illo delicto, quod censurâ punitur, deposuerit. Absolutio tamen metu gravi et injusto extorta invalida est. S. Alph. n. 119.

2. Modus absolvendi in foro externo servandus in Rituali Romano notatur; in foro interno sufficit formula, quae secundum Ritualis praescriptum omni absolutioni sacramentali praemittitur. Imo ad *valorem* sufficit, quocunque modo voluntatem absolvendi efficacem manifestare. Quapropter absolvi potest absens per literas vel nuntium: ita Reginald *prax. fori poenit.* lib. 9 n. 39, S. Alph. l. c. n. 119 et alii communiter, nisi forte absolvendi facultas foro *sacramentali* adnexa est, ut fit in jubilaeo.

3. *Absentem et ignarum* posse absolvi, non tantum manifesto modo per literas, sed etiam clam, ita ut verba absolutionis quidem proferantur, a nemine autem percipiantur, auctorem habes Suarez *de poenit.* d. 32 sect. 6 et Lugo *de poenit.* d. 22 n. 51; idque S. Alph. l. 6 n. 618 videtur approbare. Loquens scilicet de erroris in confessionibus audiendis commissi reparatione, Suarez haec habet: „Quidam dicunt, interdum posse confessorem supplere defectum per se ipsum nihil dicendo poenitenti . . . petendo jurisdictionem a Superiore (et dein) repetendo absolutionem, dirigendo illam in poenitentem, ubicunque fuerit . . . Haec quidem sententia (NB. reprobanda est haec sententia omnino quoad sacramentalem absolutionem, ut constat ex thesi a Clem. VIII. damnata) mihi valde probaretur, si auctores hîc de excommunicatione loquerentur; *nam de illa verum est*, posse absolutionem fieri in absentem et ignorantem etc. Confessor ergo potest optime illo remedio uti, *imo et debebit*" (sc. debet, si aliquis, qui se putat absolutum, absolutus non est et aliter censurâ obstrictus manet). — Lugo de eadem re loquens ait: „Prima sententia dicit: confessarius debet absolvere vel praesentem vel etiam absentem. . . . Hanc sententiam quod attinet ad absolutionem ab excommunicatione approbant Suarez, Vasquez aliique recentiores *communiter.*" Idem tenet Filliucci *de sacram.* tr. 7 n. 370. — Magis etiam certo dixerim valere absolutionem *a censuris*, quae detur *per telephonium;* nam talem absolutionem *a peccatis* habeo plane improbabilem, ne dicam certo nullam. S. Poenitentiaria hac in re declinavit responsum. Nam proposito dubio, „utrum in casu extremae necessitatis dari possit absolutio per telephonum", d. 1. Julii 1884 rescripsit: „Nihil est respondendum." (Ex *lib. trimestr. August.* seu *Linzer Quartalschrift* anni 1886 p. 730.)

4. Si quis peregrinus per sententiam *particularem* ab Episcopo non-suo excommunicatus est, non potest a suo Episcopo absolvi. Si vero censurae latae sunt mandato vel sententia *generali*, ab illis absolvi potest per eum, qui in ipsum jurisdictionem (episcopalem) habet: S. Alph. n. 73.

877 5. A censuris Ordinario reservatis absolvendi facultatem etiam a S. Pontifice accipi *posse,* non est, quod notem. Num autem et quo sensu haec facultas a Summo Pontifice data sit, vide infra *de censuris in specie* cap. III. n. 968.

6. Praelatis regularium non raro datur temporaneum privilegium absolvendi a casibus papalibus. Quod si obtinuit, difficultas non est in absolvendis regularibus subditis, si qui forte talem censuram incurrerint. Si vero absolvendi privilegium deest, nunc practice loquendo res componenda est secundum decretum S. Officii, de quo sermo erat n. 410 et 875.

Complures quidem scriptores facultatem capitis *„Liceat"* transtulerunt etiam ad praelatos regularium exemptorum, ita ut suum subditum, qui forte ejusmodi censuram occultam Papae ordinario modo reservatam incurrisset, possent absolvere. Revera, quamquam privilegia omnia regularibus *indefinite* concessa Constitutione *„Apostolicae Sedis"* sublata sunt: illa tamen facultas erga *suos* praelatis regularium censebatur mansisse, si minus ex cap. *„Liceat",* saltem ex communi regula juris, qua absolutio, quae a mediato Superiore per se dari deberet, devolveretur ad immediatum Superiorem, quando is, qui absolvendus est, mediatum Superiorem adire nequibat, nisi *in peculiari casu* recursus per literas exigeretur. *Si* enim casus papalis devolvitur ad Episcopum delinquentis, regularis exemptus, qui non habet Episcopum Superiorem, loco Episcopi suum praelatum adire debet. Imo Ferraris v. *„Absolutio"* art. 1 n. 37 et *„Prael. Regul."* n. 20 refert, S. Congregationem Epp. et Reg. facto verbo cum SS. Clem. VIII. absolute decrevisse, omnes Bullas et decreta derogatoria privilegiorum regularium, quantum ad facultatem absolvendi a casibus Papae reservatis, esse intelligenda solum in ordine ad saeculares, non autem in ordine ad suos subditos regulares. Verum de hujus decreti authenticitate non videtur constare; S. Poenitentiaria 5. Dec. 1873 hanc doctrinam non admisit. Atque nunc decr. S. O. aliam normam ostendit.

878 Ad V. 1. Si quis propter articulum mortis aut aliud legitimum impedimentum ab eo, qui facultatem per se non habet, absolvitur, ex cap. *„Ea noscitur"* cap. 12 tit. 39 l. 5 Decret. debet jurata promissio a reo exigi, se cessante impedimento sese sistere velle legitimo Superiori (vel nunc se infra mensem velle causam cum S. Sede vel S. Poenitentiaria componere), ejus mandata suscepturum. Haec autem jurata promissio in foro quidem externo adhibenda est, eaque 1) de satisfaciendo parti laesae, si quis laesus erat neque realis satisfactio vel cautio dari potuit, 2) de crimine non amplius committendo, 3) de adeundo Superiore ejusque mandato vel poenitentia recipienda. At in foro interno utiliter quidem in causis seu delictis atrocioribus adhiberi potest simile juramentum, sed illud adhiberi *debere,* non jam constat: v. S. Alph. n. 129, Tamb. *de poenit.* cap. 12 § 4 n. 7 cum aliis multis; quare sufficit, si a confessario injungitur *seria promissio.*

879 2. Illa obligatio *standi mandatis Ecclesiae* quid sibi velit, jam extra omne dubium est per decretum S. Officii, nimirum esse obligationem *postea comparendi vel recurrendi ad S. Sedem seu legitimum Superiorem, idque sub poena reincidentiae in eandem censuram.* Haec obligatio saltem adest tum quoad omnes censuras *publice inflictas,* tum quoad censuras *speciali modo* Romano Pontifici reservatas, idque si agitur de solvendis censuris papalibus *in articulo mortis, quoad eas solas;* si agitur de impeditis extra articulum mortis,

qui celeriore absolutione indigent, ea obligatio adest quoad censuras sive specialiter sive simpliciter reservatas [1].

Quoad censuras non papales, sed ab aliis, Episcopis, latas sibique reservatas remanere etiam obligationem, facta reconvalescentia vel cessante alio impedimento, comparendi coram Superiore vel recurrendi ad eum, cum D'Annibale *(Summula* ed. 3. t. I. n. 350) plane sentio; nam quoad has Constitutio *„Apostolicae Sedis"* antiquum jus non sustulit (de quo cf. cap. *Eos qui* V, 11 in 6to).

Ad VI. **De impeditis.** Quinam et quo sensu legitime impediti dicantur, 850
disce ex S. Alphonso *hoc vol.* n. 410 et 415 laudato. Nunc vix amplius interest, multum de hac re disserere. Onus quidem, quod per se in poena reservata imponitur, est, ut delinquens personaliter se sistat Superiori [2]; per accidens est, ut possit vel debeat per literas causam componere.

Verum jam ante decretum S. Off. n. 410 relatum *licuit omnibus* per literas recurrere in casibus sive papalibus sive episcopalibus, idque plerumque erat consulendum, aliqui *debebant,* ii scilicet, in quos speciatim reservatam censuram Superior tulerat, quamquam noverat, eos *ex conditione*

---

[1] Circa interpretationem novi juris quaesitum est:

I. Utrum responsum S. Off. sub die 30. Junii 1886 valeat etiam pro casu, quando poenitens fuerit *perpetuo* impeditus?

II. Utrum . . . clausula *„sub poena reincidentiae etc."* referatur solummodo ad absolutionem a censuris et casibus *speciali modo* R° P. reservatis, an etiam ad absolutionem a simpliciter Papae reservatis?

Dein quaeritur III. Utrum auctores moderni post Constitutionem *„Apostolicae Sedis"* (contra jus commune cap. *Eos qui,* cap. *Ea noscitur* et Rituale R.) recte doceant, ei, qui in articulo mortis a quolibet confessario a quibusvis censuris quomodocumque reservatis absolutus fuerit, tunc solummodo imponendam esse obligationem se sistendi Superiori recuperata valetudine, si agatur de absolutione a censuris *speciali modo* Papae reservatis; an hujusmodi recursus ad Superiorem etiam necessarius sit in absolutione a censuris simpliciter S° Pontifici reservatis?

Fer. IV. d. 17. Junii 1891 Emi PP. respondendum mandarunt: Ad I. Affirmative. — Ad II. Negative ad 1m partem, affirmative ad 2m partem. — Ad III Affirmative ad 1m partem, negative ad 2m.

Sequenti fer. V. SS. D. Leo XIII. approbavit.

Aliud decretum d. 19. Aug. latum, die 20. Aug. 1891 a Leone XIII. approbatum hoc est:

I. An obligatio standi mandatis Ecclesiae, a Bulla *„Apostolicae Sedis"* imposita, sit *sub poena reincidentiae,* vel non? *R.* Affirmative ad 1m, negative ad 2m.

II. An obligatio standi mandatis Ecclesiae in sensu Bullae *„Apost. Sedis"* idem sonat ac obligatio se sistendi coram S. Pontifice, vel an ab illa debeat distingui.

R. ad II. Obligationem *standi mandatis Ecclesiae* importare onus sive per se, sive per confessarium, recurrendi ad S. Pontificem, ejusque mandatis obediendi; vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris S. Pontifici speciali modo reservatis. (V. Nouvelle revue théol. t. XXIV. p. 159 et p. 166.)

Aliud decretum S. Off., vim prioris declarans, habes supra n. 410.

[2] Quamquam dicitur obligatio personaliter se sistendi R. Pontifici, id tamen non sic intelligitur, quasi R. Pontifex ipse omnium confessiones excipiat atque poenam statuat, sed id facit per specialem suum delegatum, Poenitentiarium pro foro interno in Urbe munere fungentem, aut per Inquisitorem pro certis causis publicis: quem proin loco Pontificis reus adire deberet. Simile quid intellige de Poenitentiario ecclesiae cathedralis. Per literas autem, ut jam dictum est, recurritur ad S. Poenitentiariam.

sua semper esse impeditos; nunc ex decreto laudato in casibus R^no^ Pontifici reservatis (nisi adsit, qui possit per privilegium absolvere, et nisi facias exceptionem modo n. 879 indicatam pro articulo mortis) omnibus praescribitur.

In censuris episcopalibus earumque absolutione nihil invenio mutatum. Neque facile erit, qui *perpetuo* impeditus sit, quominus Episcopum adeat, ita ut ad confessarios ordinarios absolutio simpliciter devolvatur. *Posse* autem nunc Episcopum etiam in suis casibus statuere, ut impediti recurrere per epistolam debeant, sane opinor, idque etiam tenet Baller.-Palmieri. De reliquo vide, quae supra n. 410 sqq. dicta sunt.

Caput II.

De prima censurarum specie, seu de excommunicatione.

§ 1.

Generalis notio.

881 I. Excommunicatio est gravissima omnium censurarum, estque vi nominis et re ipsa exclusio a communicatione fidelium, seu exclusio ab illis bonis, quorum fideles qua fideles, i. e. qua membra Ecclesiae, participes sunt.

Ab illis igitur bonis, quorum valida participatio ecclesiasticae potestati subdita est, ita excluduntur excommunicati, ut ne valide quidem eorum participes fieri possint, ab aliis spiritualibus bonis ita excluduntur, ut eorum participatio saltem non liceat.

II. Attamen plenum suum effectum illa excommunicatio non habet, nisi in *vitandis*, seu in iis, qui neque ipsi cum fidelibus communicare possunt, neque a fidelibus recipi possunt, seu quibuscum fideles communicare nequeunt. Distinguuntur enim post Constit. Martini V. „*Ad vitanda scandala*“ [1] excommunicati *tolerati* et *vitandi*. Cum toleratis igitur reliqui fideles libere agere possunt etiam in sacris actionibus; et quamquam haec pristinae severitatis relaxatio solummodo in favo-

[1] Vide Hardouin *Concil.* t. VIII. col. 892: „Insuper ad vitanda scandala et multa pericula subveniendumque conscientiis timoratis, omnibus Christifidelibus tenore praesentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus in sacramentorum administratione vel receptione aut aliis quibuscunque divinis vel extra illa, praetextu cujuscumque sententiae aut censurae ecclesiasticae, a jure vel ab homine generaliter promulgatae, teneatur abstinere vel aliquem vitare ac interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia vel censura hujusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, universitatem, ecclesiam, communitatem *a judice publicata vel denunciata specialiter et expresse;* Constitutionibus Apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque: *salvo si quem pro sacrilegio et manuum injectione in clericum in sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari;* nam a communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri juxta canonicas sanctiones.“ (De varia lectione ultimae partis hujus Const. ejusque defensione v. Ball.-Palmieri tr. XI. n. 336—342.)

rem et gratiam fidelium facta est, indirecte tamen ipsorum excommunicatorum poena multo levior evasit.

III. *Vitandi* hi soli sunt: 1) nominatim excommunicati et denuntiati; 2) notorii clericorum percussores, etsi excommunicationis publica et juridica declaratio ipsius percussoris facta non est.

IV. Communicatio cum vitandis sine causa excusante per se qui- 882
dem peccatum est, plerumque tamen veniale peccatum tantum (quaenam communicatio grave peccatum sit, v. infra n. 890 sq. et n. 897); eaque antea puniebatur *excommunicatione minore;* nunc vero Constitutione *„Apostolicae Sedis"* sublata est excommunicatio minor ipso facto incurrenda; imo prohibitio cum vitando communicandi in civilibus ordinarie loquendo non videtur amplius tam stricte urgere; quum communis socialis vitae conditio hodie videatur causa excusans esse, quam in singularibus casibus probari non oportet.

V. Excommunicatio minor id inferebat, ut, qui ea tenebatur, ante absolutionem 1) non posset licite sacramenta recipere, 2) neque licite eligi ad beneficia et dignitates ecclesiasticas. Utrumque sub gravi prohibebatur: S. Alph. 147—150.

Absolutio vero hujus censurae dari poterat a quolibet approbato confessario.

Plenior declaratio. Nota ad II. 1. Quamquam ceteri fideles cum ex- 883
communicato tolerato agere et conversari possunt: *licet* iis tamen, si excommunicatio notoria est, illum vitare, eumque a Missa, officiis divinis etc. excludere vel *expellere,* idque etsi clericus sit: v. S. Alph. l. 7 n. 137, Thesaurus p. 2 ad vocem *„censura"* c. 10.

2. Probabilius *censura* non obstat (S. Alph. n. 139), quominus fideles cum tolerato etiam in divinis communicent sine aliqua speciali causa vel necessitate. Haec autem communicatio *in divinis,* ut per se patet, intelligitur de ritu catholico, non de ritu acatholico, quantumvis acatholicus inter toleratos numeretur. At quamquam *censura* non obstat, obstare tamen potest in quibusdam actionibus ratio scandali vel cooperationis ad peccatum: de quo cf. n. 889 in fine.

Ad III. 1. Ut aliquis tamquam *notorius clerici percussor* vitandus sit, 884
crimen debet ita notorium esse, ut „factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari": v. supra Const. *„Ad vitanda"*. — Igitur 1) de *facto* debet publice constare; 2) insuper quaedam juris notorietas requiritur, ut reus vel de crimine convictus sit in judicio, vel ipse in judicio confessus sit (S. Alph. n. 144), vel ipse palam de scelere commisso gloriatus sit cum contemptu ecclesiasticae poenae; at non requiritur, ut judex excommunicationem declaret. — „Percussores autem clericorum" num non tantum ipse exsecutor, sed etiam mandantes, consulentes etc. sint secundum can. *„Si quis suadente diabolo"*, vide infra n. 945.

2. Ut aliquis tamquam *nominatim excommunicatus* debeat vitari, requiruntur haec: 1) Debet denuntiatio fieri publice vel in publico loco (post citationem vel monitionem, quatenus necessaria est); 2) debet a legitimo judice non tantum declarari, crimen illud et illud esse commissum, sed excommunicationem esse contractam; 3) reus in generali aliqua expressione tantum comprehendi non potest, sed debet proprio suo nomine, aut iis

saltem verbis designari, quae solam hanc individuam personam exprimant; 4) ut extra territorium Superioris denuntiantis aliquis vitari debeat, saltem requiritur, ut in illo extraneo loco etiam notoria evaserit aut brevi omnino evasura sit illa juridica denuntiatio: S. Alph. n. 137.

Similiter de percussione clerici, si causa est, cur excommunicatus sit vitandus, in loco, de quo agitur, notorie constare debet; privata unius alteriusve cognitio non sufficit, ut excommunicatus vitari debeat, aut etiam aliquando, ut possit vitari, siquidem pro variis circumstantiis ejusmodi evitatio potest peccatum contra caritatem esse. Cf. S. Alph. n. 145 et 78; Tamburini l. 10 *(de censuris)* tr. 1 c. 3.

Adde 5) At postquam semel constitit, aliquem esse vitandum, tamdiu vitari debet, donec constet, saltem testimonio hominis fide digni — aliquando ipsius rei testimonium sufficit — de data absolutione. S. Alph. n. 146.

§ 2.

Effectus formales excommunicationis singillatim expenduntur.

885 Supra dictum est, excommunicationem dicere exclusionem a communione fidelium. Nexus igitur vitalis, qui est inter membra et totum corpus mysticum seu morale Ecclesiae, et inter singula membra mutuo inter se adjuvantia, relate ad excommunicatos solvitur. Quapropter incurritur:

I. Privatio suffragiorum communium.

Suffragia intelliguntur preces et spiritualia bonorum operum auxilia, quibus unus ab altero apud Deum juvatur maxime per modum impetrationis, vel etiam propitiationis et satisfactionis. Nititur haec mutua fidelium opitulatio in communione Sanctorum.

1. Excommunicati privantur iis orationibus, quae nomine Ecclesiae a publicis ministris Deo deferuntur; quia exclusi sunt a legitima auctoritate e numero eorum, pro quibus Ecclesia per suos ministros orare intendit, neque amplius deputantur ministri, ut pro illis excommunicatis orent. Tota enim haec deputatio tandem ab auctoritate supremi Ecclesiae rectoris, R. Pontificis, pendet.

2. Privantur iis suffragiis, quae sine speciali intentione seu applicatione orantium per privatas christianorum orationes et bona opera in totum corpus Ecclesiae et singula membra propter solum illum nexum redundant, qui omnes in unum spirituale corpus, cujus caput Christus est, conjungit.

Propter opera bona singulorum Ecclesia tamquam unum corpus Deo placet, et quo magis haec Ecclesia Deo placet, eo facilius et abundantius singulis ejus membris, qui vitalem nexum servaverunt, intuitu totius Ecclesiae gratias suas Deus largitur. Neque a peccatoribus seu membris aegrotis et putridis omnis talis influxus arcetur; at in excommunicatos non derivatur, utpote qui dissecta sint a reliquo corpore membra. Sicut talis communio bonorum pro tota Ecclesia exsistit, ita *intra* Ecclesiam singulae societates, ut religiosi ordines, inter sua membra singularem et specialem bonorum spiritualium communionem habent. Ad hanc communionem admittere, aut ab illa excludere, illius est, qui universalem talis so-

cietatis gubernationem habet: siquidem ipsius est, nova membra societati aggregare, idque sive plene, sive ex parte, atque etiam eodem modo membra rescindere. Totius vero Ecclesiae universalem curam S. Pontifex habet. Quare ipsius est et eorum, quibus ipse eam potestatem facit, et ad hanc bonorum operum communionem admittere et ab ea excludere.

3. Eodem modo, vel potiore jure excommunicati excluduntur a participatione omnium indulgentiarum, non tantum, quatenus extra statum gratiae sunt, sed etiam quatenus, contritione quidem cum Deo reconciliati, a vinculo excommunicationis nondum soluti sunt. Thesaurus enim Ecclesiae, ex quo indulgentiae conceduntur, aperitur et clauditur secundum justam voluntatem supremi Ecclesiae capitis, cui Christus hanc dispensationem concessit.

4. Quae n. 2 et 3 notata sunt, eodem modo valent de vitandis 836
et de toleratis. Quoad orationes vero, quae a publico ministro nomine Ecclesiae fiunt, illud discrimen intercedit, ut *nullus* quidem excommunicatus sive toleratus, sive vitandus inclusus sit in numero fidelium eorum, pro quibus Ecclesia per ministros suos orat, sed quod vitandus ne includi quidem possit, *possit* vero speciali actione ministri *toleratus*. Nam quum Ecclesia non amplius prohibeat fideles sive laicos sive clericos, quin admittant ad sacrarum functionum et liturgiae praesentiam toleratos: consequens est, ut clerici, etiam sacras functiones exercentes et ut ministri Ecclesiae pro omnibus adstantibus orantes, licite pro toleratis orent, seu communium orationum eos participes *faciant* — id, quod intelligi debet ad eum finem fieri, ut excommunicatus convertatur[1].

5. Privatim orare pro excommunicatis sive toleratis sive vitandis nemo prohibetur, sed laudabile est et ab Ecclesia commendatur. Imo etiam in sacra functione Feriae VI in Parasceve Ecclesia jubet ministros suos orare pro omnibus, etiam excommunicatis, pro schismaticis et haereticis, ut omnes gratiâ divinâ illuminati et moti ad Christum ejusque Ecclesiam convertantur.

Fuse de hac quaestione tractat Suarez *de censuris* disp. 9, nostro tempore Kober *der Kirchenbann* cap. 6 § 1.

II. Privatio sacramentorum recipiendorum. 837

1. Est regula ab omnibus admissa, excommunicatum sub gravi prohiberi a sacramentis recipiendis, quamdiu excommunicationi subjacet. V. Decret. l. 5 tit. 39 cap. 59 *„Si quem“*, quo illa exclusio minori excommunicationi et a fortiori majori excommunicationi attribuitur: cf. Suarez l. c. disp. 10; S. Alph. n. 158.

2. Excommunicatio qua talis tamen, quae recipientem liget, nullum sacramentum facit irritum. Suarez l. c. sect. 3, S. Alph. n. 159.

Videlicet fieri propter excommunicationem sacramenta irrita, ne cogitari quidem potest nisi relate ad sacramenta matrimonii et poenitentiae,

[1] Quae de Missa celebranda pro excommunicatis teneri debent, habes supra *de Missae sacrificio n.* 176 et 177.

quum eorum valor indirecte aut directe *pendeat ab Ecclesia*, reliquorum autem valor ab Ecclesia attingi nequeat. Quapropter si quaeritur, num revera propter excommunicationem haec duo sacramenta fiant irrita, quaestionis solutio ab eo dependet, utrum Ecclesia 1) excommunicationem statuerit impedimentum matrimonii dirimens, 2) utrum cuilibet sacerdoti jurisdictionem in peccata hominis excommunicati subtraxerit annon. Primum nemo asseruit unquam, imo ejusmodi matrimonium manifeste pro valido ducitur in Decretal. l. 4 tit. 7 c. 6 *„Significasti“*. Secundum asseritur quidem a compluribus, ut Sylvest., Palud., Gabr., S. Antonin., Soto; attamen S. Alph. cum Lugo *de Euch.* d. 14 n. 102 et Suarez pro „veriore“ habet sententiam „communissimam“, excommunicatum non subtrahi ita jurisdictioni sacramentali, siquidem nuspiam Ecclesia id expresserit.

Sed probe notandum est, per excommunicationem qua talem quidem non fieri sacramentum poenitentiae irritum; fieri vero communiter ex indignitate excommunicati et defectu debitae dispositionis. Quapropter tum tantum valide conferri potest, si praeter jurisdictionem in confessario in poenitente adest aut ignorantia aut gravis necessitatis excusatio. Nam:

888 3. Si gravis necessitas adest, e. g. periculum gravis infamiae et similia, excommunicatio non obstat, quominus sacramentum (Eucharistia et tum etiam antea poenitentia) licite suscipiatur.

Haec autem necessitas in *vitando*, imo in quolibet notorie excommunicato vix potest contingere; facilius in eo, qui occulta excommunicatione ligatur. At pro absolutione *sacramentali* illius, qui *reservata* excommunicatione ligatur et, quamquam resipuit, legitimum Superiorem adire nequit: timor manendi diutius in statu peccati gravis necessitas putatur; S. Alph. l. 7 n. 86 (cf. l. 6 n. 265 et 585) refert sententiam, ex qua pro diversa poenitentis conditione atque desiderio durum existimetur, si quis etiam per biduum tantum in statu peccati relinquatur: quam, etsi non expresse reprobat, sed nec approbare quidem videtur, quia in tali spatio non adsit morale periculum mortis. Gravior causa sane requiritur ex n. 410 *pro tollenda ipsa censura.*

4. Qui admittunt ad sacramenta nominatim excommunicatum, ipsi incurrunt: a) excommunicationem Papae reservatam, si *sponte* et *scienter* admittunt eum, qui a Papa nominatim excommunicatus est; b) interdictum ab ingressu ecclesiae, si utcunque aliquem ab alio nominatim excommunicatum admittunt (cf. infra Bullam *„Apostolicae Sedis“*).

III. Privatio sacramentorum administrandorum.

889 1. Excommunicatio per se *sub gravi prohibet* sacramentorum administrationem et SS. Missae celebrationem, at irritas non facit illas actiones, nisi forte quoad sacramentalem absolutionem jurisdictione privaverit: v. Decretal. l. 5 tit. 7 fere totum, praecipue cap. 10 *„Si celebrat“*.

2. Quemlibet excommunicatum sive toleratum, sive vitandum excusat ab hac prohibitione gravis necessitas sive propria sive aliena.

3. Toleratum insuper excusat petitio aliorum fidelium. Nam quum illis interdictum non sit, in divinis cum tolerato communicare, iste

favor nullus esset, nisi etiam tolerato, si rogaretur, communicare cum fidelibus liceret.

Explicatio. Ad 2. nota: 1) Propter alienam necessitatem excommunicato vitando licet moribundis administrare sacramenta, quando alius minister deest; imo tunc, saltem si rogatur, ministrare *debebit.*

2) Propria necessitas, quae in vitando quidem rarissime aderit, est v. g. gravis timor infamiae vel scandali, quod ex omissione sacramenti administrandi sequatur (at communiter potius ex ipsa administratione gravissimum scandalum sequeretur); aut gravis metus incussus citra injuriam religionis vel scandalum. Cf. Suarez l. c. disp. 11 sect. 1.

3) Quamquam in certis casibus excommunicatio administrationi sacramenti non jam obstat: erit certe obligatio — in quantum fieri potest — ante sacramenti collationem vel confectionem recuperandi statûs gratiae sanctificantis; alioqui sacrilegium committitur.

Ad 3. Etiamsi fidelibus licet, cum toleratis etiam in divinis communicare: tamen periculum, ne excommunicatus *indigne* sacramentum ministret, aut alia scandali ratio prohibent, quominus sine sufficienti causa, majore vel minore, ab eo sacramenta petantur, quem excommunicatione ligatum esse cognoscitur. Attamen si de occulta excommunicatione agitur, notabilis utilitas propria, etsi non adeo gravis, ratio est, cur ejusmodi ministrum fidelibus adire liceat.

IV. Privatio officiorum divinorum.

„Divina" simpliciter dicta latiore sensu sumpta comprehendunt: 890
1) Ss. Missae sacrificium aliaque publica officia liturgica, 2) sacramenta, 3) ecclesiasticam sepulturam; si vero pressius sumuntur, *„divina officia"* distinguuntur aliquando a sacramentis, imo interdum a sacramentis et sepultura ecclesiastica.

Hîc in sensu illo restrictiore sumuntur, non quod excommunicati solummodo illis officiis divinis priventur, quae strictiore illo sensu ita appellantur, sed quia de aliis membris, sacramentis et sepultura, jam actum est, vel agetur infra.

1. Prohibentur igitur excommunicati, quominus non tantum sacras illas et a publico ministro faciendas actiones exerceant, sed etiam iis assistant. V. Decretal. l. 5 t. 39 cap. 43 *„Responso"* etc. Imo haec omnia ex prohibita communicatione fidelium cum excommunicatis vitandis satis colliguntur et ex aliis sanctionibus, quibus poena gravi in clericos animadvertitur, qui excommunicatos illos ad sacra recipiant.

2. Sacrae illae functiones sunt imprimis: sacrificium Missae, officium divinum in choro peragendum, aliae functiones, quae secundum liturgiam a sacris ministris publice in templo peraguntur, ut benedictio palmarum, candelarum in festo Purificationis, consecratio oleorum, ecclesiae consecratio, exsequiae defunctorum, benedictio nuptiarum, expositio Sanctissimi etc. Imo quando de *exercendis* sacris functionibus agitur, excommunicatus ab *omni* exercitio ordinis sacri sub gravi arcetur, nisi excommunicatus toleratus id agat rogatus ab aliis, aut nisi fiat ex necessitate (v. supra de privatione sacrament.). Cf. ea, quae infra de irregularitate ex „violatione censurae" dicuntur.

3. Nullus excommunicatus prohibetur concioni assistere: v. cap. *„Responso“* supra citatum.

891 4. Quamquam vi legis per se spectatae omnes excommunicati a divinis officiis excluduntur, ita ut, si assistant, graviter peccent: tamen in favorem fidelium ille rigor *toleratis* mitigatus est, ita ut saltem invitati et rogati a fidelibus licite possint assistere; imo illa assistentia quoad divina officia pro toleratis non videtur hodie amplius tam severe prohibita. Ita *probabiliter* Comment. Reat. in Bullam *„Apostolicae Sedis“* cap. II. art. 1 „Praenotanda“.

NB. Quod imprimis valet de heterodoxis acatholicis. Nam in foro externo quidem pro excommunicatis habentur, quum de interna eorum bona fide Ecclesia non judicet: at non solummodo subjective, quod nihil sciunt de prohibitione, sine peccato sacris catholicorum assistunt, etiam non specialiter invitati, sed etiam objective pro illis heterodoxis prohibitio illa multo minus amplius viget, quum ubique passim non tantum permittatur, sed etiam desideretur ab Ecclesia, ut praesentes videant et percipiant tum veram liturgiam, tum veram doctrinam.

5. Excommunicati autem vitandi omnino excludendi sunt a divinis officiis, et si se illis ingerunt, monendi sunt primum, ut exeant; si nolunt, vi expellendi seu extrahendi (non tamen violenter laedendi vel injuria afficiendi); si expelli nequeunt, fideles debent recedere, sacerdos vero, si Missam celebrat et consecrationem vel canonem jam incepit, pergere quidem debet cum ministro usque ad sumptionem SS. Sanguinis, dein recedere et reliquam Missam in sacristia peragere aut in alio loco decenti: v. S. Alph. n. 176 et 177.

NB. Etsi vitandus clericus est, expelli debet — quamquam sine personae laesione —; neque propterea incurritur casus canonis: *„Si quis suadente diabolo“*.

6. *Quilibet igitur notorie* excommunicatus ita expelli *potest,* ut supra dixi n. 883; tamen eum, quem excommunicatione ligari, *notorium non est,* sic expellere, contra caritatem vel etiam contra justitiam erit, utpote gravis delicti nondum noti manifestatio.

892 7. Quum per se, lege severe sumpta, excommunicato non liceat divinis officiis assistere, neque hodierna mitior praxis certum, sed solum probabile jus tribuat, ipse excusatur ab obligatione audiendae Missae diebus Dominicis et festivis. Atque probabile est (contra Gobat aliosque) secundum multorum scriptorum doctrinam, eum non delinquere contra *hoc* praeceptum, si negligat absolutionem quaerere atque ita impedimentum audiendi Sacri auferre. — At si quis propter excommunicationem impeditus manet, non quaerens absolutionem, quominus praeceptum paschalis Communionis impleat, communis sententia eum damnat etiam de hoc praeccpto violato, quippe quod multo nobilius sit atque quodammodo in *divinum* praeceptum transeat. Hinc etiam omnino dicendum est, eum, qui diu manens in excommunicatione causa est, cur *diu* abstinere debeat ab audiendo Sacro, hoc quoque titulo reum esse gravis peccati, siquidem diu a sacrificio N. Legis abstinere non minus offendit contra *divinam* legem, quam diu abstinere a suscipienda S. Eucharistia.

8. Excommunicatus, si clericus est in sacris constitutus vel beneficiatus, nullo modo deobligatur a recitando Breviario: sed, saltem si vitandus est, non potest cum aliis recitare, multo minus in choro fungi officio hebdomadarii. — Complures scriptores notant, eum etiam in privata oratione, si solus orat, loco „Dominus vobiscum" dicere debere (sub veniali) „Domine, exaudi orationem meam"; at de hoc minime constat, ut videre est apud S. Alphonsum n. 178.

Privatim cum altero recitare, excommunicato ad summum veniale peccatum est, ut constabit ex dicendis de irregularitate; in choro vero officio hebdomadarii fungi, per se est mortale peccatum, ita ut ne tolerato quidem, nisi propter necessitatem etc. excusetur, id agere liceat.

De socio privatim adhibendo confer, quae Schmalzgrueber l. 5 tit. 39 n. 131 habet, nimirum posse etiam non toleratum advocare socium ex aliqua necessitate vel utilitate, praesertim si hic ei subditus sit; nam subditum sive famulum non privari communione domini sui in iis, in quibus inservire ipse tenebatur. Cf. Gury-Ballerini II. n. 962 not.

V. Privatio sepulturae ecclesiasticae.

Quamquam ante Constitut. *„Ad evitanda"* quilibet excommunicatus 893
privandus erat sepulturâ ecclesiasticâ: tamen quum sepultura non sit aliquid, quod agat excommunicatus, sed quod alii fideles cum ipso vel circa ipsum agunt, essentiale discrimen inter excommunicatos toleratos et vitandos hac in re exinde ortum est.

1. Vitandus, qui sine signis poenitentiae decessit, non potest ecclesiastico ritu sepeliri, imo si in loco sacro sepultus est, exhumandum est corpus, locus vero, *utpote pollutus,* reconciliandus est. Ita tum ex aliis locis juris canon., tum ex iis, quae agunt *de consecrat. et exsecratione.*

2. Vitandus, qui absolvi non poterat, attamen poenitentiae signa dedit, etiam post mortem absolvendus est, dein in loco sacro sepeliendus. Quodsi ante absolutionem sepultus est, *supplenda est absolutio,* sed non censetur locus sepulturae pollutus.

3. Toleratus, qui *notorie* excommunicatus est, si sine signo poenitentiae vel reconciliationis cum Ecclesia desiderii decessit, etiam privandus est sepulturâ ecclesiasticâ, imo si sepultus est in loco sacro, inde removendus est. At locus ille reconciliatione non indiget; id quod valet etiam, si notorie haereticus in loco sacro sepultus est: v. S. Alph. l. 6 n. 366 ex Lugo *de Euchar.* d. 20 n. 57.

Sunt vero, qui hanc sepulturae privationem potius quam a censura ab eo repetunt, quod defunctus aut ut publicus peccator se gesserit, aut ut haereticus vel schismaticus plane extra communionem Ecclesiae vixerit, ita ut sine scandalo non possit sepeliri. Castropal. *de censuris* d. 5. p. 4 § 3 n. 10 haec habet: „Post Extravag. ‚*Ad evitanda*' nemini est neganda sepultura ecclesiastica vi alicujus censurae vel sententiae, nisi prius fuerit ea censura vel sententia denuntiata." Ergo quotquot denuntiati non sunt, si sunt sepulturâ christianâ privandi, privantur alio titulo accedente, ut haeresis, schismatis, publicae impoenitentiae titulis.

4. Admissio ad sepulturam, si agitur de nominatim excommunicato, punitur:

1) interdicto ab ingressu ecclesiae („*Apostol. Sedis*“ ser. VI. n. 2);

2) excommunicatione Rom. Pontifici reservata, si clerici sponte et scienter exsequias faciunt circa eum, qui nominatim a Papa excommunicatus est (*ibid.* ser. II n. 17);

3) excommunicatione non reservata ii puniuntur, qui mandant vel cogunt tradi ecclesiasticae sepulturae quoslibet nominatim interdictos vel excommunicatos, aut notorios haereticos (*ibid.* ser. IV n. 1).

894 VI. Privatio jurisdictionis ecclesiasticae.

1. Excommunicatus vitandus omni jurisdictione ecclesiastica privatur sive externi, sive interni fori. Quare leges ferre, censuras infligere, sententiam dicere, beneficia conferre, approbationem dare, sacramentaliter absolvere valide non potest. — Relate ad sacramentalem absolutionem excipe articulum mortis.

2. Excommunicatus toleratus, quamdiu titulo suo privatus non est, *valide* quamlibet jurisdictionem exercet: hoc enim necessario consequitur ex concessione fidelibus facta cum tolerato communicandi, quae inanis esset, nisi in illius officio sine periculo frustra agendi cum eo communicare valerent.

3. Sed excommunicato tolerato ipsi ex sese ne jurisdictionem quidem exercere licet; idque grave peccatum est, nisi levitas materiae excusat; rogatus autem a fidelibus, aut necessitate alioqui grave damnum incurrendi coactus et valide et licite agit.

895 VII. Privatio beneficiorum.

1. Quilibet excommunicatus sive notorius sive occultus inhabilis est ecclesiasticis beneficiis *obtinendis*. Collatio igitur excommunicato facta tum ex parte conferentis, tum ex parte accipientis graviter peccaminosa est atque eo ipso irrita et nulla, neque ullum jus ad fructus creare potest: excipe, si collatio ab ipso S. Pontifice scienter fit. At si collatio fit erga absentem, qui tempore collationis excommunicatus non erat, evasit autem excommunicatus ante acceptationem: alii putant, eum acceptare *valide* posse atque ita collationem perfectam reddere (ita Covarruvias P. I. in cap. *Alma mater* § 7 n. 4), alii, ut Kober (*Kirchenbann* cap. 6 § 5 pag. 347), id negant. Quum prior opinio probabilis sit, ejusmodi homo etiam licite acceptet, si in animum induxerit, quam primum quaerere absolutionem.

2. Nulla excommunicatio eo ipso privat beneficio *jam obtento;* atque ita ipse vitandus etiam beneficium saltem retinet. Non idem omnino de fructibus beneficii percipiendis dici potest: quos excommunicatus saltem non omnes retinere valet, siquidem incapax est implendi omnia officia, propter quae fructus beneficii suos facit; imo si vitandus est vel notorie excommunicatus, a Superiore ecclesiastico privandus est beneficii administratione et fructuum perceptione. — Quodsi per annum in excommunicatione perseveravit, non fructibus solum, sed ipso bene-

ficio per judicem privari potest. — Attamen si aut per se aut per alterum officia omnia implet — id quod in occulte excommunicato facile contingere potest — fructibus ex se privatus non est, neque iis restituendis obnoxius.

Hinc collige: Si parochus aliquis nominatim excommunicatus atque propterea vitandus est, tamen valide matrimonio parochianorum assistit, quamdiu beneficio parochiali privatus nondum est; sed parochiani non tenentur, neque possunt licite eum assistendi causa invitare eumve adire, sed alium delegatum adire debent, qui si diu deest neque provideri potest, solis testibus sint contenti.

VIII. Privatio communicationis forensis.

1. Vitandus in foro ecclesiastico non potest publicum munus gerere. 896
Id enim natura sua sequitur ex eo, quod neque ipse cum fidelibus, neque fideles cum ipso agere possint in iis, quae ecclesiastica sunt. — Attamen ne injuriam impune pati debeat, conceditur ei, ut appellationem instituere et prosequi possit, et in judicium actus se tueri.

2. Ex jure Romano privabatur vitandus similiter communicatione in foro civili, ita ut neque judex, advocatus etc., neque actor, testis etc. esse posset. Imo etiam ab aliis muneribus, ut tutoris, testamenti exsecutoris ipso facto excludebatur. Hae vero dispositiones a recentibus juribus expunctae sunt.

3. Toleratus nulla communicatione forensi ipso facto privatur; at in omnibus illis, in quibus vitandus exclusus est, toleratus juridice *repelli* potest ab iis, quorum forte interest.

IX. Privatio communicationis civilis.

Quae hodie non videtur vigere, nisi aliqua specialis ratio ex ipsa 897
criminis natura appareat, et nisi excipias aliquatenus actionem cum illo *orandi.* Nam etiam ad privata devotionis exercitia, nulla causa excusante, vitandum admittere, non puto licere. — De cetero vero rationes illae, quae jam diu ut *causae excusantes* afferebantur, propter quas civilis communicatio licita in singulis casibus fieret, hodie tam late patent, ut eae vix non pro quolibet adsint. Sed lex aliqua, si *communiter* servari amplius non potest, vi sua censetur destituta esse, etsi ab aliquo in particulari servari possit.

Complementi igitur causa accipe actiones, quae in civili commercio praecipue prohibebantur, nisi causa justa excusaret, hoc versiculo memoriali comprehensas:

„Os, orare, vale, communio, mensa negatur."

Cf. S. Alph. l. 7 n. 188 sqq. ex c. *„Excommunic."* caus. 11 q. 3: adverte tamen, solos *vitandos* respici.

1. *Os* intelligitur osculum pro omni signo *familiaritatis.*

2. *Orare* intelligitur omnis communicatio in divinis, de qua supra; at non tantum publica, sed *sub veniali* etiam privata cum excommunicato oratio, nisi status subjectionis excuset.

3. *„Vale"* est salutatio *honorifica,* i. e. honoris exhibendi causa facta; ergo: 1) non resalutatio, neque 2) — idque probabiliter — ea salutatio, in cujus omissione non tantum officii praeteritio, sed positiva dehonoratio seu

contumelia contineatur, neque 3) alia merae urbanitatis signa: v. S. Alphonsum n. 192.

4. *Communio* intelligitur: contractus, societas, cooperatio, cohabitatio; at haec cohabitatio, concursus ad idem opus et similia non dicuntur illicita, si casu fiunt, non per modum societatis. S. Alph. n. 194.

5. *Mensa* est convictus, convivium per modum societatis, invitatio ad mensam etc.; non vero prohibitum censebatur, quominus aliquis in eodem hospitio cum excommunicato mensae assideret. S. Alph. n. 195.

NB. 1. Si *eam* communicationem in divinis excipias, de qua jam supra dictum est, mere civilis communicatio generatim non censebatur *mortale* peccatum esse. At *potest esse mortale etiam nunc:* 1) ex periculo perversionis; 2) ex ejusmodi communicatione, quae contumaciam excommunicati confirmet; 3) ex cooperatione in ipso crimine (de quo cf. infra, quae de *singulis excommunicationibus* dicentur).

898 NB. 2. Causae excusantes, quae jam dudum efferebantur ut rationes, ex quibus liceret civiliter cum vitando communicare, initium sumpserunt a tempore S. Gregorii VII. Ille enim in Concil. Romano IV. — quamquam *ad tempus* — a lege communicationem prohibente exemit „uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, necnon rusticos et servientes, et omnes alios, qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, et illos, qui ignoranter excommunicatis communicant seu illos, qui communicant cum iis, qui communicant excommunicatis"; v. c. (103) *„Quoniam"* caus. 119. 3. — At decursu temporis moderatio illa, nedum cessaverit, stabilita et aucta est (cf. Kober l. c. § 7 p. 388 sqq.), ita ut *hac regula exceptiones* contineas:

„Utile, lex, humile, res ignorata, necesse."

1. *Utilitas* tum spiritualis ipsius excommunicati, tum quaelibet notabilis, quam alter ab excommunicati consortio perciperet.

2. *Lex* est vinculum matrimoniale, vi cujus uxori cum viro excommunicato vivere permittitur, nisi 1) jam antea legitimum divortium factum sit, aut 2) excommunicatio lata nominatim propter haeresim, aut 3) matrimonium ipsum illegitime initum causam dederit excommunicationi — in quo casu vita conjugalis ex parte uxoris sit communicatio *in crimine crininoso.*

3. *Humile* intelligitur de quolibet statu subjectionis, ut famulorum, filiorum-familias, imo etiam filiorum jam emancipatorum et similium. Item vice versa cum famulis, filiis etc. forte excommunicatis permittebatur dominis, parentibus communicare: v. S. Alph. n. 203 et 204.

4. *Res ignorata* exprimit quamlibet, i. e. sive juris sive facti, ignorantiam, ita ut, quamdiu ignorem aliquem excommunicatum eumque vitandum esse, liceat mihi cum eo communicare (S. Alph. n. 205); idque verum dicit S. Doctor, etsi ignorantia sit vincibilis et crassa.

5. *Necesse* dicit quamlibet cujusvis necessitatem gravem, sive hominis excommunicati, sive alterius, quae sine communicatione cum excommunicato auferri vel evitari non possit; eaque vix non inclusa est in n. 1 *„Utile"*, nisi hoc discrimen attendas, quod sola utilitas excommunicati temporalis non sufficit, sufficit necessitas.

§ 3.

Effectus excommunicationis mediati.

Hucusque actum est de effectibus excommunicationis, quos for- 899
males vocare licet vel immediatos, quibus ipsa excommunicationis natura declaratur. Sunt autem alii quoque effectus, qui cum ea conjunguntur vel ortum ex ea ducunt, interposita alia post excommunicationem excommunicati culpa:

1. *Irregularitas*, quae inducitur violatione censurae: de quo vide infra de irregularitatibus. At hic non est solius excommunicationis effectus proprius.

2. *Suspicio haeresis*, quae inducitur, quando aliquis post legitimas monitiones non resipuit, sed in excommunicatione obdurato animo *per annum insorduit*, ut legere est Trident. sess. 25 *de ref.* cap. 3.

Quapropter in hoc casu potest, quaecunque causa fuit excommunicationis, „Inquisitio haereticae pravitatis" contra contumacem procedere. Censetur autem illa annua perduratio per se suspicio, quae dicitur *„levis"*; quodsi aliquis ulterius contumax exsistit, nolens se a suspicione haeresis purgare, fit suspectus *vehementer*, atque post alterum annum insordescentiae declarandus erit *haereticus:* v. Thesaurum p. 2 ad vocem *„Insordescentia"* n. 1.

3. Insordescentia per annum producta habetur pro probatione illius criminis, propter quod excommunicatio inflicta est: v. Thesaurum ibid. n. 3.

4. Etsi in ipsa excommunicatione reus non privatur beneficio, tamen postquam per annum in ea insorduit, a judice beneficio privari potest: Thesaurus ibid. n. 5.

Illa autem poenarum aggravatio non ita ad alias quoque censuras praeter excommunicationem referri debet.

Caput III.

De secunda censurarum specie seu de suspensione.

§ 1.

Notio et divisio.

Suspensio est censura, qua clericus privatur quodam usu potestatis 900
ecclesiasticae vel functionum sacrarum exercitio. Pro distinctione ab aliis poenis haec nota:

1) Suspensio est poena in solos clericos; 2) ea privat tantum *activo* usu quarundam rerum sacrarum, non usu *passivo* seu receptione: quare nulla suspensio obstat, quominus clericus, si aliter dispositus est, sacramenta ecclesiastica recipere possit, aut defunctus ritu ecclesiastico sepeliatur; 3) suspensio distinguitur a depositione et degradatione, quae sunt poenae per se *vindicativae* et privant non usu tantum et

exercitio ecclesiasticae potestatis, sed ipso titulo *ecclesiastico* atque, *quantum ab Ecclesia pendet,* ipsa potestate. Dixi „quantum ab Ecclesia pendet"; nam potestate solius ordinis, utpote in charactere indelebili fundata, is, qui ordinatus est, privari nequit.

Divisio: I. Suspensio non *omni* usu potestatis semper privat, sed multiplex pro majore minoreve privatione distinguitur. Res enim, qua quis privari potest, aut officium est, aut beneficium, i. e. ejus fructus et administratio; officium vero dicit usum ordinum et jurisdictionis. Secundum diversam igitur privationem erit:

1) Suspensio *ab officio,* quae et usu ordinum et jurisdictionis privat.

2) Suspensio *ab ordine*, quae usu ordinum *sacrorum* privat: — minores ordines, qui a quovis laico secundum disciplinam nunc vigentem exerceri possunt, frustra comprehenduntur.

Sed haec ipsa ab ordine suspensio *particularis* esse potest, superiore aliquo ordine privans, non inferiore, ut: suspensio *a Pontificalibus,* quae liberum exercitium eorum relinquit, quae solum presbyteralem ordinem spectant; suspensio *a presbyteratu, a diaconatu* etc.: imo partialis etiam esse potest suspensio ab unius certi ordinis functionibus, v. g. *suspensio a conferendis ordinibus,* suspensio *ab audiendis confessionibus.*

3) Suspensio *a beneficio,* qua poena clericus, relicto sibi usu ordinis et jurisdictionis, a perceptione fructuum beneficii ejusque administratione arcetur.

Si „suspensio" sine determinatione infligitur, intelligitur *totalis,* quae et officio et beneficio (sensu explicato) privat.

Hinc sequitur, eum, qui ab ordine suspensus est, posse valide et licite illa facere, quae solius jurisdictionis sint, non vero, quae ordinem sive solum sive cum jurisdictione conjunctum requirant: v. g. confessiones eum excipere non posse, posse ad confessiones audiendas — si ipsius muneris est — approbare, delegare etc.

901 II. Pro diverso modo infligendae suspensionis non tantum distinguitur, ut fit etiam in ceteris censuris, suspensio latae et ferendae sententiae, suspensio a jure et ab homine: sed in suspensione peculiare aliquid inductum est a Concilio Trid. sess. 14 cap. 1 *de ref.* Nam pro diverso ordine juris in infligenda suspensione, quae „ab homine" est, observando, distinguitur suspensio communi modo inflicta, et suspensio *ex informata conscientia* „ex quacunque causa etiam ob occultum crimen quomodolibet etiam extrajudicialiter", quae fieri potest *ab officio* et *ab ordine,* non vero a beneficio: v. Scavini t. 1 n. 938.

Quae Tridentini constitutio ansam dedit dubitandi, num et in causis occultis et in causis publicis Episcopus clericum suum, judiciali forma non servata, suspendere possit. Qua in re S. C. C. non raro invenitur tenuisse sententiam, propter solam causam occultam hanc suspensionem infligi posse; in publicis vero causis juris ordinem omnino esse servandum: cf. Acta S. Sedis vol. 7 p. 569 sqq. — Quapropter si Episcopus contraria opinione nixus procedat, clerico appellationem ad S. Sedem interponere liceat. —

In hac igitur suspensione „ex informata conscientia“ Episcopus causam clerico indicare non tenetur, tenetur vero, si postulatur, S. Congregationi vel S. Sedi negotium exponere: v. Scavini l. c. n. 1016.

III. Suspensio non necessario est censura, sed potest esse poena 902
mere vindicativa. Quare haec distinctio multum attendenda est propter effectum irregularitatis, quae *censurae* violationem sequitur. Dignoscitur autem ut censura, si imponitur pro peccato non mere praeterito, atque eo modo, qui indicet, secuturam esse absolutionem post resipiscentiam delinquentis.

Non est igitur censura vero sensu suspensio:

1. si imponitur *„in perpetuum“*, seu ex se irremissibiliter: S. Alph. n. 314;

2. si imponitur post peccatum jam praeteritum, quod neque in effectu suo a delinquente culpabiliter sustinetur;

3. si imponitur ex informata conscientia, *causa ne implicite quidem manifestata;* nam ex hoc solo concludi debet, non esse censuram, siquidem censura dirigitur ad frangendam contumaciam, ac propterea primo ad manifestandam causam seu culpam, a qua Superior vult delinquentem corrigere: nisi, *ut solet*, causa aliunde jam nota est. (*Generatim* igitur fit, quod Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 12 c. 8 n. 5 refert decisum a. S. C. C. in *Sagonensi* 21. Julii 1625, ut clericus ex informata conscientia suspensus, qui nihilominus sacras functiones, licet interposita appellatione, exercuerit, irregularis evadat; idem monet Instr. S. C. de Prop. F. 20. Oct. 1884.)

4. Si *post* crimen patratum per sententiam particularem judicis suspensio *ad certum et definitum tempus* infligitur, praesumptio est, eam non esse censuram, sed poenam vindicativam; (si vero suspensio *latae sententiae* v. g. ad annum, ad triennium est, haec videtur cum S. Alphonso l. c. n. 314 pro censura habenda esse [1]).

5. Si infligitur suspensio oretenus, nisi Superior regularis, habens privilegium, quo non teneatur in scriptis poenam ferre, id facit: alias *praesumitur,* suspensionem esse per modum poenae vindicativae impositam. Nam censuram oretenus infligere generatim nisi urgente causa non licet, quamquam valide fit; sed nemo censetur illicite agere vel egisse, nisi probetur: S. Alph. n. 317; cap. 1 *Cum medicinalis* V, 11 in 6°.

6. Si statuitur, suspensionem durare *ad arbitrium* seu *beneplacitum* judicis, merito haec poena non pro censura habetur, siquidem censurae duratio non a judicis arbitrio, sed a poenitentia delinquentis pendere debet (Tambur. *de censuris* tr. 2 c. 1 n. 3): nisi forte sit poena *latae sententiae.*

7. Si fertur suspensio *in communitatem:* v. S. Alph. n. 317 — quod aliquando fieri potest. At nisi simul in particulares istius communitatis personas fertur, hae arcentur tantum ab illis functionibus, quas exercere poterant collegialiter seu *ut corpus morale,* non ab iis officiis, quae ipsis personaliter competunt: S. Alph. ib. Cf. de his omnibus etiam D'Annibale *summula* I. n. 351 sq. et n. 385 (ed. 3 n. 379—388).

---

[1] Abs re non est, quod Tamburini l. c. dicit, in dubio suspensionem potius pro censura habendam esse ex axiomate: „Odiosa sunt restringenda.“ Nam quamquam censura *violata* effectum odiosum inducit, quem poena vindicativa spreta et violata non inducit: tamen *in se* minor est poena medicinalis, a qua reus *poenitens* jure suo, ut absolvatur, postulet, quam poena vindicativa, a qua reus, ut solvatur, etiam correctus et emendatus, nullo jure postulare possit. Ceterum hae suspensiones re ipsa in Constit. *„Apostolicae Sedis“* inter censuras enumerantur.

§ 2.

Effectus suspensionis.

903 1. Suspensus graviter peccat, si actum sibi prohibitum exercet. In aliquibus tamen parvitas materiae admitti potest, ut quando suspensus ab ordine benedictionem mensae (i. e. prandii vel coenae) faciat.

Easdem vero causas excusantes omnino admittere debemus, quas in excommunicatione excusare cognovimus, videlicet gravem metum, periculum diffamationis, aut etiam petitionem fidelium, relate ad eum, qui occulte suspensus est neque vitandus. Vitandum intellige secundum n. 881; sed *hic* solum in officiis vel actionibus per suspensionem prohibitis.

2. Suspensus publice non toleratus *invalide* exercet jurisdictionem, quippe qua privatus exsistit; toleratus autem semper valide eam exercet, quantumvis illicite, sicut de excommunicato dictum est.

3. Qui suspensionem, quae censura sit, exercitio ordinis sacri sibi per suspensionem interdicti violat, irregularitatem incurrit. Excipe semper causas n. 1 relatas: nam quod sine novo delicto gravi fit, irregularitatem non inducit.

904 Hinc communiter deducunt: 1. Episcopus, a Pontificalibus suspensus, non incurrit irregularitatem, si in Pontificalibus celebrat. Celebrare enim non est episcopalis ordinis proprium, sed presbyteralis; id autem *in Pontificalibus* facere, grave quidem illi peccatum est, at non mutat actûs *substantiam,* quae ad inferiorem *ordinem* sibi non interdictum spectat.

2. Episcopus, a Pontificalibus suspensus, qui sacros ordines confert, vel confirmat, sacra olea consecrat, sive altaria, templa, fit irregularis. Haec enim omnia aut ex Christi institutione, aut ex Ecclesiae lege ad *ordinem* pontificalem pertinent; ordo vero episcopalis vere ordo *sacer est,* a presbyteratu gradu distinctus. Quare id, quod aliqui dicunt, ne in illis quidem casibus irregularitatem contrahi, eo quod episcopatus ordinem novum et distinctum non constituat, prorsus rejiciendum est: v. S. Alph. *H. Apost.* tr. 19 n. 64.

§ 3.

Suspensionis cessatio.

905 1. Suspensio pro certo et determinato tempore lata, aut sub conditione inflicta, eo ipso cessat, impleta conditione vel tempore elapso. Ante elapsum tempus determinatum solvi nequit, nisi iis modis, quibus solvitur suspensio indefinite lata.

2. Suspensio, quae ut vindicativa poena infligitur (vel quae utcunque non est censura), *dispensatione* legitimi Superioris aufertur.

3. Suspensio, quae censura est atque indefinite lata, *absolutione* aufertur; idem dic de ea suspensionis censura, quam ad certum tempus latam aliquis solvi postulat ante elapsum terminum.

4. Absolutio autem, si de suspensione *ab homine* agitur, Superiori reservata est; si agitur de suspensione *latae sententiae,* quando *censura* est, ejus absolutio cuilibet confessario in foro interno committitur, nisi aut reservatio in ipsa lege sit expressa, aut ex natura rei in foro

externo res absolvenda sit, aut absolutio suspensionis *„certi temporis“* ante elapsum tempus postulatur: cf. Del Vecchio t. I. n. 550. Nunc igitur raro omnino est suspensio non reservata.

5. In articulo mortis probabiliter quilibet confessarius vel sacerdos a qualibet suspensione, quae *censura* sit, absolvere potest, salva tamen pro diversis causis obligatione, post sanitatem, si recuperetur, comparendi coram legitimo Superiore ejusque mandata excipiendi: cf. Trident. sess. 14 *de poenit.* cap. 7.

Caput IV.

De tertia censurarum specie seu interdicto.

§ 1.

Generalis notio et divisio.

1. Tertia et ultima censura est interdictum, quod est censura, 906
qua aut certis personis aut in certis locis interdicuntur quaedam sacramenta aliaeque quaedam sacrae functiones.

2. Quo melius intelligatur interdicti natura, praestat comparationem et distinctionem inter illud et reliquas censuras instituere, maxime quum quidam effectus iidem sint, i. e. privatio earundem rerum, quae fit per excommunicationem, etiamsi ibi simul cum aliis inducantur, vel ex parte etiam per suspensionem induci possint. At diversa ratione fit illa privatio. — Videlicet excommunicatio usu rerum sacrarum privat, prout ille usus est *communicatio cum Ecclesia et fidelibus.* Suspensio usu sacrarum rerum privat, quatenus est *exercitium sacrae potestatis.* Interdictum usu illarum privat, quatenus sunt *quaedam res sacrae.* Cf. Suarez *de censuris* disp. 32 ab initio.

3. Quoad divisionem interdicti haec nota:

1) Interdictum est aut *locale,* aut *personale,* aut *mixtum,* prout usus rerum sacrarum immediate prohibetur fieri in aliquo loco (sc. mediante loco semper homines afficiuntur), aut immediate prohibetur certis personis, aut utrumque simul immediate fit.

2) Interdictum est aut *generale,* aut *speciale* sive *particulare,* prout interdictum fertur in aliquod totum, et consequenter in partes, quatenus ad illud totum pertinent, aut immediate in singularem seu particularem locum seu personam fertur. Hinc esse potest:

a) interdictum locale generale,
b) interdictum locale speciale,
c) interdictum personale generale,
d) interdictum personale speciale.

3) Interdictum aut *totale* aut *partiale* est, prout omnium illarum rerum sacrarum usus, quae prohiberi solent, interdicitur, aut una alterave pars tantum. Sic partiale interdictum est, quod vocatur *„ab ingressu ecclesiae“.*

907 4. Quoad culpam seu causam, propter quam interdictum ferri potest, haec breviter dicenda sunt:

1) Interdictum personale speciale requirit culpam personalem ipsius rei, qui punitur, eumque poena statuta ubique comitatur.

2) Interdictum personale generale (v. g. in cives talis loci, in capitulum, familiam latum) non requirit necessario culpam *omnium* membrorum; nihilominus comitatur, saltem ex parte, omnes particulares personas sub communitate ista comprehensas, ubicunque exsistunt. Sed personaliter innocentes possunt ab interdicto se eximere, si possibile ipsis est desinere esse membra illius communitatis, et si re ipsa desinunt.

5. Quoad ambitum interdicti haec adverte:

1) Interdictum locale generale comprehendit omnia loca particularia sive sacra sive non sacra intra limites loci generalis exsistentia; imo loca exempta in illis conditionibus ab ipso jure interdicuntur, ut etiam suburbia et loca adeo vicina, ut ad ea facillime transitus et confluxus fieri possit, atque ita interdictum effectu fere careat. Quare etiam si locus ille vicinus alius dioecesis sit, habetur interdictus *a jure:* v. Suarez *de cens.* disp. 32 sect. 2 n. 23. Interdictum vero locale speciale ad determinatum locum vel determinata loca restringitur.

2) Ut vero interdicti localis specialis ambitus cognoscatur, adverte illud principium: Accessorium sequitur principale, sed non vice versa. Igitur interdicta ecclesia, etiam coemeterium adjacens interdicitur: adjacenti autem coemeterio interdicto, nondum interdicta est ecclesia: vide cap. *„Si civitas“* (17) l. 5 tit. 11 in 6.

3) Interdictum *locale*, sive generale sive speciale, involvit semper aliquod interdictum *personale speciale,* scilicet contra eum vel eos, qui causam interdicto dederunt; reliquos *homines* non afficit, nisi *in loco interdicto:* vide cap. *„Si sententia“* (16) l. 5 tit. 11 in 6.; cf. etiam Suarez l. c. sect. 2 n. 34 et 35.

§ 2.

Uberior explicatio effectuum interdicti, seu: quaenam res sacrae prohibeantur.

Tria genera sacrarum rerum sunt, quae prohibentur: 1) Sacramenta quaedam, 2) officia divina, 3) sepultura ecclesiastica.

Punctum I.

De sacramentis prohibitis.

908 1. Nisi minister, vel resp. recipiens, sit speciali interdicto personali ligatus, licet conferri sacramenta sequentia:

1) baptismum, etiam solemniter: ex cap. *„Responso“* (43) decretal. l. 5 tit. 39, cf. S. Alph. l. 7 n. 334.

2) confirmationem *ibid.;*

3) poenitentiam ex cap. *„Alma“* (24) l. 5 tit. 11 in 6;

4) extremam unctionem tum tantum, quando aliud sacramentum ita certo et secure dari nequit: sume moribundum sensibus destitutum;

5) Eucharistiam solummodo pro Viatico: ex cap. *„Responso“* ut supra;

6) matrimonium sine benedictione: v. *ibid.,* S. Alph. l. c.

Prohibentur ergo:

1) Eucharistiae ordinaria distributio;
2) nuptiarum benedictio;
3) collatio ordinum;
4) extrema unctio extra casum necessitatis explicatae: ex cap. *„Quod in te“* (11) decretal. l. 5 tit. 38.

2. Personaliter autem interdicti ad sacramenta nullatenus admittendi sunt, nisi versantur in periculo mortis atque probabilem poenitentiam ostendunt[1]. — Ita saltem, si — ut communiter obtinet — interdictum reservatum est; alioquin agendum est, sicut in ceteris censuris.

Punctum II.

De divinorum officiorum prohibitione.

Divina officia, quae fieri *locis interdictis,* et quibus interesse *homines* 909
interdicti vel *alii locis interdictis* vetantur, sunt Missa et aliae publicae functiones liturgicae. (Cf. ea, quae tractantes de excommunicatione circa officia divina diximus.) Sed limitationes quaedam apponendae sunt.

1. In festis solemnioribus fieri possunt officia divina januis ecclesiae apertis et cum cantu, atque *admissis omnibus* (i. e. excommunicatis exclusis, interdictis admissis: cf. Castropal. *de censur.* d. 5 p. 4 § 2 n. 18), si modo ii, qui causam dederunt interdicto, non audeant accedere ad altare (i. e. neque ad S. Communionem, neque ad offertorium seu oblationem faciendam). Ea tamen concessio non valet pro interdicto locali *speciali,* ut si aliqua ecclesia speciatim interdicta est: ex cap. *„Alma Mater“* (24) l. 5 tit. 11 in 6.

Festa illa solemniora sunt: Nativitatis Domini N., Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. Mariae V., Corporis Christi cum tota octava. Festa vero ita computantur, ut liceat incipere *cum primis Vesperis* festi, imo pro Paschate et Pentecoste probabiliter incipere licet a Missa Sabbati Sancti sive vigiliae Pentecostes, atque omnes illos dies Paschatis et Pentecostes computare, qui sint festi de praecepto.

2. Etiam in ecclesiis specialiter interdictis licet, si S. Eucharistia ibi asservanda est, semel in hebdomada occulte et januis clausis celebrare pro conficiendo et renovando SS. Sacramento pro infirmis; et, si quando *necessarium* sit, ad Viaticum moribundo ministrandum: ex cap. *„Permittimus“* (57) decretal. l. 5. t. 39.

3. Alias vero Missa et aliae functiones in loco interdicto fieri non 910
possunt, nec interdictae personae possunt harum functionum esse participes (i. e. neque ea peragere, neque iis assistere illis licet). Attamen sunt personae quaedam exemptae, quae in generali interdicto non comprehendantur; quapropter illae possunt et debent januis clausis sine cantu divina officia peragere. Videlicet interdicta civitate vel inter-

[1] In extrema necessitate sufficere ad conditionatam reconciliationem tunc plane peragendam, ut impoenitentia non sit certa, ex iis, quae de sacramento poenitentiae dicta sunt, satis colligitur.

dictis civibus, clerici i. e. omnes, qui privilegio fori et canonis fruuntur, non censentur interdicti.

4. In ecclesiis igitur non specialiter interdictis clerici non interdicti possunt et debent januis clausis et sine cantu divina peragere, iique possunt S. Eucharistiam recipere. — Verum admittere nequeunt eos, qui sunt interdicti, sive reos sive innocentes, nisi forte, deficiente clerico, aliquis ex innocentibus sumatur pro ministro ad Missam ministrante. — Quodsi quis ex iis, qui personaliter interdicti et simul publice denuntiati sunt, sese intrudit, agendum est sicut in excommunicato vitando; attamen si expelli nequit, in illo solo loco vel illa sola civitate, quae interdicto subjacet, propter hujus hominis praesentiam cessandum est a divinis officiis et Sacro incepto. Cf. Castropal. l. c., S. Alph. n. 333, Mazzotta *de cens.* disp. 4 cap. 2 § 1.

5. Ceterum quando interdictum *locale* fertur, innocentes in alium locum se conferre possunt, ibique divinis interesse, v. g. si interdictum fertur in *urbem.* Aliud est, si in *populum ut talem* fertur interdictum, quippe quod sit personale. Cf. cap. „*Si sententia*“ (16) l. 5 tit. 11 in 6.

Punctum III.

De privatione ecclesiasticae sepulturae,
(de qua cf. cap. „*Si sententia*“, ut modo).

911 Breviter in ordinem redacta habes haec apud Mazzotta l. c.§ 3:

1. Interdicto locali generali vetatur, ne quis in illo loco ecclesiastica sepultura donetur, exceptis quibusdam; sc.: 1) Jure excepti sunt clerici, nisi interdicto personali subjaceant; at etiam in exsequiis celebrandis officia divina in sola ecclesia et sine solemnitate peragere licet. Clerici autem *lato sensu* sumuntur, ut supra. 2) Infantes aliique innocentes *extra* locum interdicti sepeliri quidem possunt; imo probabiliter etiam in loco *generaliter* interdicto tempore festivitatum, quo celebratio divinorum officiorum conceditur. Pro ea opinione afferuntur Ugolin., Suarez, Castropal.: quem cf. l. c. p. 4 § 3.

2. Interdicto locali speciali eadem fit sepulturae prohibitio: imo clerici, quamquam sepeliri in eo loco possunt, tamen sepeliendi sunt *sine Missa.*

3. Interdicto personali generali omnia illius communitatis membra privantur sepulturâ ecclesiasticâ omnino, quocunque loco exsistant, nisi forte innocentes solvere potuerint et re ipsa solverint suam ad communitatem relationem et nexum, ita ut ejus membra esse desierint. At ejusmodi interdictum, ut hunc effectum habeat, publice denuntiatum esse debet.

4. Interdicto personali speciali quicunque ligatus est, privatur sepulturâ ecclesiasticâ, si modo denuntiatus erat neque signa poenitentiae ostendit. Si vero denuntiatus non erat, non vi interdicti sepulturâ privatur, sed si privatur, id fit — ut sane fieri facile potest vel debet — titulo publici peccatoris in impoenitentia defuncti.

§ 3.

De interdicto „ab ingressu ecclesiae“ speciatim.

1. Interdictum *„ab ingressu ecclesiae“* personale est; per illud reo 912
haec prohibentur:

1) celebratio divinorum officiorum vel exercitiorum ordinis sacri in ecclesia;

2) assistentia divinorum officiorum in ecclesia;

3) sepultura (sepeliri) in ecclesia aut ecclesiastico coemeterio, nisi poenituerit: *„Is cui“* (20) l. 5 tit. 11 in 6^to^.

NB. *Ecclesia* sumitur pro omnibus aedibus sacris publice deputatis ad officia divina ibi peragenda; comprehenduntur igitur *oratoria publica*, non *oratoria privata*.

2. Non obstante interdicto ab ingressu ecclesiae, licet taliter interdicto, nisi aliud quid obstat, sequentia agere:

1) tempore, quo divina non peraguntur in ecclesia, eam ingredi, vel etiam tempore, quo peraguntur, sed tum solummodo per eam transitum facere, ita ut mora non trahatur ad assistendum divinis officiis: ita probabiliter secundum complures scriptores, v. Del Vecchio I. n. 555;

2) imo tempore, quo divina non peraguntur, licet interdicto sacramenta *recipere*, sed non ea administrare;

3) *extra ecclesiam*, si id alias interdicto licet, potest divina peragere; idque licere potest etiam in coemeterio: nam id unum, quod propter illud interdictum in coemeterio quolibet ecclesiastico non licet, est, hominem interdictum sepeliri.

§ 4.

Violatio interdicti, ejusque culpae gravitas.

1. Omnes, qui *personale* interdictum violant, per se graviter pec- 913
cant, nisi forte causa necessitatis, ut in aliis censuris, praecipue occultis, excusat, aut parvitas materiae, v. g. assistentia in divinis officiis brevi tempore facta ab aliquo, qui specialiter interdictus non est.

2. Clerici graviter peccant locale interdictum violantes per sacramentorum administrationem, celebrationem divinorum januis apertis vel solemniter vel admissis interdictis, sepulturae concessionem: praeter casus in jure exceptos. — Attamen si brevi tantum tempore janua relinquitur aperta, censetur materia parva.

3. Laici interdictum locale violantes graviter peccant: 1) si recipiunt sacramenta prohibita, 2) si cogunt alios ad officia divina aut impediunt exclusionem eorum, qui prohibentur assistere, 3) si compellunt ad ecclesiasticam sepulturam, 4) si ipsi in loco interdicto aliquem sepeliunt.

4. Si quis vero innocens clam tantum in ecclesiam se confert, ibique divinis officiis interest, secundum complures veniale tantum peccatum committit, quamquam unum ex gravioribus peccatis venialibus.

5. Qui interdictum *personale* violat per exercitium actionis sacro ordini annexae, vel in *loco* quoquo modo nominatim interdicto aliquod officium divinum peragit, incurrit irregularitatem: cf. D'Annibale I. n. 374 (ed. 3 n. 375). — Aliae poenae hodie ad haec restringuntur:

914 1) excommunicatio non reservata in eos, qui mandant vel cogunt ad sepulturam ecclesiasticam hominis nominatim interdicti (Constit. „*Apostolicae Sedis*“ ser. IV. n. 1);

2) suspensio Rom. Pontifici reservata contra eum, qui ab Episcopo nominatim interdicto ordinem suscepit, eaque suspensio incurritur *ab ordine sic suscepto* (ibid. *Suspens.* n. 6);

3) interdictum ab ingressu ecclesiae contra eos, qui interdictum locale violant celebrando aut celebrari faciendo divina (ibid. *Interd.* n. 2);

4) activa et passiva electione privantur clerici vel religiosi violantes interdictum locale: ex cap. „*Is, qui*“ (18) l. 5 tit. 11 in 6.

NB. 1. Ab interdicto personali speciali, quod a jure sit latum pro indeterminato tempore, nisi reservatio sit expressa aut natura causae eam exigat, absolvere quidem potest, si de foro interno agitur, supposità justâ dispositione poenitentis, quilibet confessarius; ab aliis autem interdictis absolvere ille tantum potest, qui tulit, aut qui ejus est Superior. Excipitur tamen articulus mortis, siquidem illo tempore quilibet confessarius a personali interdicto quocunque absolvere potest, imposita pro circumstantiis obligatione comparendi post superatum forte mortis periculum vel morbum.

NB. 2. Ferre interdictum locale solus ille potest, qui externam jurisdictionem localem habet. Imo praelati id nequeunt, nisi in territorio subjectum sibi *populum* habeant. Cf. Mazzotta l. c. cap. 4.

Caput V. — Appendix.

De poenis ecclesiasticis vindicativis, quae quoad effectus censuris similes sunt, sive de Depositione, Degradatione, Cessatione a divinis, sepulturae privatione.

915 Quo melius per oppositionem et collationem similium poenarum eae, quas hucusque exposuimus, cognoscantur, breviter dandam esse duxi notionem reliquarum poenarum ecclesiasticarum; quamquam illae per se, utpote poenae *externi fori tantum*, ad jus canonicum spectant, ibique plenius tractandae sunt.

Cf. Phillips *Lehrbuch*, § 188, von Schulte *System des can. Rechts* p. 396 sqq., Schmalzgrueber *jus ecclesiast.* l. 5 tit. 37, Berardi *Comment.* t. IV. p. 183 sqq.

Cum suspensione igitur cognationem quandam habent poenae illae priores, depositionis et degradationis, posteriores cum interdicto: verum nullatenus sunt censurae.

§ 1.

Depositio.

1. Depositio poena ecclesiastica est — utar verbis Benedict. XIV. *de syn. dioec.* l. 9 cap. 6 n. 3. — per quam clericus perpetuo removetur a suscepti ordinis exercitio, aut ab officio et ecclesiasticae jurisdictionis usu, aut a beneficio, aut denique ab ordine simul et officio atque beneficio.

2. Distinguitur a suspensione: 1) eo quod semper privat non tantum licito, sed etiam valido usu ejus potestatis, quae ab Ecclesia pendet (a for-

tiori inducit, sicut suspensio, inhabilitatem ad aliquod ecclesiasticum officium vel beneficium accipiendum); 2) eo quod depositio est de se *perpetua*, neque mere medicinalis poena.

3. Ut haec poena infligi possit, clericus convictus esse debet alicujus gravis sceleris commissi.

4. Clericus depositus retinet nihilominus utrumque privilegium fori et canonis.

§ 2.

Degradatio.

1. Poena degradationis, quae multo magis perpetua est et per se non 916
condonatur, id addit super depositionem, ut clericum coram ecclesiastico foro omnino releget ad statum laicalem, ita ut omni officio clericali et jure ad id privatus exsistat, neque amplius privilegio fori vel canonis fruatur.

2. Distinguitur tamen degradatio *verbalis* et *realis* (sive actualis). Verbalis degradatio solo privilegio fori privat, relinquit clerico privilegium canonis; cum reali degradatione utriusque privilegii exstinctio conjungitur.

3. Pro majore dignitate clerici degradandi major numerus judicum, imo Episcoporum requiritur, ut coram iis res agatur. Cf. tamen. Trid. sess. 13 c. 4 *de ref.*

Degradationem verbalem subsequitur, si ad illam procedendum est, realis, qua clericus ornatu suo competenti indutus gradatim sacris vestibus et insignibus exuitur cum caerimoniis in Pontificali descriptis. Quibus expletis, degradatus judici laicali adstanti traditur, ut secundum civiles leges in reum animadvertatur; commendatur quidem judici, ut moderatione utatur et a poena sanguinis abstineat.

4. Degradationem Episcopus infligere nequit, nisi propter gravissima crimina, in quibus clericus incorrigibilem se ostendit, aut quibus *in jure* haec poena decernitur. Incorrigibilis ille censetur, qui neque depositione neque excommunicatione ad meliorem frugem deduci potuerit.

Crimina, quibus ex jure communi degradationis poena annexa sit, a Bened. XIV. l. c. *de syn.* l. 9 c. 6 n. 7 haec recensentur:

1) haeresis et apostasia, saltem si relapsus aut pertinacia accedat; 2) falsificatio literarum Apostolicarum; 3) assassinium; 4) frequens sodomia; 5) celebratio Missae vel exceptio confessionum sine ordine presbyterali; 6) furtum SS. Eucharistiae; 7) procuratio abortûs (post foetum animatum) effectu secuto.

At in aliis etiam criminibus valde atrocibus, si ut supra de incorrigibilitate constat, ad degradationem tandem procedi potest.

5. Clericus vero degradatus per se nullo modo eximitur ab obligatione recitandi officii divini, aliisve oneribus, nisi forte propter aliam poenam superadditam — e. g. condemnationem ad triremes — recitatio divini officii fiat moraliter impossibilis.

§ 3.

Cessatio a divinis.

1. Cessatio a divinis non tam poena est, quam publicus luctus im- 917
positus propter gravissimum crimen in aliquo loco commissum; est autem semper *localis*.

2. In effectibus suis, ut ex ipso nomine apparet, similitudinem habet cum interdicto.

3. Differt ab interdicto per hoc, quod neque certis quibusdam diebus neque privatim a quibusdam personis divina peragi possunt, sed totaliter abstinendum est 1) a sacramentis, 2) a divinis officiis, 3) a sepultura ecclesiastica.

4. Quandam speciem cessationis a divinis habemus in iis casibus, quando ecclesia polluitur. Alias cessatio a divinis ab homine imponi debet; nam ab ipso solo jure praeter ecclesiae pollutionem in nulla causa ex sese imponitur.

5. Sacramenta *necessaria*, quae in interdicto conceduntur, etiam tempore cessationis a divinis conferri licet.

§ 4.

Sepulturae ecclesiasticae denegatio.

918 1. In superioribus jam dictum est, et excommunicationem et interdictum id secum ferre, aut saltem secum ferre posse, ut ecclesiastica sepultura deneganda sit. Atque etiam exceptiones ibi notatae sunt.

2. Sed ecclesiastica sepultura etiam aliis jure denegatur et deneganda est, universim igitur iis, qui aut ad Ecclesiam nullatenus pertinuerunt, aut publice ab ea excisi erant, aut tamquam peccatores publici in impoenitentia decesserunt.

3. Speciatim hi enumerandi sunt: 1) infideles non baptizati, imo etiam infantes sine baptismo mortui; 2) notorii haeretici sive schismatici eorumque asseclae, similiter increduli vel apostatae; 3) ii, qui in duello occubuerunt: quos Bened. XIV. privari vult ecclesiasticâ sepulturâ, etsi extra locum conflictûs post data signa poenitentiae et receptam absolutionem defuncti sint, — quare mitior agendi ratio cum iis, qui poenitentes et reconciliati obierunt, si alicubi invaluit, ex sola legitima consuetudine excusari potest; 4) suicidae, nisi probabile sit, eos in amentia sive rationis impotes sibi vim intulisse, aut nisi ante decessum poenitentiam ostenderunt; 5) omnes peccatores publici et notorii, qui in impoenitentia defuncti sunt.

4. Non deneganda est sepultura ecclesiastica iis fidelibus, qui, quantumvis peccatores fuerint, ante mortem sinceram poenitentiam egerunt. Quare non excluduntur a christiana sepultura: 1) capitis damnati, qui sacramentaliter confessi sunt, quamquam *solemnitas* omittitur; 2) ii, qui artem illicitam exercuerunt, si similiter ante mortem sunt conversi; 3) ii, qui diu sine sacramentorum participatione vitam egerunt, si modo ante mortem sacramentorum recipiendorum desiderium manifestaverunt seu sacerdotem advocarunt; 4) ii, qui aliter scandalo publico fuerunt, sed in mortis articulo scandalum submoverunt atque satisfactionem praestiterunt.

919 5. Aliquando dubium exsistere potest propter poenitentiae signa dubie tantum data, aut propter dubium imputabilitatis suicidii. In his et similibus casibus per se quidem, si rationabile dubium est, potius inclinandum est

in meliorem partem; quod etiam observari interdum debet, si solus sacerdos testis repulsae fuit, quam dedit moribundus conversionem suadenti. — At ne nimis res in laxitatem desinat, id etiam adverti debet, eum, qui publicum scandalum dederit, vel ex aliqua ratione publicam satisfactionem praestare debeat, tamdiu debere pro impoenitente haberi, donec publice vel saltem coram testibus retractationem fecerit; quare eum, si sacerdotem solum secum agentem repellat, manere omnino publice peccatorem impoenitentem, qui christiano more sepeliri nequeat.

Si dubium de concedenda aut deneganda sepultura ex jure oritur, seu ex dubia consuetudine communi legi contraria, Episcopus consulendus, ejusque judicio per se standum est.

6. Iis, quibus ut peccatoribus publicis deneganda sit sepultura ecclesiastica, vel circa quos dubium oriri potest, accenseri debent, qui voluerunt, ut corpora sua *cremationi* committantur. In qua causa duo potissimum sunt decreta *S. Officii*, quae ad calcem Appendicis I. pag. 795 sq. communico.

7. Si catholici ex necessitate permixti cum acatholicis vel infidelibus sepeliri debent, ita ut ne pars quidem separata communis coemeterii iis concedatur: nihil relinquitur, nisi ut quodcunque sepulchrum singillatim benedicatur et locus sacer reddatur; alias pars pro catholicis separata benedicitur, relicto certo spatio non benedicto pro infantibus, si qui forte sine baptismo moriantur.

Sectio II.

De censuris latae sententiae singillatim consideratis.

Omnes fere censurae latae sententiae Constitutione Pii IX. *„Apostolicae Sedis“* 12. Octob. 1869 data recensentur: quare id nobis reliquum est, ut brevem quandam declarationem singulorum articulorum demus. Singulis capitibus series singulas diversi gradûs excommunicationum, dein duobus capp. subsequentibus omnes suspensiones et interdicta explicaturi sumus [1].

Excommunicationes quadruplicis generis enumerantur 1) speciali modo R. Pontifici reservatae, 2) R. P. ordinario modo reservatae, 3) Ordinariis reservatae, 4) nemini reservatae. Quaenam sit horum generum distinctio, quodve discrimen, supra satis explicatum est.

Caput I. seu Series I.

Excommunicationes speciali modo R. Pontifici reservatae latae sunt contra:

§ 1.

„Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haere- 920
ticos quocunque nomine censeantur et cujuscunque sectae exsi-

[1] In hac brevi explicatione consului praeter veteres auctores de iisdem rebus agentes potissimum: 1) explicationem datam in libell. „Acta S. Sedis“, 2) Commentationem Reatinam a D'Annibale, postea Episcopo et Cardinali, editam, 3) Commentat. Nolanam, a Formisana, Ep. Nolano, factam (ed. 8), 4) notas Ballerini ad Gury Comp. edit. Rom. 5.

stant; eisque credentes, eorumque receptores, fautores ac generaliter quoslibet eorum defensores." (Bulla „*Coen.*" § 1.)

Quatuor igitur genera delinquentium enumerantur: 1) apostatae, 2) haeretici, 3) eis credentes, 4) eos protegentes.

I. *Apostatae*, i. e. baptizati, qui et interne rejiciunt christianam religionem atque hanc suam defectionem externe profitentur.

Hinc 1. nihil refert, ad aliumne quendam cultum seu religionis formam transeant, e. g. ad Judaismum, Muhamedanismum etc., an nullum cultum religiosum profiteantur: quamquam pro diverso cultu religionis falsae contra *religionem* diversimode peccatur, eodem modo peccatur contra *fidem*. Quare huc referendi sunt rationalistae, indifferentistae, aliique id genus homines, si modo baptizati sunt.

2. Apostasia, quatenus *fidei* opponitur, essentialiter non differt ab haeresi, i. e. non formaliter, sed materialiter tantum. Utraque, et haeresis et apostasia, formale fidei objectum rejicit, materiale objectum haereticus ex parte tantum, apostata integrum, saltem qua specifice christianum est.

Nota 1. Qui externe defecit a fide vel religione christiana, praesumitur etiam interne defecisse. Propterea ut verus apostata (vel haereticus) in foro externo tractandus est, atque etiam in foro interno, *nisi constat* eum interne non defecisse.

Nota 2. Imo qui externe defecit, etsi non interne, facile censuram hujus articuli incurrit, saltem ut fautor haeresis vel apostasiae.

921 II. *Haeretici*, i. e. qui scientes et deliberato animo negant sive in dubium vocant aliquem articulum fidei ab Ecclesia propositum (de quo fusius confer vol. I. *de fide);* iique omnes, si modo haereticam mentem externe, etsi occulte et nullo audiente, prodiderunt. — Externus autem actus, qui mentem haereticam prodiderit, debuit esse 1) sive in se sive ex aliis circumstantiis vere manifestans haeresim, 2) humanus actus, non in somnio, ebrietate prolatus, 3) actus, qui sit qua manifestatio malus, ergo non manifestatio tentationis, dubii vel interni peccati *consulendi causâ* facta. — Comm. Reat. ex Laym., Sanchez.

Neque quemquam movere debent verba „cujuscunque sectae exsistant", ac si requiratur defectio ad certam sectam, ut excommunicatio incurratur; nam omnes haeretici comprehenduntur, „cujuscunque nomine censeantur". Imo verba hujus Bullae sunt ipsissima verba Bullae *„Coenae": at* hucusque nemo dubitavit, quin secundum Bullam *„Coenae"* quicunque haeretici, si modo haeresim quomodolibet externe prodidissent, etsi occulte et coram se solis, excommunicationem incurrissent. — Ita etiam Comment. Act. S. Sedis, Comment. Reat. et quotquot hanc Constitutionem interpretati sunt.

III. Credentes haereticis sive apostatis. Qui ab ipsis haereticis vel apostatis essentialiter non distinguuntur. Accidentale discrimen in eo est, quod non explicite, sed implicite errorem haereticum sustinent, in genere declarantes, hos vel illos haereticos recte sentire. Requiritur tamen hujus impiae mentis externa manifestatio.

Mazzotta ita hoc delictum explicat: Qui errorem haereticum implicite sustinent, et qui credunt, Lutherum, Calvinum etc. vera et recta docere, vel qui mori velint in eorum fide, etsi eam ne explicite quidem cognoscant. — Tolet. *instruct. sacerd.* l. 1 cap. 19 n. 7 haec habet: „Ille (credens haereticis) similiter haeresim committit, ac Christianus fidei actum ponit, quando credit implicite profitendo, quae credit Ecclesia."

IV. Protegentes, seu *„receptores, fautores, quilibet defensores“*. 922
Haec igitur protectio debet facta esse in causa haeresis.

1. *Receptores* ii sunt, qui contra S. Inquisitionem reos recipiunt, in causa haeresis occultant, ne capiantur vel puniantur. Verum si quis forte amicitiae causa id faciat, non ex amore haeresis, peccatum quidem non effugiat, at S. Alphonso probabile est, censuram non incurri (l. 7. n. 307).

2. *Fautores.* Favor haereticis vel haeresi praestari potest tum commissione tum omissione. Unum fit verbis, literis, factis, e. g. laudando haereticorum innocentiam; carpendo agendi rationem Ecclesiae contra eos; praebendo iis auxilia, quibus resistere possint legitimae auctoritati, vel rebellionem suam sustinere et protrahere valeant; libertatem cultûs inducendo eique patrocinando, nisi hoc fiat necessitatis aut majoris boni causa; nomen dando sectae, etsi specietenus tantum; etiam matrimonium ritu acatholico ineundo, vel aliter actibus religiosis communicando: siquidem his omnibus causa haeretica fomentum sumit, existimatione, potentia crescit. — Alterum, favere omissione, fit e. g. ab iis, qui ex officio seu justitia obligati ad puniendos haereticos vel coërcendos, eos impune agere sinunt.

3. *Defensores.* Defensio requiritur, etsi non ipsius haereticae *doctrinae,* tamen hominum haereticorum *in causa haeresis.* Quae multis modis fieri potest, ut verbis, factis. Alia est e. g. vi et potentia, ne haeretici coërceantur; auxilio, ut elabantur; patrocinio, quo liberentur. Neque requiritur, ut defensio re ipsa efficax fuerit. (Cf. Pauwels *de cas. reserv.* p. 2 n. 450 et 451.)

§ 2.

„Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis 923
Apostolicae libros eorundem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes.“ (Bullae *„Coenae“* § 1 mutata.)

Ad materiam hujus § explicandam videri debet: 1) quinam sint *libri* sub hac excommunicatione prohibiti; 2) quaenam *actiones* prohibitae.

NB. Constitutio *„Officiorum ac munerum“* has poenas reliquit intactas. *Prohibitio* sine poenis latae sententiae longe latius patet. Quae igitur nunc juris sunt circa editionem, retentionem, lectionem librorum etc., infra collecta habes pag. 807 sqq.

I. *Libri* sub excommunicatione prohibiti sunt duplicis generis:

1. *Haereticorum vel apostatarum* libri *haeresim propugnantes.* Quare requiritur:

1) ex parte auctoris, ut sit haereticus, i. e. aut ex secta haeretica (etsi ipse fortasse in bona fide exsistit) aut ex doctrina manifesta. Quodsi auctor hucusque fuit catholicus, de ejus haeresi tamen plane constare debet. — Liber anonymus, qui ex doctrina manifeste est haereticus, etiam praesumi debet ab haeretico auctore profectus.

2) Ex parte objecti, quod tractatur, debet haeresis *propugnari,* i. e. haeretica doctrina debet accitis rationibus stabiliri atque defendi. Quare non sufficit, ut haeresis in libro *contineatur,* aut breviter quasi aliud agendo defendatur. Verum non requiritur, ut totus liber agat de religione, vel de haereticis erroribus; potest enim aliarum disciplinarum tractatio in doctrinam haereticam propugnandam dirigi.

NB. Libri haereticorum ex primis aerae christianae saeculis non censentur hac prohibitione includi. Ita Lacroix l. 7 n. 333 agens de Bulla

„*Coenae*", edit. Act. S. Sedis in explicat. censur. app. III., Comment. Reat., quum dicant, illos libros, quorum haereses nocivae vix amplius videantur, considerari ut monumenta ad cognoscendam haeresum historiam, eosque, absente quovis damni perversionisque periculo, non existimari saltem viris ecclesiasticis prohibitos.

2. Libri *cujusvis auctoris* per *literas Apostolicas* prohibiti. Hinc requiritur:

1) ut liber sub speciali suo titulo designatus, non solum ex mandato R. Pontificis, sed literis ab ipso S. Pontifice ejusve nomine datis, condemnetur.

2) Probabiliter requiritur, ut prohibitus sit sive prohibeatur sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae. — Ita ex mente Constit. „*Apost. Sedis*" inferri debet: v. Acta S. Sedis. — Quod si factum est, excommunicatio illa *speciali modo* reservatur. Pauci sunt libri, qui *sic* prohibiti fuerint, neque necesse est, eorum catalogus recenseatur: praesertim quum plerique illorum librorum jam ad primum genus pertineant.

Nota. Quia dicitur „*libros*", probabiliter excommunicationi non subjacent *libelli, ephemerides, scripta* nondum impressa etc. Quodsi scriptum aliquod diversis quidem fasciculis in lucem edatur, tamen libri volumen completurum sit, illum *librum esse* planum est. Imo ne nimis arctetur ambitus hujus articuli, puto libellos tum tantum excludi posse, si prorsus minores sunt, e. g. ambitum concionis, majoris epistolae etc. non excedentes: si enim majoris amplitudinis sunt, vere eos libros esse dixeris [1].

Hinc est, quod passim Commentatores illos libellos seu ephemerides, quae periodice compactis fasciculis eduntur, in hac excommunicatione includi dicunt: v. Comm. Reat. [2] — *Prohibitio* autem sive ecclesiastica, sive naturalis etiam latius patet.

924 II. Actiones prohibentur hae: lectio, retentio, impressio, defensio.

1. Lectio seu: „*scienter legentes*":

Ab excommunicatione igitur excusatur: 1) qui ignorat prohibitionem et poenam, etsi crassa, vel affectata inscitia est; 2) qui parum legit (saltem si nihil occurrit haereticum: quare materia gravis tum ex *re, quae* tractatur tum ex *amplitudine* desumitur, ita ut, si sit res indifferens, tota pagina pro materia *parva* haberi possit); 3) qui potius oculis lustrat, quam legit librum ignoti idiomatis; 4) qui audit legentem.

2. „*Retinentes*" (intellige eodem modo „scienter"): quod fit, 1) sive aliquis apud se, sive apud alterum retinet sibi servans liberam dispositionem, ut in *deposito;* 2) sive pro se, sive pro altero retinet.

Excipe tamen: 1) eum, qui pro altero facultatem legitime habente ex officio retinet, ut famulus pro domino (ita Mazzotta multique alii); 2) qui pro commodato dat librum ei, qui facultatem legitimam legendi habet, sibi reservans quidem dominium, non tamen liberam potestatem pro libitu repetendi; 3) excusatur ex parvitate materiae, qui uno alterove die retinet; 4) imo etiam, qui longiore aliquo tempore retinet, exspectans opportunitatem librum tradendi Superiori vel alteri licentiam legendi habenti (S. Alph., Sanchez, Laym.), aut dum licentiam legendi petit interim retinens, modo ex rationabili causa licentiam petat neve interim legat.

[1] S. Alph. *de prohibit. librorum* cap. 5 n. 7 „concionem, epistolam seorsim editam" excludit e numero *librorum*, quorum lectio etc. excommunicationem Bullae „*Coenae*" inferat.

[2] Id quod cum Comment. Reat. aliisque defenderam, S. Off. d. 13. Jan. 1892 ad I. definivit, videlicet: „Utrum scienter legentes publicationes *periodicas in fasciculos ligatas,* habentes auctorem haereticum et haeresim propugnantes, excommunicationem . . speciali modo R°. Pontifici reserv. art. 2 incurrant" R. „*Affirmative*". (Acta S. Sedis vol. XXIV. p. 625.)

3. *„Imprimentes“* (sc. „scienter“). Hoc titulo, aut si forte non omnes hoc titulo, tamen tamquam „fautores haeresis“ incurrunt excommunicationem:

1) qui conscribit eo fine, ut imprimatur;

2) qui librum imprimendum mandat;

3) qui negotium imprimendi suscipit (Verleger);

4) qui characteres collocat, prelum versat, chartam supponit, brevi omnes, qui in impressione proxime cooperantur.

Requiritur autem ad excommunicationem 1) ut impressio revera facta sit; 2) — id, quod pro cooperatoribus notari debet —, *mortalis culpa* in cooperatione. Quare qui aut infimum aliquod auxilium praestat seu remotum, aut qui ex gravissima ratione etiam propius cooperatur, a culpa gravi et magis etiam ab excommunicatione excusatur. Cf. Laymann l. 2 tr. 3 c. 13 (*de scandalo)* n. 5.

4. *„Quomodolibet defendentes“* (iterum intellige „scienter“, nisi forte evadat defensio *haereticorum,* de quo supra). Defensio (cf. supra § 1) supponit aggressorem vel adversarium sive formaliter explicite, sive implicite.

Verbalis defensio est, si doctrina libri defenditur voce, scripto, — quantumvis persuasio aliorum non sequatur; si damnatio libri carpitur; si liber non propter doctrinam quidem, sed simpliciter laudatur, commendatur, ita ut illa commendatio tendat in conservationem, propagationem illius libri ejusque errorum. Si quis vero id tantum in libro laudat, quod boni revera continet, cum reprehensione errorum: illa laus in hac censura non videtur contineri, ut colligere licet ex iis, quae supra (§ 1) notata sunt ex S. Alphonso l. 7 n. 307.

Realis defensio est, qua librum in tuto collocari, destructioni vel proscriptioni eripi, in posterum servari, propagari studetur. Ad quam etiam refertur aliis ea mandare, illos ad ea instigare, quibus liber protegatur vel defendatur: sed hisce actionibus censura tum demum incurritur, si mandatum, instigatio re ipsa efficax evasit, i. e. si mandatum exsecutioni datum sit.

§ 3.

925 „Schismaticos et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore exsistentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt.“ (Bulla *„Coenae“* § 1.)

Comprehenduntur: 1. Schismatici *sensu stricto,* i. e. qui se separant *a corpore Ecclesiae ejusque capite,* sive ineunt diversum coetum religiosum, sive non.

2. Omnes, qui se separant *a capite Ecclesiae* ejus obedientiae pertinaciter se subtrahentes, etsi velint cum reliquo corpore Ecclesiae manere uniti. Neque necesse est, ut dicant, se non a Romana *Sede* recedere; sufficit recedere ab obedientia ejus, qui *est* Romanus Pontifex legitime electus.

Incurrunt *hanc* censuram *et* censuram *§ 6 et 11* asseclae *societatis clerico-liberalis* seu *emancipatricis cleri,* qui populari sacrorum ministrorum electioni dant operam. (S. C. C. 24. Jan. 1878 ad omnes Ordinarios Italiae.)

§ 4.

926 „Omnes ac singulos, cujuscunque statûs, gradûs seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore exsistentium ad universale futurum Concilium

appellantes, necnon eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit." (Bulla *„Coen."* § 2.)

Praenotio. Dicitur „cujuscunque statûs" etc., non quod necesse sit, ut Episcopi, Cardinales etc. expresse nominentur, quando de excommunicatione Papali agitur (aliud enim est in suspensione et interdicto), sed ut expressius illi prae ceteris *moneantur*, ne putent plus sibi licere quam reliquis, maxime quum tempore hujus Constitutionis editae Gallicanismus similesque doctrinae Apostolicae Sedi injuriosae nondum ita solemniter proscriptae fuerint, ut Concilio Vaticano sunt proscriptae.

Materiam hujus paragraphi, ex Bulla *„Coenae"* desumptam, Pauwels l. c. n. 461 ita describit: „appellare a sententiis, praeceptis, legibus (sive doctrinalibus sive aliis), censuris et poenis specialiter vel generaliter latis". Neque refert, utrum justa an injusta fuerit Pontificis sententia, quia *injuria* appellationis eadem manet, „ut constat, ac si appellares ab Episcopo ad parochum", ut ajunt Suarez, Regin., Bonac., Castropal.

Quum dicatur „ad futurum Concilium", huic censurae non subjacet provocatio ad Concilium, quod praesens est et jam legitime congregatum. Attamen tali provocatione facile contrahitur excommunicatio § 1 vel 3.

Punitur duplex genus delicti: 1. principalis actio appellationis, 2. secundarie cooperatio per auxilium, consilium, favorem.

Quae cooperatio ut excommunicationi subjacere incipiat, 1) ipsa appellatio secuta esse debet; 2) debuit cooperatio vere fuisse efficax, puta, si consilium fuit, consilium quod *influxerit* in appellationem faciendam; si aliud auxilium vel favor fuit, debet apellationem aliquatenus praecessisse, vel saltem *non mere eam subsequi.*

Consilium igitur est, alterum ad agendum inducere: mandatum a fortiori per vocem „consilii" comprehenditur.

Auxilium est praesens cooperatio, seu „in ipso crimine committendo opem ferre, vel aliquid facultatis ad patrandum crimen conferre".

Favor latius patet, quam auxilium, videlicet est facultatem peccandi expeditam facere, vel conservare, vel protegere. Favor igitur habetur non tantum in praesentis auxilii collatione, sed etiam in auxilii futuri promissione, quo delinquens animetur, aut in cooperatione indirecta et negativa, ut: *non impediendo*, quod ex officio vel justitia impediri debeat, vel *obstaculum ponendo,* quominus delictum ab aliis praecaveatur, sive quo delinquens securus reddatur a poena timenda.

§ 5.

927 „Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuntios, aut eos ex suis dioecesibus, territoriis, terris, seu dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem (ex Bulla *„Coenae"* § 11, omissa sola voce „vulnerantes": quo sensus nihil mutatur).

Quibus punitur laesio injuriosa contra principes Ecclesiae.

I. Quod ad personas attinet, quarum honor atque libertas hac § protegitur, nota ad vocem „Episcopos", intelligendos esse eos, qui *episcopali*

charactere insigniti sint; ergo 1) non comprehenduntur ii, qui electi quidem aut etiam confirmati sunt, sed nondum consecrati (ita Toletus, Mazzotta etc.); at 2) comprehenduntur Episcopi *auxiliares et titulares tantum:* verum non omne injuriarum genus hîc enumeratum contra eos exerceri potest.

II. Prohibetur sub hac censura:

1. Laesio corporis: „interficientes, mutilantes, percutientes", quod intellige de qualibet percussione vel vulneratione, etsi non materialiter gravi, tamen graviter injuriosa.

2. Libertatis laesio: „capientes, carcerantes, detinentes"; ergo rei sunt, qui capiunt aut deducunt Episcopum ad carcerem vel custodiam; praefecti carceris, qui detinent; imo etiam officiales subalterni tamquam cooperatores, nisi eorum cooperatio sit admodum remota atque propter causam gravis metûs non amplius peccaminosa.

Ceterum qui proxime ad gravem laesionem concurrunt, etsi ex gravi omnino metu agunt, non semper a peccato neque a censura immunes erunt; nam actionem adeo immanem facile in odium fidei posse juberi et in contemptum ecclesiasticae auctoritatis, videtur clarum esse. Quod si ex circumstantiis fieri constat, lex etiam *qua humana* vim suam retinet, neque a poena imposita gravis metus excusat.

3. Injuria dignitati illata: „hostiliter insequentes", i. e. insecutio eo fine facta, ut laesio vel nocumentum *inferatur* — non, mere ad terrorem incutiendum aut furti committendi causa. — „E suis dioecesibus . . . ejicientes", intellige e locis, in quibus habent jurisdictionem aut possessiones; ejectio autem intelligitur „ex loco suo in non suum"; quare si fit ex una civitate in aliam intra fines propriae dioecesis, non est actio, quae *huic* censurae subjaceat, nisi forte est hostilis insecutio, aut exclusio a loco, in quem praeter spiritualem aliam jurisdictionem ejectus jure possideat.

4. Quoad *cooperatores* praecipue nota, quod dicitur „rata habentes"; videl. aequiparantur „mandantibus", at requiritur, ut in eorum favorem aut ex praesumpta eorum voluntate alii ipsorum nomine crimen commiserint vel continuent: quod si ratum postea habent, in hanc excommunicationem incidunt; non vero incidunt, si crimen nullatenus ipsorum nomine factum est vel fit, etsi postea approbant vel laudant[1] (cf. cap. 23 *Quum quis* V, 11 in 6o). Alii *cooperandi* modi per se intelliguntur.

---

[1] Addunt complures commentatores, requiri, ut tempore, quo delictum factum sit, *potuerint* mandare, eo quod ratihabitio ipsi mandato aequiparetur ex reg. juris. — Verum quod aliqui inde inferunt (v. explicationem in *Actis S. Sedis*), eum non incurrere censuram, qui ratum habeat, quod tempore sui somni, ebrietatis suo nomine factum sit, id meo judicio recte a Castropal. aliisque rejicitur, atque merito pro conditione necessaria id solum statuitur, ut ratihabens tempore delicti in numero eorum, qui *habitualiter* sui compotes sunt, fuerit. Secus id absurdum statuere debes, eum, qui indubie ostendit famulis, sibi necem Episcopi *placere,* atque eos adulatores efficaciter permovit, ut pro domino Episcopum occiderent, ex eo excommunicationem effugere, quod famuli nocturnum tempus elegerint. — Multo satius est eam conditionem requirere, quam Suarez disp. 21 sect. 2 n. 71 explicat, „ratihabitio tunc proprie dicitur, quando est mandatum quoddam virtuale", i. e. si ex parte ejus, qui postea delictum ratum habet, *ea praecesserunt,* quae aliis ansam dare poterant putandi ipsum libenter consensurum esse, ut (suo nomine) delictum fieret. Nam si haec nullo modo praecesserunt, ipsius nomine delictum fieri non potuit, v. g. si hucusque amicitiam potius fovit quam inimicitias: odium vero *post mortem* interfecti *conceptum vel manifestatum* statum rerum non videtur mutare.

Cf. cum hac paragrapho paragraphum secundam capitis secundi, quae latius etiam patet relate ad actiones prohibitas principales.

§ 6.

923 „Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium, vel favorem praestantes.“ (Ex Bulla „*Coenae*“ § 16 contractum.)

Breviter explicandae sunt tum actiones principales, quae per se puniuntur, tum secundariae, quae propter principales, et ut ad eas referuntur, poenae subjacent.

I. Actiones principales sunt: 1. impedire exercitium jurisdictionis ecclesiasticae;

2. ex fine jurisdictionis impediendae recurrere ad forum saeculare;

3. fori saecularis mandata procurare, edere.

De singulis aliqua.

Ad 1: *Exercitium* jurisdictionis impeditur, si impeditur aliquis, quominus jurisdictione *uti incipiat;* quominus *exsequatur,* quod statuit (e. g. poenam jam decretam); quominus *sustineat,* quod ordinavit.

Perinde est, sive fit contra eum, qui *ordinaria* jurisdictione utitur, ut est Papa, Episcopus, Parochus . . ., sive contra eum, qui utitur *delegata,* idque sive de *externa* jurisdictione agitur, sive de *interna,* sicut utitur S. Poenitentiaria.

Jurisdictionis externae est: leges, mandata ferre, punire, absolvere, dispensare, ad officia alios publice deputare sive instituere, praedicatores mittere, in Ecclesiae gremium recipere etc., paucis, ea facere, quae ad regendam societatem (Ecclesiam) spectant, vel ut verbis cl. Bouix *de principiis Jur. Can.* p. IV. cap. III. § 3 punct. I. et II. utar, „jurisdictio generatim appellatur potestas ea omnia gerendi atque gubernandi, quae ad bonum Ecclesiae conservandum et promovendum pertinent, atque primario et directe publicam corporis fidelium utilitatem respicit.“ — Jurisdictionis interni fori, „quae primario et directe refertur ad privatam uniuscujusque fidelis utilitatem“ atque ejus internum statum respicit, est: absolvere a peccatis, a privato voto etc., atque omnia ea, quae per S. Poenitentiariam exerceri consueverunt. — Jurisdictio distinguitur 1) a potestate ordinis, 2) ab iis, quae potius officii vel juris sunt, quam potestatis in alios.

Impedire fit vi, minis, jussione saltem, si jubens jussionem urgere potest. Idque fit *directe,* si vis, minae etc. fiunt contra ipsum illum, qui ecclesiastica jurisdictione potitur, ne illa in hac istave causa utatur, aut etiam ut absolute sive omnino ab exercitio sui muneris deturbetur.

Indirecte fit: 1) si quis directe quidem *vult* impedimentum jurisdictioni ecclesiasticae creare, verum contra Superiorem ecclesiasticum ejusve delegatum non directe agit, sed vim, minas, jussionem contra eos adhibet, qui Superiori ejusve delegato in jurisdictionis exercitio auxilio vel instrumento sunt, aut ipsi sunt conjuncti cognatione, affinitate, familiaritate — quod Bulla „*Coenae*“ expresse dicit — ut minae malave illis illata in ipsum redundent;

2) si quis jurisdictionem ecclesiasticam impedire quodammodo *indirecte vult,* i. e. non quia est ecclesiastica jurisdictio, sed praetendens aliam causam injustam. Cf. etiam § 3 supra n. 925.

Ad 2 et 3, i. e. „recurrere ad forum sacculare, ejus mandata pro- 929
curare, illa mandata edere". Gravissima quaestio est, utrum hisce verbis notetur crimen, quod *per se* puniatur, an tum tandem, quando jurisdictio ecclesiastica vere *coepta est impediri.*

Avanzini poterat videri eam opinionem defendisse, ex qua sufficiat *solus recursus* etc. Nihilominus continuatores „Actor. S. Sedis" interpretantes Avanzinii sententiam, ut probabilem defendunt contrariam opinionem, quae dicit „excommunicationem non incurri, quando exercitium jurisdictionis ecclesiasticae de facto non impedierint" (ut: mandato fori saecularis non obtento, aut exsecutioni non dato). App. V. p. 252. Quam sententiam etiam Comment. Reatinus hoc sensu defendit, ut judex saecularis debuerit *ad instantiam recurrentis* mandatum dare.

Ut dicam, quid sentiam: si sola verba hujus Constitutionis *„Apostolicae Sedis"* considerarem, huic mitiori opinioni calculum adjicere vix possem. Verum quum in Bulla *„Coenae"* omnes illi cooperatores tum tandem comprehendantur, quando effectus secutus sit, vid. „recurrentes" tum, quando mandatum saecularis fori revera procuratum fuerit, quumque hodierna Bulla *„Apostolicae Sedis"* potius ad imminuendas quam ad augendas censuras lata sit: sine evidenti necessitate amplioris ambitûs censuram statuisse ea dici non debet. Quare libenter subscribo illi opinioni benigniori.

Quae si admittitur, parum interest quaerere, quinam sint, qui constituant „forum saeculare". Nam sive arctius sive latius sumas, perinde est, quando ad incurrendam censuram recursus *efficax* atque efficax impedimentum contra ecclesiasticam jurisdictionem requiritur.

At ne laxius, quam par est, impedimentum ecclesiasticae jurisdictionis accipias: ad incurrendam censuram prorsus sufficere puto, ut actio ex natura sua impeditiva posita fuerit, e. g. jussio quasi-auctoritativa judici ecclesiastico intimata, neque debet inquiri, num ea actio re ipsa Superiorem ecclesiasticum *moverit,* ut a jurisdictione exercenda desisteret. Impeditur enim exercitium, quando *libero* exercitio obstaculum creatur; seu impedit, ut verbis Commentatoris Reat. utar, *qui obsistit* ei, apud quem est ecclesiastica jurisdictio. Quare etiam Filliucci tr. 16 n. 284 sqq. eos censura ligari docet, qui mandatum ediderint, quamquam nondum sit exsecutioni datum. Igitur censurae subjacent: a) *recurrentes,* postquam a foro saeculari mandatum contra Superiorem ecclesiasticum impetraverunt idque illi Superiori intimatum aut contra illum publicatum est, b) *edentes* eodem modo, postquam mandatum intimatione etc. contra ecclesiasticum Superiorem perfectum est.

Ut *objectum* ecclesiasticae *jurisdictionis* illustrem, incurrunt hanc excommunicationem e. g.: qui impediunt exsecutionem decretorum R. Pontificum; qui impediunt Episcopos, quominus dioecesim administrent, quominus scholas suas visitent, parochos etc. instituant etc. etc.; qui impediunt praelatos in sua administratione, ne populos suos sacramentis instructionibusque pascendos curare possint; qui vetant eos, qui delegatam solam facultatem habent, ne confessiones excipiant, saltem quando eas excipere statuerunt idque, ut sibi liceat, postulant —; qui parochos sacerdotesque denuntiant apud civilem judicem, quo a suis jurisdictionis exercitiis impediantur, imo, etsi non ea intentione agunt, ut vir ecclesiasticus interdicatur officio

suo, si modo sciunt, hanc injustam poenam illis impositum iri, atque decretum editum fuerit.

II. De actionibus *secundariis* seu de cooperatione speciale aliquid notare, vix necessarium est, quum satis sit attendere ea, quae n. 926 notavi.

§ 7.

930 „Cogentes sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae." (Cf. Bulla *„Coenae"* § 15: nunc contracta, et nonnihil mutata est.)

Paragraphus illa duas partes habet.

I. *Prima* parte ii puniuntur, qui judices laicos cogunt, ut ad suum tribunal ecclesiasticas personas trahant. Sed ut limites hujus censurae intelligantur, plura notanda occurrunt:

1. Personae, ad quas solas haec censura restringitur, habes ex authentica declaratione S. Officii, a Leone XIII. confirmata, d. d. 23. Jan. 1886, ad omnes Ordinarios transmissa, scilicet esse solos *legislatores et alias auctoritates cogentes sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones; reliquos puniendos esse, si expedierit, censuris ferendae sententiae.* (Acta S. Sed. v. XVIII. p. 416.) Ipsos judices non comprehendi, jam declaratum erat a S. Officio d. 15. Junii 1870.

2. *Causam*, quae *excepta sit ab hac censura,* habes, si agitur de clerico citando ut teste aliove titulo: quia in jus trahere intelligitur aliquem trahere *ut reum,* vel *contra quem* agatur.

3. Non incurritur censura, neque censura ferendae sententiae, quando secundum canonicas dispositiones agitur, videlicet:

1) *jure communi* licet virum ecclesiasticum ad tribunal laicale trahere:

a) si clericus traditus est brachio saeculari (post degradationem);

b) si cum licentia Episcopi causa judicialis instruitur in re civili;

c) per viam *reconventionis,* ut ajunt, in causa civili;

2) in recentioribus quibusdam „Concordatis" *jure extraordinario,* ut in concordato Austriaco, concessum est potestati laicae, tractare causas civiles ecclesiasticorum, imo cum certis restrictionibus etiam quasdam causas criminales: quid igitur ejusmodi jure extraordinario liceat, in singulis regionibus videndum est.

4. Quibus accenseri posse aliquibus videtur *consuetudo,* Ecclesia tacente, ut jam supra dixi. Commentator Reatin. adnotat, hanc censuram cessare videri in iis quoque locis et causis, ubi privilegium fori, sinente vel tacente S. Sede, abrogatum fuit. Hoc tamen ita intellige, ut nihilominus aliqua exemptio clericorum quoad substantiam servari debeat: de quo confer, quod in simili causa *asyli* S. Offic. respondit, infra n. 953.

Ubi autem exemptio fori plene viget, illud „praeter canonicas dispositiones" non solum dicitur de causis, in quibus non liceat, sed etiam de modo seu de conditionibus, quibus non servatis non liceat judici laico in clericum jus dicere.

931 II. *Secunda* parte comprehenduntur „edentes leges vel decreta contra libertatem Ecclesiae".

Ad quae observa: 1. *Decreta,* quae a legibus distinguuntur, intellige non quaelibet inferioris tribunalis *mandata particularia* — quae potius *sententiae* sunt aut sententiis aequiparantur — sed ea tantum, quae aliquo modo *generalia* sunt, et quodammodo legis rationem participant, ut „Cabinetsordre", „Ministerialerlass", vel ordinationes, quae ab aliis magistratibus stabili modo pro communitate (a praefecto urbis, a municipiis) feruntur. Consentit Comment. Reatinus.

2. Quum in legibus ferendis multi saepe concurrant: ii omnes huic censurae subjacent, qui pro varia regni constitutione potestatem legislativam participant, seu omnes illae personae singulares aut morales (comitia), quae *concurrere* debent, ut lex aliqua vim legis obtineat. Quando vero de persona morali, ut de comitiis, agitur, omnes illi excommunicationem incurrunt, qui suffragio suo legi propositae assentiuntur, etsi post completum necessarium numerum suffragantium votum suum dederunt, nisi forte efficaciter retractaverint ante legis confirmationem. — Censura incurritur tum demum, quando lex *formaliter* evasit lex.

3. Quum nihil dicatur de cooperatoribus, in excommunicationem non incidit, qui tantum proponit legem, vel suadet, neque praecones, qui evulgant, neque qui lege data utitur, secundum eam sententias fert. Aliqui horum nihilominus in censuram praecedentium §§ incidere facile possunt.

§ 8.

„Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas literas 932
vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejus Legatis aut Delegatis quibuscunque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes." (Cfr. Bulla *„Coenae"* § 13, quae quoad rem idem statuit.)

Breviter explicanda est I. materia, circa quam, et II. actiones peccaminosae, quae circa illam materiam sub excommunicatione prohibentur.

Ad I. De materia, circa quam, haec notanda sunt:

1. Si eam conferimus cum § 6, partim extenditur latius, partim restringitur. Extenditur latius, quatenus de literis et actis *quibuslibet* sermo est, sive aliqua vera jurisdictio exercetur, sive non ita. Restringitur, quia a) tantum agitur de iis, quae proficiscuntur a S. Sede, ejusve Delegatis aut Legatis, non de aliis jurisdictionem ecclesiasticam exercentibus; b) agitur de iis, quae jam acta seu profecta sunt, in § 6 vero sive de *actis,* sive de *agendis.* — Intelliguntur vero Acta sive a S. Pontifice immediate sive mediantibus S. Congregationibus profecta, sicut S. Offic. comprobante S. Pontifice d. 13. Januar. 1892 ad II. declaravit.

2. Promulgatio, de cujus impedimento sermo est, intelligitur de *essentiali* promulgatione, quae legem in ratione legis complet, modo advertas, supremum legislatorem posse promulgationem alias non consuetam eligere, si velit, e. g. promulgationem per ephemerides etc.: quae, nisi a legislatore pro essentiali sit electa, erit divulgatio, non proprie promulgatio. — Verum si de literis seu actis agitur, quae privatum hominem respiciunt, sufficit, ut impediatur communicatio rerum cum eo, ad quem diriguntur, quia et a) haec est illarum rerum promulgatio debita, b) hac communicatione impedita (quod fit v. g. literis interceptis) impeditur exsecutio literarum seu actorum.

933 Ad II. Tria genera delinquentium praecipua distinguuntur: 1. Recurrentes ad laicam potestatem etc., 2. prohibentes promulgationem seu exsecutionem, 3. laedentes vel perterrefacientes eos, quorum causa agitur.

Palmaris quaestio solvenda ea est, utrum requiratur ad incurrendam excommunicationem „impedimentum efficax", ut quilibet horum delinquentium censura ligatus sit, an sufficiat fecisse recursum, prohibitionem, laesionem. Prius putat Commentator Reatin., alterum defendunt editores libellorum *„Acta S. Sedis"* cum antiquis commentatoribus Bullae *„Coenae"* quam plurimis. Cui posteriori explicationi accedendum esse puto: nam priorem benigniorem ipsa Constitutionis verba mihi nullatenus permittere videntur, neque hîc illi adstipulatur, ut in § 6, benignior expressio antiquae Bullae *„Coenae"*. Grammaticalis enim sensus saltem postulat, ut *„laedentes etc."* dicamus eo ipso excommunicari, quod laeserint vel perterrefecerint. Verum neque aliter haec § loquitur de prioribus ordinibus, qui omnes coordinate seu eadem serie codemque sensu referuntur, ita ut etiam *prohibentes* promulgationem vel exsecutionem dicere debeamus subjacere censurae eo ipso, quod edicto prohibuerint, etsi forte promulgatio, edicto isto non obstante, facta postea fuerit; et *recursum habentes* censeri debent excommunicati tum, quando recursum ad eos habuerint, qui civili potestate praediti sunt atque hac potestate *publica* uti valent ad acta S. Sedis etc. impedienda.

Quapropter 1) recursus sufficit, etsi recurrens passus sit repulsam.

2) Prohibentes sive directe sive indirecte. Directa prohibitio formali edicto fieri solet; indirecta saepe *factis* committitur. In qua prohibitione reali seu factis commissa videtur utique communiter impedimentum *efficax* requiri, eo quod aliter vera prohibitio colligi vix potest.

3) Laedentes vel perterrefacientes. Intelligitur de minis gravibus, quae rationabiliter hominem graviter permovere possunt. — Quid intelligatur per vocem *„ipsas partes"*, ex se patet; quod autem additur *„vel alios"*, intellige eos, qui quomodolibet cum *„partibus"* conjuncti sunt, aut cum rescripto Apostolico in aliqua sunt relatione vel esse putantur.

Quum non solum *„laedentes"*, sed etiam *„perterrefacientes"* nominentur, sine ullo dubio non solum exsecutor, sed etiam *mandans* comprehenditur, qui verissime, etsi non laedat, tamen *terret*.

§ 9.

934 „Omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per R. Pontificem vel S. E. R. Vice-Cancellarios, seu Gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem R. Pontificis signatarum: necnon falso publicantes literas Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine R. Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum." (Cfr. Bulla *„Coenae"* § 6.)

Discrepat tenor hujus § ab antiquioribus recensionibus Bullae *„Coenae"* 1) quod additum est, „necnon falso publicantes literas Apostolicas etiam in

forma Brevis"; 2) quod omissum est „falso fabricantes" (de quo vide infra): sed recensio Benedicti XIV. anno 1741 ad verbum eadem est atque praesens paragraphus.

Igitur continentur: 1. Falsificantes literas nomine seu mandato Romani Pontificis scriptas et subscriptas, i. e. quae a Dataria proficiscuntur, sive a Praefectura Brevium sive a Cancellaria — non vero literas, quae a Legatis vel Nuntiis emanant, aut ab aliis Tribunalibus Romanis, v. g. a S. Poenitentiaria, vel a S. Congregationibus tantum. *Falsificat* is, qui aliquid *mutat, addit, demit,* quo sensus mutetur.

2. Falsificantes supplicationes, postquam subscriptae vel signatae jam sunt a R. Pontifice vel ejus vices Gerente.

3. Ejusmodi supplicationes falso subsignantes, ac si sint subsignatae a R. Pontifice vel ejus vice[1].

4. Falso publicantes literas Apostolicas, sc. 1) *falsas* literas publicantes, 2) veras quidem, sed clam, sine jussu, contra voluntatem Pontificis publicantes, ac si fiat mandato Pontificis. Publicationem sume pro subjecta materia aut formalem promulgationem, vel etiam eam evulgationem, qua literae publici juris fiant, si literae agant de re communitatem spectante, aut communicationem privatam cum iis, quos res respicit, si ad eos literae diriguntur. — Non autem videtur ille dici posse falso publicare, qui literas ex objecto suo publicas cum paucis communicat, neque qui literas falsas ab alio publicatas historice refert ut ab alio publicatas, neque qui dubias literas ut dubias communicat.

Etsi *huic* censurae 1) non constat eos ex se subjacere qui falsas literas Apostolicas *fabricant* [siquidem a) sermo est de literis *a Romano Pontifice signatis,* ergo de *veris,* b) incisum „falso fabricantes" est omissum]; 2) neque subjaceant *cooperantes vel mandantes:* tamen de his omnibus vide infra cap. 3 § 3[2].

§ 10.

„Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis 935
articulo, si alius sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem."

I. Ad materiam hujus censurae declarandam exponi debet, quid sit illud *peccatum turpe,* quid *complex,* quid *absolvere.*

1. Peccatum turpe intelligitur quodlibet peccatum grave contra sextum praeceptum, non solum consummatum, sed etiam imperfecta peccata, ut tactus, aspectus, sermones. — Ultimum aliqui in dubium vocare

---

[1] Ad 2. et 3. enim observa, concessionem a S. Pontifice factam tum quidem communiter esse *perfectam,* quando literae nomine Pontificis *datae* fuerint; at consensum a S. Pontifice prius dari per nominis sui subscriptionem sub ipsis literis supplicibus, quae dein mittuntur ad Cancellariam, ut ipsum Breve expediatur. Falsificatio hujus § igitur adest, sive a) fit in ipso Brevi, sive b) in literis supplicibus, postquam a R. Pontifice subsignatae sunt, sive c) hae literae supplices falso signantur, ac si signatae sint a S. Pontifice.

[2] Consentit, etsi non plane in modo explicandi, tamen fere in re, Ballerini in explicatione hujus §, quum dicat: „excipe (falsificationem), quae admittitur *confingendo* literas Apostolicas, *ante quarum publicationem* censura ista non incurritur".

tentaverunt (v. Gury-Baller. II. n. 585, Comment. Reatin.) nixi verbis Bened. XIV. in lib. *de synod. dioec.* l. 7 c. 14 n. 4, ubi loquens de summa indecentia excipiendi confessionem „personae complicis, cum qua confessarius *impudicitiae scelus* commiserit", dicit, se propterea statuisse, ne ullus confessarius confessionem sacramentalem personae complicis *in peccato turpi contra sextum decalogi praeceptum* commisso excipere audeat. Verum haec descriptio, si colloquium graviter turpe excludit, cur non excludat pari jure tactum turpem et similia, quae nemo unquam excludere ausus sit? Quare puto prorsus cum S. Alph. aliisque, haec omnia etiam hac lege comprehendi: quod idem respondit S. Officium d. 28. Maji 1873. — Id unum quidem noto, in solis verbis vel sermonibus dubium, num fuerit peccatum ex utraque parte mortale, facilius concipi posse, ac propter tale dubium causam complicitatis, de qua lex loquatur, facilius abesse.

Nam 2. complex ut adsit: 1) requiritur, ut adfuerit ex utraque parte peccatum *grave,* idque *externe prodierit:* quare si alteruter aut nullo modo peccavit, aut solo interno actu graviter peccavit, non habetur peccatum complicis, quod sub excommunicatione S. Pontifex vetat absolvi.

2) Requiritur absolutio complicis *formaliter,* i. e. non solum ut sacerdos noverit, se absolvere personam, quacum peccavit, sed probabiliter etiam, ut confessarius et poenitens *invicem se ut complices noverint* idque *aut* tempore peccati, *aut* tempore subsequenti; alioquin haec persona a sacerdote non *ut* complex absolvitur. Quare non adest formaliter complicis absolutio, quando peccantium alteruter alteri ignotus est et mansit; etiam ille, qui v. g. incognitus, mutata veste, larvatus peccasset, non videtur sub poena excommunicationis abstinere debere ab absolvenda poenitente, quam postea in confessione cognoverit esse suam complicem, sed illius sacrilegii ignaram. (Ita illustr. Episc. Nolanus in Commentatione Bullae *„Apost. Sedis"* contra Gury *casus* II. n. 617 sqq.) Si vero antea se invicem noverint, non requiritur, ut in ipso sacro tribunali *invicem* se recognoscant, sed omnino sufficit, ut *confessarius* animadvertat poenitentem esse complicem suum.

3) Non videtur requiri, ut peccatum commissum fuerit post sacerdotium susceptum. Id enim communi opinione scriptores concludunt ex verbis Bened. XIV. in Constitutione *„Sacramentum Poenitentiae"*, et ex fine legis. Et revera si verba sumuntur, ut sonant, distinctio inter peccata post sacerdotium et ante sacerdotium commissa fieri posse non videtur.[1]

4) Neque requiritur, ut persona complex muliebris sexûs sit: includitur quodlibet peccatum contra castitatem.

936 3. Absolventes. Quamquam sola confessionis exceptio in ordine ad absolutionem grave peccatum est, excommunicatio non incurritur, nisi absolutio accedit, eaque ipsius illius peccati turpis.

Quare 1) non sufficit ad incurrendam excommunicationem a) excepisse confessionem, neque b) absolvere (etsi sacrilege) complicem plane tacentem illud peccatum turpe, neque c) si qui sacerdos absolvit, quem homines aliunde sciant nullam habere jurisdictionem; debet enim saltem *externa species* verae absolutionis adesse.

---

[1] Consonat resp. S. Poenitentiariae d. d. 22. Jan. 1879: „Confessarium non posse absolvere complicem, cum quo ante sacerdotium in puerili aetate turpiter egit, nisi moraliter certus sit, ipsum jam ab alio confessario directe et valide a peccato complicitatis absolutum fuisse." Ex libell. period. *Linzer Quartalschr.* anni 1891 pag. 227.

2) Sufficitne ad incurrendam censuram, fingere absolutionem? S. Alphonso (l. 6 n. 556) suo tempore, etiam contra responsum S. Poenitentiariae, probabile videri poterat, *a fingente absolutionem* censuram non incurri. Verum non tantum S. Poenitentiaria denuo, sed etiam S. Officium, approbante Leone XIII., contrarium statuit[1].

Imo d. 19. Febr. 1896 S. Poenitentiaria, *approbante Leone XIII.*, hanc fictionem latius explicans, declaravit, „*excommunicationem non effugere confessarios absolventes vel fingentes absolvere eum complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id confessarius poenitentem induxit, sive directe, sive indirecte*“[2].

3) Requirituine ausus temerarius, ita ut ignorantia etiam crassa excuset? De hoc habes decisionem S. Off. a S. Pontifice approbatam d. d. 13. Jan. 1892 ad III: „absolventes complicem in re turpi *cum ignorantia crassa et supina* hanc excommunicationem *incurrere*“. — In casu vero, qui mox n. 938 tractatur, ignorantia etiam crassa, si modo non sit affectata, excusare videtur.

II. Excusatio a censura aderit: 937

1. In articulo mortis, quando citra grave periculum diffamationis etc. alius sacerdos advocari nequit. Si vero alius etiamtum advocari potest, aut eum advocandi dilatio ex industria facta est (v. infra): absolutio quidem *etiam directa hujus peccati* valida est, sed absolvens excommunicationem non effugit. — Ita tum ex ipsis verbis Bullae „*Apost. Sedis*“, tum ex Ben. XIV. „*Sacram. poenitentiae*“.

---

[1] S. Officium fer. IV. 5. Dec. 1883 ad quaesitum Ep[i] Petrocorensis: „an permittere possit, ut in suo seminario doceatur illa sententia S. Poenitentiariae responso contraria“, respondit: „*Negative*“. (*Fol. period. pastoral. Monast.* 1885 pag. 85.) — Et revera puto, ipsum hunc solum esse posse legitimum ipsarum Constitutionum Pont. sensum. Sacerdos enim complex, utut absolvere tentat et verba absolutionis profert, nonnisi ficte, utpote jurisdictione privatus, absolvere potest. Quare excommunicationem incurret, sive absolutionis formam pronuntiet, sive pronuntiare simulet vel dissimulet, si modo *poenitentem* in errorem inducat acceptae absolutionis. Cf. Baller.-Palm. de Poenit. n. 656.

[2] *Directe* inducere, approbante S. Poenit., est positive et explicite praemonere de tacendo illo peccato, quia v. g. illud jam novit et declaratio esset inutilis; *indirecte*, poenitenti suadere, actionem istam turpem non fuisse peccatum vel non peccatum grave. Porro id certum est, valide absolvi non posse a sacerdote complice (excepto articulo mortis, de quo mox infra) illud, cujus complex est, peccatum in re turpi; atque in ordine ad hoc solum peccatum intelligi privationem jurisdictionis, S. Poenitent. d. 16. Maji 1877 declaravit. Quare si bona fide in confessione apud sacerdotem complicem illud peccatum clavium potestati non subjicitur, satis certum est, confessarium jurisdictionem in alia sui complicis peccata retinere eaque directe posse absolvere, ac proin poenitentem ab *omnis* culpae reatu indirecte liberari, manente obligatione directae absolutionis istius peccati turpis apud alium confessarium quaerendae. Idem obtinere, etsi sacerdos complex mala fide a peccato, cujus complex est, absolvere tentet, si modo poenitens complex bona fide sit, sunt qui S[ae] Poenit. responsum ita accipiant, neque improbabiliter; alii tamen tenent, sacerdotem complicem, quando istud peccatum prima vice potestati clavium pro absolutione subjicitur, „in hujusmodi peccati et poenitentis genere jurisdictione carere“ (Bened. XIV. in Const. „*Sacram. poenit.*“) hoc sensu, ut nullatenus poenitentem absolvere valeat.

Igitur per se sacerdoti complici praeferendus est sacerdos simplex non approbatus (si modo non oriatur diffamatio); verum sacerdos publice suspensus, excommunicatus praeferendus non est, tum quia in se magna indecentia est talem vocare, tum quia ratio infamiae tali modo vix vitatur.

2. Auctores communiter dicunt, in articulo mortis etiam admittendam esse illam exceptionem, quando persona complex ex gravi ratione putatur sacrilege confessura esse apud alterum sacerdotem.

3. Ex paritate rationis excipiunt Ballerini et Commentator in „Actis S. Sedis“ absolutionem ejus personae complicis, quae careat omnino altero confessario atque, nisi absolvatur, diu omnino, idque fortasse cum scandalo aliorum a Communione etiam Paschali abstinere debeat: uti accidere possit in regionibus dissitis, quo vix unquam alius sacerdos accedat.

4. Idque ad alios etiam extraordinarios casus in commentariis Act. S. Sedis extenditur, si diu desit confessarius, cui persona complex sine *evidenti sacrilegii* periculo confiteatur, et simul ex diuturna abstinentia a sacramentis evidens infamiae periculum seu suspicio sequatur.

Sed excepto periculo mortis aut impedimento quasi-perpetuo ad alterum sacerdotem accedendi, onus manet peccatum illud complicitatis saltem postea alii sacerdoti declarandi, siquidem peccatum complicis relate ad confessarium complicem semper pro peccato *reservato* haberi debet, in quod per se non habeat facultatem.

938 Haec vero pro causa declinandi censuram haberi nequit, si sacerdos post *auditam* confessionem commissi criminis dolorem concipiat et dein *ad causam,* quam incepit, *complendam* absolvat. Nam vere sic causam complere non licet, nisi nunc periculum mortis urgeat, neque amplius suppetat facultas vocandi alterum sacerdotem: quodsi vere ejusmodi necessitatis conditio adest, etsi *antea* necessitas anteverti potuit, confessarius, quem re vera causae inceptae poenitet, sine novo peccato, atque etiam sine censura videtur posse absolvere. Aliter enim sacerdos nunc constituitur in necessitate alterutrum committendi, nimirum aut cum gravissimo crimine contra caritatem proximi personam moribundam relinquendi sine absolutione, aut praecepto gravi caritatis satisfaciendo sese excommunicationis poena constringendi. Si autem etiamnunc sacerdos complex congrua media adhibere potest, ut alter sacerdos vocetur, id prorsus facere tenetur; imo puto infamiae periculum, quod antea, quum posset, ex industria non avertit, gravius omnino debere esse, quam alias, ut nimirum etiamnunc propter illud ab altero sacerdote vocando excusari valeat; ipse enim volens hoc onus sibi imposuit. — Postquam haec scripseram, inveni etiam Van der Velden *Praxis administrandi sacramentum poenitentiae* (Trudonopoli 1858) P. I. cap. 1 idem docere, sc.: „non incurrit excommunicationem, etsi antea peccaverit, quum faciat opus praeceptum“.

Ceterum adverte verba Ben. XIV. in Constit. *„Apostolici muneris“*; quibus declarat Constitutionem *„Sacramentum poenitentiae“*:

„Sciat autem complex ejusmodi sacerdos, et serio animadvertat, fore se reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus dictam Nostram Constitutionem inobedientiae, latisque in ea poenis obnoxium, si praedictae infamiae, aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt: imo intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere vel removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis sacerdoti locus pateat illius confessionis absque ullius infamia vel scandalo audiendae. Ita enim ipsum teneri vigore memoratae Nostrae Constitutionis declaramus, et nunc quoque ita ipsi fa-

ciendum esse districte mandamus et praecipimus. Quid si idem sacerdos aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut ubi infamiae vel scandali periculum timetur, si alterius sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personae in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut praefertur, constitutae sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut praemittitur, necessaria causa cogente, praesumpserit: quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit (non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat), nihilominus sacerdos ipse violatae ausu ejusmodi temerario legis poenas nequaquam effugiet, ac propterea latam in dicta Constitutione majorem excommunicationem, eodem plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis et huic S. Sedi reservatam incurret, prout illum eo ipso incurrere declaramus, volumus, atque statuimus."

§ 11.

„Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus 939
ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum, aut beneficiorum pertinentes." (Cfr. Bulla *„Coenae"* § 17.)

Conferenda est cum hac § sequens § et sequentis cap. § 19.

I. Materia, circa quam haec censura versatur, seu objecta, quae per hanc poenam S. Pontifex protegere vult, sunt jura et bona, quae ad *personas ecclesiasticas* pertinent, non quocunque modo, sed ratione suarum *ecclesiarum* aut *beneficiorum*, seu bona, quae ad virum ecclesiasticum pertinent a) ratione beneficii ecclesiastici, b) alio modo, quatenus est huic vel illi ecclesiae praepositus — hinc quae pertinent ad Episcopum, quatenus est hujus sedis Episcopus, ad parochum, quatenus hujus particularis ecclesiae rector est etc.

Ergo non comprehenduntur: 1. bona et reditus aliorum locorum piorum; 2. bona monasteriorum, nisi ratione ecclesiae, cui Superior regularis sive alius religiosus praeficiatur — id eo magis suadetur, quia omissum est verbum „monasterium", quod antea in Bulla *„Coenae"* addebatur —; 3. bona, quae viri ecclesiastici alio titulo possident; 4. reditus beneficii, quos aliquis a beneficiato conduxit, quia is, qui jure percipiendi pollet, eo non utitur ratione *sui* beneficii: si jus beneficiati intactum relinquitur.

II. Delicta circa ejusmodi objecta sunt (cf. Acta S. Sedis app. X., resp. S. Inquisitionis 9. Martii 1870):

1. usurpare, i. e. ab altero occupare tamquam propria, et quasi ex auctoritate et jure: hinc non incurrunt *hanc* censuram: 1) fures, latrones etc. (cf. Castropal. d. 3 punct. 20 n. 4, Comment. Reatin.); 2) ii, qui ab usurpatore titulo ex se legitimo accipiunt;

2. sequestrare, i. e. absque legitima facultate apud se vel alium bona deponere, impedire liberum usum iis, ad quos jure usus rei pertinet.

NB. Multi vero ex iis, quos hîc exemi, aliique incidunt in excommunicationem Rom. Pontifici ordinario modo reservatam ex Concilio Trid.: de qua infra n. 967. Cf. etiam § 3 supra n. 925.

§ 12.

„Invadentes, destruentes, detinentes per se vel alios civi- 940
tates, terras, loca ac jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in

eis; necnon ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes." (Cfr. Bulla „*Coenae*" § 20.)

Si conferas hanc censuram cum praecedente, observes, materiam, circa quam protegendam haec censura occupetur, multo arctioribus limitibus esse circumscriptam; actionum vero peccaminosarum genus, quae excommunicationi subjacent, longe latius patere. — Fertur haec censura ad defensionem temporalis dominii S. Sedis. (Bulla „*Coenae*" § ult.)

I. Materia, circa quam versatur, sunt:

1. jura ac possessiones Romanae Ecclesiae, eaque singula;

2. suprema jurisdictio in iis locis, quae temporali dominio Apostolicae Sedis subjacent.

II. Delicta excommunicationi subjecta sunt:

1. Circa bona ac jura Romanae Ecclesiae:

1) invadere (i. e. cum impetu tamquam hostem aggredi);

2) destruere (hostilis devastatio). Attamen notari potest, videri consulto omissam jam dudum esse vocem „*hostiliter*" (invadere etc.), quae in prioribus recensionibus Bullae „*Coenae*" adhibebatur, quo significetur, sufficere, ut aliquis vi adhibita loca aggrediatur, etsi forte sub praetextu praecavendae seditionis aliisve similibus praetextibus; non requiri, ut formaliter bellum moveatur contra loca Romano Pontifici subjecta;

3) detinere (sive ipse usurpaveris, sive ab aliis usurpata acceperis): additur „per se vel per alios", quo clarius et exsequentes et mandantes censurâ feriri declaretur.

Notat Suarez disp. 21 sect. 2 n. 105 — id quod in se verum est, practice vix obtinebit —, si quis bona fide et ex judicio probabili doctorum hominum illa committeret, eum non incurrere censuram; quod intellige *in bello justo atque etiam hoc cum justa restrictione;* nam ipse Suarez ne theoretice quidem id concedit „nisi ad defensionem, non ad offensionem seu ad bellum offensivum movendum". Cf. *Defensio fidei contra regem Angliae* l. 4 cap. 16 in fine n. 18.

2. Circa supremam jurisdictionem:

1) usurpare, seu injuste sibi assumere;

2) perturbare, i. e. ea agere sive circa ipsum R. Pontificem, sive circa ejus ministros, quibus pacificum exercitium supremae jurisdictionis impeditur;

3) retinere: ergo etiam post usurpationem ab altero factam *usurpatori succedere.*

3. Circa utrumque: quaelibet *cooperatio.*

Quoad cooperantes difficultas practice gravis est, determinare, num et quando ii, qui officia publica ab usurpatore accipiant vel sub eo exerceant, dici debeant auxilium sive favorem praestare in injusta detentione. Ad quae notari possunt haec: 1) officia, quae mere ad utilitates et necessitates civium spectant, assumi et exerceri possunt; 2) quae vero ad tuendum ipsum regimen spectant, tantummodo cum magna restrictione tolerari possunt. Respondit S. Poenitentiaria 10. Oct. 1860 ad 11: „tolerari posse, dummodo non agatur de officiis, quae directe et proxime influunt in spolium, vel in ejusdem spolii manutentionem, et (modo) exerceri possint absque laesione legum divinarum et ecclesiasticarum. — Quare

3) si quod juramentum fidelitatis praestandum exigitur, id facere non licet, nisi cum restrictione *externe manifestata* „salvis juribus divinis et ecclesiasticis“ [1].

§ 13. — Appendix.

Ad hasce excommunicationes per Bullam *„Apostolicae Sedis“* latas 941
alia addenda est ex Constit. Pii IX. *„Romanus Pontifex“* 28. Aug. 1873.

„Si Dignitates, Canonici cathedrales . . . concedere et transferre in nominatum et praesentatum ad eandem ecclesiam, ejus curam, regimen et administrationem (scil. *ante literas Apostolicas exhibitas*) . . . ausi fuerint praeter nullitatem . . . praedictae concessionis et translationis praefatos Canonicos ac Dignitates *excommunicationis majoris*, necnon privationis fructuum ecclesiasticorum beneficiorum quorumcunque, aliorumque redituum ecclesiasticorum per eos respective obtentorum, similiter eo ipso incurrendis poenis innodamus, et nodatos fore decernimus et declaramus; ipsarumque poenarum absolutionem seu relaxationem Nobis et Romano Pontifici pro tempore exsistenti dumtaxat *specialiter reservamus.*

„In easdem poenas *pariter reservatas* ipso facto incurrunt nominati et praesentati ad vacantes ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a Dignitatibus et Canonicis aliisque, de quibus supra, in eos peracta, necnon ii, qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem praestiterint, cujusque statûs, conditionis et praeeminentiae et dignitatis fuerint.

„Si vero aliqui ex praedictis Episcopali charactere sunt insigniti, in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium et interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto absque ulla declaratione incidunt, S. Sedi *pariter* reservatam.“

I. Crimen igitur, de quo sermo, est citius aliquem ad regimen dioecesis admittere. Dein etiam esset illud: eum in Vicarium capitularem, Episcopali sede vacante, eligere, aut in locum prioris Vicarii capitularis eum sufficere, qui et postquam ad eandem sedem vacantem electus aut praesentatus fuerit; non autem eundem in munere Vicarii capitularis, ad quod antea electus fuerit, relinquere. Ratio legis est impedire, quominus ille in administrationem Episcopatûs intrudi possit, quem S. Sedes fortasse nolit confirmare.

II. Personae, quae excommunicantur:

1. Dignitates et Canonici, qui talem instituere conantur;
2. ille, qui ejusmodi munus sibi oblatum suscipit;
3. omnes, qui auxilium, consilium, favorem praestant.

Verum *excommunicationem* incurrunt illi tantum et eorum quilibet, qui Episcopali charactere insigniti non sunt, quamquam fortasse reges sunt vel

[1] In Bulla *„Coenae“* addebatur „adhaerentes et defensores“. Quoniam id nunc omittitur, dici debet, tum demum adhaerentes et defensores hanc excommunicationem incurrere, quando ista sua actione efficaciter favorem, auxilium, consilium praebuerint.

cardinales. — Eximuntur *Episcopi:* hi videlicet leviore poena puniuntur *suspensionis* et *interdicti.* Eo ipso enim, quod *illa* poena contra eos fertur, concludendum est, eos ab excommunicatione eximi. Nam si hoc non fieret, inutiliter suspensio et interdictum statueretur, utpote quorum effectus omnes in excommunicatione abunde contineantur.

Caput II. seu Series II.

Excommunicationes ordinario modo R. Pontifici reservatae latae sunt contra:

§ 1.

942 „Docentes et defendentes sive publice sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV. in Const. *‚Suprema'* 7. Julii 1745; *‚Ubi primum'* 2. Julii 1746; *‚Ad eradicandum'* 28. Sept. 1746."

Igitur incurrunt excommunicationem:

I. Docentes vel defendentes theses, quas Apostol. Sedes sub poena excommunicationis latae sententiae damnavit. Ad quae nota:

1. Non solum sermo est de thesibus damnatis ut haereticis [1], sed etiam de aliis. Constitutiones ergo omnes priorum Romanorum Pontificum, quae de tali thesium damnatione agunt, etiam quoad poenam excommunicationis vim suam retinent.

2. Per se non requiritur *internus consensus* damnatae thesi praestitus, ut excommunicatio incurratur; nam ipsa *docendi* vel *defendendi* actio (utique seria) sufficit, etsi fiat contra mentem vel persuasionem docentis. Neque vero sufficit interno assensu solo peccasse.

Cf. cum hac censura similes infra cap. IV. § 11.

3. Theses sic damnatas juvat hîc summatim indicare. Sunt vero:

1) Articuli 45 Joannis Wicleff et 30 articuli Joannis Hus damnati a Martino V. Constitutione *„In eminentis Apost."* 13. Febr. 1420.
2) Errores 41 Martini Luther a Leone X. damnati per Bullam *„Exsurge"* 16. Maji 1520.
3) Theses Bajanae 79 a S. Pio V., Gregor. XIII. et Urbano VIII. damnatae 1. Oct. 1567, 29. Jan. 1579, 6. Mart. 1641.
4) Thesis de confess. epistolari a Clem. VIII. proscripta 20. Jun. 1602.
5) Propositiones 45 ab Alexandro VII. 24. Sept. 1665 et 18. Mart. 1666 damnatae.
6) Propositiones 65 damnatae ab Innoc. XI. 4. Mart. 1679.
7) Propositiones Michaëlis de Molinos ab eodem Innoc. XI. damnatae 20. Nov. 1687.
8) Propositiones duae damnatae ab Alexandro VIII. 24. Aug. 1690.

---

[1] Qui enim haereticam thesim defendunt, incurrunt poenam superius expositam cap. I. § 1.

9) Theses 31 damnatae ab eodem Alex. VIII. per decret. S. Inquis. 7. Dec. 1690.

10) Propositiones 101 Quesnellii damnatae a Clem. XI. „*Unigenitus*“ 8. Sept. 1713.

11) Propositiones 5 a Ben. XIV. proscriptae per Bullam „*Detestabilem*“ 10. Nov. 1752.

12) Propositiones 85 synod. Pistoriensis a Pio VI. „*Auctorem fidei*“ 28. Aug. 1794 condemnatae.

Omisi illas propositiones, quae expresse et singillatim declarantur *haereticae;* qui enim eas docet et defendit, excommunicationem haereticorum eorumque fautorum incurrit.

II. Defendentes praxim inquirendi nomen complicis. Ad quam excom- 943
municationem notandum est:

1. Bened. XIV. in Const. „*Suprema*“ damnavit hanc praxim ut scandalosam, perniciosam, famae proximi et „sacramenti“ injuriosam; in Const. „*Ubi primum*“ fert excommunicationem latae sententiae in docentes licitam esse hanc praxim et eam defendentes; in Const. „*Ad eradicandum*“ decernit et declarat Constitutionem priorem non tantum vim habere in Lusitania, sed ubique eam obligare.

2. Dicitur „prout damnata est“. De quo confer, quae dicta sunt supra in tractando sacramento poenitentiae „de integritate confessionis“ n. 339 sqq. Unde eruitur, posse aliquando contingere, ut confessarius pro munere, quod *praeter confessarii munus* gerat, postulare debeat, ut sibi aut per poenitentem aut per alterum complex declaretur.

§ 2.

„Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in clericos vel 944
utriusque sexûs monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.“

Praenotanda. Habemus hîc, quod dicitur „privilegium Canonis clericorum“. Interpretatio hujus censurae quoad ejus extensionem est contra regulam alias ubique applicandam *latissime* facienda: tum 1) quia continet *privilegium,* tum 2) quia universalis consuetudo et praxis eam semper sic intellexit et interpretata est, et plures textus „Corporis Juris“ vere hunc favorem clericorum sic explicant, praecipue cap. „*Quantae*“ (47) *Decretal.* l. 5 tit. 39, dein l. 5 tit. 11 cap. 23 „*Quum quis*“ in 6.: idque non velut novam legem ferentes, sed veterem ut ex cap. „*Si quis*“ indubie vigentem inculcantes.

Quare etiam quoad hanc censuram standum est pro *antiquo jure,* ad quod ipsa verba Bullae „*Apostolicae Sedis*“ remittunt, sc.:

1) ipsos etiam impuberes[1] huic censurae subjacere, licet facilior sit eorum absolutio;

2) esse istos percussores clericorum, si ita notorii sint, ut nullus sit tergiversationis locus, *vitandos,* antequam nominatim fuerint denuntiati.

[1] Praeter *hanc* excommunicationem exsistit *altera tantum,* quae etiamnunc *impuberes* afficiat (idque ex ipsis verbis Bullae „*Apost. Sedis*“) sc. quae lata est contra violantes clausuram monialium.

I. Personae, quae hoc articulo *proteguntur*, sunt:

1. Clerici quicunque, etsi solam tonsuram receperunt — nisi ob canonicam causam privilegio *canonis* privati sunt[1] — qui alicujus ecclesiae servitio adscripti sunt, vel etiam pueri et seminaristae, qui in seminariis more ecclesiastico vivunt;

2. omnes regulares et moniales, sive stricte dicti, sive late sumpti, quatenus ad solam congregationem religiosam pertinent, etiam laici;

3. eorumque novitii;

4. tertiarii gestantes habitum et in communitate viventes;

5. eremitae, qui alicui loco sacro vel Episcopo subjecti et addicti sunt, aut qui sub obedientia et sub certa regula vivunt. — Cf. de iis omnibus S. Alph. l. 7 n. 271.

945 II. Actiones injuriosae, quae excommunicatione puniuntur:

1. Ipsa violenta laesio: intelligitur quaelibet physica laesio violenta et graviter injuriosa, etsi ipsa physica laesio ut talis gravis non fuit, e. g. percutere, conspuere, luto aliisve sordibus conspurcare, crines evellere, vestem lacerare, vestem aliamve rem vi et injuriâ clerico eripere, incarcerare, in custodia detinere, persequi ita ut laedi debeat v. g. decidendo ex equo in foveam, sclopetum in clericum explodere (etsi non feriatur, modo territus concidat), violentas manus injicere in equum cui clericus insidet.

Neque excusatio esse potest ex eo, quod clericus injuriam illam permittat, quum neque semper injuria contra ipsam personam, neque unquam injuria contra statum clericalem propterea cesset. — Similiter neque ille ab excommunicatione excusatur, qui laedit clericum poenâ dignum, si, qui laedit, puniendi jus in eum non habet.

2. Extenditur excommunicatio etiam contra efficaciter cooperantes, ut: *mandantes, consulentes, consentientes.*

3. Imo ad ratihabentes (v. § 5 cap. I) extenditur, et ad non-impedientes qui ex officio seu ex justitia impedire debebant. S. Alph. n. 269.

NB. Quamquam Comm. Reatin., Nolan., editores Act. S. Sedis, Ballerini putant, mandantes aliosque cooperantes non amplius in excommunicatione includi: nihilominus huic interpretationi obstare videtur regula, quam de hoc „canonis privilegio" antiquum jus tradidit. Privilegium enim — pro eo autem haec contra percussores clericorum lata excommunicatio constanter habebatur et habetur — latae interpretationis est, si toti hominum communitati datur, atque ita late intelligitur, ut ne incommodum quidem et gravamen, quod aliis propterea oriatur, attendi debeat. Quare quum canonem *„Si quis"* (qui Constitutione Pii IX. renovatur) — ut dicitur cap. *„Quum quis"* supra allato — *catholica auctoritas* ita interpretata sit, ut condemnaret etiam cooperantes: non est, cur ab ea interpretatione recedamus, nisi manifesta ratio aut auctoritas cogit. Idem sentiunt Avanzini, Comment. Patavinus, editor libellorum *„Nouvelle revue théologique"*.

Verum ex qualicunque hac concertatione id efficitur, ut quomodolibet cooperantes etiam in manifesto crimine, quum tergiversari valeant, *vitandi* amplius non sint.

946 III. Limitatio hujus excommunicationis reduci potest ad haec:

1. Non incurritur censura secundum communem regulam, quoties culpa gravis abfuit: quare etiam illud *„suadente diabolo"* de peccato *mortali* in-

[1] De trina monitione ad id ex jure requisita, ut clericus dimittens habitum etc. privilegium canonis amittat, atque de hujus necessitatis moderatione cf. Bened. XIV. *de syn. dioeces.* lib. 12 c. 2 et declarationem Pii IX. ad Epp. ditionis Pontif. d. d. 20. Sept. 1860 in Act. S. Sedis tom. 3 pag. 433.

telligitur. Hinc censura non aderit, si est jocosa percussio, aliqua ira concomitante; aut si ex subita ira, quae perfecte voluntarium excludat; si est percussio inter pueros clericos, quae raro gravis evadit; si fit ad defensionem, servato moderamine; si praelatus vel pater subditum clericum pro modo culpae etiam accedente irâ punit, nisi manifestus excessus in laedendo subdito committatur.

2. Non incurritur ab eo, qui ignorans clericum violat.

3. Non incurritur ab eo, qui fraudulenter, clam clerico aliquid surripit; secus, si hoc fit violenter.

4. Non incurritur ab eo, qui violentas manus injiciat ob defensionem aut ad propellendum turpe clerici consortium ab innocenti aut cognata persona, si quando forte clericus inveniatur cum ea hîc et nunc turpiter agere: quod magis declarari debet. Nam a) ad defensionem personae cujuslibet innocentis cum moderamine inculpatae tutelae id licet, quod fieri licet ad propriam defensionem; b) verum in aliquo casu censura non incurritur, etsi moderamen non sit servatum neque innocentis defensio locum habuerit, eo quod clericus turpiter egerit cum altera persona non invita: ita cap. „*Si vero*“ *de sent. excomm.* (l. 5 t. 39 c. 3), „qui in clericum cum *uxore, matre, filia, sorore* propria (i. e. non clerici, sed percutientis) turpiter inventum manus injecerit violentas“; cf. etiam Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 9 c. 12 n. 7. Idque verum est, seu censura non incurritur, etsi in clericum adeo graviter peccatum sit, ut *necem* subiret. — „Ceterum si in stupro vel adulterio, quod committit (clericus) cum ea, quae ipsum (percussorem) ita proximâ consanguinitatis lineâ *non* contingit, ceperit aut in eum violentas manus injecerit (videl. non servato moderamine in defensione propria vel aliena servando), non erit a sententia excommunicationis immunis“: ibidem.

IV. De absolutione hujus excommunicationis *jure communi* haec teneto:

1. Episcopus absolvere potest 1) a percussione *levi*[1], etsi publica, 947
quacunque; 2) a percussione etiam enormi, modo sit crimen *occultum;* 3) a percussione etiam enormi et publica, si rei sunt a) impuberes, b) mulieres; 4) a percussione publica non enormi eos, qui in communitate vivunt. S. Alph. l. 7 n. 279.

2. Religiosi rei absolvendi sunt: 1) religiosus, qui percussit clericum saecularem, absolvendus est ab Ordinario ejus, quem percussit, si levis est percussio, alioquin a R. Pontifice; 2) religiosus, qui percussit sodalem alieni ordinis, absolvendus est cum consensu sui praelati a praelato ejus, quem percussit, nisi fuerit percussio enormis, quae reservatur R. Pontifici; 3) religiosus, qui percussit sodalem proprii ordinis, a suo praelato absolvendus est, excepta percussione enormi, quae iterum R. Pontifici reservatur.

3. Breviter: S. Pontifici reservatur absolutio 1) percussionis publicae enormis factae a viro clerico aut religioso in communitate vivente; 2) percussionis publicae etiam simpliciter gravis a viro religioso perpetratae

[1] *Levis* dicitur, quae non relinquit sui vestigium, nisi forte ex circumstantiis, quae injuriam valde aggravant, ut dignitatis personae, temporis locive sacri, scandali etc., evadit gravis vel enormis; *enormis per se* dicitur, quae fit cum membri obtruncatione, copiosa sanguinis effusione (enormis ex adjunctis, quae fit cum circumstantiis *valde* aggravantibus); inter utramque medium tenet percussio simpliciter *gravis.*

in clericum saecularem; 3) percussionis publicae sive enormis sive mediocriter gravis factae ab alio viro per vitam in communitate non impedito.

In reliquis casibus Episcopus aut alius praelatus absolvere potest.

Haec de jure communi: vi privilegiorum non raro amplior facultas sive Episcopis, sive regularibus conceditur. Imo regulares saepe facultate fruuntur absolvendi *suos subditos* etiam a percussione enormi et publica sive alterius religiosi sive saecularis clerici.

§ 3.

948 „Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcunque operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscunque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis."

I. Quoniam de duello agitur, necesse est, ut notio duelli verificetur: de qua v. vol. I. n. 850.

II. Comprehenduntur 1) duellantes, 2) provocantes eo ipso, quod serio provocaverunt, 3) acceptantes facta ipsa acceptatione, 4) complices quilibet sive positivi sive negativi, si modo posteriores ex officio suo impedire teneantur, uti sunt ii, qui permittunt fieri duellum in locis, quorum ipsi sunt domini, dummodo impedire possint, — duello secuto.

949 III. Explicatio seu ratio danda est, cur provocantes et acceptantes quidem dicamus excommunicationem incurrere, etiam duello non secuto, complices alios non item. Nam:

1) quoad provocantes et acceptantes verba Constitutionis Pii IX. clara sunt; nimirum recensentur non solum duellum perpetrantes, sed eodem etiam ordine: ad duellum provocantes, duellum acceptantes; qui actus completi sunt, antequam duellum sequatur. Verum videri potest alicui, si res ita se habet, supervacaneum prorsus esse verbum „duellum perpetrantes", siquidem provocatio vel acceptatio necessario semper praecedere debet. At non ita est, si reliqua incisa seu membra hujus articuli consideramus.

2) Scilicet lucem affert illud „duellum perpetrantes", quo melius perspiciatur, quo sensu vox „complices" sumi debeat. Actio enim principalis „*duellum*" est, ad quam reliquae omnes actiones referuntur; sed ut reliqua membra rite intelligantur, ubique „duellum" supplendum est. Quare habes: duellum perpetrantes, ad duellum provocantes, duellum acceptantes, duelli utcunque complices seu duello qualemcunque favorem praebentes, duellum de industria spectantes, duellum permittentes seu non prohibentes. Quod si consideras, facile patebit, jure haec verba ita sumi posse, ut ii, qui consilio, favore, permissione etc. influxerint in duellum, sive in ejus provocationem, vel acceptationem, tum demum excommunicatione puniantur, quum *duelli* complices evaserint, i. e. duello re ipsa secuto: quod circa spectatores evidens est.

Haec, salvo meliore judicio, cum regulis interpretationis communibus cohaerere arbitror; neque contra ea id objici posse, quod Constitutiones priorum Romanorum Pontificum etiam complices, effectu non secuto, in poena lata comprehensos esse voluerint. Nam quum Pius IX. potius restringere voluerit censuras, mitior sensus, ubicunque probabilis apparet,

sumi non solum potest, sed debet. Haec scripseram, quum vidi editores ephem. „Acta S. Sedis“ quoad substantiam eandem sententiam defendere, nimirum complices, duello tandem secuto, poenae subjacere.

„*De industria spectantes*“ ii sunt, qui ex conventione vel eo modo palam ad locum conflictûs se conferunt, ut quodammodo animum pugnantibus aut splendorem pugnae addant: non vero ii intelliguntur, 1) qui casu transeuntes ex curiositate conspiciunt, vel qui clam ad locum conflictûs accedunt, ut *clam* aspiciant, neque 2) qui se conferunt ad locum conflictûs, ut duellum impediant aut, si plane impedire nequeunt, illud *minus periculosum* reddant[1], nisi tamen *ex condicto* se illuc conferentes animum duellantibus addant. Circa quod adverte, Episcopo Pictav. S. Officium 28. Maji 1884 respondisse, incurri excommunicationem a) a medico, qui rogatus duello assistat etiam cum intentione citius finiendi pugnam vel vulnera curandi; b) item, qui cum eadem intentione in loco propinquo se sistat, si ita agat *ex condicto* cum duellantibus; c) similiter a confessario, qui *ex condicto* in viciniam se receperit. — Aliud plane est, si quis cum dicta intentione, duellantibus ignaris, vicinus latet. Cf. *Archiv f. kath. Kirchenr.* tom. 54 c. 346.

§ 4.

„Nomen dantes sectae massonicae aut carbonariae, aut aliis 950
ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimam potestatem seu palam seu clandestine machinantur, necnon iisdem sectis favorem qualemcunque praestantes, eorumve occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint.“

I. Decr. S. Off. 12. Jan. 1870 secta „Fenianorum“ hac censura comprehenditur. Utrum igitur aliqua societas *hac censura* afficiatur necne, discerne ex *fine,* quem prosequitur, non ex juramento secreti tenendi, quod postulat. Nam sine tali juramento societas potest huic poenae subjacere, et contra cum juramento utut illicito ab ea immunis esse. — Id patet ex instructione S. Officii d. 10. Maji 1884: „Ne quis vero errori locus fiat, quum judicandum erit, quaenam ex his perniciosis sectis *censurae,* quae vero *prohibitioni tantum* obnoxiae sint, certum imprimis est, excommunicatione latae sententiae mulctari massonicam aliasque ejus generis sectas, quae cap. 2 n. 4 Pontificiae Constitutionis ‚*Apostolicae Sedis*‘ designantur, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur, sive id clam sive palam fecerint, sive exegerint, sive non, a suis asseclis secreti servandi juramentum. *Praeter istas* sunt et aliae sectae prohibitae, atque sub gravis culpae reatu vitandae, inter quas praecipue recensendae *illae omnes, quae a sectatoribus secretum nemini pandendum et omnimodam obedientiam occultis ducibus praestandam jurejurando exigunt.*“ Ceterum de quibusdam sectis in America Sept. exortis judicium a S. Sede latum v. ad calcem in fine append. I. *Num. XXIII.*

[1] Inter censuras a Concilio Trid. statutas, ex ipsa Constitutione Pii IX. etiamnunc vigentes, etiam excommunicatio in duellantes (sess. 25 cap. 19 *de ref.*) est. Verum quum haec § 3 latius pateat, Tridentina excommunicatio practice negligi potest. — At Concilium Trid. et R. Pontifices etiam alias poenas contra duellantes statuerunt, quae expresse abrogatae non sunt. Nihilominus, si excipias carentiam sepulturae ecclesiasticae, aliae poenae aut ferendae sententiae sunt, aut sive propter desuetudinem, sive propter subjectam materiam mutatam incurri vix possunt.

Neque dubium esse potest, quin impia secta socialistarum comprehendatur, saltem eorum, qui profitentur, se, si vires adfuerint, non abhorrere ab hodierna societate civili funditus etiam per vim evertenda. Imo, qui socialistarum principiis sunt imbuti, debent plane ut haeretici et apostatae jam pro excommunicatis haberi excommunicatione *speciali modo* reservata.

II. Tria genera delinquentium notantur:

1. „*Nomen dantes.*“ Circa quos nihil aliud addendum est, nisi quoad practicum agendi modum, quando confessarius aliquem poenitentem deprehendit ejusmodi societati nomen dedisse, praecipue si neque legis ecclesiasticae neque pravi societatis finis conscius fuerit. Ante oculos haec habenda sunt: 1) Si poenitens novit se male egisse, aut nunc edocetur, jus ipsum naturae postulat, ut dimittatur occasio peccandi et ut scandalum reparetur. Modus autem satisfaciendi huic obligationi in eo consistit, ut, qui nomen dederat sectae, eidem nunc declaret, se abhinc nolle ad eam pertinere (quod germanice „decken“ dicitur). Imo pro diversis adjunctis aliquando exigitur, ut exhibeatur scriptum praefecti hujus sectae, quo acceptae hujus declarationis authenticum detur testimonium. Sed si re ipsa grave damnum oriturum est, licet, *abrupta omni communicatione atque pecuniae contributione,* nominis expunctionem differre, dum sine gravi damno expungi possit; interea curari debet, ut scandalo aliis modis obvietur: S. Off. 7. Martii 1883. (Acta S. Sedis v. 27 p. 701.) 2) Seclusis scandalo et peccandi occasione, etiam in hac re regula illa valet: Leges, maxime humanas, confessarius edocere non debet, si vere timendum est, ne poenitens ex materiali transgressore formalis evadat. Quamquam practice scandalum occasioque peccandi, quae vix unquam aberunt, istius regulae usum impossibilem fere semper reddunt. (Cf. Schneider *manuale sacerd.* ed. 13. II. p. 267.) 3) Si poenitens legem poenamve ecclesiasticam hucusque ignorans nunc eas edoctus non vult deserere sectam, vel tergiversatur: discernatur oportet, utrum et quando excommunicationem incurrat. Nam si statim, quum primum renuit sectam deserere, excommunicatus est, confessarius facultate absolvendi a Papalibus destitutus eum absolvere nequit, etsi adhortatione tandem ad meliorem frugem reduxerit. Verum puto, eum tum demum excommunicari, quando postea novum actum ponit, quo se probet damnatae sectae asseclam, non jam eo ipso, quod sectam deserere nomenque suum expungere renuit.

951 2. „*Qualemcunque favorem praestantes.*“ Actiones praecipuae, quibus favor praestatur, sunt: recipere, ministrare, locum vel domum praebere, alios aggregare, ingressum consulere etc., protegere, promovere etc. — Antea dicebatur „aut interesse“: quare etiam ille excommunicabatur, qui *ficte* sectariorum conventui intererat (ita S. Poen. 8. Nov. 1821). Nunc vero dici debet, non quemlibet accessum ficto animo et clam factum sive *incognito* sufficere, ut excommunicatio incurratur, maxime si finis accedendi malus in se non sit, sufficere tamen, si quomodocunque ille accessus externam aliquam sectae agnitionem, commendationem, promotionem in se contineat. Peccatum autem committitur qualibet etsi ficta sectae professione per signa, verba etc. Socialistarum etiam coetibus interesse, potest nullum eorum favorem continere, sed ex mente adversarii fieri: quo in casu censura non incurritur; peccatum vero num committatur, pendet maxime ex periculo, quod quis subit labefactandi suam fidem sanamque doctrinam.

952 3. „*Non denuntiantes occultos coryphaeos vel duces.*“ Nimirum adverte:

1) Antea lex aderat denuntiandi quoslibet nomen sectae dantes et cooperantes.

Quae obligatio in locis, ubi haeresis atque proscriptae sectae impune grassabantur, vi sua destituta erat. Attamen denuntiatio *occultorum ducum* ubique etiamnunc per se facienda est. Haec recte comparatur cum obligatione denuntiandi haeresiarchas et haereticos dogmatizantes, quae ubique viget. Verum non videtur exigi eadem judicialis denuntiatio, quae in casu *sollicitationis* exigitur; sed sufficit reos ad Episcopos vel Inquisitores detulisse, etsi per intermediam personam, e. g. confessarium: v. S. Inquis. resp. 15. Junii 1870, Acta S. Sedis vol. 6 p. 433.

2) *Occulti* coryphaei ac duces non desinunt esse ii, quorum nomina in ephemeridibus, praecipue in ephemeridibus massonicis, efferuntur. Nam S. Inquisitio decreto allato rectissime dicit, per hoc palam non fieri, utrum veritatis causa, an ad fallendum illorum nomina evulgentur. Quare ex diversis circumstantiis concludi debet, quandonam coryphaei dici possint publice noti, quando debeant dici occulti.

3) Obligatio denuntiandi *ad omnes* spectat, qui in certam notitiam pervenerunt, nisi forte audierunt ab iis, qui jam ipsi denuntiarunt aut certo denuntiaturi sunt. — Ad incurrendam censuram propter denuntiationem omissam requiritur et cognitio legis et poenae atque gravis neglectus, qui non adest, si brevi tantum differtur. A censura videtur excusari, qui *infra mensem* post cognitam obligationem denuntiat.

4) Post contractam excommunicationem *saltem ejus reservatio* cessat ipso facto denuntiationis, ita ut tunc quilibet confessarius absolvere possit. Ita concluditur ex doctrina Castropal. disp. 1 p. 11 § 2 n. 2, S. Alphonsi l. 7. n. 123; consentit in hac ipsa re Rev. Formisano Episcopus Nol. in commentatione hujus paragraphi (ed. 8, 1877).

Imo quaeri potest, sitne haec ipsa clausula conditio resolutiva (de qua jam supra n. 876), qua impleta, *censura* cesset. Non enim dissimilis videtur haec clausula ab illa „donec satisfecerit“: quam eam vim habere complures docent, ut satisfactione secuta sine absolutione censura auferatur: quamquam iidem scriptores monent, pro foro *externo* ad evitandum scandalum judicis ecclesiastici sententiam requiri, non qua reus absolvatur, sed qua declaretur, ab illo satisfactionem esse praestitam. Ita Thesaurus *de poenis eccles.* p. I. cap. 26 dicit *probabilius* esse cum Coninck, Tanner, Laymann etc. contra Suarez aliosque.

§ 5.

„Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare juben- 953
tes aut violantes.“

1. Requiritur ausus *temerarius,* qui facilius in *„violante“*, quam in *„jubente“* abest. S. Offic. (decr. supra cit.) dicit, „eum tantum excommunicationem incurrere, qui *ab aliis minime coactus,* prudens ac sciens immunitatem asyli ecclesiastici aut violare jubeat, aut exsequendo violet“.

2. Jus asyli ad id refertur, ut rei ad ecclesiam confugientes, ex illa eripi nequeant. Varias modificationes et exceptiones jus Canon. tradit. — Quod autem in multis regionibus hodie non solum ignorantia excuset, sed etiam quia jus asyli propter desuetudinem vix vigeat: C. S. Off. 22. Dec. 1880 noluit absolute agnoscere; nam interrogata: „Hisce in regionibus lex asyli ecclesiastici secundum omnem suam rationem a longissimo tempore in desuetudinem abiit, ita ut vix quisquam sine (nisi?) casu ad petendum ejus patrocinium animum intendat. Nihilominus movetur quaestio, utrum

abrogata contraria consuetudine lex asyli denuo statuta in his quoque regionibus sit saltem quoad substantiam servanda necne.“ — Resp. *„Affirmative.“* Cf. *Archiv für kathol. Kirchenrecht* t. 46 p. 26. Attende tamen, dici tantum, servandam esse legem asyli quoad substantiam.

§ 6.

954 „Violantes clausuram monialium, cujuscunque generis aut conditionis, sexûs vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo, pariter eos introducentes vel admittentes, itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Constit. *‚Decori‘* praescriptam.“

I. Praenotanda. 1. Dicitur *„cujusvis conditionis“*, ne quis forte praelatos eximat, qui antea leviori poenae subjacebant;

2. *„cujusvis aetatis“* — hîc habes alterum casum (cf. violationem clericorum), qui etiam *„impuberes“* adstringit: at eorum absolutio *Episcopo* competit;

3. *„cujusvis sexûs“* — sive igitur ingrediuntur mares, sive feminae: quum e contra in monasterio virorum solum prohibeatur ingressus hominum diversi sexûs, i. e. feminarum;

4. *„moniales“* intelliguntur sensu stricto: quare piarum mulierum congregationes, quae ordinem sensu stricto non constituunt, hac strictae clausurae lege non tenentur; potest autem Episcopus pro certis conditionibus similem poenam statuere.

955 II. Triplex genus delinquentium distinguitur: 1) ingredientes, 2) introducentes vel admittentes, 3) moniales exeuntes; vid.:

1. *Ingredientes* absque legitima facultate. — Licentia haec post Urbanum VIII., ut S. Congregatio saepius dixit, semper dari debet ab Episcopo, et insuper, si usus id fert, a Praelato regularium, cui monasterium subjectum est (v. Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 13 c. 12 n. 23); posse autem etiam Episcopum delegationem dare Abbatissae, confessario aliive prudenti viro, ut ipsi nomine Episcopi (vel Praelati) licentiam concedant, docet S. Alph. l. 7 n. 224 in fine. Quae licentia danda est ob necessitatem vel utilitatem monialium idque *in scriptis*, attamen excommunicatio non incurritur, modo licentia utcunque data adsit[1]; neque ulla obligatio ad scriptionem erit, si *urget* necessitas; imo annuente S. Alphonso l. c. n. 223, ex complurium opinione pro foro conscientiae *scriptio* licentiae non requiritur in casibus ordinariis, quando *causa est manifesta*, ut in ingressu medici, operarii necessarii, confessarii. Confessarius autem (ib. n. 227) ingredi potest ad administranda sacramenta moniali aegrotae, quoties convenit, idque, si *regularis* est, cum socio probatae vitae et maturae aetatis, si *saecu-*

[1] Quamquam ex Trid. sess. 25 *de ref. reg.* cap. 5 requiritur: „Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda,“ atque Pius IX. censuras a Trid. inflictas integras manere declaravit: tamen visum est inter alios cl. Avanzini, hanc excommunicationem regendam esse secundum normam in hac Pii IX. Constitutione expressam, missa norma Tridentina, ita ut neglecta licentiae scriptione, modo adsit licentia, *excommunicatio* non incurratur; quod eo magis probari posse opinor, quia poena Tridentina additâ reservatione R. Pontificis aucta est, ac proin, si in odiosis, etiam in favorabilibus solam ultimam Constitutionem respiciendam esse, aequum potest videri.

laris, solus; debetque esse stola et superpelliceo indutus, assistentibus commatricibus (monialibus).

2. *Introducentes vel admittentes.* Introducendi peccatum committere possunt et moniales et extranei; admittere autem nequeunt, qui sunt plene extranei. Admissio fieri potest aut positive et expresse; aut negative vel potius tacite, vid. ab iis, qui ex officio ingredientes repellere debent neque faciunt, ut Superiores, janitrices. Ingressos comitari, cum iis confabulari, est sine dubio admissio, quando haec fiunt ab iis, quorum sive quarum *officium* est, ingressos repellere: si autem *alii* comitantur seu confabulantur, tum demum „admittentes" sunt, quando comitatu, collocutione causa sunt, cur, qui illegitime ingressi sunt, *detineantur, aliter egressuri;* quando in ea causa non sunt, sed ipsi ingressi nihilominus in conventu sunt commoraturi, illi „admittentes" non sunt: v. Castropal. (*de relig.*) tr. 16 disp. 4 punct. 8 n. 11 cum Suarez, Sanchez etc. — Quamquam pueri puellaeve ante septennium aetatis, quum usu rationis nondum pollere censeantur, excommunicationem non incurrunt ingredientes, nihilominus, qui eos introducunt aut admittunt, secundum complures ab excommunicatione immunes non sunt; alii perpendentes vim et finem legis Trid. sess. 25 cap. 5 *de regul.*, ex qua verba illa *„cujuscunque generis etc."* desumpta sunt, infantes ante usum rationis objectum prohibitionis esse negant: cf. Sanchez *in decal.* l. 6 c. 16 n. 5, Thesaurus *de poenis eccl.* sub voce *clausura* cap. 4.

3. *Moniales exeuntes.* Parvitas materiae vix admittitur, modo monialis 956
toto corpore extra clausuram egressa fuerit. Verum si fit egressus ad unum vel duos pedes tantum in ea monasterii parte, ubi nullum est periculum conveniendi cum exteris, et statim receditur iterum intra clausuram, videtur rationi consona esse sententia Lacr. l. 1. n. 673 cum Reuter *theol. moral.* p. 1 n. 149 etc., qui tenent, esse materiae parvitatem. — Dicitur „extra casus et formam" Const. *„Decori"*. Utrumque simul requiritur.

Casus a S. Pio V. enumerati sunt: a) magnum incendium, b) infirmitas leprae, c) infirmitas epidemiae. Ex communi doctrina (S. Alph. *de leg.* n. 200 in fin.) *similes* etiam causae comprehenduntur: ut inundatio, invasio hostium, ruina domûs.

Forma autem praeter obligationem, ne commoratio extra clausuram protrahatur ultra tempus necessarium, id secum fert, ut in casibus sub lit. b) et c) adsit recognitio causae et approbatio *in scriptis facta* tum a Praelato regulari, si monasterium exemptum est, tum in omni casu ab Ordinario loci.

Cf. S. Off. supra cit. 22. Dec. 1880, quod noluit admittere consuetudinem contrariam, qua amplior facultas ab Ordinariis dari consueverit.

§ 7.

„Mulieres violantes regularium virorum clausuram, et Supe- 957
riores aliósve eas admittentes."

Ad quae nota discrimen inter hunc et praecedentem articulum:

1. Vetatur solus mulierum ingressus.

2. Regulares exeuntes censurâ non plectuntur. Quod qualeve peccatum sit, non est hujus loci discutere; sane latiore sensu admittit parvitatem materiae.

3. Clausura pro regularibus minus stricte intelligitur: nam 1) in ecclesia, et 2) in sacristia, si ad ecclesiam pertinet, et per eam ad-

itus ad illam omnibus patet, regulares et mulieres simul adesse non prohibentur.

4. Ingressus in monasteria regularium patet reginis et principissis regnantibus earumque filiabus, cum earum comitatu necessario.

5. Qui sint admittentes, vide ex § 6.

§ 8. 9. 10.

958 „Reos simoniae realis in beneficiis quibuscunque eorumque complices."

„Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet cujuscunque sint dignitatis."

„Reos simoniae realis ob ingressum in religionem."

I. Quae sit simonia *realis*, quae *confidentialis*, discere licet ex vol. I. n. 387 et 400. In utramque simoniam praeter excommunicationem etiam aliae poenae statutae sunt; neque illae pro abrogatis habentur.

II. 1. In simonia r e a l i circa beneficia excommunicantur 1) ipsi paciscentes, 2) quilibet complices.

2. Ob simoniam c o n f i d e n t i a l e m, antequam realis evasit, videtur solus ille excommunicationi subjacere, qui ex turpi illo pacto beneficium ecclesiasticum recipit, et qui retinet; nam illi soli in antiquis Pontificum Bullis exprimuntur: v. etiam T h e s a u r. ad vocem *‚Simonia confid.'*, M a z z o t t a *de cas. reserv.* — Additur „cujuscunque dignitatis", siquidem antea in Praelatos majores mitior poena statuta erat.

3. Simonia r e a l i s p r o p t e r i n g r e s s u m i n r e l i g i o n e m (sc. quando aliquid temporale datur pro eo, ut aliquis recipiatur in religionem): poena incurritur a paciscentibus et ab eo, qui sic admittit, aut qui recipitur.

Verum simonia non est: 1) quando aliquid accipitur titulo meraе eleemosynae.

2) Moniales possunt semper *dotem* recipere et de ea pacisci.

3) A monasteriis virorum aliquid accipi potest titulo *sustentationis pro tempore novitiatûs.*

4) Imo ultra illud tempus titulo sustentationis aliquid accipi potest, si revera monasterium susceptione candidati gravatur vel paupertate laborat. Quapropter ut hoc titulo sustentationis sine peccato aliquid accipi possit, praeter ipsam paupertatem etiam aliquantulum consuetudinem respici debere, recte monet D'A n n i b a l e Comm. — Quod vero idem auctor addit, illud etiam quando illicite fiat, quum sit simonia juris humani, non subjacere censurae, quae probabiliter ad simoniam juris divini restringatur: pace docti scriptoris, approbare non sum ausus. Nam si et prohibitum est, quominus aliquid accipiatur, neque pro sustentatione aliquid juste postulari potest, eo quod ex bonis fundatis sustentari religiosi commode possint et, secundum voluntatem supremi bonorum ecclesiasticorum administratoris, sustentari debeant: quando nihilominus pecunia accipitur, nihil reliquum est, nisi ut re vera accipiatur pro ipso ingressu seu pro admissione ad statum religiosum; quae simonia juris divini est. — Cf. G u r y - B a l l. I. n. 291 Q. 5 notam 1.

§ 11.

„Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gra- 959
tiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constit. Pii V. ‚*Quam plenum*' 2 Jan. 1569."

Nota 1. Personae, quae in Const. S. Pii V. excommunicatione puniuntur, sunt „*Episcopis inferiores*".

2. „*Quaestum facientes*" intelligitur, pecuniam etc. vere acceptam esse; sed non requiritur, ut mens formaliter simoniaca adfuerit; quia sub nullo titulo pro publicatione indulgentiarum, concessione dispensationum diversarum etc. pecuniam accipi licet, nec si quaelibet pia quidem causa praetenditur. Cf. ipsam Constit. Pii V. § 3 et 4.

3. Constitutione citata S. Pii V. causae hae enumerantur, ex quibus sub poena excommunicationis vetatur quaestum fieri: 1) indulgentiae, 2) facultas eligendi confessarium, qui absolvat a reservatis; 3) facultas celebrationis Missae et sepulturae faciendae tempore interdicti; 4) facultas utendi cibis vetitis; 5) facultas adhibendi plures patrinos in baptismo; 6) facultas absolvendi a simonia reali alias Sedi Apostolicae reservata.

§ 12.

„Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis et ex iis 960
lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent."

Quamquam quaelibet mercatura in Missarum stipendiis interdicta est, tamen ad incurrendam excommunicationem plures conditiones aggravantes requiruntur (de cetero cf. infra 971 *not.*):

1) „*Colligentes*" — ergo requiritur, ut copiosior numerus stipendiorum conquiratur, non sufficit unum alterumve stipendium accipere.

2) „*Lucrum captantes*" — quare qui non sibi partem stipendii retineat, sed ipso facto alicui causae piae cedat, non incurrat excommunicationem: quamquam ne id quidem universim licere, vide hoc vol. n. 205.

3) „*Faciendo eas celebrari etc.*" — Concluditur, non incurrere censuram (quamquam peccet), qui *eodem loco,* aut alio loco, ubi stipendia consueta *ejusdem pretii* sint, stipendii parte retenta, Missas celebrandas curet. Quod autem S. Offic. approbante S. Pontifice die 13. Jan. 1892 ad IV. decrevit, *etiam eos hanc censuram incurrere,* qui eodem loco, quo collegerunt, pro minore stipendio Missas faciant celebrari: id intelligitur, si *consueta* stipendia ibi *minoris pretii* sunt, quam quae collector acceperat. Cf. D'Annib. ed. 4ª. n. 139 n. 10.

§ 13.

„Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus 961
S. Pii V. ‚*Admonet nos*' 4° Cal. Apr. 1567, Innoc. IX. ‚*Quae ab hac Sede*' prid. Non. Nov. 1591, Clem. VIII. ‚*Ad R. Pontificis curam*' 26° Jun. 1592, et Alex. VII. ‚*Inter ceteras*' 9° Cal. Nov. 1660 alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus."

1. Objectum. Excommunicantur, qui de alienatione vel infeudatione locorum et civitatum ad S. Sedem sive immediate sive mediate pertinentium tractant, i. e. 1) qui id suadent, insinuant, consulunt, de iis tractant, vel verba faciunt, sive haec agunt publice in consiliis et conventibus,

sive privatim: si modo consilium capiant de eligendis oratoribus ad Apostolicam Sedem, illique electi fuerint; 2) qui se ut oratores ad Sanctam Sedem eligi permittunt seu electionem accipiunt, etsi non impleverint munus sibi demandatum; 3) qui sive per se sive per alios ipsi R. Pontifici ejusmodi alienationem seu infeudationem suadent vel insinuant. Quare ut aliquis, qui nulla praevia cum aliis tractatione de hac re cum R. Pontifice agere velit, sine poena excommunicationis id facere possit, necessarium est, ut antea Papa annuat[1].

2. Personae, quae censurae subjaceant, sunt quaelibet cujuscunque dignitatis, sive privatae, sive publicae, etiam communitates etc.

§ 14.

962 „Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiam per Viaticum ministrare absque parochi licentia."

Antea excommunicatio latius patebat, etiam circa alia sacramenta; nunc igitur sola extrema unctio et Viaticum intelligitur.

Licebit igitur religiosis etiam haec sacramenta conferre:

1. in eos, qui censentur esse *de familia;*

2. in extraneos in necessitate, si parochus adiri nequeat, aut injuste nolit ea sacramenta administrare per se vel alterum;

3. etiam extra necessitatis casum *ex licentia* parochi. Porro 1) pro parocho intellige etiam Episcopum. Ita Castropal. *de cens.* d. 3 p. 25 n. 11, qui citat etiam Sanchez, Suarez, Navarr., Bonac. 2) Quum prius diceretur „sine *speciali* licentia", nunc vero illud „speciali" omissum sit: licentia tacita aut prudenter *praesumpta* sufficiet, ne censura incurratur, idque, etsi falso et levius, sed *bona fide* erat praesumpta; quamquam suadendum non est, ut agatur sine licentia *expresse* habita. Cf. D'Annibale ed. 4. n. 145.

§ 15.

963 „Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris coemeteriis sive catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, iisque auxilium vel favorem praebentes."

1. Legitima venia consistit in eo, ut *scripta* habeatur facultas subscriptione et sigillo Vicarii Urbis munita, et ut extractio ex catacumbis fiat praesente sacerdote delegato. Constit. Clementis X. „*Ex commissae*" 13. Jan. 1672.

2. Perinde est, sive multum sive parum reliquiarum illegitime sumitur; id excommunicationem non mutat.

§ 16.

964 „Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei sc. impendendo auxilium vel favorem."

[1] Dubium est, num suasio seu tractatio de abdicatione civilis principatûs in nostris temporibus hac lege comprehendatur. Sunt qui negent, eo quod leges illae semper loquantur de illa alienationis incompletae specie, quae sit in *infeudatione*, neque valeat in poenalibus illatio a minori ad majus: hinc practice illi benigniori sententiae standum est· Pennachi in *Act. S. Sedis* Comment. app. XXVI.

1. Nominatim a Papa excommunicatum intellige 1) eum, contra quem S. Pontifex ob quodlibet crimen nominatim sententiam excommunicationis publice tulerit; 2) eum, contra quem excommunicatio latae sententiae jam exsistat, quam contractam ab illo esse, S. Pontifex nominatim declarari et publicari fecerit.

2. „*Crimen criminosum*“ illud est, propter quod iste homo nominatim excommunicatus seu reus declaratus fuerit.

3. „*Auxilium vel favorem impendendo*“ intelligitur post excommunicationem nominatim factam, ut vid. iste homo crimen suum ejusve sequelas continuet, aut in contumacia perseveret.

§ 17.

„Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum 965
personis nominatim a R. Pontifice excommunicatis et ipsos in officiis recipientes“ (cap. 18 *de sent. excommunicationis* seu l. 5 tit. 39).

1. Dicitur: „*scienter et sponte*“; quare metus, etsi gravis non est, neque excusat ab aliis poenis vel excommunicationibus (cf. interdicta n. 4), hîc tamen excusat.

2. „*Communicantes in divinis et in officiis recipientes.*“ Scriptores veteres id sic intelligere consueverunt, ut illud „*et*“ *explicative* sumeretur; v. Castropal. disp. 3 p. 24 n. 3.

Officia divina intellige: Missam aliasve functiones liturgicas, sacramenta, sepulturam cum sacris ritibus vel Missa. Videlicet aliquando presse sumuntur officia divina cum distinctione a sacramentis et ecclesiastica sepultura, aliquando, si haec distinctio non apparet, omnia haec includuntur.

„*Recipere*“ in divinis officiis eorum est, qui ex quadam potestate vel auctoritate agunt: est vero, sive admittere excommunicatos *ut obeant* functiones sacras, sive admittere ut earum participes sint *assistendo aut recipiendo*. Quare eum etiam puto excommunicationi esse subjectum, qui pro nominatim a Papa excommunicatis scienter et sponte ecclesiastico ritu officium defunctorum publice persolvat, eumve *ritu ecclesiastico* sepeliat. Cf. Navarr. cap. 27 n. 93, Filliucci tr. 15 (cap. 7) n. 168 et 169. — Neque puto, illud „recipere“ restringi ita posse, ut solummodo intelligatur „admittere ad divina officia seu liturgicas actiones *obeundas*“.

3. Qui sint nominatim a Papa excommunicati, v. supra n. 964.

§ 18.

Quibus excommunicationibus addenda est alia; nam post censuras 966
speciali modo R. Pontifici reservatas in hac ipsa Constitutione „*Apostolicae Sedis*“ S. Pontifex ita prosequitur:

„Absolvere praesumentes sine debita facultate (sc. ab excommunicationibus *speciali modo* R. Pontifici reservatis), etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo R. Pontifici reservatae innodatos se sciant.“

Id tamen intellige extra articulum mortis, et extra casum illius impedimenti et necessitatis, in quo probabilis theologorum doctrina absolutionem (eamque communiter cum onere postea coram legitimo Superiore comparendi) permittit.

§ 19.

967 Quoniam vero censuras a Concilio Trid. latas (praeter eam, quae de impressione librorum agit) S. Pontifex Pius IX. declaravit intactas manere, addi debet excommunicatio in violationem bonorum ecclesiasticorum lata — quae sola est, quam Synodus Tridentina R. Pontifici reservavit.

Fertur sess. 22 cap. 11 *de ref.* Haec longe latius patet, quam excommunicatio supra cap. 1 § 11.

Sc. 1. Versatur circa *quaecunque* bona ecclesiastica sive piorum locorum sive beneficiorum, sive ecclesiarum, sive montium pietatis, aliorumque piorum locorum, sive bona, sive jurisdictiones, census, fructus, emolumenta etc., jura, etiam feudalia vel emphyteutica.

2. Punitur injusta eorum laesio saltem ea, quae fit per usurpationem proprie dictam, occupando, sequestrando, occupata emendo etc., vel impediendo, quominus destinatis finibus possint servire, *id scilicet agendo quasi ex jure ad illa bona*[1]. — Imo quam plurimi scriptores id docent de qualibet injusta actione, rapina, furto etc., atque ita declaratum esse a S. C. C. Azor, Bonacina etc. referunt. Verum id de furto vel rapina singularis rei non valere, habes ex S. C. C. in *Sorana* d. 27. Febr. 1696 „fures surripientes res ecclesiae vel locorum piorum non incurrere excommunicationem Bullae Coenae, *neque Concilii.*“ Quando autem res persistens vel fructifera ita ablata est, continuata ejus rei possessio facillime constituit actionem, quae huic censurae subjaceat. Cfr. Thesaurus *de poenis eccles.* p. II ad vocem *Usurpantes* cap. I; Acta S. Sedis, *Comment. in Bullam „Apostol. Sedis“* (append. X) pag. 368.

---

[1] Si patronus ecclesiae sive pii loci crimen commisit, incurrit eo ipso insuper privationem juris patronatûs; clericus, qui sese hoc peccato inquinavit, etiam contrahit inhabilitatem ad beneficia obtinenda et privationem beneficii jam obtenti, quibus adduntur aliae etiam poenae ferendae sententiae: v. ibid. Excommunicationem autem Trid. his verbis expressit:

„Si quem clericorum vel laicorum, quacunque is dignitate, etiam imperiali vel regali, praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiae, seu cujusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascunque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacunque arte aut quocunque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur: is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocunque etiam ex donatione suppositae personae pervenerint, ecclesiae ejusque administratori sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a R. Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si ejusdem ecclesiae patronus fuerit etc.“ (sequuntur aliae poenae).

Caput III. seu Series III.

Excommunicationes latae sententiae Ordinariis reservatae.

Sequentes tres excommunicationes, quum tamquam censurae latae 963
sententiae a S. Pontifice statutae sint, potius papales dixeris, quam episcopales, eas tamen, a quibus absolvendi facultas jure ordinario Episcopis detur. Quare non tam propria, quam *delegata* potestate absolvunt. Ita S. Alph. l. 7 n. 99 et *de privil.* c. 5 n. 100, Suarez *de poenit.* d. 29 sect. 3. Hinc videtur sequi, ut ii, quibus forte S. Pontifex concesserit facultatem „absolvendi a casibus *etiam* R. Pontifici reservatis", ab his quoque absolvere possint: siquidem illud *‚etiam'* arguit, posse absolutionem dari *non solum* ab iis, qui Pontifici Rom. maneant reservati.

Quodsi facultas sic data non sit, *regulares* tamen posse ab hisce „casibus jure communi seu per Papam, non per ipsum Episcopum Episcopo reservatis" absolvere (modo legitimam facultatem per suos Superiores et approbationem ab Episcopo acceperint, neve propter publicitatem rei causa in foro externo reconciliationem exigat), habes ex S. Alphonso l. c. et Lacroix l. 6 p. 2 n. 1628 (qui commemorat, id docere plus quam 30 scriptores), atque ex compluribus privilegiis a S. Sede regularibus concessis. Quae privilegia etiam post Bullam *„Apostolicae Sedis"*, utpote quae solam facultatem absolvendi a casibus R. Pontifici reservatis revocaverit, intacta manent. — Excipiuntur antiquo jure pro Italia extra Urbem a facultate regularibus data *‚casus Clementini'*, inter quos est etiam percussio clericorum levis quaelibet, aut gravis per mulierem commissa, quarum absolutio Episcopis jure communi reservatur: *hujus* igitur casûs exceptio etiamnunc viget in regionibus modo dictis. Cf. hîc cap. II. § 2. Quibus praemissis:

§ 1.

„Clericos in sacris constitutos, vel regulares aut moniales 964
post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes, necnon omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes."

1. „*Matrimonium contrahere* (praesumentes)" — intelligi debet ita, ut contrahentes sciant quidem impedimentum dirimens, sed nihilominus *externam speciem matrimonii* vere intendant atque in sua actione exhibeant. Id communiter notatur a scriptoribus, qui jus interpretantur, sc. Clementin. cap. unic. *de consanguinitate et affin.:* quo loco excommunicatio fertur in eos, qui cum impedimento canonico consanguinitatis, affinitatis, voti solemnis matrimonium contraherent.

Quare 1) uterque contrahentium *affectum maritalem seu conjugalem* saltem prae se ferre debent; 2) *non* debent *ficte, ex metu* consensum dare. Debere 3) contrahentes — saltem ubi Tridentina lex vigeat — *legitimâ formâ* contrahere, ita ut matrimonium civile non induceret hanc censuram,

visum erat non sine probabili ratione Commentatori Reatino n. 149 et cl. D. Kohn in libell. period. *Archiv für kath. Kirchenr.* vol. 41 pag. 390 etc. Verum S. Officium 22. Dec. 1880 decreto suo alteram sententiam tenendam esse decrevit, nimirum excommunicationem incurri per attentatum matrimonium etiam mere civile: v. idem *Archiv* t. 46 pag. 26.

Multo minus admittere possum, excommunicationem ne tum quidem incurri, si praeter impedimentum voti seu ordinis aliud quoque impedimentum dirimens, ut consanguinitatis, affinitatis etc., adsit. Id ex se plane incredibile videtur, atque frustra invocatur auctoritas Sanchez *de matrim.* l. 7 d. 48 n. 14, quippe qui nihil in *hunc* finem dicat. Et revera, qui antiquitus cum impedimento *et* consanguinitatis *et* sacri ordinis matrimonium attentasset, in duplicem excommunicationem incidisset; nam excommunicatio statuitur contra eos, qui in gradibus prohibitis *aut* cum voto solemni contrahant. Unâ nunc sublatâ etiam in eo, qui duplex crimen committat, altera sane contra eum manet: *quod etiam decrevit* S. Off. d. 13. Jan. 1892 ad V.

2. „*Praesumentes*“ — quapropter quaelibet ignorantia juris vel facti, etiam crassa et supina, ab ecclesiastica poena excusat.

3. „*Post votum solemne*“ — quare religiosus solummodo simplici voto castitatis ligatus, vel in religiosam *congregationem,* quae ordinis stricte dicti formam non habeat, aggregatus, *nisi sacros ordines jam susceperit,* non incurrit censuram per matrimonium sacrilege sive contractum sive attentatum. — Dico: sive contractum, sive attentatum. Nam religiosus Societatis Jesu, etsi sola simplicia vota emisit, matrimonium tantummodo attentare potest, contrahere non potest: reliqui religiosi valide contrahere possunt.

NB. Hunc casum ex natura sua ad externum forum spectare facile patet; imo in Clem. (l. 4 cap. unic.) praecipitur, ut Episcopi eos, quos matrimonium sic contraxisse compererint, publice denuntiari et vitari faciant, donec ad meliorem frugem sese receperint.

§ 2.

„Procurantes abortum, effectu secuto.“

970 1. „*Procurantes*“. Probabiliter etiamnunc eximi potest ipsa mater, quae in se abortum faciat. Nam ex antiquis Bullis matres ipsae *clare* distinguebantur a „procurantibus abortum“, neque in eadem poena cum reliquis involvebantur: quae lex id effecit, ut „procurantes abortum“ quodammodo terminus technicus evaserit, qui *reliquos praeter matrem* significet, qui sensus in hac § eo magis sumi potest, quod intentio Pii IX. fuerit excommunicationes potius restringere, quam augere.

2. „*Procurantes*“ igitur dicuntur ii, qui sive per se, sive per alios (mandato, jussione) *studiose* seu *ex industria* (directa voluntate) causam foetum ejicientem ponunt, sive medicamento, sive percussione, compressione etc.

Quare non comprehenduntur: 1) qui praevidentes quidem, sed non intendentes actionem foetûs laedentem — etsi cum peccato — ponunt; 2) qui solummodo cooperantur, e. g. qui solummodo suadet, qui medicamentum vendit, qui jussus illud praeparat etc. Cf. Comment. Reat.

3. „*Effectu secuto.*“ Hinc 1) nemo amplius praetextu foetûs nondum animati ab excommunicatione excusatur, quia nulla admittitur distinctio; 2) censuram *non* incurrit, qui causam abortûs posuit, si effectus utcunque secutus non est. Verum si dubium est seu potius ignorantia effectûs secuti, haec a censura non excusat, quando re ipsa effectus secutus est.

§ 3.

„Literis Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini in ea re cooperantes.“ 971

Haec censura complementum est ad cap. I. § 9: ubi vidimus, eum nondum excommunicatione papali teneri, qui literas falsas integre confecerit: verum hic quoque post usum illarum literarum censurae subjacet.

Falsae literae sunt sive *falsificatae* (quod crimen, ut supra expositum est, saepe severius punitur), sive *falso confectae vel publicatae.* — Igitur *post usum* talium literarum quomodolibet falsarum excommunicationi Ordinario reservatae subjacent:

1) utentes, i. e. exhibentes, ut effectum habeant; 2) conficientes; 3) cooperantes in falsificatione sive verarum literarum Apostolicarum — principales auctores in hac causa gravius puniuntur —, sive confictarum; 4) mandantes, consulentes, quatenus in usum falsarum literarum efficacem concursum praestitisse dicendi sunt[1].

Caput IV. seu Series IV.

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae constitutae sunt in:

§ 1.

„Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos.“ 972

1. Ex antiquo jure „ecclesiasticae sepulturae tradere“, si confers Clem. l. 3 tit. 7 c. 1 cum Decretal. l. 5 tit. 2 c. 2 in 6^to^, ita concipitur, ut sit *sepelire in loco sacro*, coemeteriis aliisve locis sacris et benedictis, quae pro sepultura fidelium deserviunt aut servire possunt. — Quare solum *ritum* sacrum adhiberi, satis non est, ut habeatur materia, circa quam haec excommunicatio versetur; sed neque requiritur, ut ritus aliquis sacer addatur, quando sepultura fit in loco sacro.

2. Antiquum jus (secundum ll. cc.) ita temperatum est, ut nunc soli illi excommunicationem hanc incurrant, qui ad sepulturam cogunt, seu ut ea fiat mandant.

De clericis, qui sepeliunt, vide supra n. 965 et infra de interdicto n. 995.

3. Qui nominatim excommunicati vel interdicti sint, per se intelligitur. Notorios haereticos intellige tum eos, qui publice haeresis crimen commiserunt, tum eos, qui sectae acatholicae adhaerent, etsi per nativitatem et educationem ei adjuncti sunt atque in bona fide exsistunt: nam hi in foro externo, maxime quoad sepulturam, pro haereticis habentur.

---

[1] 4^ta^ excommunicatio huc spectans nunc habetur ex decreto S. C. C. *„Vigilanti“* d. d. 25. Maji 1893. Quo Leo XIII. ea, quae hoc vol. n. 205 habentur sub nn. I. II. III. IV. V. VII, denuo confirmavit novaque sanctione munivit, scil. contra ea violantes has statuens poenas: a) contra *sacerdotes* suspensionem a divinis (i. e. ab exercitio ordinum majorum) latae sententiae S. Sedi reservatam; b) contra *reliquos clericos inferiores* parem suspensionem ab ordinibus susceptis et inhabilitatem ad superiores ordines suscipiendos; c) contra *laicos* excommunicationem latae sententiae Episcopis reservatam.

§ 2.

973 „Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii, ejusque sacri tribunalis scripturas diripientes aut comburentes, vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes."

Series harum actionum, quae exerceantur contra S. Inquisitionem aut eos, qui apud Inquisitionem egerunt, ex ipsa lectione patet. Comprehenduntur et principaliter agentes et quilibet cooperantes. Solummodo vox „diripere" difficultatem parere posse videtur. Verum opinor, non esse „auferre", sed „destruere" sive lacerando, sive comburendo.

§ 3.

974 „Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *‚Ambitiosae' de reb. eccles. non alienandis*".

1. Bona ecclesiastica sunt bona, quae sive ad ecclesias, monasteria, sive ad beneficia, sive ad quamlibet causam vel locum pium auctoritate ecclesiastica constitutum pertinent, seu quaelibet bona, quae sint sub dominio personae juridicae ab Ecclesia constitutae, vel quorum administratio ecclesiasticae auctoritati subsit.

2. Alienatio et vicissim receptio: 1) intelligitur ea, quae alioqui formam validam habet, ita ut solummodo haec prohibitio sive liceitati sive valori obstet; 2) sumitur autem *lato sensu*, sc. pro venditione, locatione, emphyteusi, infeudatione, hypothecatione. — Non constat, comprehendi alienationes *inter ipsas ecclesias vel loca pia:* Comm. Reat. n. 168.

3. Permittitur vero: 1) emphyteusis eorum bonorum, quae ab antiquo in emphyteusim dari solita sunt; 2) venditio mobilium non pretiosorum (i. e. non magni valoris); 3) immo si agitur de religiosis exemptis, etiam *immobilia modici valoris* sine alia licentia vendi possunt (pro nonexemptis, et pro monialibus licentia Episcopi tunc requiritur et sufficit): modici valoris pro hodierna pecuniae conditione videtur certo esse summa 500 franc. vel etiam major (olim 29. Nov. 1613 S. Congr. exigui valoris esse dixit, quod pluris 25 aureis non aestimetur: quod aequivalet circiter 220 fr.; vide Comm. Reat. et Thesaur.); 3) locatio *„ad breve tempus"*, saltem ad *triennium;* 4) venditio fructuum, qui servari non possint; 5) dispositio, etiam venditio, in evidentem utilitatem ecclesiae seu loci pii, quando negotium moram non patitur.

Alias igitur licentia S. Sedis accedere debet: nisi speciale privilegium exstet, quod etiamnunc vigeat.

4. Personae, quae puniuntur propter illegitimam illam dispositionem, sunt: 1) ii, qui bona illa ecclesiastica ex officio administrant; 2) qui cum illis contrahunt. Verum id locum habet universim quidem de recipientibus, de alienantibus solummodo, *si sunt Abbate vel Episcopo inferiores:* ita ex probabili interpretatione Constit. *„Ambitiosae"* Castropal. *de cens.* in hunc artic. sc. disp. 3 p. 35 n. 4 et tract. 12 *de relig.* p. ult. § 2. Cf. etiam Comment. Reatin., qui monet, recipientes excusari ignorantiâ etiam crassâ, alienantes vero non ita.

§ 4.

„Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra 975
mensem confessarios sive sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Greg. XV. Constit. ‚*Universi*' 20. Aug. 1622 et Bened. XIV. Constit. ‚*Sacram. Poenitentiae*' 1. Jun. 1741."

I. Materia seu res, quae denuntiari debet.

1. *In se:* Sollicitatio ad turpia, eaque late accepta, si modo est certa et graviter culpabilis (vel propter vehementia indicia pro tali haberi debet) — sc.: formalis sollicitatio, quilibet tractatus turpis, sermo obscoenus, vel actio obscoena, imo consensus externus in sollicitationem a poenitente factam.

2. *Quoad circumstantias:* sive haec fiunt *in actu* sacramentalis confessionis; sive *immediate ante* (sc. si poenitens jam genuflectit); sive *immediate post* (non interjecto negotio prorsus alieno); sive *occasione* confessionis (vid. quando fit invitatio ad confessionem excipiendam ex parte poenitentis; aut si *in* confessione, sive immediate *ante* sive *post*, initium sollicitationis fit, quae postea completur, v. g. si dantur literae sollicitantes, vel si fit interrogatio de habitatione et postea sequitur sollicitatio domi, etc.); sive *praetextu* confessionis (ut si confessarius ficte invitat poenitentem ad confessionem); sive in confessionali, aut in loco ad confessiones destinato, aut electo, ibidem simulantes confessionem audire, seu *cum simulatione confessionis* sive fit in confessionali, sive in alio loco, quo confessiones excipi *solent*, sive in loco, qui per accidens pro hoc casu ad confessionem *electus* est (quae quidem simulatio in confessionali longe facilius aderit, quam in aliis locis praecipue ex se non destinatis ad confessionem) [1].

---

[1] Verba Benedicti XIV. haec sunt: „Sacerdotes tam saeculares, quam regulares quomodolibet exemptos . . . cujuscunque dignitatis et praeeminentiae . . . qui aliquem poenitentem, quaecunque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post, vel occasione, aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo simulatione audiendi ibidem confessionem ad inhonesta et turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut postea legendam tentaverint, aut cum iis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint."

Gregorius XV. fere eodem modo dixerat: „Omnes . . . sacerdotes . . . qui personas, quaecunque illae sint, ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, sive ante vel post immediate, seu occasione, vel praetextu confessionis, . . . *etiam confessione non secuta,* sive extra confessionis occasionem in confessionario aut in loco quocunque, ubi confessiones audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint."

Decreta vero S. Inquisitionis in Bulla Ben. XIV. denuo solemniter confirmata haec sunt:

1. An sit denuntiandus confessarius, qui dat poenitenti chartam in confessione postea domi legendam, in qua ad venerem sollicitabat? R. Affirmative.

2. An confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus et non praebendo absolutionem poenitenti, incidat in poenas contentas in Bulla Gregorii, et sit denuntiandus? R. Affirmative, rejecta opinione contraria ut non-probabili.

876 Dubia quaedam: 1. *Occasione confessionis* putant multi sollicitationem fieri, si confessarius ex auditis in confessione ansam sumat, poenitentem postea invisendi et sollicitandi. Verum id alii negant, quum sollicitatio non fiat occasione *confessionis* sacramentalis, sed occasione *notitiae sacramentalis:* v. Comment. Reat.; cui eo magis practice assentior, quia in tali casu denuntiatio vix sine propria poenitentis diffamatione fieri potest. Confessarius autem gravissime contra sacramentum peccaret, abutendo et violando sacramentale sigillum.

2. Si quis petit confiteri non statim, sed postea v. g. postero die, aliqui putant, confessarium, qui statim sollicitet, denuntiandum esse vi clausulae *„occasione confessionis“:* v. S. Alph., Mazzotta etc. At aliis id non probatur. Et revera *occasione* confessionis non est, nisi aut poenitens petat statim confiteri, aut confessarius postea statuta hora et loco accedat quidem, sed omissa confessione sollicitet (vid. tunc poenitens eo ipso, quod statuta hora accessit, iterum petit confessionem eamque *nunc* peragendam). — Ceterum fieri potest, ut cum petitione confessionis *postea* peragendae, ex

---

3. An confessarius sollicitando propter parvitatem materiae sit denuntiandus? R. Quum in rebus venereis non detur parvitas materiae, et si daretur, in re praesenti non daretur, censuerunt esse denuntiandum, et opinionem contrariam non esse probabilem.

4. An confessarius, qui feminam in confessionario dicentem, se velle in crastinum confiteri, sollicitat et a confessione dissuadet, sit denuntiandus? R. Si sollicitatio fiat extra locum confessionis, et absque praetextu confessionis, censuerunt negativam opinionem esse probabilem; secus si in confessionario, seu in loco confessionis.

5. An sacerdos carens jurisdictione, si sollicitat in confessione poenitentem, sit denuntiandus? Cens. affirmative; et opinionem negativam non esse probabilem.

6. An interpres, si sollicitet in confessione poenitentem, sit denuntiandus? R. Negativam opinionem non carere probabilitate.

7. An mandans confessario, ut in confessione sollicitet, sit denuntiandus? R. idem ac ad 6.

8. An quando confessarius et poenitens invicem se sollicitant, confessarius sit denuntiandus? R. Affirmative, et opinionem negativam non esse probabilem.

9. An confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitationi consentiat, sit denuntiandus? R. Affirmative, et opinionem negativam non esse probabilem. [Verum hoc in Instr. S. Off. 1867 omittitur, neque res est extra dubium.]

10. An confessarius . . . si sollicitet *in aliis sacramentis?* R. Negativam opinionem esse probabilem.

11. An confessarius, qui sollicitat *ad actus (alios) illicitos* extra actus venereos. R. ut ad 10.

12. An confessarius, si laudat poenitentem de pulchritudine et venustate, dicatur illam sollicitasse, et ideo sit denuntiandus? R. Si laus sit seria et nihil pravae intentionis redoleat, *negative;* secus *affirmative.*

13. An sit denuntiandus confessarius, qui propter sollicitationem alterius abjuravit? R. Affirmative, i. e. esse denuntiandum. (NB. Abjurare debet haeresim, siquidem delictum sollicitationis ex jure canonico reum reddit *suspectum de haeresi.*)

14. An quis teneatur denuntiare confessarium sollicitantem, si hoc audivit a non fide dignis, sed solum a levibus personis? R. Negative.

15. An sit denuntiandus confessarius, qui sedens in confessionario sollicitat mulierem stantem ante confessionarium, non simulando confessionem? R. Negative, seu negativam opinionem non carere sua probabilitate.

16. An denuntiandus confessarius, qui audiens confessionem dat donum mulieri, ita ut hoc facto dicatur sollicitasse? R. idem, quod ad 12 (sc. perpendendas esse circumstantias.)

qua confessarius sumat ansam sollicitandi, conjungatur *simulatio* confessionis, praesertim si petitio futurae confessionis fit in confessionali: quod prae oculis habuisse videtur S. Officium in responso *quarto* ex 16, quae anno 1661 11. Febr. prodierunt et per ipsam Bullam Ben. XIV. *„Sacram. poenit."* confirmationem acceperunt, quae hîc in nota adjecta sunt.

3. In *„confessionali* etc." i. e. quando sacerdos *ut confessarius* agit vel agere videtur. Aliqui putant, quomodolibet fiat sollicitatio *in confessionali*, etiam sine simulatione confessionis aliisve clausulis verificatis, denuntiationem esse faciendam, quamquam non ex Bullis Greg. XV. et Bened. XIV., tamen ex priore aliquo decreto S. Inquisitionis contra „abutentes confessionali ad turpia" anno 1614 sub Paulo V. At 1) certissimum igitur est, hanc denuntiationem non requiri sub poena excommunicationis; 2) quum S. Officium, explicans Bullam Greg. XV. dixerit resp. 15, sententiam, quae negat obligationem denuntiandi, esse probabilem: obligatio, si qua antea exsistebat, videtur satis probabiliter reducta esse ad terminos Bullae Gregorii XV.; 3) imo ipsum illud decretum „contra abutentes confessionali" videtur nobis satis probabiliter sumi posse de confessionali *formaliter*, seu, ut dixi, quando quis in eo *ut confessarius* agit aut agere videtur.

Certissime denuntianda est: a) sollicitatio *sacerdotis carentis jurisdictione;*

b) sollicitatio, *si mutua fuit:* quod sic intellige, ut denuntiandus sit confessarius, non poenitens, si ille, poenitente sollicitante, utcunque consensum suum manifestet libidinosum;

c) sollicitatio *inefficax*, imo quae ne intellecta quidem tum est;

d) sollicitatio facta *cum persona cujusvis sexus*, sive femina sive mare.

Non esset obligatio denuntiandi (D'Annibale *comment.* n. 171) vi positivae legis — at potest esse ex rei natura — si sollicitans esset Episcopus alicujus dioecesis, quia deest tribunal, apud quod jubeatur fieri denuntiatio: potest nihilominus fieri apud S. Poenitriam vel Inquis. Rom.

II. Quae et qualis obligatio denuntiandi. 977

1. Est obligatio gravis denuntiandi infra mensem a cognita obligatione.

2. Obligatio nunquam exstinguitur, aliquando tamen suspenditur, sc. 1) in regionibus infidelium et similibus, ubi aditus ad Inquisitionem aut ad Episcopos, utpote qui non adsint, non patet, seu ubi nulla spes puniendi reos adest; 2) si denuntianti vere grave damnum in fama, bonis fortunae, vita ex denuntiatione imminet: nisi forte ex non-denuntiatione publicum damnum grave sequatur. Verum impedimento cessante obligatio denuntiandi reviviscit.

3. Obligatio denuntiandi est, ut fiat denuntiatio judicialis eaque personaliter coram Episcopo aut Inquisitore. Verum si hoc fieri nequit aut difficulter obtineri a poenitente potest, recurrendum est ad Ordinariatum aut S. Poenitentiariam, quo fiat delegatio alterius sacerdotis, qui aut cum altero viro ecclesiastico notarium agente denuntiationem poenitentis excipiat, aut, si concessum fuerit, *solus* extra confessionem secundum instructionem specialiter acceptam juridicum actum a poenitente et a se subscribendum conficiat et ad Ordinarium (sive Poenitentiariam vel Inquisitionem) transmittat.

Quare obligationi denuntiandi nondum satisfit solis literis a poenitente ad Episcopum scriptis (multo minus si anonymae sunt); sed hae summum pro *initio* alicujus denuntiationis haberi possunt, supplendae secundum normam, quam Ordinarius injungat: nisi forte per S. Poenitriam dispensatio obtenta sit. (Cf. Instruct. anni 1867 in „Act. S. Sedis" v. III. p. 499.)

4. Obligatio denuntiandi sola morte sollicitantis sacerdotis cessat; aliter neque diuturnitate temporis, neque punitione et abjuratione jam facta

exstinguitur; imo ne certa quidem emendatio, quam interea secutam esse, denuntiaturus sibi persuadet, causa est denuntiationis omittendae, sed tantum hujus emendationis simul enarrandae [1].

5. Obligatio quidem denuntiandi omnes afficit, qui utcunque crimen sollicitationis satis certo norunt [2]; ergo praeter personam, quae passa est sollicitationem, obligantur:

1) Ii, qui ipsum factum suis sensibus perceperunt, videlicet testes immediati.

2) Ii, qui sive a persona sollicitationem passa, sive a teste immediato, sive aliunde rei notitiam hauserunt. Excipe: a) si persona narrans non sit satis fide digna; b) si persona narrans obligationi suae satisfecit (attamen ex eo, quod persona sollicitata vel unus testis immediatus satisfecit, alii, quicunque testes immediati sunt, ab obligatione denuntiandi non evadunt immunes); c) si persona narrans rem consilii causa, sub secreto commisso, communicavit. Verum propter neglectam obligationem non omnes excommunicatione puniuntur: quamquam qui in aliqua confessione deprehendit, poenitentem alicujus sollicitationis conscium esse, illum omnino de sua obligatione monere debet; quam si nolit implere, absolutione indignus est.

978 III. De poena excommunicationis.

1. Excommunicatio eaque non-reservata incurritur a sola persona sollicitationem vel turpem tractatum sive sermonem passa, si infra mensem non denuntiaverit; intelligitur, eam ex gravi culpa id omisisse.

2. Quare si prima vice admonita serio promittit se denuntiaturam esse, a confessario absolvi potest. Si vero neglecta denuntiatione excommunicationem incurrit, per se generatim differenda est absolutio, donec obligationem impleverit. Verum pro universali regula id statui nequit. Nam si quam primum nunc se denuntiaturam esse promittit, confessarii est videre, utrum ratio sit fidendi promissis et ratio notabilis statim absolvendi.

§ 5.

979 Ad excommunicationes in Bulla *„Apostolicae Sedis“* enumeratas accedit alia jussu Pii IX. a S. Inquisitione 4. Dec. 1872 promulgata, seu potius renovata; sc.:

Excommunicatio ab Urb. VIII. et Clem. IX. lata *in missionarios mercaturam exercentes.*

1. Excommunicatio fertur 1) in ipsos missionarios sive saeculares sive regulares cujuscunque ordinis et instituti, in Indiis Orientalibus, China, Japonia, America sive Australi sive Septentrionali mercaturam, etiam semel tantum, exercentes; 2) in Superiores sive immediatos, sive mediatos, qui ejusmodi reos non puniant, *eos saltem removendo* e loco delicti.

Quare, ut notat Avanzini (*Acta S. Sedis* vol. 7, pag. 317 sqq.), non videntur excommunicationi subjacere sacerdotes indigenae, etsi peccaverint.

---

[1] Poenas *contra sollicitantes*, quum *ferendae sint sententiae*, ut perpetua suspensio a celebranda Missa, discutere supersedeo. (Cf. Instr. hoc n. laud.)

[2] Quod 1) clare subintelligitur in responso 14 mox allato; 2) ex edicto S. Inquis., quod refertur a S. Alphonso l. 6 n. 680 in fine: „Denuntient, quemcunque *noverint* aut compererint . . . sacramento poenitentiae abusum esse . . . sollicitando et instituendo sermones etc. (ciascuno di coloro de' quali sappiano, o abbiano notizia etc.).“ Cf. etiam Gury-Ballerr. II. n. 590; II. n. 977, IV. not.

2. Absolutio dari nequit (extra mortis articulum), *nisi lucro restituto:* facta autem hac lucri restitutione, quilibet legitimus delinquentis confessarius absolvere potest, quia excommunicatio per se non est reservata. — Superiores, sola punitionis omissione delinquentes, absolvi possunt antea, nec mora aliorum delinquentium iis nocet: D'Annibale ed. 4. *append. III.*

3. Lucri autem restitutio fieri debet (ita ex Const. Clem. IX.) non in usum ejus ordinis, ad quem reus pertinet; sed in manus Ordinarii, vel Vicarii Apostolici, idque in usum pauperum, hospitalium, seminariorum ecclesiasticorum, aliorumve operariorum impendendum.

Dein addenda sunt reliquae excommunicationes a Concilio Trid. statutae, quae item reservatae non sunt.

§ 6.

„Qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii appro- 980
batione imprimunt, aut imprimi faciunt." Trid. sess. 4 *de edit. et usu S. Scripturae.* Sic Bulla *‚Apostolicae Sedis'* hanc excommunicationem limitavit.

1. Materia ex probabili interpretatione, quam et inscriptio capitis Trid., et totus contextus suadet, est sola impressio S. Scripturae aut ejus commentariorum vel adnotationum: v. Avanzini et ipsum S. Officium 22. Dec. 1880 (ut supra in *Archiv für kath. Kirchenr.* tom 46 pag. 26).

2. Personae, quae excommunicantur: 1) qui imprimit seu curam imprimendi suscipit; 2) qui librum imprimendum committit. — Quare scriptor, qui manuscriptum suum alteri vendiderit, de impressione nihil curans, non incurrit excommunicationem.

§ 7.

„Raptor (mulieris), ac omnes illi consilium, auxilium et fa- 981
vorem praebentes, sint ipso jure excommunicati (ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces)." Sess. 24 cap. 6 *de ref. matr.*

1. Intelligitur solus raptus matrimonii causa, seu qui impedimentum dirimens matrimonii constituat: quare ejus limitationem vide supra n. 771 et 772.

2. Verum excommunicatio extenditur in *plures,* quam quos impedimentum matrimonii afficit, videlicet in: 1) raptorem proprie dictum, 2) exsecutorem, si distinctus est, 3) omnes cooperantes.

§ 8.

Trid. sess. 24 cap. 9 *de ref. matr.:* „Quare, quum maxime 982
nefarium sit, matrimonii libertatem violare, et ab eis injurias nasci, a quibus jura exspectantur, praecipit S. Synodus omnibus cujuscunque gradûs, dignitatis et conditionis exsistant, sub anathematis poena, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscunque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant."

1. Haec censura non fertur in quaslibet personas, sed, ut contra alios scriptores et aliorum auctoritas et ipsius capitis Tridentini inscriptio et exordium omnino probabiliter suadet, contra eos solum, qui *neque privatae* personae sunt, *neque summa* potestate saeculari potiuntur, sed contra „dominos temporales et *magistratus*“, qui *auctoritatem quasi mediam* exercent, uti nobiles in servos (Hörigen, Leibeigenen) atque colonos, quibus incumbat, jura subditorum suorum protegere. Verum hodie raro in praxi occurret. Cf. Castrop. *de censur.* d. 3 p. 24.

2. Delictum est: *injusta coactio,* ita ut non relinquatur libertas sive in ineundo repellendove matrimonio, sive in eligenda persona. Coactio fit inferendo, aut minitando mala.

Ergo 1) non intelligitur suasio, etsi aliquatenus importuna;
2) neque intelligitur justa coactio ad matrimonium, cujus contrahendi jam obligatio exsistat;
3) neque intelligitur denegatio beneficii, ad quod alter jus non habet, sub hypothesi, si nolit hoc vel illud matrimonium contrahere.

3. Videtur aliquando nostris temporibus accidere posse, ut verificetur causa a Concilio Trident. sub excommunicatione hac damnata, vid. si magistratus civilis post matrimonium ecclesiastica auctoritate legitime solutum sive pro nullo declaratum putativos conjuges ad matrimonium continuandum cogere velit.

§ 9.

983 Sess. 25 cap. 18 *de ref. reg.:* „Anathemati S. Synodus subjicit *omnes* . . . si quomodocunque coëgerint aliquam virginem vel viduam aut aliam quamcunque mulierem, praeterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscunque religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium vel favorem dederint; quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subjicit eos, qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint.“

I. Delicta igitur sunt: 1. coactio mulieris ad ingressum, habitum religiosum, professionem;

2. cooperatio quaelibet ad has coactiones;

3. cooperatio quaelibet in admissione coactae personae scienter facta;

4. prohibitio profitendi vitam religiosam (hoc solo sensu intelligitur *„veli susceptio“* a Sanchez, Suarez, Bonac., Castropal. [d. 3 p. 36] etc.).

II. Coactio ad quid requiratur, paulo accuratius describendum est:

1. sufficit coactio *ad ingressum* monasterii, etsi non fiat, ut femina profiteatur, sed ut tantum in secessu a saeculo vivat (v. Sanchez *in decal.* l. 4 cp. 4, Castropal. l. c. n. 8);

2. ad suscipiendum habitum: ergo, etsi libera ingressa sit, sed habitum sumere seu novitiatum experiri nolit;

3. coactio ad professionem post novitiatum etiam libere peractum.

III. Restrictio: 1. Restringenda est censura ad monasteria ordinis stricte dicti.

2. Excipiunt communiter compulsum pro tempore solius educationis causa, si prudens suspicio est, ne puella alioqui pravis incontinentiae moribus imbuatur (S. Alph. n. 212); non vero, si educatio sumitur pro praetextu, finis verus autem est coactio ad vitam monasticam postea a puella assumendam.

3. In jure excipitur casus, quo vir, consentiente uxore, 1) Episcopatum susceperit, 2) religionem professus sit, uxor vero in juvenili aetate; 3) si mulierem ob adulterium repudiatam nolit recipere et periculum pravae vitae adsit.

Quare patet, excommunicationem non respicere casus illos, quando piarum congregationum mulieres puellas instituere et educare ex fine sui instituti consueverunt, et in suis domibus collocant.

§ 10.

Sess. 25 cap. 5 *de ref. reg.:* „Auxilium (brachii saecularis) 984
ut praebeatur (ad impediendam violationem clausurae monialium), omnes christianos Principes hortatur S. Synodus, et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda omnibus magistratibus saecularibus injungit.“

Quae censura plerisque in locis hodie ob varias causas vix incurritur. Per se fertur *in magistratus* (ut distinguuntur a suprema Principum potestate); qui *ad instantiam Episcopi* non concedunt auxilium contra eos, qui contradicunt et observare nolunt clausuram in monasteriis monialium.

§ 11.

„Si quis autem contrariam doctrinam (sc. contrariam ei, quae 985
necessitatem confessionis ante sumptionem S. Eucharistiae indicit), praedicare, vel pertinaciter asserere, vel etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus exsistat.“ (Sess. 13 can. 11 *de Euchar.*) — „Eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea (matrimonia clandestina, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit) vera et rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse.“ (Sess. 24 cap. 1 *de ref. matr.*)

I. Habes hîc aliquot theses damnatas, quas qui defendit, excommunicationem non reservatam incurrit.

Igitur: 1. qui defendit thesim haereticam, facile incurrit excommunicationem R. Pontifici speciali modo reservatam ex § 1 cap. *primi;* 2. qui defendit thesim a R. Pontifice non ut haereticam, sed utcunque sub excommunicatione damnatam, incurrit excommunicationem R. Pontifici ordinario modo reservatam (quae *reservatio* consuevit simul addi) ex § 1 cap. *secundi;* 3. qui theses istas relatas a Tridentino defendit, facile impingere potest in haeresim vel contra can. 11 *de Euch.,* vel in can. 12 *de matrim.:* quod si fit, excommunicatio est speciali modo R. Pontifici reservata. — Si vero mens haeretica non patet, excommunicatio nemini reservatur.

II. Defensio intelligitur: 1. in concione proponere; 2. alias pertinaciter asserere; 3. in publica disputatione eam defendere, etsi *ut probabilem* tantum, non ut certam. — In *altera* thesi sufficit simplex *assertio.*

III. Doctrina, cujus defensio vel assertio hanc excommunicationem secum trahit, est:

1) necesse non esse, *confiteri* eum, qui peccati mortalis sibi conscius sit, ante sumptionem Eucharistiae, quamquam copia confessarii adsit;

2) parentibus inesse potestatem, matrimonia filiorum rata irritave facere;

3) matrimonia clandestina, etsi Ecclesia ea irrita non fecerit, aut per se irrita esse, aut ab alia potestate esse irrita.

§ 12.

986 Excommunicationes, quae jure universali vigent ex causa universali, hucusque enumeratae sunt. Bulla *„Apostolicae Sedis“* insuper addit:

> „Quae vero censurae seu excommunicationis seu suspensionis seu interdicti Nostris aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt atque hactenus in suo vigore perstiterunt, seu pro Romani Pontificis electione, seu pro interno regimine quorumcunque ordinum et institutorum regularium, necnon quorumcunque collegiorum, congregationum, coetuum locorumque piorum, cujuscunque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse et in suo robore permanere volumus et declaramus.“

I. Quae de electione S. Pontificis statuantur, nostrum non interest explicare. Videri haec possunt apud Thesaur. *de poenis eccles.* ad vocem *„Conclave“* et alibi apud Canonistas hac de re agentes.

II. De interno regimine cujuslibet ordinis et instituti etc., quae statuta sint, sui quisque ordinis, instituti etc. leges, Constitutiones RR. PP. consulat. — Quaedam ex iis, quae omnes ordines spectant Ballerini in edit. Gury in fine tom. II n. 979 recenset: *„Simplicem excommunicationem“* incurrunt:

1. qui temere habitum religionis suae dimittunt — etsi non fit animo apostatandi; nam excommunicatio statuitur, „ut periculosa religiosis evagandi materia subtrahatur“: v. Decretal. in 6^to^ l. 3 tit. 24 cap. 2 *„Ut periculosa“.*

2. Monachi, aut regulares canonici ad curias Principum sese conferre praesumentes, ut suis praelatis aut monasteriis damnum inferant: v. Clementin. l. 3 tit. 10 cap. 1 § *„Quia vero“.*

3. Monachi intra septa monasteriorum sine licentia abbatum suorum arma tenentes. Clem. *ibid.*

987 Excommunicationem *Rom. Pontifici reservatam* incurrunt:

1. Superiores, qui quosvis religiosos, etiam non subditos, haeresi infectos, aut de haeresi suspectos non denuntient: Paul V. *„Rom. Pontifex“,* Alex. VII. *„Licet alias“.*

2. Superiores, qui in causis ad S. Officium spectantibus sese utcunque intromittere audeant. *Ibid.*

3. Superiores, qui subditos suos ad S. Officium recurrere volentes, quoquo modo avertant, retrahant, dissuadeant. *Ibid.*

4. Religiosi etiam subditi, si non denuntient confratres vel etiam Superiores ejusdem ordinis, quos noverint esse de fide quomodolibet, etiam leviter, suspectos. (NB. Id intellige de *gravi crimine*, quod secundum Canones reum reddat leviter suspectum de haeresi.) *Ibid.*

5. Quicunque religiosi, retrahentes aut retardantes a denuntiando sub quolibet praetextu, sive fraternae correctionis sive alio, eos qui a se petunt consilium. *Ibid.*

Ab enumerandis excommunicationibus ferendae sententiae a jure statutis prorsus abstinemus: eorum est illas nosse, qui tandem eas ferre debent.

Caput V. seu Series V.

Suspensiones latae sententiae.

Igitur incurrunt:

A. Suspensionem *a beneficiis* (ad beneplacitum S. Sedis) — Ex supra dictis cap. III non est censura veri nominis: 988

I. Capitula, conventus, aliique omnes (i. e. etiam singuli, si qui singuli rei sunt), qui recipiant praelatum, a S. Sede tali ecclesiae vel monasterio praefectum, antequam exhibuerit literas Apostolicas suae promotionis. („*Apost. Sedis*“ Art. I.)

B. Suspensionem *a collat. Ordinum.* 989

a) *Per triennium* (reservatur R. Pontifici).

II. Qui confert ordines (intellige majores, ad quos solos in rigore titulus sustentationis requiritur: cf. supra de ordine n. 603) absque titulo beneficii vel patrimonii et simul cum pacto, ne ordinatus petat alimenta. („*Apost. Sedis*“ Art. II.)

NB. Alias, si ‚collatio ordinum‘ dicitur, neque aliunde patet restrictio, intelliguntur etiam ordines minores, imo ipsa tonsura.

b) *Per annum* (R. Pontifici reservatur).

III. Qui ordinat alienum subditum sine literis dimissorialibus, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut beneficii non sufficientis jam collati. („*Apost. Sedis*“ Art. III.)

Textus Bullae „*Apost. Sedis*“: Art. I. „Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et conventus ecclesiarum et monasteriorum, aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve praelatos de praedictis ecclesiis seu monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint literas Apostolicas de sua promotione.“

Art. II. „Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii, cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.“

Art. III. „Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi literis dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit, absque Ordinarii ejus loci literis testimonialibus.“

Subditus esse aliquis potest ratione originis, domicilii, beneficii, familiaritatis: de quo vide *Sacram. Ordinis.*

IV. Qui ordinat proprium subditum tanto tempore alibi commoratum, ut impedimentum canonicum contrahere potuerit, sine literis testimonialibus Ordinarii illius loci. (Intellige commorationem 6 mensium seu eam, propter quam in casu matrimonii testimonium *statûs liberi* requiritur; imo S. C. C. in causa *Firmana* d. 9. Sept. 1893 de iis, qui militaverant, resp.: literas testimoniales esse necessarias, quoties promovendus moratus fuerit in aliqua dioecesi *saltem per trimestre.* Acta S. Sedis vol. 26 p. 431.) — Suspensio III et IV non incurritur ob collatam tonsuram. (S. Off. 18. Apr. 1888.)

V. Conferens ordines sacros religioso *non solemniter* professo sine titulo beneficii[1] aut patrimonii, *nisi adest privilegium. („Apost. Sedis“* Art. IV.)

990 C. Suspensionem *ab usu Pontificalium.*

a) *Indefinite (speciali modo* Romano Pontifici reservatam).

VI. Illi, qui, episcopali charactere insigniti, dioecesis vacantis administrationem ante exhibitas literas Apost. transferunt (aut ad id *cooperantur*) in eum, qui electus est aut praesentatus ad episcopalem illam sedem: *v. sup. n. 941.*

VII. Episcopi, qui in aliena dioecesi sine licentia expressa Pontificalia exercent, aut in personas illius loci Ordinario non subjectas (Trid. sess. 6 c. 5 *de ref.):* — non est specialiter reservata; — nota, facile posse etiam tum incurri suspensionem n. III.

b) *Per annum* (reserv. R. Pontifici simpliciter).

VIII. Qui illegitime ordinant clericos in Urbe Roma commorantes (cf. *infra* de suspensione *„ab ordine suscepto“*).

Art. IV. „Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.“

Art. V. „Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt religiosi ejecti, extra religionem degentes.“

Art. VI. „Suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eundem ordinem recipere praesumpserint ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.“

Art. VII. „Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario, posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint; necnon clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis, quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt; Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.“

---

[1] Scite notat Comment. Reat., peccare quidem graviter eum, qui ordinet, et qui ordinatur non solum quando titulus *nullus* sit aut titulus, ex quo *jus nullum* oriatur, sed etiam quando titulus sit insufficiens, fiduciarius, injustus, restitutioni aut resolutioni obnoxius: verum censuram hanc (n. V.) non incurri, modo *aliquod jus,* etsi non sufficiens, aut non plenum, aut non perpetuum, in ordinandum seu ordinatum transeat.

IX. Episcopi *titulares,* qui alicui sine sui praelati expresso consensu aut sine literis dimissorialibus ordinem vel etiam tonsuram tantum conferunt, etsi fit titulo familiaritatis. (Trid. 14, 2 *de ref.*)

D. Suspensionem *ab exercitio ordinum* (perpetuam, — reserv. R. Pontif.). 991

X. Religiosi ejecti extra religionem degentes. („*Apost. Sedis*" Art. V.)[1]

NB. 1. Quamquam dicitur „*in perpetuum*", tamen quum *propter mutatam conditionem* desinere possit, *veri nominis censura videtur esse.*

NB. 2. Ut suspensionis *censura* incurratur, debet religiosus juste esse ejectus, i. e. ex justa causa, et servata forma justa seu legitima.

NB. 3. Ex decr. S. C. Epp. et Reg. „*Auctis admodum*" d. 4. Nov. 1892 etiam *dimissi* ex quocumque instituto religioso suspensionem patiuntur, sive absolute sive conditionate, secundum ea, quae habes *hoc vol. n. 603.*

E. Suspensionem *ab ordine suscepto* (i. e. cum tali peccato sus- 992
cepto[2]) (reservatur R. Pontifici, nisi aliud notetur, *indefinite*).

XI. Qui ordinem suscipere praesumpsit (qui enim bona fide ita egit, dispensationem ab Episcopo habere potest tamquam ab irregularitate) ab excommunicato, suspenso, interdicto *nominatim denuntiatis,* aut *a notorio* haeretico vel schismatico. („*Apost. Sedis*" Art. VI.)

XII. Clerici saeculares extranei Romae commorantes et

XIII. Clerici saeculares Romani: nisi hi utrique observant normam desumendam ex Art. VII. „*Apost. Sedis*" quoad ordines suscipiendos (n. XII et XIII statuitur „*ad beneplacitum S. Sedis*").

XIV. Ordinati per saltum. (Trid. 23, 24 *de ref.*)

(Episcopus tum tantum ex se dispensare potest a n. XIV, quando ordinatus aut non ministravit in illo ordine, aut si delictum occultum est.)

XV. *(Ad beneplacitum proprii Ordinarii.)* Ordinati ab Episcopo non proprio sine literis dimissorialibus, vel respective testimonialibus. (Trid. 23, 8 *de ref.*)

XVI. *(Ad beneplacitum proprii Ordinarii.)* Ordinati in aliena dioecesi aut in loco exempto sine licentia Ordinarii loci; et ii, qui sine licentia ordinantur ab Episcopo titulari. (Trid. 6, 5; 14, 2.)

XVII. *(Ad benepl. futuri Ordinarii.)* Qui suscipiunt ordinem sacrum cum literis dimissorialibus *illegitime* concessis, sede vacante. (Trid. 7, 10; 23, 10 *de ref.*)

Ex Trid. sess. 23 cap. 14 de ref.: „Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare."

Sess. 23 cap. 8 de ref.: „Nemo ordinetur ab Episcopo non proprio, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus."

Sess. 6 cap. 5 de ref.: „Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii praetextu Pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia et in personas eidem Ordinario subjectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium et sic ordinati ab exsecutione ordinum sint ipso jure suspensi."

---

[1] De quo nunc cf. decr. *Auctis* infra *Num. XXIV.* append. I. — Dein addenda est suspensio propter violatas leges circa Missarum stipendia: de qua v. supra n. 971.

[2] Haec suspensio *„ab ordine suscepto"* solummodo in casibus XI. et XIV. *censura* est: in aliis casibus sub. n. XII. XIII. XV. XVI. XVII. non est proprie censura secundum probabilem interpretationem (v. cap. III. § 1 supra), quum feratur *„ad beneplacitum* vel S. Sedis (n. XII. et XIII.) vel Ordinarii" (n. XV. XVI. XVII.): quare ejus violatio irregularitatem probabiliter non infert.

993 F. Suspensionem *ab officio et beneficio seu totalem* incurrunt.

XVIII. a) (*per annum* — reservatur, si publica est, R. Pontifici; alioquin Ordinario). Qui *concedunt* illegitime literas dimissoriales, sede vacante (communiter si infra annum concedunt). (Trid. 23, 10 *de ref.*)

XIX. b) *(Ad beneplacitum Ordinarii parochi laesi.)* Qui sine parochi proprii licentia sponsos matrimonio jungunt, *aut* benedicunt. (Trid. 24, 1 *de ref. matr.*)

NB. 1. Haec suspensio non valet, ubi c. „*Tametsi*“ *promulgatum nunquam est.*

2. Suspensio fertur in omnes sacerdotes tum saeculares, tum regulares: in ejus absolutione ipsi etiam regulares exempti subjacent jurisdictioni Episcopi.

XX. *(Indefinite et ex subjecta materia reservata.)* Episcopus, si quis concubinatû reus a synodo provinciali admonitus non resipiscat. (Trid. 25, 14 *de ref.*)

XXI. *(S. Sedi specialiter reservata.)* „Clericus, qui, ut intestinis bellis et publicis contentionibus opem utcumque ferat, proprium residentiae locum absque justa causa, quae a legitima ecclesiastica auctoritate recognita sit, deseruerit; vel clericales vestes exuerit, quamvis arma non sumpserit et humanum sanguinem minime fuderit; et eo magis qui in civili bello sponte sua nomen militiae dederit, aut bellicas actiones quomodocumque dirigere praesumpserit, etsi ecclesiasticum habitum retinere pergat“. (Leo XIII. per decr. S. C. C. 12. Julii 1900; *Anal. eccl.* 8, 352.) Cf. infra n. 1017 not.

Sess. 14 cap. 2 de ref.: „Nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, etiam si in loco nullius dioecesis etiam exempto, aut aliquo monasterio cujusvis ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis, continuae commensalitatis suae, absque sui proprii praelati expresso consensu aut literis dimissoriis ad aliquos sacros aut minores ordines vel primam tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contra faciens exercitio Pontificalium per annum, taliter vero promotus ab exsecutione ordinum sic susceptorum, donec suo praelato visum fuerit, ipso jure sint suspensi.“

Sess. 7 cap. 10 de ref.: „Non liceat Capitulis sede vacante infra annum a die vacationis ordinandi licentiam aut literas dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii aut consuetudinis vigore alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti seu recipiendi arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens ecclesiastico subjaceat interdicto, et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus gaudeant. In majoribus vero ab exsecutione ordinum ad beneplacitum futuri praelati sint ipso jure suspensi.“

Sess. 23 cap. 10 de ref.: „Poenam quoque impositam iis, qui . . . a Capitulo, episcopali sede vacante, literas dimissorias impetrant (v. supra sess. 7 cap. 10) ad illos, qui easdem literas non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis in jurisdictione Episcopi loco Capituli sede vacante succedentibus obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam decreti ab officio et beneficio per annum sint ipso jure suspensi.“

Sess. 24 cap. 1 de ref. matr.: „. . . Quod si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.“

Sess. 25 cap. 14 de ref.: „Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine (concubinatûs) non abstinuerint, et, a synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi.“

Caput VI. seu Series VI.

Interdicta latae sententiae incurrunt:

A. *Interdictum totale.*

I. *(Interdictum speciali modo R. Pontifici reservatum,* idque *totale generale,* 994
personale, indefinite:) Collegia, Universitates, Capitula quaecunque appellantia ab ordinationibus seu mandatis R. Pontif. ad Concilium generale futurum. (Cf. c. I. § 4, ubi vides, singulos, qui rei sunt, incurrere etiam excommunicationem: interdictum vero afficit etiam *innocentes,* qui membra sunt collegii etc. secundum regulas de interdicto.)

II. (Interdictum *totale ejusdem speciei,* sed *non speciali modo* reserv.) Capitulum infra annum a vacatione sedis concedens literas dimissorias de ordine suscipiendo praeter casus a jure exceptos. (Trid. supra sess. 7 c. 10 *de ref.*)

B. *Interdictum ab ingressu ecclesiae.* 995

a) *specialiter R. Pontifici reservatum* (cf. cap. I § 13).

III. Ii, qui, episcopali charactere insigniti, suspensionem (n. VI) incurrunt propter dioecesis administrationem translatam in eum, qui electus aut praesentatus est ad illam sedem episcopalem (specialiter *R. Pontifici reserv.*): v. c. I § 13.

IV. b) *(Reservatum ei, cujus sententia lata est:)*

Qui aut 1) celebrant divina in ecclesiis seu locis interdictis,

aut 2) ibi divina celebrari faciunt (sive qui *auctores sunt,* mandando, jubendo, cogendo).

aut 3) ad divina admittunt *nominatim excommunicatos.*

NB. 1. Divina intelliguntur: officia divina, sacramenta, ecclesiastica sepultura.

NB. 2. Quid vero per interdictum „ab ingressu ecclesiae" intelligatur, v. *de interdicto in genere* n. 912.

NB. 3. Hoc interdictum inter censuras proprie numerari debere ex eo colligitur, quod non statuitur *„ad arbitrium Superioris"*, sed *„donec competenter satisfecerint* ad arbitrium Superioris"; quare, cessante per debitam satisfactionem contumacia, reus absolutione donandus est.

V. c) *(Ex re subjecta ad S. Sedem recurri debet:)*

Metropolitanus, aut in ejus defectu antiquior suffraganeus Episcopus, qui non denuntiat infra tres menses Episcopum non residentem, si ultra secundum semestre illegitime abesse pergat. (Trid. sess. 6 c. 1 *de ref.*)

Subjicio textum Bullae *„Apostolicae Sedis"* et Conc. Trid.

Art. I. „Interdictum R. Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt universitates, collegia et capitula, quocunque nomine nuncupantur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem R. Pontificis pro tempore exsistentis ad universale futurum Concilium appellantia."

Art. II. „Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario vel delegato judice, vel a jure[1] interdictis, aut nominatim excommunicatos

[1] Loca a jure interdicta intellige *„hypothetice interdicta"*. Nimirum quando Episcopus *civitatem* vel similia loca generaliter interdicit, ipsum jus interdicit *loca exempta* in ambitu loci generaliter interdicti forte exsistentia.

ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes interdictum ab ingressu ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint."

Trid. sess. 7 cap. 10 v. supra pag. 704.

Trid. sess. 6 cap. 1 de ref.: „Crescente vero contumacia (Episcopi, qui ultra secundum semestre non resederit), ut severiori ss. canonum censurae subjiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressûs ecclesiae eo ipso incurrenda, infra tres menses per literas seu nuntium R. Pontifici denuntiare tenetur."

Appendicis loco subnectimus brevem indicem omnium censurarum latae sententiae.

996

I. Excommunicationes speciali modo R. Pontifici reservatas incurrunt:

Si ad quaedam genera casus I. ser. revocare volumus, gravissima et speciali poena haec puniuntur:

1. Apostatae et haeretici, et omnes fautores.
2. Qui libros specialiter prohibitos (duplicis generis) legunt, retinent, imprimunt, defendunt.
3. Schismatici et qui recedunt ab obedientia R. Pontificis.
4. Appellantes ab ordinationibus Papae ad futurum univers. concilium eorumque adjutores.
5. Qui vim inferunt Cardinalibus, Episcopis, Apostolicis Legatis et Nuntiis, et varii complices.
6. Qui jurisdictionem eccles. impediunt, qui ad id recurrunt ad tribunal laicale, et complices.
7. Qui cogunt judices laicos ad judicandas personas ecclesiast., et qui leges vel decreta ferunt contra jura et libertatem Ecclesiae.
8. Qui impedire conantur literas Apostolicas per laicam potestatem, cum variis complicibus.
9. Qui falsificationem faciunt in literis Apostolicis vel earum publicatione: (de quo cf. n. 998, 3).
10. Absolventes complicem.
11. Usurpantes vel sequestrantes jurisdictionem vel bona, quae ad personas ecclesiasticas ratione ecclesiae vel beneficii pertinent.
12. Laedentes jura vel bona Ecclesiae Romanae vel supremam ejus jurisdictionem, cum complicibus.
13. Eligentes eum ut Vicarium Capitularem, qui electus aut praesentatus jam est ad ipsam sedem Episcopalem, cum complicibus.

(a) Crimina, quae ad haeresim vel schisma spectant; (laesio Ecclesiae in suo fundamento et essentiali vinculo.) (1—4.)

(b) Laesio Eccl. in suis membris principibus. (5.)

(c) Laesio Ecclesiae in potestatis usu, et independentia. (6—9, et 13.)

(d) Laesio Ecclesiae in principalioribus rebus ecclesiasticis. (11 et 12.)

(e) Complicis absolutio. (v. n. 10.)

II. Excommunicationes ordinario modo R. Pontifici reservatas incurrunt:

Praecipuae igitur, quae in praxi facilius occurrere possunt: 997

1. Docentes vel defendentes theses sub excommunicatione damnatas, aut praxim damnatam inquirendi nomen complicis.
2. Injicientes in clericos vel religiosos manus violentas, suadente diabolo. — Percussio clerici. (2.)
3. Duellantes, vel provocantes vel acceptantes, cum omnibus duelli complicibus: permittentes, non impedientes, ex industria spectantes. — Duellum. (3.)
4. Sectae massonicae vel simili nomen dantes, cum fautoribus; et non denuntiantes occultos coryphaeos. — Secta Massonica. (4.)
5. Immunitatem ecclesiastici asyli ausu temerario violantes aut violari jubentes.
6. Violantes clausuram monialium sc.: tum ob egressum moniales; tum ob ingressum et extranei ingredientes utriusque sexûs, et qui eos admittunt, sive moniales sive alii. — Violatio clausurae. (6 et 7.)
7. Violantes clausuram religiosorum per ingressum (mulieres et qui eas admittunt).
8. Simoniae realis in beneficiis quibuslibet rei, cum complicibus. — Simonia diversi generis. (8—12.)
9. Simoniae confidentialis rei in beneficiis quibuslibet.
10. Simoniae realis rei ob ingressum in religionem.
11. Quaestum facientes ex gratiis vel facultatibus spiritualibus (tantum qui sunt Episcopis inferiores).
12. Mercaturam exercentes cum stipendiis Missarum.
13. Suadentes vel quomodolibet tractantes de alienatione seu infeudatione locorum ad Romanam Ecclesiam pertinentium.
14. Religiosi administrantes eis, qui ad familiam non pertinent, Viaticum vel Extremam Unctionem sine licentia parochi extra casum necessitatis. — Usurpatio bonorum ecclesiasticorum. (19.)
15. Extrahentes e catacumbis absque legitima venia reliquias, cum complicibus.
16. Communicantes in crimine criminoso cum excommunicato nominatim a Papa.
17. Clerici scienter et sponte recipientes ejusmodi excommunicatum in divinis.
18. Absolventes sine debita facultate in casibus I. seriei.
19. Usurpatores et retentores quorumlibet bonorum ecclesiasticorum vel loci pii. (Trid.)

Insuper nota ea, quae regulares vel clericos spectant:

a) regulares in causa Viatici et Extr. Unctionis. (14.)

b) clerici notorie excommunicatos admittentes. (17.)

c) absolventes sine debita facultate. (18.)

998 III. Excommunicationes Papales
Ordinario reservatas
incurrunt:

1. Matrimonium contrahere attentantes cum violatione voti solemnis castitatis sive ordinis sacri sive religiosae professionis (ipsi et compartes).
2. Procurantes abortum, effectu secuto.
3. Qui aliquid committunt, vel participant in crimine falsarii literarum Apostolicarum, (quod nondum punitum invenitur in n. 9 I^ae seriei v. cap. I § 9).

999 IV. Excommunicationes
non, seu nemini reservatas
incurrunt:

1. Mandantes vel cogentes ad sepulturam ecclesiasticam impertiendam haereticis notoriis, aut nominatim excommunicatis vel interdictis.
2. Laedentes seu Inquisitionem seu alios ejus causa, et complices.
3. Alienantes vel recipientes bona ecclesiastica sine beneplacito Rom. Pontificis (qui non comprehensi jam sunt poena graviore), quamquam bona illa jure administrant.
4. Non denuntiantes infra mensem casum sollicitationis secum factae vel turpem tractatum in circumstantiis ad confessionem spectantibus.
5. Qui libros de S. Scriptura tractantes sine approbatione Ordinarii imprimunt vel imprimi faciunt.
6. Raptores mulierum, et complices.
7. Domini temporales et magistratus violantes libertatem in contrahendo matrimonio.
8. Quicunque cogunt mulierem ad ingressum in monasterium, ad habitum, ad professionem, et varii complices; aut qui ejus professionem impediunt.
9. Magistratus ad instantiam Episcopi non juvantes in causa clausurae monialium.
10. Asserentes, matrimonia clandestina invalida esse sine interventu legis ecclesiasticae; defendentes, ante sumptionem Eucharistiae non requiri extra casum necessitatis et defectûs confessarii confessionem peccati mortalis (nisi ea docentes, circumstantiis spectatis, graviores haereticorum poenas incurrunt).
11. Missionarii sive saeculares sive regulares mercaturam agentes in Indiis, China, Japonia, universa America; atque Superiores regularium, qui reos non removent.

12. Praeterea in vigore suo permanent omnes censurae circa 1) electionem Rom. Pontificis, 2) internum regimen cujusque ordinis, congregationis, loci pii.

V. Praecipuae Suspensiones (magis minusve restrictae). 1000

1. In ordinantes, si sine titulo aut vero aut aequivalenti; si alieno subdito, vel proprio diutius absenti, sine literis alterius Ordinarii ordines conferunt; vel si in alieno territorio absque debita facultate Pontificalia exercent.
2. In cooperantes ad transferendam administrationem dioecesis a Capitulari Vicario in eum, qui electus aut praesentatus est ad Episcopatum (si delinquentes Episcopi sunt).
3. In capitulum vel ei succedentes in jurisdictione, si illegitimae conceduntur dimissoriales.
4. In ordinatos: a) per saltum; b) ab eo, qui illegitime ordinat (secundum n. 1 et 3); c) ab Episcopo notorie haeretico vel schismatico, aut nominatim denuntiato ut excommunicato vel suspenso vel interdicto.
5. In religiosos ejectos extra religionem degentes.
6. In sacerdotes (sive saeculares sive regulares) contra jus parochi sponsos matrimonio jungentes vel benedicentes.

VI. Interdicta.

1. Totale:
   a) in communitates vel personas morales appellantes a Papa ad Concilium generale futurum (est speciali modo R. Pontifici reservatum). 1001
   b) in capitulum, concedens illegitimas literas dimissoriales.
2. Ab ingressu ecclesiae: incurrunt
   a) iidem, qui suspensionem (2.) incurrunt (specialiter R. Pontifici reservatum);
   b) celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis;
   c) ad divina admittentes nominatim excommunicatos;
   d) Metropolitanus (vel alius Episcopus) non denuntians Episcopos . . . diu non residentes.

Tractatus II.

De Irregularitatibus.

Scriptores, qui hac in re laudari merentur, habes inter alios: Covarruvias, Navarr. (Azpilcueta), Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Suarez *de censuris*, Laymann *theol. moral.* l. 1 tr. 5 p. 5, Tamburini *Moralia* tom. I. lib. X. tract. IV., Mazzotta *theol. moral.* tr. VIII. disp. V., Elbel *theol.* p. V. n. 151—285, S. Alphons. l. 7 n. 341—470; ex recentioribus: Phillips *Kirchenrecht* vol. I. § 46—56, Boeninghausen *de irregular.* Monaster. 1863 etc., D'Annibale *Summ. theol. mor.* vol. I. tr. VII.

Caput I.

De Irregularitatibus generatim.

1002 I. Irregularitas definitur: canonicum impedimentum, quo aliquis prohibetur, quominus ad gradum clericalem vel altiorem gradum ascendat, gradusve suscepti officium exerceat.

II. Quapropter irregularitas in se et primarie rationem impedimenti habet, non poenae. Attamen non raro in poenam statuitur, eamque vindicativam. Hinc exsistit divisio in irregularitates *ex defectu*, et in irregularitates *ex delicto*.

III. Irregularitas ex defectu non ratione culpae, sed ratione aut indecentiae aut impossibilitatis munera cum clericali statu conjuncta exercendi constituitur; ac sine ulla culpa adesse potest et adest. Quum igitur solum factum respiciat, consequitur, ut nulla ignorantia ab ea excusare possit, atque ut aliquae sint prorsus indispensabiles, aliae vero, quando circumstantiae personarum indecentiam minuant, dispensatione tolli possint.

IV. Quia autem gravius est, ex officio suscepto ejici, quam ad illud non admitti, generalis regula est: ante ordinem suscipiendum ille irregularis *simpliciter* est, qui ad *aliquod* munus suscipiendi ordinis decenter exercendum ineptus est; post ordinem autem susceptum quando supervenit defectus, irregularitas non inducitur simpliciter, sed relate ad illa munera tantum, quibus exercendis clericus non amplius idoneus exsistit. — Irregularitas ex defectu potest igitur esse *partialis*.

1003 V. Irregularitas ex delicto — quae, nisi aliud exprimitur, *totalis* est — quamquam proxime et in se etiam est impedimentum suscipiendi vel exercendi officii clericalis: tamen vere habet rationem *poenae*, ejusque gravis et extraordinariae, quum vere grave omnino sit, ad certa officia perpetuo fieri inhabilem. Quare merito haec statuunt scriptores:

1. Causa, propter quam haec irregularitas incurratur, debet actus externus opere consummatus esse, ut in censuris observatum est.

2. Quidquid excusavit a peccato mortali, excusat ab irregularitate.

3. In dubio sive juris sive facti irregularitas non censetur adesse (excipitur aliquod dubium in causa homicidii, de quo infra).

4. Practice probabile est, hujusmodi irregularitatem, nisi infamia accedat, non incurri ab eo, qui non cognoverit legem ecclesiasticam sive delictum prohibentem, sive poenam irregularitatis infligentem, si modo non sit ignorantia crassa vel supina: v. Sanchez, Castropal., Tamburini *de cens. et irregularitate* tr. 4 c. 4 § 5, Mazzotta *de irreg.* q. I. ab initio, S. Alph. l. 7 n. 351 etc.; — quomodo excipiatur irregularitas ex homicidio, vide infra n. 1012 sqq.

5. Delictum commissum ante septimum aetatis annum, vel ante baptismum non inducit irregularitatem ex delicto, nisi forte adjungatur *infamia*, quae irregularitas ex defectu est: v. ibid.

VI. Irregularitas *„ab homine“* non exsistit; sed ii soli irregulares sunt, quos lex ecclesiastica lata irregulares esse declaravit.

VII. Irregularitas ex defectu aliquando ex se, defectu sanato, tol- 1004
litur; alioquin etiam irregularitas ex defectu, si absolutam indecentiam aut ineptitudinem non induxit, dispensatione sola aufertur, sicut quaelibet irregularitas ex delicto.

NB. Quamquam generatim rectius dicitur „*dispensatio* ab irregularitate“: tamen in privilegiis, quae S. Sedes aliquando pro foro conscientiae concedit ad auferendas irregularitates ex delicto occulto oriundas, etiam vox „*absolutionis*“ relate ad illas irregularitates adhibetur, idque recte, quia de *reatu poenae* tollendo agitur.

VIII. Dispensatio, quamquam per se ad S. Pontificem spectat, dari potest ex Trident. cap. „*Liceat*“ (6) sess. 24 *de ref.* in irregularitatibus ex delicto occulto ad forum contentiosum non deductis, excepta irregularitate ex occulto homicidio voluntario, ab Episcopis. — In irregularitatibus ex defectu, si dubium occurrit, Episcoporum judicio stari potest. — In aliis irregularitatibus, si quid ulterius possunt, id tantum ex speciali privilegio habent.

IX. Quoad effectus autem, quos irregularitas secum fert, haec observa: 1005

1. Privat licita susceptione ordinum, imo si totalis est, etiam tonsurae susceptione.

2. Privat usu ordinum susceptorum; attamen illorum illicitus usus non inducit novam irregularitatem. Exercitium illud ordinum minorum, quod laicis licet, irregulari non interdicitur.

3. Privat habilitate ad beneficia et officia ecclesiastica recipienda. Certum autem est, irregularem non ipso facto privari beneficio antea obtento. Pro diversa tamen irregularitate (ex delicto praesertim) clericus irregularis beneficio suo privandus est atque ipse renuntiare debet, nisi dispensationem petat et obtineat.

Gravior est controversia, num collatio beneficii viro irregulari facta ipso facto *nulla* sit. S. Alphonsus l. c. n. 344 post relatam utramque sententiam, et affirmantem et negantem, dicit: „Prima sententia (affirmans) videtur probabilior, secunda sententia (nimirum quae dicit, collationem esse non irritam, sed irritandam) videtur *satis probabilis*“; attamen addit, ejusmodi clericum esse iis adnumerandum, qui cum dubio possessionem rei inceperint: quamquam, si per alium munia beneficii suppleverit, eum ad fructus perceptos restituendos ex se adigi opus non esse.

4. Hinc patet, irregularitatem non irritare ipso facto jurisdictionem, quam quis habet; neque irritam facere jurisdictionem, quam forte in statu irregularitatis *delegatam* acceperit; imo probabilem esse jurisdictionem *ordinariam*, quam vi muneris in statu irregularitatis suscepti sustineat. Quamquam eâ per se illicite utitur, ejusve usum scienter rogare aliis non licet.

Caput II.

Irregularitates ex delicto singillatim consideratae.

Delicta, quibus ex jure annexa est irregularitas, hoc versiculo comprehenduntur:

„*Fonte reus, Sacris, censurâ, crimine, leto*“,

i. e. iteratio baptismi; abusus sacrorum ordinum; violatio censurae; inter crimina infamantia speciatim: haeresis, homicidium et mutilatio. De singulis plura notanda sunt.

§ 1.

Sacrilega baptismi iteratio vel susceptio.

1006 1. Irregularis est, qui scienter suscipit baptismum ab haeretico declarato extra casum necessitatis: *Decret. Grat.* c. 5 dist. 51; c. 3, 4 C. 1 Q. 4; cf. S. Alph. l. c. n. 356.

Neque ullo modo requiri videtur, ut haereticus ille fuerit juridice denuntiatus: quia ejusmodi baptismi susceptio continet haeresis favorem; verum, ut postea dicitur, haeretici cum suis fautoribus irregulares sunt.

2. Irregularis est, qui scienter sine causa *rebaptizatur* publice vel solemniter. Excipitur, si id committitur 1) ex metu sine vera intentione, 2) si fit sub conditione, quamquam propter dubium non fundatum res temere peragitur: ita contra Bened. XIV. *de syn. dioeces.* l. 7 cap. 6, S. Alphonsus l. c. cum multis aliis; nec comprehenditur 3) si fit occulte nec solemniter. Imo D'Annibale dicit (Summula I. ed. 3 n. 410) non contrahi poenam, *nisi et collatio et iteratio sit notoria atque solemniter facta.*

3. Irregularis est cum iisdem limitationibus, qui ita *rebaptizat*, atque etiam clericus, qui ministerium exhibendo rebaptizationi *assistit*: v. Mazzotta et S. Alph. l. c.

NB. Irregularitas haec, alias totalis, in *assistentem* (n. 3) est solum quoad promotionem ad altiores ordines: vide Decretal. l. 3 tit. 42 c. 6; l. 5 tit. 9 c. 2.

§ 2.

„Sacris reus", seu:
Ordinum illicita susceptio et usurpatio.

1007 I. Illicita *susceptio* ordinum, quae irregularitatem inducat, est prae aliis *furtiva* susceptio (*Decretal.* l. 5 tit. 30), quam committit:

1. qui sine approbatione et admissione Episcopi ordinatur, vel fraude sive deceptione se ingerit inter admissos vel admittendos (v. g. qui usurpato nomine alterius examinati accedat, vel qui post examen, per alterum, qui ficte submissus erat, factum, admissionem hac fraude obtinuerit): v. S. Alph. n. 361, Tambur. l. c. cap. 14 § 1;

2. qui sine dispensatione Episcopi plures ordines eodem die suscipit, quorum unus sit sacer: (siquidem ille revera ad ultimum saltem ordinem accedat „non admissus nec adprobatus");

3. qui post matrimonium, etiam ratum tantum, non consentiente uxore, ordinem sacrum suscipit, idque etiam, si ex crassa negligentia uxorem re ipsa viventem mortuam esse sumpsit: S. Alph., Tambur. ll. cc., Mazzotta l. c. cap. 4.

Reliquae susceptiones ordinum furtivae, quae a compluribus scriptoribus pro causa irregularitatis afferuntur, scilicet ordinatio per saltum, ante confirmationem, iterata susceptio etc., ut revera irregularitatem inducant, conjungi debent cum alia conditione, ut nimirum ordinandus accedat *inscio* Episcopo, aut ut se gerat qua *haeretici* Episcopi *fautorem;* aliter aut nullam poenam, aut secundum jus antiquum suspensionem induxerunt: nunc autem sola Constitutio *„Apostolicae Sedis“* attendenda est, de qua supra.

II. Usurpatum exercitium ordinis sacri, quo, qui exercet, caret (Decretal. l. 5 tit. 28). 1008

Haec usurpatio debet fieri: 1) ab eo, *qui jam clericus est;*

2) aut circa actionem, quae propter defectum sacramentalis characteris invalida fit, aut si circa actionem exercetur, de cujus valore sive nullitate quidem non agitur, sed cujus exercitium soli superiori ordini commissum est, debet fuisse usurpatio per *solemnem* actionem: v. S. Alph., Tambur., Mazzotta ll. cc.

Hinc: 1. Clericus non sacerdos, qui absolvere attentat, est irregularis.

2. Sacerdos, qui attentat confirmationis sacramentum conferre, sacra olea consecrare, altaria vel sacra vasa consecrare, etiam irregularis est.

3. Item diaconus, qui sine commissione sacerdotis extra casum necessitatis Viatici S. Eucharistiam ministrat[1], baptismum *cum ritibus et caerimoniis* confert. Nam vi sui ordinis accipit potestatem conferendi baptismum et Eucharistiam *ministerialiter,* non ut administer proprius, sed ut administer *instrumentalis,* movendus a ministro proprio seu sacerdote. Quodsi igitur ipse se ingerit tamquam minister proprius, usurpat ordinem sacerdotalem.

4. Ut autem et subdiaconus in Missa agens diaconum, vel minorista agens subdiaconum, etc. irregularitatem incurrat, requiritur non tantum, ut canat evangelium, epistolam, sed etiam, ut id faciat cum insignibus ordinis illius, quem non habet (stolâ, manipulo): v. S. Alph. n. 359 et alios. Nam ut S. Alph. dicit n. 358, canere in Missa sine manipulo et stola pro subdiacono vel diacono, id potest etiam exerceri a *cantoribus* (i. e. videntur intelligi clerici, qui ordinem lectoratûs habent).

§ 3.

„Censurâ reus“, seu: violatio censurae per exercitium ordinis sacri.

(Cf. *Decretal.* l. c. tit. 27.)

1. Ut haec irregularitas incurratur, requiritur aut, ut supra § 2 in *usurpato* ordinis exercitio dictum est, exercitium *solemne,* aut exercitium *ejus* actionis, ad cujus valorem ordo sacer necessarius sit: v. Suarez *de cens.* d. 42, S. Alph. l. c., Tambur. l. c. § 3. 1009

[1] Eam solam circumstantiam, quod non fuerit casus necessitatis, non inducere irregularitatem, satis probabile est: cf. libellos period. *Linzer theol.-prakt. Quartalschrift* anni 1886 pag. 125 sqq.

2. Requiritur, ut ordinis sacri exercitium manserit graviter prohibitum. Quare si ex necessitate ad declinandam infamiam, ad petitionem aliorum actiones ordinis sacri fiunt ab eo, qui *toleratus* est, haec irregularitas non contrahitur.

3. Illa censurae violatio irregularitatem inducens probabiliter non habetur, si quis censurâ ligatus ordines sacros suscipit. Ita Suarez l. c. sect. 3 n. 2, Tamburini l. c. § 1 n. 8 et 9, S. Alphons. l. 6 n. 799, Bened. XIV. *de syn. dioec.* l. 12 c. 3 n. 7 cum aliis multis. Nam etsi forte ordinatus statim exerceat subdiaconatum, diaconatum, vel — id quod in suscipiendo presbyteratu ab omnibus fieri debet — cum Episcopo concelebret: tale ordinis modo suscepti exercitium reputatur pro caerimonia moraliter una cum ipsa ordinis susceptione, non pro exercitio post susceptum ordinem. Laymann l. 1 tract. 5 p. 5 c. 3 n. 5 aliique affirmant quidem, incurri irregularitatem, *si* in ordine suscipiendo *ipse ordo exerceatur;* attamen id videtur esse contra sensum Benedicti XIV. aliorumque, quos hic affert, siquidem *universim* dicat, nixus sententia S. C. C. 31. Januar. 1688 et auctoritate ipsius Laymann, veriorem et communiorem esse sententiam, quae eum ab irregularitate eximat, qui censurâ obstrictus superioris ordinis gradum ascendat: quod universim, ideoque etiam de suscipiendo sacerdotio, dici non potuit, si exercitium ordinis in ipsa ordinatione factum irregularitatem inducit, utpote quod in sacerdotis ordinatione semper fiat. Nullum vero dubium est, quin *gravissime peccetur* ab eo, qui ita ordines suscipit.

4. Ut irregularitas incurratur, requiritur, ut ipsum ordinis exercitium sit *secundum substantiam* prohibitum, non tantum secundum modum accidentalem: de quo cf. supra n. 904.

§ 4.

„Crimine reus", seu: crimina, quae ipso jure irregularitatem inducunt.

(Cf. *Decretal.* l. 1 tit. 11 c. 4, lib. 5 tit. 1 c. 21, l. 5 tit. 2 c. 2 et 13 in 6.)

1010 1. Crimina illa certo afferri non possunt, excepto homicidio (etiam abortu) et mutilatione, praeter ea, quae *ratione infamiae* irregularitatem inducunt. Quapropter universim de illis criminibus S. Alph. l. 7 n. 363, Laymann l. c. cap. 4 n. 8, Tambur. l. c. cap. 10 dicunt, ad irregularitatem hanc incurrendam „requiri *notorietatem* facti aut juris", idque dicunt de ipsis illis criminibus, quibus infamia non tantum ferendae sententiae, sed latae sententiae inuritur[1].

2. Crimina autem, quae tali infamia notantur, sunt:

1) Haeresis et apostasia, vel favor haereticis datus (l. 5 t. 2 c. 15 in 6).
2) Insecutio hostilis Cardinalium, vel cooperatio (l. 5 tit. 9 c. 5 in 6).
3) Crimen laesae majestatis.
4) Raptus mulieris (Trid. sess. 24 c. 6 *de ref. matr.*).

---

[1] Aliter tamen dic de irregularitate nunc addenda contra clericos presbyteris inferiores *mercimonii cum Missarum stipendiis reos* (cf. supra n. 971 *not.*): in qua notorietas non requiritur.

5) Duellum, vel in duello patrinum fuisse (Trid. sess. 25 c. 19 *de ref.*): ex quo capite irregularitatem incurrit etiam ex duello, quod apud studiosos in usu est, resp. S. C. C. d. 9. Aug. 1890 in *Wratislav.*; cf. Acta S. Sedis vol. XXIII. p. 242.

6) Adjunguntur ea crimina, quae in jure civili simili infamia notantur: de quibus cf. infra cap. III. § 8 n. 1028 sqq.

3. Notorietas *juris* etiam in his criminibus (nam si de infamia ferendae sententiae agitur, id per se patet) non intelligitur adesse *ex sola lege,* sed interveniente aliqua actione judiciali, de qua *ib.* n. 1028.

Notorietas *facti* quae sit, per se satis intelligitur.

4. Discrimen inter juris et facti notorietatem propterea imprimis notandum est, quia in priore irregularitate necessaria est semper dispensatio; si vero sola fuit *facti* notorietas, generatim per evidentem emendationem eamque diuturno tempore comprobatam irregularitas tollitur. Cf. S. Alph. l. c. — Tambur. l. c. cap. 10 § 5 n. 3 dicit: „per emendationem, quae saltem per triennium duraverit".

5. De criminibus illis, quibus a judice poena infamiae infligenda est, postea, quum de irregularitatibus ex defectu disseremus, iterum sermo erit.

6. Complures scriptores *haeresi* et *apostasiae* ita irregularitatem ad- 1011
haerere dicunt, ut, seposita infamia, ex sola haeresi occulta ipso facto irregularitas oriatur. At alii id omnino negant, ut Laymann l. c. n. 12, Tambur., S. Alph. n. 363, contra Suarez, Mazzotta aliosque. — In eo autem haeresis alia crimina vincit, quod si semel propter solam *facti notorietatem* sine ullo judicis interventu irregularitas contracta fuerit, haereticus *tantum per* dispensationem, non per solam emendationem, ab irregularitate liberabitur, alii per solam emendationem.

7. Id vero quoad omnia illa crimina infamantia animadvertatur oportet, irregularitatem etiam ab iis incurri, qui poenam ignoraverint.

8. Relate ad haeresim Laymann l. c. n. 12 in fine addit, in iis regionibus, ubi ex haeresi infamia non sequatur, acatholicos ad fidem conversos aut non reputari pro irregularibus, aut Episcopum cum iis dispensare posse, atque sine difficultate eos ad sacros ordines admittere: cui consentit Craisson *manuale* n. 1808 cum Theol. Tolesana. Haec quidem sententia longi temporis usu videri poterat legitimae consuetudinis vim pro se habere; nihilominus Româ approbationem non tulit: v. infra n. 1029.

§ 5.

„Leto reus", seu: de homicidio et mutilatione.

(Cf. *Decretal.* l. 5 tit. 2 c. 7—18 et 24, ibid. tit. 31 c. 10; Clement. l. 5 tit. 4; Trident. sess. 14 cap. 7 *de ref.*)

Circa irregularitatem ex homicidio vel mutilatione oriundam, quae 1012
aliis latius patet, haec principia breviter nota:

I. Quamquam eam habes irregularitatem ex delicto, tamen saepe ignorantia poenae ab irregularitate non excusabit.

II. Incurritur vero non solum ab iis, qui ipsi hominem occidunt vel mutilant injuste, sed etiam a mandantibus, consulentibus, cooperantibus.

III. Ad irregularitatem ex homicidio referenda etiam est irregularitas procurantium abortum post foetum animatum[1].

IV. Homicidio aequiparatur mutilatio, seu „membri abscissio sive obtruncatio“. Quare in subsequentibus ea, quae de occisione dicuntur, intellige etiam de mutilatione, etsi expresse non additur, si modo non excipitur.

Si quis vero *sibi ipse* manus injicit, ad irregularitatem contrahendam non requiritur *membri* abscissio, sed sufficit abscissio etiam membri partis.

V. Homicidium (hîc excipe mutilationem) sola culpa est, quae etiam in uno quodam casu *dubio* irregularitatem inducit, videlicet quando de causa physica mortem ex se causante culpabiliter posita constat atque etiam effectus seu mors secuta est, sed propter concursum plurium dubitatur, num singuli vel quis ex iis vere efficaciter mortem induxerit: v. g. si plures explodunt globulos in hominem, sed nescitur, *cujusnam* globulus ferierit atque hominem occiderit, omnes, qui exploderunt, irregulares sunt.

VI. Ad intelligendam faciliorem vel difficiliorem dispensationem ab hac irregularitate, distingui debet homicidium (et mutilatio) *voluntarium* et *casuale*. Voluntarium est, quod ex directa voluntate oritur; casuale, quod ex actione culpabili quidem sequitur, et quod facile saltem sequi posse praevideri debuit, intentum vero non est. A voluntario igitur homicidio, etsi occulto, Episcopi quoad dispensandi facultatem excluduntur; in homicidio casuali autem, et qualibet mutilatione *occultis* Episcopi dispensare possunt ex Trid. cap. *„Liceat“*, imo etiam in publico homicidio casuali relate ad ordines *minores* et beneficium *simplex* tantum. Cf. Mazzotta l. c. Q. 1 § 2.

1013 **Explicatio.** Nota ad I. Ab omnibus quidem irregularitas ex homicidio et mutilatione oriunda inter irregularitates ex delicto numeratur; at quaerentes, utrum hujus criminis reus, qui poenam ecclesiasticam ignoraverit, irregularis factus sit necne, doctrinam alioqui probabilem de scientia hujus poenae ad eam contrahendam necessaria ad homicidium et mutilationem transferre plerique non audent. — Minime dubium est, quin crimen, si publicum sit, *ratione infamiae* etiam ignorantem reddat irregularem. Verum ut universim, etsi hoc scelus occultum sit, tamen eundem effectum etiam

---

[1] **Aliae poenae** contra procurantes abortum, non sublatae, sunt hae:

1. *irregularitas*, cujus absolutio est Papae reservata, eaque ut comprehendatur in generali facultate delegata, *specialiter* exprimi debet;

2. *privatio* omnis privilegii clericalis, dignitatis, beneficii ecclesiastici: — quae poenae ut incurrantur, requirunt sententiam criminis declaratoriam: — neque, si contractae fuerint, in foro interno dimitti possunt;

3. *inhabilitas* ad beneficia ecclesiastica *recipienda:* — quae secundum veriorem opinionem contrahitur ipso facto ante ullam sententiam, sed condonari potest ab Episcopo. Cf. S. Alph. l. 3 n. 395—397.

Hae poenae ut **incurrantur**: 1. sufficit quaelibet procuratio, cooperatio, consensus;

2. requiritur, ut sit foetus *animatus*, practice 80 dier. post conceptum, quum in odiosis antiquum computum sumere liceat;

3. requiritur, ut effectus sit secutus, et constet de efficaci influxu: unicam exceptionem quoad irregularitatem v. n. 1012. 1016.

pro ignorante statuant, alii aliam rationem invenire tentant. — Alii putant, cum irregularitate ex delicto simul conjungi eam, quae dicitur „ex defectu lenitatis“: quod recte a Tambur. l. c. cap. 4 § 5 n. 14 sqq. et a Mazzotta l. c. q. 1 ante cap. 1 negatur. — Alii repetunt hanc exceptionem ex usu et praxi: quae certe aliquid conferre potest ad dubium dirimendum. Dubito vero, num pro tota homicidii *et mutilationis* extensione de illa praxi constet; saltem igitur, quando *homicidium* factum non est, neque ad notitiam aliorum communem crimen pervenit, facilius teneri potest illa sententia, quae in irregularitate ex delicto cognitionem poenae antecedentem requirit. Imo in homicidio ipso S. Alph. n. 350, quamquam suadet, ut dispensatio petatur, tamen non audet reprobare eam opinionem, quae neget adesse irregularitatem, si non solum poenae, sed ipsius *ecclesiasticae legis* prohibentis ignorantia aderat.

Hoc vero certum omnino est: 1. delictum homicidii vel mutilationis nullatenus debet esse publicum, sed etiamsi est omnino occultum, irregularitas per se oritur. 2. Si vero delictum publicum est aut periculum adest, ne publicum fiat, ignorantia poenae certo non sufficit ad reum eximendum, ne debeat dispensationem petere: nam quia crimina illa inter infamantia exsistunt, aut jam adest aut juste timetur infamiae irregularitas, quae etiam ignorata contrahitur.

Ad II. Consulentes et mandantes omnesque positive cooperantes ad [1014]
homicidium aut mutilationem eandem atque ipse homicida irregularitatem incurrunt. Attamen notandum est:

1) Si fundatum dubium est, num consilium datum vere fuerit efficax: plerique quidem scriptores statuunt sicut in homicidio dubio, nimirum consulentem esse irregularem; S. Alphonsus autem cum Sporer et Tamburini opinionem negantem ut „non improbabilem“ amplectitur: l. 7 n. 371.

2) Qui homicidium vel mutilationem, quum potuit, non impedivit: si ex sola caritate impedire debuit, ab omnibus pro non-irregulari habetur; si vero ex justitia tenebatur impedire, a S. Alphonso n. 376 cum Roncaglia, Vasquez, Tamburini contra Suarez, Mazzotta aliosque multos etiam excusatur, nisi forte illud ‚non-impedire‘ aequivaleat positivae occisioni, ut si parentes „*studiose neglexerint* filioli in cunis jacentis suffocationem impedire“ ex cap. „*Quaesitum*“ de *poen. et remissione* l. 5 tit. 38 c. 7.

3) *Ratihabentes,* quum in jure non exprimantur, non debent irregulares haberi ex hoc solo capite.

4) Consilium, mandatum, cooperatio, quae fiunt ad citius, securius occidendum aliquem, sufficiunt ad inducendam irregularitatem.

5) Quare, ut recenset S. Alphonsus n. 374, fiunt irregulares:

a) omnes, qui ad homicidium inter se excitant, quamvis unus tantum occidat;

b) omnes, qui *praeliantur* in bello injusto, si quis in eo occiditur — quia omnes rei censentur aut voluntarii aut casualis homicidii, vel ejus cooperationis;

c) omnes, qui in tali bello ministrant arma vel pecunias, vel alia subsidia;

d) omnes, qui in judicio in causa sanguinis *injuste* accusant, testes agunt, sententiam proferunt;

e) omnes, qui occisori se associant, ejus animum augendo.

6) Notandum vero est etiam in hoc crimine, non solam ignorantiam secundum restrictam quidem explicationem n. 1013 datam esse rationem ex-

cusantem, sed etiam gravem metum posse cooperantes ab irregularitate, imo aliquando ab ipsa culpa, excusare.

1015 Ad III. Quamquam non semper, si de homicidio sermo est, abortus comprehenditur: tamen ex Constitutionibus Sixti V. et Gregorii XIV. expresse statutae sunt poenae homicidarum, et nominatim praeter excommunicationem irregularitas in omnes, qui abortum procurant vel in eo cooperantur, si modo agatur de foetu animato. Hanc autem animationem videmur computare posse secundum rationem legum antiquarum canonicarum, quae post 40, resp. 80 dies a conceptione animationem per rationalem animam fieri sumebant. Quum enim recentes hac de re leges latae non sint, videtur omnis antiquae legis restrictio in odiosis retineri posse. — Adverte tamen e contrario, quamquam ex nova lege Pii IX. „*Apostolicae Sedis*“ excommunicatio ad solos „*procurantes* abortum“ restricta sit, neque amplius ad tantummodo *cooperantes* extendatur, ad hos tamen extendi irregularitatem, siquidem hujus poenae antiquitus latae mutatio facta non est.

1016 Ad IV. Quum in sacris canonibus mutilatio per „membri abscissionem“ declaretur: scriptores jam quaerunt, quid membri nomine intelligi debeat, atque communi consensu ita definiunt, ut membrum sit ea corporis pars, quae propriam habeat functionem, ut oculus, auris, manus, pes, non vero membrum, sed membri pars dicatur solus digitus vel digiti articulus, auricula et similia. — Ulterioris declarationis causâ nota: a) qui plurium digitorum abscissione manum alicujus hominis ad usum ineptam reddidit, censetur *mutilationem* commisisse; b) qui hominem caecum reddidit, non eruendo oculos, sed luminis acie privando, non censetur irregularis: S. Alphonsus n. 382; c) qui membrum aliquod (brachium, manum) ita laedit, ut illud inutile evadat, secundum Tamburini l. c. cap. 15 § 16 n. 24 non est irregularis; qui vero culpabiliter tale membrum inutile factum abscindit, fit irregularis: *ibid.* n. 37; d) qui per injuriam alterum plene castravit, censetur irregularis; e) qui vero hoc in seipso etiam ex parte tantum perfecit, ex ira vel indiscreto zelo (supponitur et cognitio et peccatum mortale), etiam irregularis est, sicut ille, qui sibi solum digitum abscindit: Tambur. cap. 8 § 2 n. 3—13, S. Alph. n. 365 et 380.

Ad V. Irregularitas illa, quae ex *dubio* homicidio oritur, secundum S. Alphonsum n. 347 *solos clericos* afficit, estque *partialis*, ita ut imponat solam obligationem a) abstinendi a celebratione et b) quaerendae dispensationis.

1017 Ad VI. Voluntarii homicidii notio ex iis, quae supra dicta sunt, satis per se clara est. Praestat hîc praecipuos modos *casualis homicidii* subjicere.

1. Qui in rixa aliquem occidit vel mutilat, si animum occidendi vel mutilandi, etsi in ira, concepit, atque ex eo animo agit, sine dubio *voluntarium* homicidium committit; si vero intendit tantum percussionem eamque non letalem, attamen inconsiderantia, etiam graviter culpabili, necem intulit, homicidium *casuale* commisisse censetur.

2. Qui opus exercet, quod aliorum vitis periculum creet: nisi diligentiam sufficientem ad pericula avertenda adhibuit, irregularis est, quando

aliquis re ipsa est occisus vel mutilatus: v. g. qui in reparando tecto diligentiam non adhibet, ne immissis tegulis praetereuntes laedantur.

3. Qui opus propter pericula gravia *illicitum vel prohibitum* exercet, similiter ex probabili sententia tum tantum fit irregularis propter hominem praeter intentionem occisum vel mutilatum, quando debitam cautionem omisit: S. Alphonsus n. 387 cum Castropal., Laymann, Tambur., Sporer etc. contra Navarrum, Tolet, Suarez, qui eum irregularem esse contendunt, quantamlibet cautionem adhibuerit.

4. Medici aliique aegrotorum curam agentes, qui ex gravi incuria causa sunt, cur aegrotus moriatur, irregulares evadunt; similiter, qui causa sunt, cur membrum debuerit amputari.

5. Facilius etiam *clerici in sacris constituti vel religiosi,* si cum incisione vel adustione medentur, nisi alius peritus deest, irregulares fiunt, si re ipsa aegroti mors aut mutilatio secuta est. Nam communiter legem ecclesiasticam, quae illis clericis hanc medendi artem extra veram necessitatem prohibet, scriptores ita explicant, ut non tantum ille, qui imperitus temere hanc curam assumpserit, evadat irregularis, sed etiam ille, qui de cetero peritus sit neque gravem commiserit incuriam: S. Alphonsus n. 384. — Quamquam Tamburini l. cit. cap. 15 § 4 n. 9—13 dicit, probabiliter etiam in clerico requiri, ut contra artem medicam vel chirurgicam peccaverit[1].

6. Si quis committit adulterium in iis circumstantiis, ut *facile* crimen notum fieri possit marito, isque probabiliter praevidetur insurgere in adulterum vel in adulteram suam uxorem: adulter irregularis evadet, si 1) uxor adultera occisa vel mutilata fuerit, 2) adulter propter defensionem maritum occiderit vel mutilaverit. Cf. S. Alphonsum n. 388 et lib. 3 (al. 4) n. 398, Tambur. l. c. cap. 15 § 5.

7. Alioquin ille, qui in defensione sua aut alterius innocentis servat moderamen inculpatae tutelae, ex aggressoris occisione non fit irregularis, ut omnes fatentur. Neque ille irregularis evadit, qui ita egit propter libertatem, pudicitiam, bona temporalia juste defendenda: S. Alphonsus n. 389 cum Suarez, Less., Tambur., Elbel etc. contra Laymann, Sporer et alios.

Caput III.

De irregularitatibus ex defectu singillatim consideratis.

Defectus alii sunt, qui *naturâ suâ* irregularitatem afferunt, i. e. in- 1018
capacitatem exercendi muneris sacri, alii, qui ex natura sua quidem fundamentum praebent indecentiae, sed qui, ut jure excludant a susceptione vel exercitio ordinum, ab ecclesiastico legislatore debuerunt pro impedimentis constitui. Omnes hisce versiculis memoriae juvandae causa continentur:

„Natales, animus, libertas, corpus, et aetas,
Non bigamus, lenis, nec mala fama notet."

[1] Simile impedimentum *ex delicto* incurrunt per modum poenae *S. Sedi specialiter reservatae* ii, de quibus sermo est supra n. 993, XXI, scil. praeter suspensionem etiam *„inhabilitatem ad quaelibet officia aut beneficia in posterum assequenda".*

§ 1.

Defectus natalium seu ortus illegitimus.

1. Illegitimitas, quae a suscipiendis et exercendis ordinibus excludit, est ortus extra legitimum matrimonium, sive agitur de filiis, qui dicuntur filii *naturales,* sive de iis, qui *spurii* dicuntur. Naturales enim vocantur, qui extra matrimonium quidem nati sunt, sed a parentibus, qui tempore conceptionis aut nativitatis habiles erant ad matrimonium contrahendum; spurii vero, qui a parentibus ad matrimonium inter se contrahendum incapacibus ortum ducunt, ut incestuosi, adulterini, ex sacrilegio nati: S. Alph. n. 422 (*Decr.* 1, 17; 1, 11 in 6.).

2. Filii *naturales* legitimantur per matrimonium *subsequens,* idque ita, ut si quis cum irregularitate illegitimitatis ordines susceperit, parentes vero postea matrimonium contrahant, ab ipso illo tempore irregularitas filii cesset neque ullum amplius impedimentum obstet, quominus ad altiores ordines ascendere suosque exercere possit. Haec per subsequens matrimonium legitimatio sufficit ad omnes dignitates, *Cardinalatu excepto.* Quapropter ut talis Cardinalis fiat, dispensatione S. Pontificis opus sit: Tambur. l. c. cap. 17 § 3 n. 2.

3. Qui orti sunt ex matrimonio propter occultum impedimentum invalido, sed quod saltem ab alterutro sponsorum pro valido habebatur, *censentur legitimi,* nisi matrimonium contractum sit sine debitis proclamationibus: Trid. sess. 24 cap. 5 *de ref. matr.;* cf. S. Alphonsum n. 424 et 425.

4. Filii *expositi,* quorum parentes ignorantur, *non censentur illegitimi;* quia defectus natalium non praesumitur, sed probandus est: ita saltem practice probabile est ex S. Alph. n. 432, Tambur. *in decal.* l. 1 cap. 3 ad vocem *„legitimus“,* Craisson *Manuale* n. 1882.

1019 5. Illegitimi *quicunque* ab irregularitate solvuntur *per professionem religiosam,* sive sumis stricto sensu professionem votorum solemnium, sive emissionem simplicium votorum in *ordine* religioso stricti nominis: S. Alphons. n. 426, Tambur. l. c. cap. 17 § 4. — Attamen, nisi intercedat dispensatio, quam plerumque ex privilegio regulares concedere possunt, ipsa professio reddit aliquem habilem tantum ad sacros ordines, non ad praelaturam: *ibidem.*

6. Alioquin illegitimi sola dispensatione ab irregularitate liberantur. Episcopi vero, etsi illegitimitas occulta est, sine speciali privilegio sibi dato dispensare nequeunt, nisi relate ad ordines minores[1]). — Id insuper adverte, dispensationem particularem strictae interpretationis esse, ita ut dispensatio *ad ordines* non comprehendat *sacros* ordines, nisi exprimantur, dispensatio *ad sacros ordines* non includat *praelaturam* vel *dignitatem,* dispensatio *ad beneficia* per se nondum dicat *curata* beneficia. Quare haec omnia, ut simul intelligi possint, aut exprimi aut ex contextu vel ex clara dispensantis intentione patere debent.

---

[1] Animadvertit autem D'Annibale l. c. n. 411: „si quis non possit spurium se prodere sine infamia, nulla ei dispensatio opus est.“

§ 2.

Defectus animi.

I. Ex *defectu animi* irregulares sunt: 1. qui *sanam mentem* non habent (ita tum ex rei natura tum ex dispositione decr. Grat. dist. 33 c. 2); 2. qui *debitam scientiam* nondum acquisierunt (v. Trid. sess. 23 cap. 5. 11. 13 *de ref.*); 3. qui recenter ad fidem conversi sunt et baptizati (decr. Grat. dist. 57 c. 1). 1020

II. Defectum sanae mentis, aut similem, qui cum illo cohaeret, intelliguntur habere *amentes, semifatui, daemoniaci, epileptici.*

Qui semel talem defectum amentiae passus est, ex habituali causa, seu ex indole et temperamento, perpetuo irregularis est, ita ut, si ordines nondum suscepit, eos suscipere nequeat. Quodsi judicio medicorum periculum recidendi in istum defectum cessat, cum dispensatione (S. Pontificis ejusve delegati) ordinari potest: quam dispensationem praelati regulares suis subditis concedere valent. Cf. S. Alphons. n. 355 et 400.

Quoad epilepsim vero, si epilepsis per plures annos perfecte cessavit, accedente medici judicio, Episcopus talem hominem ad ordines etiam sacros admittere potest, eoque facilius, quo minor aetas erat, in qua defectus ille candidato acciderat: v. S. Alph. n. 398 et 399. — Si quis post susceptos ordines in illam miseriam labitur, ordines exercere, imo etiam celebrare potest, quum primum grave periculum irreverentiae non amplius exstiterit, at pro majore securitate, si quid forte acciderit, sacerdos assistens jejunus adhibeatur: S. Alph. *ibid.*

III. Quaenam scientia eaque Superioribus probata pro singulis ordinibus requiratur, alibi dictum est. Acquisitâ necessariâ scientiâ, haec scientiae deficientis irregularitas per se cessat.

IV. Defectus ex *novitate fidei* neo-conversum non reddit absolute irregularem, sed *dum judicio Episcopi sufficienter instructus sit:* cf. Trid. l. c. et S. Alph. n. 402.

Addi potest ex defectu fidei non confirmatae irregularitas eorum, qui baptismum suum usque ad mortis periculum distulerunt; quam alii ex delicto esse putant: cf. D'Annibale l. c. n. 415.

§ 3.

Defectus libertatis.

Defectus libertatis ille intelligitur, quo quis sive suas operas alteri debet, sive suscepto munere vel statu ita ab alterius voluntate pendet, ut officia sacra convenienter exercere nequeat; imo quilibet, qui addictus est ex officio muneri, quod clericis exercere non licet, quamdiu in tali officio est, ex defectu libertatis irregularis censetur. 1021

Primus defectus libertatis est *conditio vere servilis:* Decretal. l. 1 tit. 18.

Alter defectus libertatis est *status matrimonialis*, ita ut maritus nequeat sacros ordines suscipere, nisi ex consensu uxoris paratae ex sua parte ad votum castitatis vel religionis ingressum (cf. supra n. 618), aut nisi uxor jus conjugale in perpetuum amisit. Decret. Grat. C. 27 Q. 2 c. 19—26.

Tertius defectus libertatis est, officium judicis vel tabellionis etc. exercere, aut iis negotiis implicatum esse, quae obligationem reddendae rationis secum ferunt, quamdiu rationes nondum redditae sunt. Decretal. l. 1 tit. 19.

§ 4.

Defectus corporis.

1022 De corporis defectu, qui irregularitatem inducat, agit Decretal. l. 1 tit. 20. Summatim haec teneto:

1. Quilibet defectus corporis, qui aut ineptum facit hominem ad congruum exercitium ordinis, aut qui facit eum valde deformem, ita ut sine aliorum horrore vel offensione sacra ministeria non possit peragere, irregularitatem inducit.

2. Ejusmodi defectus, si quoad *aliquod* ordinis exercitium adest, irregularitatem *simpliciter* inducit *ante ordinem susceptum; post* susceptum ordinem vero a) difficilius ille clericus ab exercitio ordinis prohibetur, b) atque ab illo tantum exercitio prohibetur, ad quod ineptus evasit.

3. In dubio de deformitate seu impedimento judicium hîc imprimis committitur Episcopo, relate ad regulares eorum praelato; attamen etiam relate ad hos Episcopus, cui ordinandus praesentatur, non tenetur semper praelati regularis judicio acquiescere.

4. Ut aliquis, qui *notabili et certo* defectu corporis atque inde contracta irregularitate laborat, neque totaliter ineptus est ad omnia sacri ordinis ministeria, ordines nondum susceptos suscipere possit, dispensatio S. Pontificis requiritur, nisi talis delegata facultas ex privilegio Episcopis sive regularibus praelatis concessa est.

1023 Irregularis igitur est ex defectu visûs:

a) *Caecus*, nisi post ordines susceptos adhibitis cautelis acceperit privilegium a Summo Pontifice; b) *multum caecutiens*. — Qui *dextero* oculo caret, non censetur irregularis, nisi cum magna deformitate oculus erutus sit. Qui *sinistro* oculo caret, a multis dicitur irregularis, nisi facta sit dispensatio; at si oculo dextero sine magna deformitate Missale legere potest, quantum est necesse, satis probabiliter irregularis non debet censeri: ita S. Alph. l. c. cum Suarez, Laymann, Tambur., Lacroix, Navarro etc. — Neque *luscus* irregularis est.

Irregularis est ex defectu auditûs *plene surdus;* at si surditas post sacerdotium supervenerit, celebratio sine dispensatione permittitur; S. Alph. n. 405 cum Concina, Navarro, Laymann, Tambur., Salmantic. etc. — Surdaster non censetur irregularis: S. Alph. ibid.

Irregularis ex defectu loquelae est a) *mutus,* b) *balbutiens* tum tantum, quando verba integra proferre non potest, aut quando tam difficili pronuntiatione utitur, ut risum et contemptum moveat: ergo parum balbutientes irregulares non sunt.

Irregularis ex defectu pedum est, a) qui sine baculo ad altare sistere nequit; b) qui habet pedem vel crus ligneum: quodsi defectus arte ita tegi possit, ut non multum animadvertatur, Episcopus, resp. praelatus regularis, celebrationem permittere potest — cf. S. Alph. n. 407 —, et proin hodie iste defectus raro irregularitatem necessario eamque perpetuam efficit. — Neque ille irregularis habetur, qui sine magna deformitate claudus est aut crura aliquantulum distorta habet: S. Alph. n. 407.

Irregularis ex defectu manuum est non tantum a) qui *manu caret,* sed etiam b) qui caret *solo pollice* aut c) *indice,* d) qui *eorum usum impeditum* habet; idem valet e) de *tribus posterioribus digitis.* Irregularis non habetur, qui *ex his* uno tantum vel duobus caret, aut solo pollicis vel indicis ungue; neque qui sextum digitum habet. Cf. S. Alph. n. 408. Ceterum cum sacerdote, qui manum sinistram vel brachium amiserat, S. Pontifex etiam ad celebrandam Missam jam dispensavit, si manus artificialis tanta dexteritate moveri poterat, ut aliqualis sacrarum specierum elevatio et sacrae hostiae fractio sine periculo fieret.

Irregulares propter magnam deformitatem praecipue hi sunt: a) qui ex mutilatione aliave causa in facie valde foedati sunt; b) qui leprâ vel simili morbo ita laborant, ut exterius ille defectus appareat; c) qui gibbum enormem habent, ita ut nimis deformes sint aut nimis debiles, v. g. si erecto capite stare non possunt: S. Alph. n. 412.

§ 5.

Defectus aetatis.

De aetate ejusque defectu, de quo agit Trid. sess. 23 cap. 1 1024
de ref., tractantes de sacramento ordinis satis diximus. Haec *irregularitas* relate ad eum, qui sine dispensatione ante legitimam aetatem ordines susceperit, completa aetate eo ipso cessat. — *Suspensio* vero, quae antea contra eos lata erat, qui, ex defectu aetatis irregulares, ordines sacros exercuissent, quum in Constitutione *„Apostolicae Sedis“* non contineatur, abrogata censeri debet.

§ 6.

Defectus sacramenti, seu bigamia.

Bigamia, quae secundum Decretal. l. 1 tit. 21 aliaque juris 1025
canon. decreta irregularitatem inducit, non necessario est simultanea, quae sine maximo crimine esse non potest, sed potissimum successiva: nam *bigamia simultanea* insuper irregularitatem *ex crimine infamante* inducit.

Dicitur bigamia *defectus sacramenti:* quae sacramenti vox sumitur hîc pro solo signo sacro seu sacra significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia. Christus enim unam tantum habet Ecclesiam sponsam,

quacum quasi matrimonium spirituale inierit et spirituales sibi filios gignat. Vult autem lex ecclesiastica, ut clerici, si unquam matrimonio juncti fuerint, saltem fuerint uno tantum matrimonio, atque ita, si minus *virginalem* unionem Christi cum Ecclesia perfecte repraesentent, saltem illam unionem *cum una tantum* Ecclesia exprimant. Attamen quum lex illa decentiae sit, non necessitatis, patet, S. Pontificem saltem ab hac irregularitate dispensare posse.

1026 Accuratius autem distinguitur 1. bigamia *vera*, 2. bigamia *interpretativa*, 3. bigamia *similitudinaria*.

1. Bigamia vera habetur, si quis successive duas uxores legitimas habuit, atque cum utraque matrimonium consummavit.

2. Bigamia interpretativa adest, si quis, extra bigamiam veram, aut ipse duas mulieres affectu maritali carnaliter cognoverit, aut mulierem, quae utcunque cum altero carnalem copulam habuit, ipse maritali affectu carnaliter cognovit. — Hinc irregularis est ex bigamia interpretativa: a) qui duo matrimonia, quorum sive unum sive utrumque invalidum est, contraxit et consummavit; b) qui duxit viduam a priore viro cognitam atque consummavit matrimonium; c) qui duxit puellam corruptam et cum ea matrimonium consummavit; d) qui uxori suae sive adulterae sive vi oppressae postea debitum conjugale reddidit, sive sponte, sive ut obligatus erat: neque videtur ex eo ratio irregularitatis non contrahendae peti, quod vir carnale commercium mulieris cum altero viro habitum ignoraverit, de quo cf. S. Alph. n. 439 sqq.; alii tamen putant, requiri hanc notitiam, et quoad irregularitatem sub lit. a), eam esse ex delicto, de quo cf. d'Annibale l. c. n. 418.

3. Bigamia similitudinaria in eo exsistit, qui post votum solemne castitatis sive in ordine sacro sive in religiosa professione emissum matrimonium contrahere et consummare attentavit: cf. S. Alph. n. 448 sqq.

NB. 1. Ut ex notione data patet, potest aliquis ex bigamia multiplici irregularis esse. Quod si obtinet, quaecunque bigamia, quando dispensatio petitur, declaranda est.

NB. 2. Haec irregularitas ex bigamia, si ante susceptam fidem adfuit, *per baptismum non tollitur*, sed etiamtunc dispensatione opus est.

NB. 3. Dispensatio a bigamia vera et interpretativa per se S. Pontifici reservatur; si solum fuit similitudinaria, ab ea dispensandi facultas Episcopis competit, si modo infamia aut abfuit aut non amplius exsistit: S. Alph. n. 452.

§ 7.

Defectus lenitatis.

1027 Defectum lenitatis, de quo cf. decret. Grat. dist. 51 c. 1—5, multi permiscent cum irregularitate ex homicidio, aut in illo crimine putant defectum lenitatis simul includi. At id neutiquam probatur. Secundum ea, quae de hac re clare et fuse Mazzotta et Tamburini ll. cc. exponunt, breviter haec teneri possunt:

1. Defectus lenitatis, qui specialem irregularitatem inducat, habetur ex homicidio aut mutilatione sive 1) in judicio justo, sive 2) in bello justo offensivo.

2. In bello igitur justo offensivo ille solus irregularis est, qui istam actionem sanguinolentam propria manu exercuit; non ille, qui tantum est exhortatus. In judicio justo sanguinis *omnes* illi irregulares sunt, qui proxime et efficaciter ad poenam sanguinis contulerunt, ut: exsecutor, judex, accusator, testis non coactus, assessores judicis, notarius, qui authentice sententiam scribit etc.

3. Actio illa sanguinolenta ejusve cooperatio irregularitatem non inducit, si ab homine nondum baptizato exercetur.

4. Alii omnes casus, in quibus disputant, utrum irregularitas inducatur, necne, aut eam non inducunt, aut si inducunt, illa ex crimine repetenda est.

Ergo in *bello justo defensivo* irregularitas non contrahitur, uti neque in defensione privata contra injustum aggressorem: si modo moderamen inculpatae tutelae servatur.

Qui fusiora hac de re desiderat, adeat auctores laudatos atque alios, qui ex professo quaestiones canonicas pertractant, ut nostra aetate Craisson, Aichner; speciatim *de irregularitatibus* scripsit Boenninghausen (Monasterii 1863).

§ 8.

Defectus famae, seu infamia.

Infamia distinguitur infamia *facti* et *juris.* Cf. Decretal. l. 5 1023
tit. 31 c. 11, l. 1 tit. 11 c. 17, *reg. juris* in 6. reg. 87.

I. Infamia facti habetur: a) ex opinione communi seu notoria facti criminis sive vera sive falsa, b) ex perpessione poenae infamantis publica vel publicata, c) ex exercitio artis sive peccaminosae sive adeo vilis, ut communiter despiciantur, qui eam exerceant: quae *facti* infamia etiam aliquando in ipsos filios redundare potest.

II. Infamia juris completa habetur per judicis sententiam a) quae decernat infamiam, b) quae imponat poenam infamantem, c) quae sit criminis infamis condemnatoria, d) quae sit criminis infamis declaratoria (nimirum si crimen aliquod in jure sive canonico sive civili dicitur *ipso facto* inducere infamiam, sufficit sententia *criminis declaratoria;* si vero crimina infamantia quidem dicuntur, sed non *ipso facto,* sententia *condemnatoria* requiritur); e) demum adest infamia juris completa per solam confessionem rei in judicio, quando crimen *ipso facto* dicitur infamiam inducere.

III. Infamia juris completa, ut jam supra innui n. 1010, si unquam adfuit sive ob delictum proprium, sive ob delictum parentum, quod juris infamiam in filios transfundit, semper *dispensatione* indiget, ut auferatur, quantumvis *facti* infamia per lapsum temporis aut loci mutationem cessaverit: nisi forte sententia judicis fuerit manifeste injusta, aut postea pro injusta declarata.

Idem dic de irregularitate ex haeresi propria vel aliena contracta, etsi juris infamia completa non fuit, sed factum tantum notorium erat.

In aliis autem criminibus, si juris infamia completa non fuit, sed tantummodo infamia facti: irregularitas sine dispensatione cessat, quando re ipsa infamia facti plene cessavit. — Status autem religiosus assumptus aufert irregularitatem, tum quae ex delicto alieno, tum quae ex vilis artis exercitio orta fuerit: S. Alph. l. 7 n. 364.

1029 Ad majorem rerum explicationem distinguere licet infamiam 1) ex delicto proprio, 2) ex delicto alieno, 3) ex arte vili, 4) meri facti.

Relate ad *primum* genus vide delicta ipso facto infamantia supra n. 1010. — Quae vero insuper infamantia habentur, sunt ex S. Alphonso n. 363 et Tambur. l. c. cap. 10 § 2 praeter homicidium praecipue haec: perjurium in judicio, adulterium, sodomia, lenocinium, simonia, proditio, rapina, paratio armorum contra parentes, publicum usurarum exercitium —: videlicet tum ecclesiasticarum, tum civilium legum ratio habetur secundum axioma (Decr. Grat. C. 6 Q. 1 c. 2): „Omnes infames esse dicuntur, quos leges saeculi infames appellant."

Ad *alterum* genus, eorum sc., qui delicto alieno juris irregularitatem contrahunt, pertinent sequentes:

1. Filii et nepotes eorum, qui Cardinales hostiliter insecuti sunt, vel in eo crimine cooperatores exstiterunt: ex c. „*Felices*" l. 5 t. 9 c. 5 in 6.

2. Filii et nepotes ex patre haeretico vel haeresis fautore: ex matre haeretica soli filii irregulares evadunt: ex c. „*Statutum*" l. 5 t. 2 c. 15 in 6. Sed nota: 1) Statuitur sola irregularitas quoad beneficia et publica officia. 2) Non comprehenduntur a) filii, qui ante lapsum parentum erant sui juris, imo secundum S. Alph. n. 363 qui ante lapsum nati erant; b) neque comprehenduntur filii, si parentes postea Ecclesiae reconciliati sunt. c) Complures censebant, ne illos quidem comprehendi, qui ab haereticis descenderent in regionibus, ubi, haeresi impune grassante, crimen haeresis infamiam non inferret. Verum Romae id non approbatur [1].

3. Adduntur a multis ex jure civili: filii eorum, qui damnati sunt ob delictum laesae majestatis; filii nati ex matre meretrice (sc. hi videntur supponi *illegitimi*, et ex hoc capite irregulares exsistere).

1030 Ad *tertium* genus, eorum qui ex arte vili, si minus omnes infames, tamen irregulares sunt: 1) histriones, qui turpia vel alia graviter illicita exhibent vel exercent; 2) carnifices, lictores aliiqui id genus homines.

Quorum filii per se non sunt irregulares: attamen dedecet eos ordinari vel ordines sacros exercere in iis locis, ubi parentes tam vilem artem exercent, vel ubi eorum origo publice nota est.

---

[1] Habetur hac in re responsum S. Officii d. d. 11. Julii 1884 ad Episc. Harlem., qui volebat benigniorem consuetudinem abolere; ei igitur remittebatur decr. in Posen. d. d. 25. Julii 1866, scil.: „*filios haereticorum, qui in haeresi persistunt et mortui sunt, esse irregulares etiam in Germania aliisque in locis, ubi impune grassantur haereses; quoad praeteritum autem esse acquiescendum*". (Zitelli *apparatus juris eccles.* Romae 1886.) Cui consonat simile rescriptum d. d. 14. Dec. 1890 ad Archiep. Colon. aliosque Germaniae Epp. datum: „*haereticos ad fidem catholicam conversos, ac filios haereticorum, qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad 1^m et 2^m gradum per lineam paternam, per maternam vero ad 1^m dumtaxat esse irregulares etiam in Germania et in aliis locis, de quibus petitur, ideoque dispensatione indigere, ut ad tonsuram et ordines promoveantur*". In Anglia etiam mos jam erat, ut dispensatio daretur, uti constat ex Conc. Westmon. I. cap. XXI, 2.

Ad *quartum* genus addi potest: Ut aliquis ex defectu famae irregularis sit, satis est publica perseverantia in quocumque mortali peccato: v. Tambur. l. c. c. 10 § 3. Si vero publice notum est, aliquem peccatum commisisse, non una regula definiri potest, utrum censendus sit publice in eo perseverare, donec publice constet de emendatione, an tum tantum perseverare dici debeat, si peccatum frequentius repetat. Nam recte notat Tambur. l. c., si peccatum non est adeo infame, non ex uno peccato commisso arguitur perseverantia, sed ex peccato pluries repetito; si vero crimen atrox est, ut ille, qui commisit, non dicatur perseverare, requiritur, ut emendationem *ostenderit.*

Res igitur, quas hoc volumine pertractandas esse indicavi, Dei ope absolutae sunt. Faxit divina gratia, ut praecipue subsidiis illis adjuvantibus, quorum tractatio hujus voluminis longe maximam partem implet, tum lector, tum reliqui fideles, qui ejus curae concrediti sint, in omni quidem virtutum genere, maxime vero in Dei amore conserventur et crescant, atque ita Apostolica illa adprecatio re ipsa in omnibus adimpleatur: „*Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.*“ 2 Cor. 13, 13.

* * *

Legentium tum commoditatis tum eruditionis causa pro appendice addendum duxi 1) catalogum propositionum a S. Sede damnatarum et recentiora quaedam documenta ecclesiastica; 2) catalogum praecipuorum scriptorum, qui theologiam moralem sive cognatas practicae theologiae disciplinas excoluerunt: etsi fateor, enumerationem scriptorum sane mancam esse, neque multas notas ad singulos scriptores cognoscendos potuisse adjici, ne hujus voluminis moles suos limites excederet.

Appendix I.

Series chronologica

Propositionum damnatarum

ab anno 1418 contra Joannem Wicleffum ad annum 1887 contra errores Rosminianorum

cum aliis quibusdam decretis Romanis.

Num. I.

Articuli 45 *Joannis Wicleffi,* damnati in Concilio Constantiensi sessione XLV et a Martino V anno 1418.

1. Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento altaris.

2. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.

3. Christus non est in eodem Sacramento identice et realiter propria praesentia corporali.

4. Si Episcopus vel sacerdos exsistat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.

5. Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.

6. Deus debet obedire diabolo.

7. Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis.

8. Si Papa sit praescitus et malus et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare.

9. Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Graecorum sub legibus propriis.

10. Contra Scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones.

11. Nullus Praelatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo: et qui sic excommunicat, fit ex hoc haereticus vel excommunicatus.

12. Praelatus excommunicans clericum, qui appellavit ad regem vel ad Concilium regni, eo ipso traditor est regis et regni.

13. Illi qui dimittunt praedicare sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, et in Dei judicio traditores habebuntur.

14. Licet alicui diacono vel presbytero praedicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicae sive Episcopi catholici.

15. Nullus est dominus civilis, nullus est Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est ex habitu, non solum actu delinquentibus.

17. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18. Decimae sunt purae eleemosynae, et possunt parochiani propter peccata suorum praelatorum ad libitum suum eas auferre.

19. Speciales orationes, applicatae uni personae per praelatos vel religiosos, non plus prosunt eidem quam generales, caeteris paribus.

20. Conferens eleemosynam fratribus est excommunicatus eo facto.

21. Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcunque, tam possessionatorum quam mendicantium, redditur ineptior et inhabilior ad observationem mandatorum Dei.

22. Sancti, instituentes religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

23. Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione christiana.

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, et non per mendicitatem.

25. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.

26. Oratio praesciti nulli valet.

27. Omnia de necessitate absoluta eveniunt.

28. Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio reservatur Papae et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris.

29. Universitates, studia, collegia, graduationes, et magisteria in iisdem sunt vana gentilitate introducta; tantum prosunt Ecclesiae, sicut diabolus.

30. Excommunicatio Papae vel cujuscunque Praelati non est timenda: quia est censura Antichristi.

31. Peccant fundantes claustra: et ingredientes sunt viri diabolici.

32. Ditare clerum est contra regulam Christi.

33. Sylvester Papa et Constantinus Imperator errarunt, Ecclesiam dotando.

34. Omnes ordines mendicantium sunt haeretici, et dantes eis eleemosynas sunt excommunicati.

35. Ingredientes religionem, aut aliquem ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina praecepta, et per consequens ad perveniendum ad regnum coelorum, nisi apostataverint ab eisdem.

36. Papa cum omnibus clericis suis possessiones habentibus sunt haeretici, eo quod possessiones habeant, et consentientes eis, omnes videlicet domini saeculares et caeteri laici.

37. Ecclesia Romana est synagoga satanae, nec Papa est proximus et immediatus Vicarius Christi et Apostolorum.

38. Decretales epistolae sunt apocryphae, et seducunt a fide Christi: et clerici sunt stulti, qui student eis.

39. Imperator et domini saeculares sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam ditarent bonis temporalibus.

40. Electio Papae a Cardinalibus a diabolo est introducta.

41. Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.

42. Fatuum est credere indulgentiis Papae et Episcoporum.

43. Juramenta illicita sunt, quae fiunt ad corroborandos humanos contractus et commercia civilia.

44. Augustinus, Benedictus et Bernardus damnati sunt, nisi poenituerint de hoc, quod habuerunt possessiones, et instituerunt et intraverunt religiones: et sic, a Papa usque ad ultimum religiosum, omnes sunt haeretici.

45. Omnes religiones indifferenter introductae sunt a diabolo.

Num. II.

Articuli 30 *Joannis Huss,* damnati ut supra.

1. Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas.

2. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecerit quosdam actus actibus Ecclesiae malignantium consimiles.

3. Praesciti non sunt partes Ecclesiae, quum nulla pars ejus finaliter excidat ab ea, eo quod praedestinationis caritas, quae ipsam ligat, non excidet.

4. Duae naturae, Divinitas et Humanitas, sunt unus Christus.

5. Praescitus, etsi aliquando est in gratia secundum praesentem justitiam, tamen nunquam est pars sanctae Ecclesiae; et praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis.

6. Sumendo Ecclesiam pro convocatione praedestinatorum, sive fuerint in gratia sive non, secundum praesentem justitiam, isto modo Ecclesia est articulus fidei.

7. Petrus non est nec fuit caput Ecclesiae sanctae catholicae.

8. Sacerdotes quomodolibet criminose viventes sacerdotii polluunt potestatem, et sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem sacramentis Ecclesiae, de clavibus, officiis, censuris, moribus, caeremoniis et sacris rebus Ecclesiae, veneratione reliquiarum, indulgentiis, et Ordinibus.

9. Papalis dignitas a Caesare inolevit, et Papae perfectio et institutio a Caesaris potentia emanavit.

10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel alio, quod esset caput ecclesiae particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanae Ecclesiae particularis.

11. Non oportet credere quod iste, quicunque est Romanus Pontifex, sit caput cujuscunque particularis ecclesiae sanctae, nisi Deus eum praedestinaverit.

12. Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus: quum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem: quia ad illud officium vicariatûs requiritur et morum conformitas et instituentis auctoritas.

13. Papa non est verus et manifestus successor Apostolorum principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro: et si quaerit avaritiam, tunc est vicarius Judae Iscarioth. Et pari evidentia Cardinales non sunt veri et manifesti successores Collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata et consilia Domini nostri Jesu Christi.

14. Doctores ponentes quod aliquis per censuram ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, saeculari judicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc pontifices, scribas, et pharisaeos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes *Nobis non licet interficere quemquam,* ipsum saeculari judicio tradiderunt: et tales sint homicidae graviores quam Pilatus.

15. Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem sacerdotum Ecclesiae praeter expressam auctoritatem Scripturae.

16. Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa vel vitiosa: quia si homo est vitiosus et agit quidquam, tunc agit vitiose: et si est virtuosus et agit quidquam, tunc agit virtuose: quia sicut vitium, quod crimen dicitur seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

17. Sacerdotes Christi viventes secundum legem ejus, et habentes Scripturae notitiam, et affectum ad aedificandum populum, debent praedicare non obstante praetensa excommunicatione. Quodsi Papa vel aliquis Praelatus mandat sacerdoti sic disposito non praedicare, non debet subditus obedire.

18. Quilibet praedicantis officium de mandato accipit, qui ad sacerdotium accedit: et illud mandatum debet exsequi, praetensa excommunicatione non obstante.

19. Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis et interdicti ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, et viam praeparat Antichristo. Signum autem evidens est, quod ab Antichristo tales procedunt censurae, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant nequitiam Antichristi, qui clerum pro se maxime usurpabit.

20. Si Papa est malus, et praesertim si est praescitus, tunc ut Judas apostolus est diaboli, fur, et filius perditionis, et non est caput sanctae militantis Ecclesiae, quum nec sit membrum ejus.

21. Gratia praedestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiae et quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.

22. Papa vel Praelatus malus et praescitus est aequivoce pastor, et vere fur et latro.

23. Papa non debet dici sanctissimus, etiam secundum officium: quia alias rex deberet etiam dici sanctissimus secundum officium, et tortores et praecones dicerentur sancti: imo etiam diabolus deberet dici sanctus, quum sit officiarius Dei.

24. Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritam et legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam: nam Judas Iscariotes rite et legitime est electus a Deo Christo Jesu ad episcopatum, et tamen ascendit aliunde ad ovile ovium.

25. Condemnatio 45 art. Joannis Wicleff, per doctores facta, est irrationabilis, et iniqua, et male facta; ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo quod nullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum aut est haereticus, aut erroneus, aut scandalosus.

26. Non eo ipso, quod electores vel major pars eorum consenserint viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa per-

sona est legitime electa, vel eo ipso est verus et manifestus successor vel vicarius Petri Apostoli vel alterius Apostoli in officio ecclesiastico: unde, sive electores bene vel male elegerint, operibus electi debemus credere: nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiae, habet a Deo ad hoc copiosius facultatem.

27. Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia ipsa militante conversetur et conservetur.

28. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam Ecclesiam regularet.

29. Apostoli et fideles sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papae officium foret introductum: sic facerent, deficiente per summe possibile Papa, usque ad diem judicii.

30. Nullus est dominus civilis, nullus est Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

Num. III.

Propositiones 9 Magistri *Petri Oxomensis,* damnatae in Congregatione Complutensi, et deinde a Sixto IV. anno 1479.

1. Peccata mortalia, quantum ad culpam et poenam alterius saeculi, delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves.

2. Confessio de peccatis in specie fuit ex aliquo statuto utilis Ecclesiae, non de jure divino.

3. Pravae cogitationes confiteri non debent, sed solâ displicentiâ delentur sine ordine ad claves.

4. Confessio debet esse secreta, id est de peccatis secretis, non de manifestis.

5. Non sunt absolvendi poenitentes, nisi peractâ prius poenitentiâ iis injunctâ.

6. Papa non potest indulgere alicui viro* poenam purgatorii.

7. Ecclesia urbis Romae errare potest.

8. Papa non potest dispensare in statutis universalis Ecclesiae.

9. Sacramentum Poenitentiae, quantum ad collationem gratiae sacramentalis, naturae est, non alicujus institutionis veteris vel novi Testamenti.

Damnatae ut scandalosae et haereticae.

* Sic (*viro,* non *vivo*) legitur in ipsis Actis; ex quibus etiam aliter patet, Petrum negasse etiam speciatim indulgentias pro defunctis.

Num. IV.

Errores 41 *Martini Lutheri,* damnati a Leone X. bulla *Exsurge Domine* etc. 16. Maji 1520.

1. Haeretica sententia est, sed usitata, sacramenta novae legis justificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2. In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare.

3. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu coeli.

4. Imperfecta caritas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere poenam purgatorii, et impedit introitum regni.

5. Tres esse partes poenitentiae, contritionem, confessionem et satisfactionem, non est fundatum in sacra Scriptura nec antiquis sanctis christianis doctoribus.

6. Contritio, quae paratur per discussionem, collationem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, amissionem aeternae beatitudinis, ac aeternae damnationis acquisitionem, haec contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem.

7. Verissimum est proverbium, et omnium doctrina de contritionibus hucusque data praestantius: de caetero non facere, summa poenitentia; optima poenitentia, nova vita.

8. Nullo modo praesumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas. Unde primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebatur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiae Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente sacerdote credat sibi remitti, imo peccatum maneret, nisi remissum crederet: non enim sufficit remissio peccati et gratiae donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

11. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi *Quodcunque solveris etc.* (Matth. XVI.) Hinc, inquam, confide, si sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quidquid sit de contritione.

12. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolveret; si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

13. In sacramento poenitentiae ac remissione culpae non plus facit Papa aut Episcopus, quam infimus sacerdos: imo, ubi non est sacerdos, aeque tantum quilibet christianus, etiamsi mulier aut puer esset.

14. Nullus debet sacerdoti respondere se esse contritum, nec sacerdos requirere.

15. Magnus est error eorum, qui ad sacramentum Eucharistiae accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod praemiserint orationes suas et praeparatoria: omnes illi judicium sibi manducant et bibunt. Sed si credant et confidant se gratiam ibi consecuturos, haec sola fides facit eos puros et dignos.

16. Consultum videtur, quod Ecclesia in communi Concilio statueret laicos sub utraque specie communicandos: nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt haeretici, sed schismatici.

17. Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum.

18. Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium, et remissiones bonorum operum: et sunt de numero eorum quae licent, et non de numero eorum quae expediunt.

19. Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam.

20. Seducuntur credentes indulgentias esse salutares et ad fructus spiritûs utiles.

21. Indulgentiae necessariae sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo et impatientibus.

22. Sex generibus hominum indulgentiae nec sunt necessariae nec utiles: videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt sed non publica, his qui meliora operantur.

23. Excommunicationes sunt tantum externae poenae, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus.

24. Docendi sunt christiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

25. Romanus Pontifex, Petri successor, non est Christi vicarius super omnes totius mundi ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus.

26. Verbum Christi ad Petrum, *Quodcunque solveris super terram* etc. (Matth. xvi), extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

27. Certum est, in manu Ecclesiae aut Papae prorsus non esse statuere articulos fidei, imo nec leges morum seu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Ecclesiae sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut haeresis contrarium sentire, praesertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et judicandi eorum decreta, et confidenter confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocunque Concilio.

30. Aliqui articuli Joannis Huss condemnati in Concilio Constantiensi sunt christianissimi, verissimi et evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

31. In omni opere bono justus peccat.

32. Opus bonum optime factum, est veniale peccatum.

33. Haereticos comburi, est contra voluntatem Spiritûs.

34. Praeliari adversus Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

35. Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiae vitium.

36. Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo: et dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non potest probari ex sacra Scriptura, quae sit in canone.

38. Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem omnes: nec probatum est ullis aut rationibus aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi aut augendae caritatis.

39. Animae in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerunt requiem et horrent poenas.

40. Animae ex purgatorio liberatae suffragiis viventium minus beantur, quam si per se satisfecissent.

41. Praelati ecclesiastici et principes saeculares non male facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

Num. V.

Propositiones 79 *Michaelis Baji*, damnatae a S. Pio V. bulla *Ex omnibus afflictionibus* etc. 1. Oct. 1567, necnon a Gregorio XIII. bulla *Provisionis nostrae* etc. 29. Jan. 1579, et ab Urbano VIII. bulla *In eminenti* etc. 6. Mart. 1641.

1. Nec angeli nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis aeternae meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitae aeternae meritorium.

3. Et bonis angelis, et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces, et non gratia.

4. Vita aeterna homini integro et angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta angelo et primo homini continetur naturalis justitiae constitutio, qua pro bonis operibus sine alio respectu vita aeterna justis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut, si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primae creationis munera: sed juxta modum loquendi Scripturae sacrae non recte vocantur gratia: quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia, debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro et angelo forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia: sed quia, secundum usum sacrae Scripturae, nomine gratiae ea tantum munera intelliguntur, quae per Jesum Christum male merentibus et indignis conferuntur, ideo neque merita neque merces, quae illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio poenae temporalis, quae peccato dimisso saepe manet, et corporis resurrectio proprie nonnisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod pie et juste in hac vita mortali usque in finem vitae conversati vitam consequimur aeternam, id non proprie gratiae Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutae justo Dei judicio deputandum est: neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiae mandatorum vita aeterna reddatur.

12. Pelagii sententia est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni coelestis meritorium.

13. Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiant per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum eo quod sint conformia legi, quodque per ea praestatur obedientia legi.

14. Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi mercedem ampliorem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operantur habeant gratiam et inhabitantem Spiritum sanctum, sed in eo solum, quod obediunt divinae legi.

16. Non est vera legis obedientia, quae fit sine caritate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo de gratia adoptionis sublimetur ad statum deificum.

18. Opera catechumenorum, ut fides et poenitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitae aeternae merita: quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius praecedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera justitiae et temperantiae, quae Christus fecit, ex dignitate personae operantis non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale: sed omne peccatum meretur poenam aeternam.

21. Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos II, *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut fide, spe et caritate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis et otiosis hominibus, secundum insipientiam philosophorum, excogitata est sententia, quae ad Pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus et in Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium, sine gratiae Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non soli fures ii sunt et latrones, qui Christum viam et ostium veritatis et vitae negant, sed etiam quicunque aliunde quam per ipsum in viam justitiae (hoc est aliquam justitiam) conscendi posse docent:

30. aut tentationi ulli sine gratiae ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur aut ab ea non superetur.

31. Caritas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Caritas illa, quae est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus juste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per caritatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quae in baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris Literis et plurimis veterum testimoniis excogitata.

35. Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola philosophia per elationem praesumptionis humanae cum injuria crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas qua mundus diligitur, quae a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa caritas qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

42. Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quae est operum justitia: non autem in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei et secundum interiorem hominem renovatur ac divinae naturae consors efficitur, ut, sic per Spiritum sanctum renovatus, deinceps bene vivere et Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus poenitentibus ante sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante baptismum, est vera justificatio: separata tamen a remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque, quae a fidelibus fiunt solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia et vera legis justitia: non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missae non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus quod fit, ut sancta societate Deo homo inhaereat.

46. Ad rationem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quaestio est, sed causae et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem a qua originem habuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo: eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, et legi Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto *Non concupisces.*

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava ejus desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum auctorem et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

54. Definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, quum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt, actus et reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad poenam.

57. Unde in sacramento baptismi aut sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a reatu.

58. Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui, poenitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat: ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas aliaque poenitentiae opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioquin essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores): sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, et communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta: sed per communionem caritatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus qui pretio Sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur.

61. Illa doctorum distinctio, divinae legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero modo quantum ad certum quendam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum aeternum (hoc est ad modum meritorium), commentitia est et explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto et omnibus circumstantiis rectum est et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt), vel quia est meritorium regni aeterni, eo quod sit a vivo Christi membro per spiritum caritatis, rejicienda est.

63. Sed et illa distinctio duplicis justitiae, alterius quae fit per spiritum caritatis inhabitantem, alterius quae fit ex inspiratione quidem Spiritûs sancti cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis et in eo caritatem diffundentis, qua divinae legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator dum ei poenitentiae et vitae novae propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius qua vivificatur qui vere justificatur et palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est et Scripturis minime congruens.

65. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus: et gratiae Christi injuriam facit, qui ita sentit et docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.

68. Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem et inspirationem gratiae, quae per eam justificatos faciat implere legem.

70. Homo exsistens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram caritatem: et caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.

72. Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde et Job et martyres, quae passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo, praeter Christum, est absque peccato originali; hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiae sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti praecepto *Non concupisces:* unde homo eos sentiens, et non consentiens, transgreditur praeceptum *Non concupisces*: quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiscentiae carnalis in diligente est, non facit praeceptum *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

77. Satisfactiones laboriosae justificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali.

Num. VI.

Propositio, qua asseritur aequalitas sanctorum Petri et Pauli, damnata ab Innocentio X. decreto Congregationis generalis sanctae Romanae et universalis Inquisitionis *Editus est* etc. 29. Jun. 1647.

Sanctissimus, relatâ unanimi theologorum ad hoc specialiter deputatorum censurâ, et auditis votis eminentissimorum et reverendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, propositionem hanc: *S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiae principes qui unicum efficiunt,* vel *sunt duo Ecclesiae catholicae coryphaei ac supremi duces summa inter se unitate conjuncti,* vel *sunt geminus universalis Ecclesiae vertex qui in unum divinissime coaluerunt,* vel *sunt duo Ecclesiae summi pastores ac praesides, qui unicum caput constituunt,* ita explicatam, ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiae, haereticam censuit et declaravit.

Num. VII.

Propositiones 5 *Cornelii Jansenii,* ex ejus libro cui titulus *Augustinus* excerptae, damnatae ab Innocentio X. constitutione *Cum occasione* etc. 31. Maii 1653, necnon ab Alexandro VII. constitutione *Ad Sanctam B. Petri Sedem* etc. 16. Oct. 1656, tum constitutione *Regiminis apostolici* etc. 15. Febr. 1664, in qua *formularium* edidit, denique a Clemente XI. constitutione *Vineam Domini Sabaoth* etc. 16. Jul. 1705.

1. Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque

illis gratia, qua possibilia fiant. *Declarata et damnata uti* temeraria, impia, blasphema, anathemate damnanda, et haeretica.

2. Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur. *Declarata et damnata uti* haeretica.

3. Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. *Declarata et damnata uti* haeretica.

4. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. *Declarata et damnata uti* falsa et haeretica.

5. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. *Declarata et damnata uti* falsa, temeraria, scandalosa, et, intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, et haeretica.

Formularium Alexandri VII.

„Ego N. constitutioni apostolicae Innocentii X., datae die 31. Maji 1653, et constitutioni Alexandri VII., datae die 16. Octobris 1656, summorum Pontificum, me subjicio, et quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro cui nomen *Augustinus* excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones Sedes apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, et ita juro: Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia."

Num. VIII.

Propositiones 45 damnatae ab *Alexandro VII.* decretis Congregationis generalis sanctae Romanae et universalis Inquisitionis *Sanctissimus Dominus noster* etc. 24. Sept. 1665 et 18. Mart. 1666.

Feria V, die 24. Septembris anno 1665.

Sanctissimus Dominus noster audivit non sine magno animi sui moerore, complures opiniones, christianae disciplinae relaxativas et animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate sanctorumque Patrum doctrina, et quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset christianae vitae corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus (cujus verba in aeternum permanent) arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari seu verius perverti contingeret, idem SS. D. N., ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa lataque (per quam itur ad perditionem) via pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earundem opinionum examen etc.

1. Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens bullam *Coenae* solum prohibere absolutionem haeresis et aliorum criminum quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629, 18. Julii in Consistorio sacrae Congregationis eminentissimorum Cardinalium visa et tolerata est.

4. Praelati regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscunque saeculares ab haeresi occulta et ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse haereticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitare in confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evitandi obligationem denuntiandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructûs ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

9. Post decretum Urbani potest sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam, pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur regulari Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.

15. Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit: uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso vel ejus religioni publice et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit poena.

21. Habens capellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suae obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis: quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere praecepto.

24. Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimae; ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis praecepto dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.

27. Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

Feria V, die 18. Martii anno 1666.

Propos. 29. In die jejunii, qui saepius modicum quid comedit, non frangit jejunium.

30. Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium paschale satisfacit praecepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiae concessae Regularibus, et revocatae a Paulo V., hodie sunt revalidatae.

38. Mandatum Tridentini factum sacerdoti (sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali) confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum.

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, quum sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quae ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum, deficiente illa, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiae, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censurae.

45. Libri prohibiti *„donec expurgentur“* possunt retineri usque dum adhibitâ diligentiâ corrigantur.

Omnes damnatae et prohibitae ut minimum tamquam scandalosae.

Num. IX.

Propositiones 65 damnatae ab Innocentio XI. decreto Congregationis generalis sanctae Romanae et universalis Inquisitionis *Sanctissimus Dominus noster* etc. 2. Mart. 1679.

Feria V, die 2. Martii 1679.

1. Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.

2. Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum caritatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam qua justificari possimus.

8. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.

11. Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale et secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine qua quis formidat ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

23. Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis sive gravis.

26. Si quis, vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa sive quocunque alio fine, juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.

28. Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare juramentum quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis: quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva quae actu possidemus, sed etiam ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam haeredi quam legatario, contra injuste impedientem ne vel haereditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere: sicut et jus habenti in cathedram vel praebendam, contra earum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem foetûs, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem foetum (quamdiu in utero est) carere anima rationali, et tunc primum incipere eandem habere, quum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retroventionis praevie inito cum intentione lucri.

41. Quum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam praesentem quam futuram; potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur quam res spiritualis.

47. Quum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad ecclesias promovent: Concilium vel primo videtur per hoc *digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit *digniores*, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturae prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.

55. Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens confessio et Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursûs poenitentium, qualis verbi gratia potest contingere in die magnae alicujus festivitatis aut indulgentiae.

60. Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quin imo directe et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimae Trinitatis et Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Omnes damnatae et prohibitae, sicut jacent, ut minimum tamquam scandalosae et in praxi perniciosae.

Summus Pontifex decretum concludit his verbis: Tandem ut ab injuriosis contentionibus doctores seu scholastici aut alii quicunque in posterum se abstineant, et ut paci et caritati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctae obedientiae eis praecipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in thesibus, disputationibus ac praedicationibus caveant ab

omni censura et nota necnon a quibuscunque conviciis contra eas propositiones, quae adhuc inter catholicos hinc inde controvertuntur, donec a sancta Sede re cognita super iisdem propositionibus judicium proferatur.

23. Nov. 1679 per S. Off. ab Innoc. XI. confixae ut *temerariae ad minimum et novae:*

1. Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut eâ utamur, sicut aliquis donat alteri villam aut librum.
2. Deus subjicit nobis suam omnipotentiam.

Alia propositio damnata sub eodem Innoc. XI. an. 1682.

Scientiâ ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.

Revocari huc potest et decretum Clementis VIII. 26 Maji 1593.

Tam Superiores pro tempore exsistentes, quam confessarii, qui postea ad Superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Quoad sacramentum poenitentiae sub Clemente VIII. 20. Jun. 1602 proscriptum est:

Licet per literas seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.

Num. X.

Propositiones 68 *Michaelis de Molinos,* damnatae ab Innocentio XI. Constitutione *Coelestis Pastor* etc. 20. Nov. 1687.

1. Oportet hominem suas potentias annihilare, et haec est vita interna.
2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens: et ideo opus est seipsum in Deo totum et totaliter derelinquere, et postea permanere velut corpus exanime.
3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.
4. Activitas naturalis est gratiae inimica, impeditque Dei operationes et perfectionem: quia Deus operari vult in nobis sine nobis.
5. Nihil operando anima se annihilat, et ad ipsum principium redit et ad suam originem, quae est essentia Dei, in qua transformata remanet ac divinizata, et Deus tunc in se ipso remanet; quia tunc non sunt amplius duae res unitae, sed una tantum, et hac ratione Deus vivit et regnat in nobis, et anima seipsam annihilat in esse operativo.
6. Via interna est illa, qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, et non oportet Deum cognoscere, et hoc modo recte proceditur.
7. Non debet anima cogitare nec de praemio nec de punitione, nec de paradiso nec de inferno, nec de morte, nec de aeternitate.
8. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat necne: nec opus est, ut velit cognoscere suum statum nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.
9. Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscunque rei, et in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones et ad proprios defectus.

10. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi: et ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.

11. Ad dubia, quae occurrunt, an recte procedatur necne, non opus est reflectere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno nec de paradiso: nec debet desiderium habere propriae perfectionis, nec virtutum, nec propriae sanctitatis, nec propriae salutis, cujus spem expurgare debet.

13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio et cura de omni re nostra, et relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

14. Qui divinae voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat: quia petere est imperfectio, quum sit actus propriae voluntatis et electionis, et est velle quod divina voluntas nostrae conformetur, et non quod nostra divinae: et illud Evangelii *Petite et accipietis* non est dictum a Christo pro animabus internis, quae nolunt habere voluntatem: imo hujusmodi animae eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob aliquam gratias agere debent: quia utrumque est actus propriae voluntatis.

16. Non convenit indulgentias quaerere pro poena propriis peccatis debita: quia melius est divinae justitiae satisfacere, quam divinam misericordiam quaerere: quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato, nec est Deo grata nec meritoria, quia est velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relicta cura et cogitatione animae nostrae, non est amplius habenda ratio tentationum; nec eis alia resistentia fieri debet nisi negativa, nulla adhibita industriâ: et si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia est natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, et propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu et veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur aut intellectus comprehendit, non amat vere Deum.

20. Asserere, quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre et per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquam loquitur, ejus locutio est operatio, et semper in anima operatur, quando haec suis discursibus, cogitationibus et operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in fide obscura et universali, cum quiete et oblivione cujuscunque cogitationis particularis ac distinctae attributorum Dei ac Trinitatis, et sic in Dei praesentia manere ad illum adorandum et amandum eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.

22. Cognitio haec per fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturae tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit se illam habuisse: et idem dicitur de amore.

23. Mystici cum S. Bernardo in scala claustralium distinguunt quatuor gradus, lectionem, meditationem, orationem, et contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit. Qui

semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat (absque eo, quod ipsa id exspectet) ad contemplationem infusam: et hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum et in ipso permanere, absque eo, quod amplius redeat ad secundum aut primum.

24. Qualescunque cogitationes in oratione occurrant, etiam impurae, etiam contra Deum, Sanctos, fidem, et sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia et resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei: imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinae voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus et dormiatur, nihilominus fit oratio et contemplatio actualis: quia oratio et resignatio idem sunt, et dum resignatio perdurat, perdurat et oratio.

26. Tres illae viae, purgativa, illuminativa, et unitiva, est absurdum maximum quod dictum fuerit in mystica: quum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat nec quaerit Deum, sed seipsum: et male agit, quum eam desiderat et eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris quam in diebus solemnibus.

28. Taedium rerum spiritualium bonum est, siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, et virtutes, frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod exprimitur in vita spirituali, est abominabile, spurcum et immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quae non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante nec post Communionem alia requiritur praeparatio aut gratiarum actio (pro istis animabus internis), quam permanentia in solida resignatione passiva: quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui possunt et fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei: alias sunt impulsus naturae nondum mortuae.

33. Male agit anima, quae procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum: quoniam animae internae omnes dies sunt aequales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca aequalia sunt.

34. Verbis et lingua gratias agere Deo, non est pro animabus internis, quae in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo quod operetur in illis: et quo magis Deo se resignant, experiuntur, se non posse Orationem Dominicam seu Pater noster recitare.

35. Non convenit animabus hujus viae internae, quod faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione et activitate; alias non essent mortuae. Nec debent elicere actus amoris erga beatam Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Christi: quia, quum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde: quia solus Deus vult illud occupare et possidere.

37. In occasione tentationum etiam furiosarum non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore et resignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est et infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera et poenitentiae, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhaesionem.

40. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, et tamen fuit Sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriore.

41. Deus permittit et vult, ad nos humiliandos et ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, daemon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat etiam in vigilia et sine mentis offuscatione, movendo physice illarum manus et alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos: in quo casu non sunt peccata, quia his non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod hujusmodi violentiae ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris et feminae, et ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus praeteritis saeculis Sanctos efficiebat tyrannorum ministerio: nunc vero eos efficit sanctos ministerio daemonum, qui causando in eis praedictas violentias, facit ut illi seipsos magis despiciant atque annihilent, et se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis: quia fecit ex daemonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujusmodi daemonis violentias in suo corpore passus est: unde scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ago: sed, quod nolo malum, hoc facio.*

46. Hujusmodi violentiae sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, et ad eam ad veram transformationem et unionem perducendam, nec alia superest via: et haec est via facilior et tutior.

47. Cum hujusmodi violentiae occurrunt, sinere oportet, ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo: et etiamsi sequantur pollutiones et actus obscoeni propriis manibus, et etiam pejora, non opus est se ipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, et timores: quia anima fit magis illuminata, magis roborata magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et prae omnibus non opus est haec confiteri, et sanctissime fit non confitendo: quia hoc pacto superatur daemon, et acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur: unde ad ejus vires enervandas melius est ea non confiteri: quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia daemonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces (sic interpretando locum ex capite XVI. Job).

50. David, Jeremias, et multi ex sanctis prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos: uti illud de Samsone, qui per violentiam se ipsum occidit cum Philistaeis, conjugium iniit cum alienigena, et cum Dalila meretrice fornicatus est, quae alias erant prohibita, et peccata fuissent: de Juditha, quae Holoferni mentita fuit: de Elisaeo, qui pueris maledixit: de Elia, qui combussit duces cum turmis regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel daemonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Quum hujusmodi violentiae etiam impurae absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, et de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendam in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula, quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quae protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse quod iis consenserint et videre quod sint animae, quae proficiunt in via interna: sed regulam sumerem a lumine quodam actuali cognitione humana ac theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine quod talis operatio est violenta: et certus sum quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me provenit conjunctum cum certitudine quod a Deo proveniat, et mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium: eo modo, quo interdum contingit, quod Deus, aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit qui revelat, et anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales vitae ordinariae in hora mortis se delusos inveniunt et confusos, et cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas et exstinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil: nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Duae leges et duae cupiditates (animae una et amoris proprii altera) tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: unde quando hic purgatus est et mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illae duae leges et duae cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata nec mortalia nec venialia.

58. Ad hujusmodi statum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes: quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna sejuncta est a confessione, a confessariis, et a casibus conscientiae, a theologia, et philosophia.

60. Animabus provectis, quae reflexionibus mori incipiunt, et eo etiam perveniunt ut sint mortuae, Deus confessionem aliquando efficit impossibilem, et supplet ipse tanta gratia praeservante, quantam in sacramento reciperent: et ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad sacramentum poenitentiae accedere, quia id est in illis impossibile.

61. Anima, quum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, et Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum: quinimo signum quod quis in statu nihilitatis maneat, id est mortis mysticae, est, si sensus exteriores non repraesentent amplius res sensibiles, unde sint ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum quod intellectus se ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet quam homo rudis ad statum contemplativi: primo quia non habet fidem adeo puram, secundo quia non est adeo humilis, tertio quia non adeo curat propriam salutem, quarto quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, et speculationibus, et non potest in illum ingredi verum lumen.

65. Praepositis obediendum est in exteriore, et latitudo voti obedientiae religiosorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter se res habet, quo solus Deus et director intrant.

66. Risu digna est nova quaedam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo: quodsi Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo directore adeat. Novam dico doctrinam: quia nec sacra Scriptura, nec Concilia, nec canones, nec bullae, nec Sancti, nec auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt: quia Ecclesia non judicat de occultis, et anima jus habet eligendi quemcunque sibi bene visum.

67. Dicere quod internum manifestandum est exteriori tribunali praepositorum, et quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio: quia Ecclesia non judicat de occultis: et propriis animabus praejudicant his deceptionibus et simulationibus.

68. In mundo non est facultas nec jurisdictio ad praecipiendum ut manifestentur epistolae directoris quoad internum animae: et ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus satanae, etc.

Damnatae tamquam haereticae, suspectae, erroneae, scandalosae, blasphemae, piarum aurium offensivae, temerariae, christianae disciplinae relaxativae et eversivae, et seditiosae respective.

Num. XI.

Propositiones 2 damnatae ab Alexandro VIII. decreto *Sanctissimus Dominus noster* etc. 24. Aug. 1690.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actûs cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: **Hunc homo non tenetur amare neque in principio neque in decursu vitae suae moralis.**

Declarata et damnata uti haeretica.

2. Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi: theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeternâ poenâ dignum.

Declarata et damnata uti scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva, et erronea.

Num. XII.

Propositiones 31, damnatae ab Alexandro VIII. decreto *Sanctissimus Dominus noster* etc. 7. Dec. 1690.

1. In statu naturae lapsae ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum (Christus) pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

5. Pagani, Judaei, haeretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere: A gratia sufficienti libera nos, Domine.

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, caritas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum mere ut coelestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens.

11. Omne quod non est ex fide christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennae non est supernaturalis.

15. Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

16. Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo poenitentiae est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere totâ vitâ poenitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud religiosos factae, pleraeque vel sacrilegae sunt vel invalidae.

21. Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua poenitentia seu satisfactione, ob quaestum seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam praetendunt antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quae fiebat a beata Virgine Maria in die purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod filius (qui offerebatur) etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in templo collocare.

26. Laus, quae defertur Mariae, ut Mariae, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris etc., praetermissis illis: Ego te baptizo.

28. Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit Ecclesia.

29. Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium oecumenicum auctoritate, atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *„In eminenti“* est subreptitia [1].

Damnatae et prohibitae tamquam temerariae, scandalosae, male sonantes, injuriosae, haeresi proximae, haeresim sapientes, erroneae, schismaticae, et haereticae respective.

Num. XIII.

Propositiones 23 super amore erga Deum purissimo, damnatae ab Innocentio XII. Brevi *Cum alias* etc. 12. Mart. 1699.

1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est caritas pura, et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam.

2. In statu vitae contemplativae sive unitivae amittitur omne motivum interessatum timoris et spei.

3. Id, quod est essentiale in directione animae, est, non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, praecautione, et subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et ideo potest illas scandalizare aut in perturbationem conjicere.

4. In statu sanctae indifferentiae anima non habet amplius desideria voluntaria et deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suae gratiae fideliter non cooperatur.

---

[1] Hanc bullam, qua Pii V. et Gregorii XIII. constitutiones contra 79 theses Baji confirmantur, Bajani et Jansenistae subreptitiam esse dixerunt.

5. In eodem statu sanctae indifferentiae nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti et beati propter interesse proprium: sed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suae gratiae.

6. In hoc sanctae indifferentiae statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem aeternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum: sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, et quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium . . . Extremae probationes, in quibus haec abnegatio seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus aemulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam aeternum.

8. Omnia sacrificia, quae fieri solent ab animabus quam maxime disinteressatis circa earum aeternam beatitudinem, sunt conditionalia . . Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.

9. In extremis probationibus potest animae invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, et quae non est intimus conscientiae fundus, se juste reprobatam esse a Deo.

10. Tunc anima divisa a semetipsa exspirat cum Christo in cruce, dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad aeternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse: sed nunquam amittit in parte superiore, id est in suis actibus directis et intimis, spem perfectam, quae est desiderium disinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animae permittere, ut simpliciter acquiescat jacturae sui proprii interesse, et justae condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quaedam separatio partis superioris animae ab inferiore . . . In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino caeca et involuntaria perturbatione: nam totum, quod est voluntarium et intellectuale, est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur . . . Ista compositio actuum discursivorum et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur status contemplationis adeo sublimis adeoque perfectae, ut fiat habitualis: ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem ejusque actus methodicos.

17. Animae contemplativae privantur intuitu distincto, sensibili, et reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis . . . Primo, in fervore nascente earum contemplationis . . . Secundo, anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

18. In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctae, non cogitando quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult; et amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute praeditus, quam quum virtuti amplius affixus non est.

19. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva et disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio et sua felicitas, sed solum quatenus est id, quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animae transformatae sua peccata detestari, et condemnare se, et desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem et liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, et vult nos velle propter suam gloriam.

21. Sancti mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis haec doctrina *(de puro amore)* esset pura et simplex perfectio evangelica in universa traditione designata, antiqui pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exercitia amoris interessati eorum gratiae proportionata.

23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem: et tunc evadit unicum principium et unicum motivum omnium actuum, qui deliberati et meritorii sunt.

Damnatae et reprobatae tamquam, sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione, temerariae, scandalosae, male sonantes, piarum aurium offensivae, in praxi perniciosae, ac etiam respective erroneae.

Num. XIV.

Propositiones 101 *Paschasii Quesnelli,* damnatae a Clemente XI. Constitutione *Unigenitus* etc. 8. Sept. 1713.

1. Quid aliud remanet animae, quae Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, et peccati consecutiones, superba paupertas, et segnis indigentia, hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, et ad omne opus bonum?

2. Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

3. In vanum, Domine, praecipis, si tu ipse non das, quod praecipis.

4. Ita, Domine: omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiae suae, exhortationes et gratiae exteriores non inserviunt nisi ad illud magis obdurandum.

6. Discrimen inter foedus judaicum et christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati et implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.

7. Quae utilitas pro homine in veteri foedere, in quo Deus illum reliquit ejus propriae infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quae vero felicitas non est, admitti ad foedus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis?

8. Nos non pertinemus ad novum foedus, nisi in quantum participes sumus ipsius novae gratiae, quae operatur in nobis id, quod Deus nobis praecipit.

9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, et cum qua nunquam illum abnegamus.

10. Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare.

11. Gratia non est aliud, quam voluntas omnipotentis Dei jubentis, et facientis quod jubet.

12. Quando Deus vult salvare animam, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiore gratiae suae manu, nulla voluntas humana ei resistit.

14. Quantumcunque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suae gratiae, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, et adoret Salvatorem suum.

15. Quando Deus mandatum suum et suam externam locutionem comitatur unctione sui Spiritûs et interiore vi gratiae suae, operatur illam in corde obedientiam quam petit.

16. Nullae sunt illecebrae, quae non cedant illecebris gratiae: quia nihil resistit Omnipotenti.

17. Gratia est vox illa Patris, quae homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum: quicunque ad eum non venit postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre.

18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

19. Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: haec est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

20. Vera gratiae idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, et obeditur: imperat, et omnia fiunt: loquitur tamquam Dominus, et omnia sibi submissa sunt.

21. Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quae est operatio voluntatis omnipotentis, sequela et imitatio operationis Dei incarnantis et resuscitantis Filium suum.

22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in incarnatione, veluti fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiae et gratiae, quae omnes ita gratuitae atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suae gratiae, eam significans per illam, quae creaturas e nihilo producit, et mortuis reddit vitam.

24. Justa idea, quam centurio habet de omnipotentia Dei et Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suae voluntatis, est imago ideae, quae haberi debet de omnipotentia suae gratiae in sanandis animabus a cupiditate.

25. Deus illuminat animam et eam sanat, aeque ac corpus, sola sua voluntate: jubet, et ipsi obtemperatur.

26. Nullae dantur gratiae, nisi per fidem.

27. Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum: pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est electos, de manu angeli exterminatoris.

33. Proh! quantum oportet bonis terrenis et sibimetipsi renuntiasse, ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem et mysteria! ut facit sanctus Paulus dicens: *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

34. Gratia Adami non producebat nisi merita humana.

35. Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae.

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami et statûs innocentiae ac gratiam christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset, ista vero non recipitur nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat ipsi proportionata: gratia christiana, nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens et digna Filio Dei.

38. Peccator non est liber nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.

39. Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se praecipitandum, virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.

40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi a Deo: et sine gratia non producit nisi praesumptionem, vanitatem et oppositionem ad ipsum Deum loco affectuum adorationis, gratitudinis et amoris.

42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei: sine hoc, nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas.

43. Primus effectus gratiae baptismalis est facere, ut moriamur peccato, adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitae pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostrae nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, et amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, et propter hoc ipsum fit malus.

45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

46. Cupiditas aut caritas usum sensuum bonum vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est caritas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioqui non est nisi hypocrisis aut falsa justitia.

48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebrae, nisi aberratio, et nisi peccatum, sine fidei lumine, sine Christo et sine caritate?

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

50. Frustra clamamus ad Deum, „*Pater mi*“, si spiritus caritatis non est ille qui clamat.

51. Fides justificat quando operatur, sed ipsa non operatur nisi per caritatem.

52. Omnia alia salutis media continentur in fide, tamquam in suo germine et semine: sed haec fides non est absque amore et fiducia.

53. Sola caritas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum et Jesum Christum.

54. Sola caritas est, quae Deo loquitur; eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat nisi caritatem: qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat nisi caritatem: quoniam caritas sola Deum honorat.

57. Totum deest peccatori, quando ei deest spes: et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

58. Nec Deus est nec religio, ubi non est caritas.

59. Oratio impiorum est novum peccatum: et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

60. Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

61. Timor nonnisi manum cohibet: cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiae non ducitur.

62. Qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judaeus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto legis nunquam fit bonum: quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.

65. Moyses, prophetae, sacerdotes et doctores legis mortui sunt absque eo quod ullum Deo dederint filium, quum non effecerint nisi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem aut per timorem sicuti bestiae, sed per fidem et per amorem sicuti filii.

67. Timor servilis non sibi repraesentat Deum nisi ut dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide et precibus.

69. Fides, usus, augmentum, et praemium fidei, totum est donum purae liberalitatis Dei.

70. Nunquam Deus affligit innocentes: et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

71. Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72. Nota Ecclesiae christianae est, quod sit catholica, comprehendens et omnes angelos coeli, et omnes electos et justos terrae, et omnium saeculorum.

73. Quid est Ecclesia, nisi coetus filiorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, et exspectantium gratiam futuri saeculi?

74. Ecclesia, sive integer Christus, incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero sanctos ut membra.

75. Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia et persona: unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est sanctificator.

76. Nihil spatiosius Ecclesiâ Dei; quia omnes electi et justi omnium saeculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei et membro Christi, cessat interius habere Deum pro patre et Christum pro capite.

78. Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus judaicus et caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

79. Utile et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere et cognoscere spiritum, pietatem et mysteria sacrae Scripturae.

80. Lectio sacrae Scripturae est pro omnibus.

81. Obscuritas sancti verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82. Dies Dominicus a christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum religionis non debeat communicari feminis lectione sacrorum librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, et natae sunt haereses.

84. Abripere e christianorum manibus Novum Testamentum seu eis illud clausum tenere auferendo eis modum istud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. Interdicere christianis lectionem sacrae Scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere, ut patiantur speciem quandam excommunicationis.

86. Eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, est usus contrarius praxi apostolicae et intentioni Dei.

87. Modus plenus sapientia, lumine et caritate est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere justitiae Dei, antequam reconcilientur.

88. Ignoramus, quid sit peccatum et vera poenitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem.

89. Quartusdecimus gradus conversionis peccatoris est, quod quum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiae.

90. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores, de consensu saltem praesumpto totius corporis.

91. Excommunicationis injustae metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo atque ipsi Ecclesiae per caritatem affixi sumus.

92. Pati potius in pace excommunicationem et anathema injustum, quam

prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

93. Jesus quandoque sanat vulnera, quae praeceps primorum pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato; Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, et foveri divisiones propter res, quae nec fidem laedunt nec mores.

95. Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque christianis, et modus eas praedicandi est veluti idioma incognitum: adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, et supra communem captum fidelium: neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiae, et irae Dei in filios suos.

96. Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariae praedicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit nisi divinae gratiae.

97. Nimis saepe contingit, membra illa, quae magis sancte ac magis stricte unita Ecclesiae sunt, respici atque tractari tamquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tamquam ab ea separata: sed justus vivit ex fide, et non ex opinione hominum.

98. Status persecutionis et poenarum, quas quis tolerat tamquam haereticus, flagitiosus, et impius, ultima plerumque probatio est et maxime meritoria, utpote quae facit hominem magis conformem Jesu Christo.

99. Pervicacia, praeventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut cognoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitae, verbi gratia, bonos libros, instructiones, sancta exempla, etc.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem ejusque discipulos! Tempus hoc advenit. . . . Haberi et tractari a religionis ministris tamquam impium et indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum capax corrumpendi omnia in societate sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate et zelo quodam religionis, persequendo flamma ferroque viros probos, si propria passione est excaecatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, et sacrificamus diabolo Dei servum.

101. Nihil spiritui Dei et doctrinae Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia: quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere, ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

Declaratae et damnatae tamquam falsae, captiosae, male sonantes, piarum aurium offensivae, scandalosae, perniciosae, temerariae, Ecclesiae et ejus praxi injuriosae, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates saeculi contumeliosae, seditiosae, impiae, blasphemae, suspectae de haeresi, ac haeresim ipsam sapientes, necnon haereticis et haeresibus ac etiam schismati faventes, erroneae, haeresi proximae, pluries damnatae, ac demum haereticae, variasque haereses et potissimum illas, quae in famosis Jansenii propositionibus, et quidem in eo sensu in quo hae damnatae fuerunt acceptis, continentur, manifeste innovantes respective.

Num. XV.

Propositiones 5 de duello, damnatae a Benedicto XIV. Constitutione *Detestabilem* etc. 10. Nov. 1752.

1. Vir militaris, qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpâ et poenâ vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.

2. Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas dux vel officialis militiae, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae et officii.

4. Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratûs, justitia aperte denegatur.

Damnatae ac prohibitae tamquam falsae, scandalosae, ac perniciosae.

Num. XVI.

Propositiones 85 Synodi dioecesanae Pistoriensis, damnatae a Pio VI. Constitutione *Auctorem Fidei* etc. 28. Augusti 1794.

De obscuratione veritatum in Ecclesia.

Ex decr. de grat. § 1.

1. Propositio, quae asserit, *postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad Religionem, et quae sunt basis Fidei et moralis doctrinae Jesu Christi:*

Haeretica.

De potestate communitati Ecclesiae attributa, ut per hanc pastoribus communicetur.

Epist. convoc.

2. Propositio, quae statuit, *potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur Pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum;*

Sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas:

Haeretica.

De capitis ministerialis denominatione Romano Pontifici attributa.

Decr. de fide § 2.

3. Insuper, quae statuit, *Romanum Pontificem esse caput ministeriale;*

Sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua, velut Petri Suc-

cessor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiae Caput, pollet in universa Ecclesia:

Haeretica.

De potestate Ecclesiae quoad constituendam et sanciendam exteriorem disciplinam.

Decr. de Fide §§ 13. 14.

4. Propositio affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiae, transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde;* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis:*

Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet, velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum ejus potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli, in disciplina exteriore constituenda et sancienda:

Haeretica.

5. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione;

Quatenus intendat, Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus poenis coërcendi atque cogendi:*

Ex Bened XIV., in brevi *Ad assiduas;* anni 1755, Primati, Archiepiscopis et Episcopis Regni Polon.,

Inducens in systema alias damnatum ut haereticum.

Jura Episcopis praeter fas attributa.

Decr. de ord. §. 25.

6. Doctrina Synodi, qua profitetur, *persuasum sibi esse, Episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suae dioecesis;*

Perinde ac si ad bonum regimen cujusque dioecesis necessariae non sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes summos Pontifices et Concilia generalia pro universa Ecclesia:

Schismatica, ad minus erronea.

7. Item, in eo quod hortatur Episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticae disciplinae constitutionem;* idque, *contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quae adversantur bono ordini dioecesis, majori gloriae Dei, et majori aedificationi fidelium;*

Per id quod supponit, Episcopo fas esse proprio suo judicio et arbitratu statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quae in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchicae potestatis, a qua inductae sunt aut probatae, et vim legis obtinent:

Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

8. Item, quod et sibi persuasum esse ait, *jura Episcopi a Jesu Christo accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari nec impediri posse, et, ubi contigerit horum jurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum ac debere in originaria sua jura regredi, quotiescunque id exigit majus bonum suae Ecclesiae;*

In eo quod innuit, jurium episcopalium exercitium nulla superiore potestate praepediri aut coërceri posse, quandocunque Episcopus proprio judicio censuerit minus id expedire majori bono suae Ecclesiae:

Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

Jus perperam tributum inferioris ordinis sacerdotibus in decretis fidei et disciplinae.

Epist. convoc.

9. Doctrina, quae statuit, *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis dioecesanis ab Episcopo et parochis aequaliter pendere ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus Episcoporum:*

Falsa, temeraria, Episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi Aërianae a Calvino innovatae.

Ex epist. convoc., ex epist. ad Vicar. for., ex orat. ad Synod. §. 8, *ex sess. 3.*

10. Item doctrina, qua parochi aliive sacerdotes in Synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo judices fidei, et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto:

Falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum judiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea.

Orat. Synod. § 8.

11. Sententia enuntians, veteri majorum instituto, ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiae saecula servato, receptum fuisse, *ut decreta, aut definitiones, aut sententiae etiam majorum sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent et approbatae a Synodo dioecesana:*

Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiae debitae constitutionibus apostolicis tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et haeresim.

Calumniae adversus aliquas decisiones in materia fidei ab aliquot saeculis emanatas.

De fide § 12.

12. Assertiones Synodi complexive acceptae circa decisiones in materia fidei ab aliquot saeculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari ecclesia vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendae puritati fidei ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia:

Falsae, captiosae, temerariae, scandalosae, in Romanos Pontifices et Ecclesiam injuriosae, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogantes, schismaticae, perniciosae, ad minus erroneae.

De pace dicta Clementis IX.

Orat. Synod. § 2. *in nota.*

13. Propositio relata inter acta Synodi, quae innuit Clementem IX. pacem Ecclesiae reddidisse per approbationem distinctionis juris et facti in subscriptione formularii ab Alexandro VII. praescripti:

Falsa, temeraria, Clementi IX. injuriosa.

14. Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, ejusdem fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando:

Temeraria, perniciosa, summis Pontificibus injuriosa, schisma fovens et haeresim.

De coagmentatione corporis Ecclesiae.

Append. n. 28.

15. Doctrina, quae proponit Ecclesiam *considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo Capite et fidelibus, qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate;*

Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiae non pertineant nisi fideles qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate:

Haeretica.

De statu innocentiae.

De grat. §§ 4. 7, *de Sacram. in gen.* § 1, *de Poenit.* § 4.

16. Doctrina Synodi de statu felici innocentiae, qualem eum repraesentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et justitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem caritatis atque primaevam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam;

Quatenus complexive accepta innuit, statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanae naturae, non gratuitum Dei beneficium:

Falsa, alias damnata in Bajo et Quesnellio, erronea, favens haeresi Pelagianae.

De immortalitate spectata ut naturali conditione hominis.

De Bapt. § 2.

17. Propositio his verbis enuntiata: *Edocti ab Apostolo, spectamus mortem non jam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut justam poenam culpae originalis;*

Quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat, mortem, quae in praesenti statu inflicta est velut justa poena peccati per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio:

Captiosa, temeraria, Apostolo injuriosa, alias damnata.

De conditione hominis in statu naturae.

De grat. § 10.

18. Doctrina Synodi enuntians, *post lapsum Adami Deum annuntiasse promissionem futuri liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam Jesus Christus allaturus erat:* tamen, *Deum voluisse, ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum;* ac primum ut in statu naturae homo *relictus propriis luminibus disceret de sua caeca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis:*

Doctrina, ut jacet, captiosa; atque intellecta de desiderio adjutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur sese potuisse movere:

Suspecta, favens haeresi Semipelagianae.

De conditione hominis sub lege.

Ibid.

19. Item, quae subjungit, hominem sub lege, *quum esset impotens ad eam observandam, praevaricatorem evasisse, non quidem culpâ legis, quae sanctissima erat, sed culpâ hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque praevaricator evasit;* superadditque, *legem, si non sanavit cor hominis, effecisse, ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam Mediatoris:*

Qua parte generaliter innuit, hominem praevaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare; quasi *impossibile aliquid potuerit imperare, qui justus est, aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est:*

Ex S. Caesario serm. 73. in append. S. Aug. serm. 273. edit. Maurin. Ex S. August. de nat. et grat. cap. 43. — De grat. et lib. arb. cap. 16. — Enarr. in psalm. 56. num. 1.

Falsa, scandalosa, impia, in Bajo damnata.

20. Qua parte datur intelligi, hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiae Mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum; *quasi non ipsa gratia faciat, ut invocetur a nobis:*

Ex Concil. Araus. II. can. 3.

Propositio, ut jacet, captiosa, suspecta, favens haeresi Semipelagianae.

De gratia illuminante et excitante.

De grat. § 11.

21. Propositio, quae asserit, *lumen gratiae, quando sit solum, non praestare nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri statûs et gravitatem nostri mali; gratiam in tali casu producere eundem effectum, quem lex producebat; ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti; hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam Jesu Christi, inspirationem caritatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem e qua germinant bona opera; hanc esse gratiam Novi Testamenti, quae nos liberat a servitute peccati, et constituit filios Dei;*

Quatenus intendat, eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi, quae creet in corde sanctum amorem, et quae facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei: et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritûs sancti (Trid. sess. 6. cap. 5); nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur:

Falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Jansenii damnatum ut haereticum, eumque renovans.

De fide velut prima gratia.

De fide § 1.

22. Propositio, quae innuit, fidem *a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam*, esse ipsammet excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur et sunt;

Perinde ac prior non esset gratia illa, quae, *ut praevenit voluntatem, sic praevenit et fidem:* Ex S. August. de dono persev. cap. 16. num 41.

Suspecta de haeresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.

De duplici amore.

De grat. § 8.

23. Doctrina Synodi de duplici amore (dominantis cupiditatis, et caritatis dominantis) enuntians, hominem sine gratia esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere;

Quatenus insinuat, in homine, dum est sub servitute sive in statu peccati, destitutus gratiâ illâ qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur; aut opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacunque ratione fiant, sint peccata;

Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati:

Falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut haereticum, iterum in Bajo damnatum, art. 40.

24. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et caritatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis naturalique propensione ad bonum *remanserunt velut extrema lineamenta et reliquiae imaginis:*

Ex S. August. de spir. et lit. cap. 28;

Perinde ac si *inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur,* non daretur *dilectio humana licita, quae non reprehenditur:*

Ex S. August. serm. 349, de Carit., edit. Maurin.

Falsa, alias damnata.

De timore servili.

De Poenit. § 3.

25. Doctrina, quae timorem poenarum generatim perhibet *dumtaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum;*

Quasi timor ipse gehennae, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale ac motus a Deo inspiratus praeparans ad amorem justitiae:

Falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis injuriosa, alias damnata, contraria doctrinae Concilii Tridentini, tum et communi Patrum sententiae, *opus esse,* juxta consuetum ordinem praeparationis ad justitiam, *ut intret timor primo, per quem veniat caritas: timor medicamentum, caritas sanitas.*

Ex S. August. in I Epist. Jo. cap. 4. tract. 9. num. 4. 5. — In Jo. Evang. tract. 41. num. 10. — Enarr. in psalm. 127. num. 7. — Serm. 157 de verbis Apostoli. num. 13. — Serm. 161 de verbis Apostoli. num. 8. — Serm. 349 de Charitate. num. 7.

De poena decedentium cum solo peccato originali.

De Bapt. § 3.

26. Doctrina, quae velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur;

Perinde ac si hoc ipso quod, qui poenam ignis removent, inducerent locum illum et statum medium expertem culpae et poenae inter regnum Dei et damnationem aeternam, qualem fabulabantur Pelagiani:

Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa.

De sacramentis, ac primum de forma sacramentali cum adjuncta conditione.

De Bapt. § 12.

27. Deliberatio Synodi, qua, praetextu adhaesionis ad antiquos canones, in casu dubii Baptismatis, propositum suum declarat de omittenda formae conditionalis mentione:

Temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiae contraria.

De participatione Victimae in sacrificio Missae.

De Euch. § 6.

28. Propositio Synodi, qua, postquam statuit *Victimae participationem esse partem Sacrificio essentialem;* subjungit, *non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant, licet minus perfecte, de ipsa Victima, spiritu illam recipiendo;*

Quatenus insinuat, ad Sacrificii essentiam deesse aliquid in eo Sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus qui nec sacramentaliter nec spiritaliter de Victima participant; et quasi damnandae essent ut illicitae Missae illae, in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter sive spiritaliter communicet:

Falsa, erronea, de haeresi suspecta, eamque sapiens.

De ritûs consecrationis efficacia.

De Euch. § 2.

29. Doctrina Synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis circa modum quo Christus est in Eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1. Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus; 2. Tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus; prorsus omittit ullam mentionem facere Transsubstantiationis seu conversionis totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum Concilium definivit, et quae in solemni fidei professione continetur;

Quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica:

Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma Transsubstantiationis, favens haereticis.

De applicatione fructûs Sacrificii.

De Euch. § 8.

30. Doctrina Synodi, qua, dum profitetur *credere Sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis*, dein continuo subjicit: *Non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus Sacrificii cui vult, imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus Sacrificii cui vult, et secundum mensuram quae ipsi placet;* unde et consequenter traducit velut *falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant;*

Sic intellecta, ut, praeter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio Sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit (caeteris paribus) illis pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac praecipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino praecepto descendens a sacra Tridentina Synodo diserte est expressum:

Sess. 23. cap. 1 de reform. — Bened. XIV. constit. *„Cum semper oblatas“* § 2.

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.

De convenienti ordine in cultu servando.

De Euch. § 5.

31. Propositio Synodi enuntians conveniens esse, pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere:

Temeraria, perantiquo pio multis abhinc saeculis in Ecclesia praesertim latina vigenti et probato mori injuriosa.

Ibid.

32. Item, praescriptio vetans, ne super altaria sacrarum reliquiarum thecae floresve apponantur:

Temeraria, pio ac probato Ecclesiae mori injuriosa.

Ibid. § 6.

33. Propositio Synodi, qua cupere se ostendit, ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiae ordinem

spectantium, *revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo;*

Quasi vigens ordo liturgiae ab Ecclesia receptus et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum quibus illa regi debet:

Temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens haereticorum in eam conviciis.

De ordine poenitentiae.

De Poenit. § 7.

34. Declaratio Synodi, qua, postquam praemisit ordinem poenitentiae canonicae sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpae sed praecipue pro dispositione ad gratiam, subdit, *se in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem Sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus quae ipsi decursu temporis adjunctae sunt;*

Quasi per ordinem, quo, sine peracto canonicae poenitentiae cursu, hoc Sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta:

Temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis Sacramenti prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiae ipsi injuriosa.

De Poenit. § 10, n. 4.

35. Propositio his verbis concepta: *Si caritas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus caritatis oportet, ut Sacerdos praecedere faciat eos actus humiliationis et poenitentiae, qui fuerunt omni aetate ab Ecclesia commendati: redigere hos actus ad paucas orationes aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen poenitentiae, quam medium illuminatum et aptum ad augendum illum fervorem caritatis, qui debet praecedere absolutionem: longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi poenitentias etiam post absolutionem adimplendas: si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus, ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficilimo et magni momenti opere nostrae reconciliationis;*

Quatenus innuit, poenitentias, quae imponuntur adimplendae post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostrae reconciliationis, quam ut poenitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis; quasi, ut vera ratio Sacramenti, non nudum nomen, servetur, oporteat de via ordinaria ut actus humiliationis et poenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, praecedere debeant absolutionem:

Falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum.

De praevia necessaria dispositione pro admittendis poenitentibus ad reconciliationem.

De grat. § 15.

36. Doctrina Synodi, qua, postquam praemisit, *quando habebuntur signa non aequivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito*

judicari dignum, qui admittatur ad participationem Sanguinis Jesu Christi, quae fit in Sacramentis, subdit, *supposititias conversiones, quae fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere nec durabiles;* consequenter *pastorem animarum debere insistere signis non aequivocis caritatis dominantis, antequam admittat suos poenitentes ad Sacramenta;* quae signa, ut deinde tradit (§ 17), *pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato, et fervore in operibus bonis;* quem insuper *fervorem caritatis* perhibet (*de Poenit.* § 10) velut dispositionem, quae *debet praecedere absolutionem;*

Sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quae passim attritionis nomine donatur, etiam quae juncta sit cum dilectione; qua homo incipit diligere Deum tamquam omnis justitiae fontem, nec modo contritio caritate formata, sed et fervor caritatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur ut homo ad Sacramenta et speciatim poenitentes ad absolutionis beneficium admittantur:

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutae ac probatae in Ecclesia praxi contraria, Sacramenti efficaciae detrahens et injuriosa.

De auctoritate absolvendi.

De Poenit. § 10. n. 6.

37. Doctrina Synodi, quae de auctoritate absolvendi accepta per Ordinationem enuntiat, *post institutionem dioecesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii sive jure quodam personali,* propterea quod *aliter confusio induceretur et perturbatio;*

Quatenus post institutas dioeceses et parochias enuntiat tantummodo *conveniens esse, ad praecavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos;* sic intellecta tamquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam:

Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et injuriosa, erronea.

Ibid. § 11.

38. Item, doctrina, qua, postquam Synodus professa est *se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae* (ut ait) *ad poenitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam,* subjungit, *per timorem perpetuae exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum fraenum illis injectum iri, qui parum considerant malum peccati et minus illud timent:*

Contraria can. 13 Concilii Nicaeni I., decretali Innocentii I. ad Exuperium Tolos., tum et decretali Coelestini I. ad Episcopos Viennen. et Narbonen. provinciae, redolens pravitatem quam in ea decretali sanctus Pontifex exhorret.

De peccatorum venialium confessione.

De Poenit. § 12.

39. Declaratio Synodi in peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur hujusmodi confessiones:

Temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a sacro Concilio Tridentino probatae contraria.

De indulgentiis.

De Poenit. § 16.

40. Propositio asserens, *indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis ejus poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti;*

Quasi indulgentia, praeter nudam remissionem poenae canonicae, non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam:

Falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in art. 19 Lutheri damnata.

Ibid.

41. Item, in eo, quod subditur, *scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum;*

Quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum:

Falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in articulo 17 Lutheri damnata.

Ibid.

42. Item, in eo, quod superaddit, *luctuosius adhuc esse quod chimaerica isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos:*

Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22 Lutheri.

Ibid.

43. In eo demum, quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc.:

Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices atque in praxim tota Ecclesia frequentatam contumeliosa.

De reservatione casuum.

De Poenit. § 19.

44. Propositio Synodi asserens, *reservationem casuum nunc temporis aliud non esse, quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem:*

Falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicae potestatis laesiva.

Ibid.

45. Item, de spe, quam ostendit fore, *ut reformato rituali et ordine poenitentiae, nullum amplius locum habiturae sint hujusmodi reservationes;*

Prout attenta generalitate verborum innuit, per reformationem ritualis et ordinis poenitentiae factam ab Episcopo vel Synodo aboleri posse casus,

quos Tridentina Synodus (sess. 14. c. 7) declarat Pontifices Maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo judicio reservare:

Propositio falsa, temeraria, Concilio Tridentino et summorum Pontificum auctoritati derogans et injuriosa.

De censuris.

De Poenit. §§ 20. 22.

46. Propositio asserens, *effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiae;*

Quasi excommunicatio non sit poena spiritualis, ligans in coelo, animas obligans;

Ex S. August. epist. 250 Auxilio Episcopo. — Tract. 50 in Jo. n. 12:

Falsa, perniciosa, in art. 23 Lutheri damnata, ad minus erronea.

§§ 21. 23.

47. Item, quae tradit, necessarium esse juxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem sive ad suspensionem praecedere debeat examen personale; atque adeo sententias dictas *ipso facto* non aliam vim habere, nisi seriae comminationis sine ullo actuali effectu:

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae potestati injuriosa, erronea.

§ 22.

48. Item, quae pronuntiat, *inutilem ac vanam esse formulam nonnullis abhinc saeculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset:*

Falsa, temeraria, praxi Ecclesiae injuriosa.

§ 24.

49. Item, quae damnat ut nullas et invalidas *suspensiones ex informata conscientia:*

Falsa, perniciosa, in Tridentinum injuriosa.

Ibid.

50. Item, in eo, quod insinuat, soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (sess. 14 c. 1 de reform.), suspensionis *ex informata conscientia* legitime infligendae:

Jurisdictionis Praelatorum Ecclesiae laesiva.

De ordine.

De Ordine § 4.

51. Doctrina Synodi, quae perhibet, in promovendis ad Ordines hanc de more et instituto veteris disciplinae rationem servari consuevisse, *ut si quis clericorum distinguebatur sanctitate vitae, et dignus aestimabatur qui ad Ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad Diaconatum vel Sacerdotium, etiamsi inferiores Ordines non suscepisset; neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est.*

§ 5.

52. Item, quae innuit, non alium titulum Ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis praescripta est in Concilio Chalcedonensi; subjungens (§ 6), quamdiu Ecclesia sese his principiis

in delectu sacrorum ministrorum conformavit, ecclesiasticum ordinem floruisse; verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii.

§ 7.

53. Item, quod inter haec ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait (§ 3), Ecclesia, insistens Apostoli vestigiis, neminem ad Sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem;

Quatenus innuit, corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta,

1. Sive quibus Ordinationes per saltum vetitae sunt;

2. Sive quibus pro Ecclesiarum necessitate et commoditate probatae sunt Ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii, salvâ obedientiâ, qua sic ordinati Ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab Episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit;

3. Sive quibus jure canonico facta est criminum distinctio, quae delinquentes reddunt irregulares: quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscunque qui baptismalem innocentiam non conservassent:

Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, ordinis pro Ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones et speciatim per Tridentini decreta probatam injuriosa.

§ 13.

54. Item, quae velut turpem abusum notat unquam praetendere eleemosynam pro celebrandis Missis et Sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *stolae*, et generatim quodcunque stipendium et honorarium, quod suffragiorum aut cujuslibet parochialis functionis occasione offertur;

Quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiae, qui secundum receptum et probatum Ecclesiae morem et institutum utuntur jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur:

Falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis juris laesiva, in Ecclesiam ejusque ministros injuriosa.

§ 14.

55. Item, qua vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) a Cathedralibus et Collegiatis submovendi, providendo aliter (nempe per probos et provectioris aetatis laicos, congruo assignato stipendio) ministerio inserviendi Missis et aliis officiis, velut Acolythi, etc., ut olim, inquit, fieri solebat, quando ejus generis officia non ad meram speciem pro majoribus Ordinibus suscipiendis redacta erant;

Quatenus reprehendit institutum, quo cavetur, ut *minorum ordinum functiones per eos tantum praestentur exerceanturve, qui in illis constituti adscriptive sunt* (Concil. prov. Mediol. IV); idque ad mentem Tridentini (sess. XXIII c. XVII), *ut sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum functiones ab apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptae, et in pluribus locis*

aliquamdiu intermissae, juxta sacros canones revocentur, ne ab haereticis tamquam otiosae traducantur:

Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandae, quoad fieri potest, in celebrandis mysteriis decentiae imminutiva, in minorum ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones et speciatim per Tridentinum probatam injuriosa, favens haereticorum in eam conviciis et calumniis.

§ 18.

56. Doctrina, quae statuit, conveniens videri in impedimentis canonicis, quae proveniunt ex delictis in jure expressis, ullam unquam nec concedendam nec admittendam esse dispensationem:

Aequitatis et moderationis canonicae a sacro Concilio Tridentino probatae laesiva, auctoritati et juribus Ecclesiae derogans.

Ibid. § 22.

57. Praescriptio Synodi, quae generaliter et indiscriminatim velut abusum rejicit quamcunque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni eidemque conferatur, item, in eo quod subjungit, certum sibi esse, juxta Ecclesiae spiritum plus quam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse:

Pro sua generalitate, derogans moderationi Tridentini sess. VII c. V, et sess. XXIV c. XVII.

De sponsalibus et matrimonio.

Libell. memorial. circa sponsalia, etc., § 2.

58. Propositio, quae statuit, sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subjacere;

Quasi actus disponens ad Sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiae:

Falsa, juris Ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans.

De matrim. §§ 7, 11, 12.

59. Doctrina Synodi asserens, *ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia:* quod *jus originarium* praeterea dicitur cum *jure dispensandi essentialiter connexum;* subjungens, *supposito assensu vel conniventia Principum, potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii;*

Quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare:

Canonum 3, 4, 9, 12 sessionis 24 Concilii Tridentini eversiva, haeretica.

Cit. libell. memorial. circa sponsalia § 10.

60. Item rogatio Synodi ad potestatem civilem, ut *e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud, quod dicitur publicae honestatis, quorum origo reperitur in Collectione Justiniani;* tum ut *restringat*

impedimentum affinitatis et cognationis, ex quacunque licita aut illicita conjunctione provenientis, ad quartum gradum juxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam: ita tamen, ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendae;

Quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi sive restringendi impedimenta Ecclesiae auctoritate constituta vel comprobata: item qua parte supponit, Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis:

Libertatis ac potestatis Ecclesiae subversiva, Tridentino contraria, ex haereticali supra damnato principio profecta.

De officiis, exercitationibus, institutionibus ad religiosum cultum pertinentibus et primum de adoranda humanitate Christi.

De fide § 3.

61. Propositio, quae asserit, *adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturae;*

Quatenus per hoc verbum directe intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se et tamquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una eademque adoratio qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur;

Ex Concil. CP. (II), gen. V. can. 9:

Falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito ac praestando detrahens et injuriosa.

De orat. § 10.

62. Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas;

Intellecta de hac devotione, qualis est ab apostolica Sede probata:

Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in apostolicam Sedem injuriosa.

De orat. § 10 *et append.* n. 32.

63. Item, in eo quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant, sanctissimam carnem Christi aut ejus partem aliquam aut etiam humanitatem totam cum separatione aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae;

Quasi fideles Cor Jesu adorarent cum separatione aut praecisione a divinitate, dum illud adorant, ut est Cor Jesu, cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro:

Captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa.

De ordine praescripto in piis exercitationibus obeundis.

De orat. § 14, *append.* 34.

64. Doctrina, quae velut superstitiosam universe notat *quamcunque efficaciam, quae ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum;*

Tamquam superstitiosa censenda esset efficacia, quae sumitur non ex numero in se spectato, sed ex praescripto Ecclesiae certum numerum precum vel externarum actionum praefinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis poenitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo:

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium injuriosa, Ecclesiae auctoritati derogans, erronea.

De Poenit. § 10.

65. Propositio enuntians, *irregularem strepitum novarum institutionum, quae dictae sunt exercitia vel missiones . . ., forte nunquam aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur; et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis fulgura:*

Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie ac salutariter per Ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato injuriosa.

De modo jungendae vocis populi cum voce Ecclesiae in precibus publicis.

66. Propositio asserens, *fore contra apostolicam praxim et Dei consilia, nisi populo faciliores viae pararentur vocem suam jungendi cum voce totius Ecclesiae;*

Intellecta de usu vulgaris linguae in liturgicas preces inducendae:

Falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione praescripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.

De lectione Sacrae Scripturae.

Ex nota in fine decr. de gratia.

67. Doctrina perhibens, a lectione sacrarum Scripturarum *nonnisi veram impotentiam excusare;* subjungens, ultro se prodere obscurationem, quae ex hujusce praecepti neglectu orta est super primarias veritates religionis:

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnellio damnata.

De proscriptis libris in ecclesia publice legendis.

De orat. § 29.

68. Laudatio, qua summopere Synodus commendat Quesnellii commentationes in Novum Testamentum, aliaque aliorum Quesnellianis erroribus faventium opera, licet proscripta; eademque parochis proponit, ut ea tamquam solidis religionis principiis referta in suis quisque paroeciis populo post reliquas functiones perlegant:

Falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiae injuriosa, schisma fovens et haeresim.

De sacris imaginibus.

De orat. § 17.

69. Praescriptio, quae generaliter et indistincte inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem praebentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis:

Propter sui generalitatem, temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullae exstent imagines sanctissimae Trinitatis communiter approbatae ac tuto permittendae;

Ex brevi *Sollicitudini nostrae* Benedicti XIV. anni 1745.

70. Item, doctrina et praescriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere:

Temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi Providentiae ordini injuriosa, quo *ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.*

Ex S. August. epist. LXXVIII, clero, senioribus, et universae plebi Ecclesiae Hipponensis.

71. Item, quae vetat, ne imagines praesertim beatae Virginis ullis titulis distinguantur, praeterquam denominationibus, quae sint analogae mysteriis, de quibus in sacra Scriptura expressa fit mentio;

Quasi nec adscribi possent imaginibus piae aliae denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat:

Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi beatae praesertim Virgini debitae injuriosa.

72. Item, quae velut abusum exstirpari vult morem, quo velatae asservantur certae imagines:

Temeraria, frequentato in Ecclesia et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.

De festis.

Libell. memorial. pro fest. reform. § 3.

73. Propositio enuntians novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturae et finis earundem solemnitatum originem duxisse:

Falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiae injuriosa, favens haereticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos conviciis.

Ibid. § 8.

74. Deliberatio Synodi de transferendis in diem Dominicum festis per annum institutis, idque pro jure, quod persuasum sibi esse ait, Episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et praeceptum Missae audiendae abrogandi diebus, in quibus ex pristina Ecclesiae lege viget etiamnunc id praeceptum; tum etiam in eo, quod superaddit de transferendis in Adventum episcopali auctoritate jejuniis per annum ex Ecclesiae praecepto servandis;

Quatenus adstruit, Episcopo fas esse jure proprio transferre dies ab Ecclesia praescriptos pro festis jejuniisve celebrandis, aut inductum Missae audiendae praeceptum abrogare:

Propositio falsa, juris Conciliorum generalium et Summorum Pontificum laesiva, scandalosa, schismati favens.

De juramentis.

Libell. memorial. pro juram. reform. § 5.

75. Doctrina, quae perhibet, beatis temporibus nascentis Ecclesiae juramenta visa esse a documentis divini praeceptoris atque ab aurea evan-

gelica simplicitate adeo aliena, ut *ipsummet jurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine christiano indignus;* insuper *continuatam Patrum seriem demonstrare juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse;* indeque progreditur ad improbanda juramenta, quae Curia ecclesiastica, jurisprudentiae feudalis (ut ait) normam secuta, in investituris et in sacris ipsis Episcoporum Ordinationibus adoptavit; statuitque, adeo implorandam a saeculari potestate legem pro abolendis juramentis, quae in Curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali:

Falsa, Ecclesiae injuriosa, juris ecclesiastici laesiva, disciplinae per canones inductae et probatae subversiva.

De collationibus ecclesiasticis.

De collat. ecclesiast. § 1.

76. Insectatio, qua Synodus scholasticam exagitat, velut eam, *quae viam aperuit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum;*

Quatenus in scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt aut abusi sunt:

Falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicae Religionis bono scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis.

Ibid.

77. Item, in eo quod subdit, *mutationem formae regiminis ecclesiastici, qua factum est, ut ministri Ecclesiae in oblivionem venirent suorum jurium, quae simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret primitivas notiones ministerii ecclesiastici et sollicitudinis pastoralis;*

Quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinae in Ecclesia constitutae et probatae obliterari unquam potuerit et amitti primitiva notio ecclesiastici ministerii pastoralisve sollicitudinis:

Propositio falsa, temeraria, erronea.

§ 4.

78. Praescriptio Synodi de ordine rerum tractandarum in collationibus, qua, posteaquam praemisit, *in quolibet articulo distinguendum id, quod pertinet ad fidem et ad essentiam Religionis ab eo, quod est proprium disciplinae,* subjungit, *in hac ipsa* (disciplina) *distinguendum, quod est necessarium aut utile ad retinendos in spiritu fideles ab eo, quod est inutile aut onerosius quam libertas filiorum novi foederis patiatur, magis vero ab eo, quod est periculosum aut noxium, utpote inducens ad superstitionem et materialismum;*

Quatenus pro generalitate verborum comprehendat et praescripto examini subjiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam; quasi Ecclesia, quae spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum:

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiae ac spiritui Dei, quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea.

Convicia adversus aliquas sententias in scholis catholicis usque adhuc agitatas.

Orat. ad Synod. 2.

79. Assertio, quae conviciis et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas, et de quibus apostolica Sedes nihil adhuc definiendum aut pronuntiandum censuit:

Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogans.

De tribus regulis fundamenti loco a synodo positis pro reformatione regularium.

Libell. memorial. pro reform. regularium § 9.

80. Regula I, quae statuit universe et indiscriminatim, *Statum regularem aut monasticum naturâ suâ componi non posse cum animarum cura cumque vitae pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticae hierarchiae, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitae monasticae principiis:*

Falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiae Patres et Praesules, qui regularis vitae instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, injuriosa, pio, vetusto, probato Ecclesiae mori summorumque Pontificum sanctionibus contraria: *Quasi monachi, quos morum gravitas et vitae ac fidei institutio sancta commendat,* non rite, nec modo sine Religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiae *clericorum officiis aggregentur.*

Ex S. Siricio, epist. decret. ad Himerium Tarracon. c. XIII.

81. Item, in eo quod subjungit, sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor aestus, accuratio major desideranda fuisset:

Scandalosa, in sanctissimos doctores injuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.

82. Regula II, *Multiplicationem ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem;* item, in eo quod praemittit (§ 4), *regularium fundatores,* qui post monastica instituta prodierunt, *ordines superaddentes ordinibus, reformationes reformationibus, nihil aliud effecisse, quam primariam mali causam magis magisque dilatare;*

Intellecta de ordinibus et institutis a sancta Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti ordines addicti sunt, naturâ suâ perturbationem et confusionem parere debeat:

Falsa, calumniosa, in sanctos fundatores eorumque fideles alumnos, tum et in ipsos summos Pontifices injuriosa.

83. Regula III, qua, postquam praemisit, *parvum corpus degens intra civilem societatem, quin fere sit pars ejusdem, parvamque monarchiam figit in statu, semper esse periculosum,* subinde hoc nomine criminatur privata monasteria, communis instituti vinculo sub uno praesertim capite consociata, velut speciales totidem monarchias civili reipublicae periculosas et noxias:

Falsa, temeraria, regularibus institutis a sancta Sede ad religionis profectum approbatis injuriosa, favens haereticorum in eadem instituta insectationibus et calumniis.

De systemate seu ordinationum complexione ducta ex allatis regulis, et octo sequentibus articulis comprehensa, pro reformatione regularium.

§ 10.

84. Art. I. *De uno dumtaxat ordine in Ecclesia retinendo, ac de seligenda prae caeteris regula sancti Benedicti, cum ob sui praestantiam, tum ob praeclara illius ordinis merita; sic tamen, ut in his, quae forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitae ratio apud Portum-Regium lucem praeferat ad explorandum, quid addere, quid detrahere conveniat;*

II. *Ne compotes fiant ecclesiasticae hierarchiae, qui se huic ordini adjunxerint; nec ad sacros Ordines promoveantur, praeterquam ad summum unus vel duo, initiandi tamquam curati vel capellani monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus;*

III. *Unum tantum in unaquaque civitate admittendum monasterium, idque extra moenia civitatis in locis abditioribus et remotioribus collocandum;*

IV. *Inter occupationes vitae monasticae pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore psalmodiae impendendo, aut etiam (si cui libuerit) literarum studio; psalmodia deberet esse moderata, quia nimia ejus prolixitas parit praecipitantiam, molestiam, evagationem; quo plus auctae sunt psalmodiae, orationes, preces, tantundem peraequa proportione omni tempore imminutus fervor est sanctitasque regularium;*

V. *Nulla foret admittenda distinctio monachos inter sive choro sive ministeriis addictos; inaequalitas isthaec gravissimas omni tempore lites excitavit ac discordias, et a communitatibus regularium spiritum caritatis expulit;*

VI. *Votum perpetuae stabilitatis nunquam tolerandum; non illud norant veteres monachi, qui tamen Ecclesiae consolatio et christianismi ornamentum exstiterunt; vota castitatis, paupertatis et obedientiae non admittentur instar communis et stabilis regulae: si quis ea vota aut omnia aut aliqua facere voluerit, consilium et veniam ab Episcopo postulabit, qui tamen nunquam permittet ut perpetua sint, nec anni fines excedent; tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus;*

VII. *Omnem Episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate; ad ipsum pertinebit monachos admittere et expellere, semper tamen accepto contubernalium consilio;*

VIII. *Regulares ordinum qui adhuc remanent, licet sacerdotes, in hoc monasterium admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine propriae sanctificationi vacare cuperent; quo casu dispensationi locus fieret in generali regula num. II statuta, sic tamen, ne vitae institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut non plus quam una aut ad summum duae in diem Missae celebrentur, satisque caeteris sacerdotibus esse debeat una cum communitate concelebrare.*

Item pro reformatione monialium.

§ 11.

Vota perpetua usque ad annum 40, aut 45, non admittenda; moniales solidis exercitationibus, speciatim labori, addicendae; a carnali spiritualitate, qua pleraeque distinentur, avocandae; expendendum, utrum quod ad ipsas attinet, satius foret monasterium in civitate relinqui:

Systematis vigentis atque jam antiquitus probatae ac receptae disciplinae subversivum, perniciosum, constitutionibus apostolicis et plurium Conciliorum etiam generalium, tum speciatim Tridentini, sanctionibus oppositum et injuriosum, favens haereticorum in monastica vota et regularia instituta stabiliori consiliorum evangelicorum professioni addicta conviciis et calumniis.

De nationali concilio convocando.

Libell. memorial. pro convoc. concil. national. § 1.

85. Propositio enuntians, qualemcunque cognitionem ecclesiasticae historiae sufficere, ut fateri quisque debeat, convocationem concilii nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in ecclesia respectivarum nationum controversiae spectantes ad Religionem;

Sic intellecta, ut controversiae ad fidem et mores spectantes in ecclesia quacunque subortae per nationale concilium irrefragabili judicio finiri valeant; quasi inerrantia in fidei et morum quaestionibus nationali concilio competeret:

Schismatica, haeretica.

Num. XVII.

Syllabus Pii IX. (per Encycl. *Quanta cura* 8. Dec. 1864).

§ 1.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

1. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum exsistit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura, et idcirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo: atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

2. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

3. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

4. Omnes Religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscunque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846. — Epist. encycl. *Singulari quidem* 17. Martii 1856. — Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

5. Divina revelatio est imperfecta, et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

6. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

7. Prophetiae et miracula, in sacris Literis exposita et narrata, sunt poetarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

§ 2.

Rationalismus moderatus.

8. Quum ratio humana ipsi Religioni aequiparetur, idcirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi* 9. Decembris 1854.

9. Omnia indiscriminatim dogmata Religionis christianae sunt objectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11. Decembris 1862. — Epist. ad eundem *Tuas libenter* 21. Decembris 1863.

10. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11. Decembris 1862. — Epist. ad eundem *Tuas libenter* 21. Decembris 1863.

11. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere, ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11. Decembris 1862.

12. Apostolicae Sedis, Romanarumque Congregationum Decreta liberum scientiae progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. Decembris 1863.

13. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. Decembris 1863.

14. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. Decembris 1863.

Nota. Cum Rationalismi systemate cohaerent maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epist. ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam* 15. Jan. 1857, et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri* 30. Aprilis 1860.

§ 3.

Indifferentismus, Latitudinarismus.

15. Liberum cuique homini est, eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Lit. Apost. *Multiplices inter* 10. Junii 1851. — Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

16. Homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846. — Alloc. *Ubi primum* 17. Decembris 1847. — Epist. encycl. *Singulari quidem* 17. Martii 1856.

17. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam* 9. Decembris 1854. — Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 10. Augusti 1863.

18. Protestantismus non aliud est quam diversa verae ejusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. encycl. *Nostis et Nobiscum* 8. Decembris 1849.

§ 4.

Socialismus, Communismus, Societates clandestinae, Societates biblicae, Societates clerico-liberales.

Ejusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846; in Alloc. *Quibus quantisque* 20. Aprilis 1849; in Epist. encycl. *Nostis et Nobiscum* 8. Decembris 1849; in Alloc. *Singulari quadam* 9. Decembris 1854; in Epist. encycl. *Quanto conficiamur moerore* 10. Augusti 1863.

§ 5.

Errores de Ecclesia ejusque juribus.

19. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint Ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam* 9. Decembris 1854. — Alloc. *Multis gravibusque* 17. Decembris 1860. — Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

20. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque* 30. Septembris 1861.

21. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem.

Lit. Apost. *Multiplices inter* 10. Junii 1851.

22. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. Decembris 1863.

23. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Lit. Apost. *Multiplices inter* 10. Junii 1851.

24. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

25. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, quum libuerit, a civili imperio.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

26. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore* 15. Decembris 1856. — Epist. encycl. *Incredibili* 17. Septembris 1863.

27. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

28. Episcopis sine gubernii venia fas non est vel ipsas Apostolicas Literas promulgare.

Alloc. *Nunquam fore* 15. Decembris 1856.

29. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per gubernium fuerint imploratae.

Alloc. *Nunquam fore* 15. Decembris 1856.

30. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.

Lit. Apost. *Multiplices inter* 10. Junii 1851.

31. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum* 27. Septembris 1862. — Alloc. *Nunquam fore* 15. Decembris 1856.

32. Absque ulla naturalis juris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis Nobisque* 29. Sept. 1864.

33. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem, proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. Decembris 1863.

34. Doctrina comparantium Romanum Pontificem principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

35. Nihil vetat, alicujus Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

36. Nationalis Concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

37. Institui possunt nationales ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.

Alloc. *Multis gravibusque* 17. Decembris 1860. — Alloc. *Jamdudum cernimus* 18. Martii 1861.

38. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

§ 6.

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

39. Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

40. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846. — Alloc. *Quibus quantisque* 20. Aprilis 1849.

41. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra, eidem proinde competit nedum jus, quod vocant *exsequatur*, sed etiam jus *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

42. In conflictu legum utriusque potestatis jus civile praevalet.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

43. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, imo et ea reclamante.

Alloc. *In consistoriali* 1. Novembris 1850. — Alloc. *Multis gravibusque* 17. Decembris 1860.

44. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum Sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In consistoriali* 1. Novembris 1850. — Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

45. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianae alicujus reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicunque auctoritati recognoscatur jus

immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In consistoriali* 1. Novembris 1850. — Alloc. *Quibus luctuosissimis* 15. Septembris 1851.

46. Immo in ipsis clericorum Seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.

Alloc. *Nunquam fore* 15. Decembris 1856.

47. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta, quae literis severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14. Julii 1864.

48. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14. Julii 1864.

49. Civilis auctoritas potest impedire, quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

50. Laica auctoritas habet per se jus praesentandi Episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem antequam ipsi canonicam a Sancta Sede institutionem et Apostolicas Literas accipiant.

Alloc. *Nunquam fore* 15. Decembris 1856.

51. Immo laicum gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis, quae episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem.

Lit. Apost. *Multiplices inter* 10. Junii 1851. — Alloc. *Acerbissimum* 27. Septembris 1852.

52. Gubernium potest suo jure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore* 15. Decembris 1856.

53. Abrogandae sunt leges, quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent; imo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas ecclesias et beneficia simplicia, etiam jurispatronatus, penitus exstinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum* 27. Septembris 1852, Alloc. *Probe memineritis* 22. Januarii 1855, Alloc. *Cum saepe* 26. Julii 1855.

54. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Lit. Apost. *Multiplices inter* 10. Junii 1851.

55. Ecclesia a statu, statusque ab Ecclesia sejungendus est.
Alloc. *Acerbissimum* 27. Septembris 1852.

§ 7.

Errores de Ethica naturali et christiana.

56. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est, ut humanae leges ad naturae jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.
Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

57. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.
Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

58. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae, quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.
Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862. — Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 10. Augusti 1863.

59. Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent.
Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

60. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.
Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

61. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.
Alloc. *Jamdudum cernimus* 18. Martii 1861.

62. Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non-interventu*.
Alloc. *Novos et ante* 28. Septembris 1860.

63. Legitimis Principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet.
Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846, Alloc. *Quisque vestrum* 4. Octobris 1847, Epist. encycl. *Nostis et Nobiscum* 8. Decembris 1849, Lit. Apost. *Cum catholica* 26. Martii 1860.

64. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur.
Alloc. *Quibus quantisque* 20. Aprilis 1849.

§ 8.

Errores de Matrimonio christiano.

65. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.
Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

66. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.
Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

67. Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851. — Alloc. *Acerbissimum* 27. Septembris 1852.

68. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta exsistentia tollenda sunt.

Lit. Apost. *Multiplices inter* 10. Junii 1851.

69. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

70. Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

71. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

72. Bonifacius VIII. votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

73. Vi contractûs mere civilis potest inter Christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter Christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Aug. 1851, Lettera di S. S. Pio IX. al Re di Sardegna 9 Settembre 1852, Alloc. *Acerbissimum* 27. Septemb. 1852, Alloc. *Multis gravibusque* 17. Decemb. 1860.

74. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851. — Alloc. *Acerbissimum* 27. Septembris 1852.

Nota. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum coelibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur prior in Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846, posterior in Lit. Apost. *Multiplices inter* 10. Junii 1851.

§ 9.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

75. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

76. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque* 20. Aprilis 1849.

Nota. Praeter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque* 20. April. 1849, in Alloc. *Si semper antea* 20. Maji 1850, in Lit. Apost. *Cum catholica Ecclesia* 26. Mart. 1860, in Alloc. *Novos* 28. Sept. 1860, in Alloc. *Jamdudum* 18. Mart. 1861, in Alloc. *Maxima quidem* 9. Junii 1862.

§ 10.

Errores, qui ad Liberalismum hodiernum referuntur.

77. Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam statûs religionem, ceteris quibuscunque cultibus exclusis.
Alloc. *Nemo vestrum* 26. Julii 1855.

78. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujuscunque cultûs exercitium habere.
Alloc. *Acerbissimum* 27. Septembris 1852.

79. Enimvero falsum est, civilem cujusque cultûs libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.
Alloc. *Nunquam fore* 15. Decembris 1856.

80. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.
Alloc. *Jamdudum cernimus* 18. Martii 1861.

Theses in ipsa Encycl. *Quanta cura* damnatae.

1. Optimam societatis publicae rationem, civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non exsisteret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine.

2. Optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet.

3. Libertatem conscientiae et cultuum esse proprium cujuscunque hominis jus, quod lege proclamari, et asseri debet in omni recte constituta societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque sive voce sive typis sive alia ratione palam publiceque manifestare ac declarare valeant.

4. Voluntatem populi, publica quam dicunt opinione vel alia ratione manifestatam, constituere supremam legem ab omni divino humanoque jure solutam, et in ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim juris habere.

5. Religiosas familias nullam habere legitimam exsistendi rationem. (Nam, ut sapientissime rec. mem. Pius VI. docebat, „regularium abolitio laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum, laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam tamquam Apostolicae traditioni consentaneam, laedit ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneramur, qui nonnisi a Deo inspirati eas constituerunt societates.“)

6. De medio tollendam esse legem, qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur.

7. Societatem domesticam seu familiam totam suae exsistentiae rationem a jure duntaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, cum primis vero jus institutionis educationisque curandae.

8. Clerum, utpote vero utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum, ab omni juventutis instituendae educandaeque cura et officio esse amovendum.

9. Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi quum promulgantur a civili potestate; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis; constitutiones Apostolicas, quibus damnantur clandestinae societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur juramentum de secreto servando, earumque asseclae et fautores anathemate mulctantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus, ubi ejusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio; excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos, qui jura possessionesque Ecclesiae invadunt et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis ordinisque civilis ac politici ad mundanum duntaxat bonum prosequendum; Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium; Ecclesiae jus non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi; conforme esse sacrae theologiae jurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quae ab ecclesiis, a familiis religiosis aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere et vindicare.

10. Ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque ejusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis.

11. Illis Apostolicae Sedis judiciis et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiae ejusdem jura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato et absque ulla catholicae professionis jactura.

Quas omnes et singulas pravas opiniones et doctrinas auctoritate Apostolica Pius IX. ab omnibus catholicae Ecclesiae filiis *veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas* omnino haberi vult et mandat.

Num. XVIII.

40 Propositiones ex operibus, quae sub nomine *Ant. Rosmini Serbati* post ejus pium obitum edita sunt, desumptae, per *Leonem XIII.* decreto S. O. 14. Dec. 1887 proscriptae.

1. In ordine rerum creatarum immediate manifestatur humano intellectui aliquid divini in se ipso hujusmodi nempe quod ad divinam naturam pertineat.

2. Cum divinum dicimus in natura, vocabulum istud *divinum* non usurpamus ad significandum effectum non divinum causae divinae; neque mens nobis est loqui de *divino* quodam, quod tale sit per participationem.

3. In natura igitur universi, i. e. in intelligentiis, quae in ipso sunt, aliquid est, cui convenit denominatio divini non sensu figurato, sed proprio. Est actualitas non distincta a reliquo actualitatis divinae.

4. Esse indeterminatum, quod procul dubio notum est omnibus intelligentiis, est divinum illud quod homini in natura manifestatur.

5. Esse quod homo intuetur, necesse est, ut sit aliquid entis necessarii et aeterni, causae creantis, determinantis ac finientis omnium entium contingentium: atque hoc est Deus.

6. In esse quod praescindit a creaturis et a Deo, quod est esse indeterminatum, atque in Deo, esse non indeterminato, sed absoluto, eadem est essentia.

7. Esse indeterminatum intuitionis, esse initiale, est aliquid Verbi, quod mens Patris distinguit non realiter, sed secundum rationem a Verbo.

8. Entia finita, quibus componitur mundus, resultant ex duobus elementis, i. e. ex termino reali finito et ex esse initiali, quod eidem termino tribuit formam entis.

9. Esse, objectum intuitionis, est actus initialis omnium entium.

Esse initiale est initium tam cognoscibilium quam subsistentium: est pariter initium Dei, prout a nobis concipitur, et creaturarum.

10. Esse virtuale et sine limitibus est prima ac simplicissima omnium entitatum, adeo ut quaelibet alia entitas sit composita, et inter ipsius componentia semper et necessario sit esse virtuale. Est pars essentialis omnium omnino entitatum, utut cogitatione dividantur.

11. Quidditas (id quod res est) entis finiti non constituitur eo quod habet positivi, sed suis limitibus. Quidditas entis infiniti constituitur entitate, et est positiva; quidditas vero entis finiti constituitur limitibus entitatis, et est negativa.

12. Finita realitas non est, sed Deus facit eam esse addendo infinitae realitati limitationem.

Esse initiale fit essentia omnis entis realis.

Esse quod actuat naturas finitas ipsis conjunctum, est recisum a Deo.

13. Discrimen inter esse absolutum et esse relativum non illud est, quod intercedit substantiam inter et substantiam, sed aliud multo majus: unum enim est absolute ens, alterum est absolute non-ens. At hoc alterum est relative ens. Cum autem ponitur ens relativum, non multiplicatur absolute ens: hinc absolutum et relativum absolute non sunt unica substantia, sed unicum esse; atque hoc sensu nulla est diversitas esse, imo habetur unitas esse.

14. Divina abstractione producitur esse initiale, primum finitorum entium elementum; divina vero imaginatione producitur reale finitum, seu realitates omnes, quibus mundus constat.

15. Tertia operatio esse absoluti mundum creantis est divina synthesis, i. e. unio duorum elementorum: quae sunt *esse initiale,* commune omnium finitorum entium initium, atque *reale* finitum, seu potius diversa realia finita, termini diversi ejusdem esse initialis. Qua unione creantur entia finita.

16. Esse initiale per divinam synthesim ab intelligentia relatum, non ut intelligibile, sed mere ut essentia, ad terminos finitos reales, efficit ut exsistant entia finita subjective et realiter.

17. Id unum efficit Deus creando, quod totum actum esse creaturarum integre ponit: hic igitur actus proprie non est factus, sed positus.

18. Amor, quo Deus se diligit etiam in creaturis, et qui est ratio, qua se determinat ad creandum, moralem necessitatem constituit, quae in ente perfectissimo semper inducit effectum: hujusmodi enim necessitas tantummodo in pluribus entibus imperfectis integram relinquit libertatem bilateralem.

19. Verbum est materia illa invisa, ex qua, ut dicitur Sap. 11, 18, creatae fuerunt res omnes universi.

20. Non repugnat, ut anima humana generatione multiplicetur; ita ut concipiatur, eam ab imperfecto, nempe a gradu sensitivo, ad perfectum, nempe ad gradum intellectivum, procedere.

21. Cum sensitivo principio intuibile fit esse, hoc solo tactu, hac sui unione, principium illud antea solum sentiens, nunc simul intelligens, ad nobiliorem statum evehitur, naturam mutat, ac fit intelligens, subsistens atque immortale.

22. Non est cogitatu impossibile, divina potentia fieri posse, ut a corpore animato dividatur anima intellectiva, et ipsum adhuc maneat animale: maneret nempe in ipso, tamquam basis puri animalis, principium animale, quod antea in eo erat veluti appendix.

23. In statu naturali anima defuncti exsistit perinde ac non exsisteret: cum non possit ullam super seipsam reflexionem exercere, aut ullam habere sui conscientiam, ipsius conditio similis dici potest statui tenebrarum perpetuarum et somni sempiterni.

24. Forma substantialis corporis est potius effectus animae, atque interior terminus operationis ipsius: propterea forma substantialis corporis non est ipsa anima.

Unio animae et corporis proprie consistit in immanenti perceptione, qua subjectum intuens ideam affirmat sensibile, postquam in hac ejus essentiam intuitum fuerit.

25. Revelato mysterio SS. Trinitatis, potest ipsius exsistentia demonstrari argumentis mere speculativis, negativis quidem et indirectis, hujusmodi tamen, ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revocetur, atque fiat propositio scientifica sicut ceterae: si enim ipsa negaretur, doctrina theosophica *purae rationis* non modo incompleta maneret, sed etiam omni ex parte absurditatibus scatens annihilaretur.

26. Tres supremae formae *esse,* nempe subjectivitas, objectivitas, sanctitas, seu realitas, idealitas, moralitas, si transferantur ad esse absolutum, non possunt aliter concipi nisi ut personae subsistentes et viventes.

Verbum, quatenus objectum amatum, et non quatenus Verbum, i. e. objectum in se subsistens per se cognitum, est persona Spiritus Sancti.

27. In humanitate Christi humana voluntas fuit ita rapta a Spiritu Sancto ad adhaerendum Esse objectivo, i. e. Verbo, ut illa Ipsi integre tradiderit regimen hominis, et Verbum illud personaliter assumpserit, ita sibi uniens naturam humanam. Hinc voluntas humana desiit esse personalis in homine, et cum sit persona in aliis hominibus, in Christo remansit natura.

28. In christiana doctrina Verbum, character et facies Dei, imprimitur in animo eorum, qui cum fide suscipiunt baptismum Christi.

Verbum, i. e. character in anima impressum, in doctrina christiana est Esse reale (infinitum) per se manifestum, quod deinde novimus esse secundam personam Sanctissimae Trinitatis.

29. A catholica doctrina, quae sola est veritas, minime alienam putamus hanc conjecturam: In eucharistico Sacramento substantia panis et vini fit vera caro et verus sanguis Christi, quando Christus eam facit terminum sui principii sentientis, ipsamque sua vita vivificat; eo ferme modo, quo panis et vinum vere transsubstantiantur in nostram carnem et sanguinem; quia fiunt terminus nostri principii sentientis.

30. Peracta transsubstantiatione intelligi potest, corpori Christi glorioso partem aliquam adjungi in ipso incorporatam, indivisam pariterque gloriosam.

31. In Sacramento Eucharistiae, *vi verborum* corpus et sanguis Christi est tantum ea mensura, quae respondet quantitati (a quel tanto) substantiae panis et vini, quae transsubstantiantur: reliquum corporis Christi ibi est *per concomitantiam.*

32. Quoniam qui non manducat carnem Filii hominis et bibit ejus sanguinem, non habet vitam in se; et nihilominus qui moriuntur cum baptismate aquae, sanguinis aut desiderii certo consequuntur vitam aeternam: dicendum est, his, qui in hac vita non comederunt corpus et sanguinem Christi, subministrari hunc coelestem cibum in futura vita, ipso mortis instanti.

Hinc etiam Sanctis V. T. potuit Christus descendens ad inferos seipsum communicare sub speciebus panis et vini, ut aptos eos redderet ad visionem Dei.

33. Cum daemones fructum possederint, putarunt se ingressuros in hominem, si de illo ederet; converso enim cibo in corpus hominis animatum, ipsi poterant libere ingredi animalitatem, i. e. in vitam subjectivam hujus entis, atque ita de eo disponere, sicut proposuerant.

34. Ad praeservandam B. V. Mariam a labe originis satis erat, ut incorruptum maneret minimum semen in homine, neglectum forte ab ipso daemone: e quo incorrupto semine de generatione in generationem transfuso, suo tempore oriretur Virgo Maria.

35. Quo magis attenditur ordo justificationis in homine, eo aptior apparet modus dicendi scripturalis, quod Deus peccata quaedam tegit aut non imputat. Juxta Psalmistam discrimen est inter iniquitates quae remittuntur, et peccata quae teguntur: illae, ut videtur, sunt culpae actuales et liberae, haec vero sunt peccata non libera eorum, qui pertinent ad populum Dei, quibus propterea nullum afferunt nocumentum.

36. Ordo supernaturalis constituitur manifestatione esse in plenitudine suae formae realis; cujus communicationis seu manifestationis effectus est sensus (sentimento) deiformis, qui inchoatus in hac vita constituit lumen fidei et gratiae, completus in altera vita constituit lumen gloriae.

37. Primum lumen reddens animam intelligentem est esse ideale; alterum primum lumen est etiam esse, non tamen mere ideale, sed subsistens ac vivens: illud abscondens suam personalitatem ostendit solum suam objectivitatem: at qui videt alterum (quod est Verbum), etiamsi per speculum et in aenigmate, videt Deum.

38. Deus est objectum visionis beatificae, in quantum est auctor operum *ad extra.*

39. Vestigia sapientiae ac bonitatis, quae in creaturis relucent, sunt comprehensoribus necessaria; ipsa enim in aeterno exemplari collecta sunt ea Ipsius pars, quae ab illis videri possit (che è loro accessibile), ipsaque argumentum praebent laudibus, quas in aeternum Deo Beati concinunt.

40. Cum Deus non possit, nec per lumen gloriae, totaliter se communicare entibus finitis, non potuit essentiam suam comprehensoribus revelare et communicare, nisi eo modo, qui finitis intelligentiis sit accommodatus: scilicet Deus se illis manifestat, quatenus cum ipsis relationem habet, ut eorum creator, provisor, redemptor, sanctificator.

Num. XIX.

Decreta Si Officii circa corporum crematiouem.

A. Fer. IV. die 19. Maji 1886.

„Non pauci Sacrorum Antistites cordatique Christifideles animadvertentes, ab hominibus vel dubiae fidei vel massonicae sectae addictis magno nisu hodie contendi, ut ethnicorum usus de hominum cadaveribus comburendis instauretur, atque in hunc finem speciales etiam societates ab iisdem institui: veriti, ne eorum artibus et cavillationibus fidelium mentes capiantur, et sensim in eis imminuatur existimatio et reverentia erga christianam constantem et solemnibus ritibus ab Ecclesia conservatam consuetudinem fidelium corpora humandi: ut aliqua certa norma iisdem fidelibus praesto sit, qua sibi a memoratis insidiis caveant, a suprema S. Rom. et universalis Inquisitionis Congregatione declarari postularunt:

„I. *An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera?*

„II. *An licitum sit mandare, ut sua aliorumve cadavera comburantur?*

„Eminentissimi et R^mi^ Patres Card. in rebus fidei Gen. Inquisitores suprascriptis dubiis serio ac mature perpensis, praehabitoque DD. Consultorum voto, respondendum censuerunt: *Ad I. Negative, et si agatur de societatibus massonicae sectae filiabus, incurri poenas contra has latas. — Ad II. Negative.*

„Factaque de his SS^o^ D. N. Leoni PP. XIII. relatione, Sanctitas Sua resolutiones E^morum^ PP. approbavit et confirmavit, et cum locorum Ordinariis communicandas mandavit, ut opportune instruendos curent Christifideles circa *detestabilem abusum* humana corpora cremandi, utque ab eo gregem sibi concreditum totis viribus deterreant. (Ex Act. S. Sedis vol. XIX. p. 46.)

B. Fer. IV. die 15. Decembris 1886.

„E^mi^ et R^mi^ DD. Cardinales Inquisitores Gen. decreverunt: Quoties agatur de iis, quorum corpora non propria ipsorum, sed aliena voluntate crematioui subjiciantur, Ecclesiae ritus et suffragia adhiberi posse tum domi tum in ecclesia, non autem usque ad crematiouis locum, remoto scandalo. Scandalum vero removeri etiam poterit, si notum fiat, crematiouem non propria defuncti voluntate electam fuisse. — At ubi agitur de iis, qui propria voluntate crematiouem elegerunt, et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseverarunt, attento decreto fer. IV. 19. Maji 1886, agendum cum iis juxta normas Ritualis Romani Tit. *„Quibus non liceat dare ecclesiasticam sepulturam.“* — In casibus autem particularibus, in quibus dubium vel difficultas oriatur, consulendus est Ordinarius, qui, accurate perpensis omnibus adjunctis, id decernet, quod magis expedire in Domino judicaverit.“

Haec magis etiam declarata sunt sequenti quaesito et responso:

Beatissime Pater!

Archiepiscopus Friburgensis ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime petit sequentium dubiorum resolutionem:

I. Utrum liceat sacramenta morientium ministrare fidelibus, qui massonicae quidem sectae non adhaerent, nec ejus ducti principiis, sed aliis rationibus moti corpora sua post mortem cremanda mandarunt, si hoc mandatum retractare nolint?

II. Utrum liceat pro fidelibus, quorum corpora non sine ipsorum culpa cremata sunt, Missae sacrificium publice offerre vel etiam privatim applicare, itemque fundationes ad hunc finem acceptare?

III. Utrum liceat cadaverum cremationi cooperari, sive mandato ac consilio, sive praestita opera, ut medicis, officialibus, operariis in crematorio inservientibus? et utrum hoc liceat saltem, si fiat in quadam necessitate aut ad evitandum magnum damnum?

IV. Utrum liceat taliter cooperantibus ministrare sacramenta, si ab hac cooperatione desistere nolunt, aut desistere non posse affirmant?

Fer. IV. die 27. Julii 1892 in congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque R^morum D. D. Consultorum voto, E^mi ac R^mi D^ni Cardinales in rebus fidei et morum generales Inquisitores respondendum mandarunt:

Ad I. Si moniti renuant, *negative.* Ut vero fiat aut omittatur monitio, serventur regulae a probatis auctoribus traditae, habita praesertim ratione scandali vitandi.

Ad II. Circa publicam S. Missae applicationem, *negative;* circa privatam, *affirmative.*

Ad III. Nunquam licere formaliter cooperari mandato vel consilio. Tolerari autem aliquando posse materialem cooperationem, dummodo 1° crematio non habeatur pro signo protestativo massonicae sectae; 2° non aliquid in ipsa contineatur, quod per se directe atque unice exprimat reprobationem catholicae doctrinae et approbationem sectae; 3° neque constet, officiales et operarios catholicos ad opus adstringi vel vocari in contemptum catholicae religionis. Caeterum quamvis in hisce casibus relinquendi sunt in bona fide, semper tamen monendi sunt, ne cremationi cooperari intendant.

Ad IV. Provisum in praecedenti. Et detur decretum feriae IV. 15. Dec. 1886. (Analecta eccl. vol. III. pag. 98 et 99.)

Ut plenius, quid de crematione sentiam, lector intelligat, dico:

1) Crematio historice considerata est contra ritum et mores Christianorum.

Nam a primordiis Ecclesiae ad nostra usque tempora id semper observatum est, ut defunctorum corpora terrae mandarentur; imo et in Veteri et in Novo Testamento hanc corporum sepulturam curare, inter opera misericordiae, Deo gratissima, collocatur.

2) Crematio ex sese doctrinae christianae professioni minus convenit.

Corpus Christiani tot sacramentis, imprimis SS^a Eucharistia, sanctificatum est, atque futuram resurrectionem vivamque cum anima unionem exspectat. Verum quidem est, etsi per ignem in cinere redactum fuerit, Deo difficilius non esse, cineres, quam pulverem resuscitare et vivificare; sed religio ipsa quodammodo prohibet, quominus corpori toties sacrato vis quaedam inferatur et violatio, et non potius ejus in pulveres resolutio viribus naturae Deique providentiae committatur. — Insuper Christi ipsius sacratissimum corpus in sepulchro conditum est; ergo sepultura consueta, non crematio Christianum Christo in hac re similem reddit.

3) Nihilominus crematio ex sese seu intrinsecus mala non est.

Exanimis corporis enim in cineres resolutionem per ignem accelerare, *ex se* non est *propria* violentia nec injuria. Neque necessario id religioni opponitur, quum e contrario in se possibile sit, etiam ipsi destructioni per ignem religiosam ideam subjicere, seu rem veram et piam eâ significare;

potest enim ut symbolum purificationis assumi et purificati status, in quo corpus debeat resurgere. Haec possibilia sunt; de facto tamen non obtinent, quum signa religiosa eaque publica statuere sit Ecclesiae, Ecclesia autem hoc signum vel hanc significationem non elegit.

4) Crematio ex adjunctis, quae morem illum hodiedum comitantur, moraliter mala est, etiam antecedenter ad Ecclesiae prohibitionem.

Qui enim cremationis morem promovere student, probe norunt, se, posthabito christiano more, morem a vera religione immunem et ethnicum repristinare, atque id intendunt, quo se fateantur christiana religione superiores. Quare impium est, quacunque participatione huic studio favere. — Imo qui, quod in animo habent, sincere pandunt, non obscure innuunt, crematiouem sibi signum esse annihilationis totius hominis, eamque faciunt professionem negatae immortalitatis. Verum libere uti signo, quod communiter habeatur tam impiae credulitatis significativum, continet hujus significationis adoptionem. Quare ex adjunctis crematio fit infidelitatis et materialismi professio: quod est gravissimum peccatum.

5) Ex prohibitione Ecclesiae extra omne dubium est, crematione corporis humani sub nostrorum temporum adjunctis grave omnino et mortale peccatum committi.

S. Pontifex crematiouem vocat detestabilem abusum, a quo totis viribus pastores curare debeant populum deterrere — quae verba insinuant rem gravissimam. — Insuper qui corpus suum cremandum esse voluerunt, hoc titulo carere debent exsequiis christianis: quae poena grave omnino crimen supponit.

6) Hinc colligere licet, quid faciendum sit viro catholico, quando agitur de more illo cremandorum corporum publice introducendo vel permittendo. Videlicet: a) Non licet hunc morem positive promovere, ne pro ipsis quidem acatholicis positiva concessione eum legitimum facere. Est enim ritus saltem ex adjunctis objective malus; est ritus ad religionem spectans, proin judicio Ecclesiae subjectus, ab eâ autem declaratus illicitus: ob quas causas non possum *ulli* hunc ritum *positive* permittere vel in eo peragendo formaliter juvare. — b) Licebit vero ex causa proportionate gravi eum aliis *negative* permittere, i. e. non impedire, quominus alii eum exerceant, atque etiam declarare vel ut declaretur consentire, publicis legibus istum crematiouis ritum relinqui impune, si modo ejusmodi impunitatis declaratio ex circumstantiis non evadat commendatio positiva.

Num. XX.

Decretum S. C. Episcoporum et Regularium de aperitione conscientiae superioribus haud exigenda, deque juribus confessarii quoad moniales et instituta virorum laicorum.

„Quemadmodum omnium rerum humanarum, quantumvis honestae sanctaeque in se sint: ita et legum sapienter conditarum ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur: imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum.

„Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum sive mulierum, quae vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus

laicorum; quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiae manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscerent: e contra a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, quae unice Sacramento Poenitentiae reservata est, inducta fuit. Itidem in Constitutionibus ad tramitem SS. Canonum praescriptum fuit, ut sacramentalis Confessio in hujusmodi Communitatibus fieret respectivis Confessariis ordinariis et extraordinariis; aliunde Superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium Confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriae conscientiae consulerent, eo valde indigebant. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiae norma, ut suos subditos rite recteque quoad peculiares poenitentias ac alia pietatis opera dirigerent; sed et haec per abusionem extensa in id etiam extitit, ut eis ad Sacram Synaxim accedere vel pro lubitu permiserint, vel omnino interdum prohibuerint. Hinc factum est, ut hujusmodi dispositiones, quae ad spiritualem alumnorum profectum, et ad unitatis pacem et concordiam in Communitatibus servandam fovendamque salutariter ac sapienter constitutae jam fuerant, haud raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem, ac insuper in externae pacis turbationem versae fuerint, ceu subditorum recursus et querimoniae passim ad S. Sedem interjectae evidentissime comprobant.

„Quare SSmus D. N. Leo divina providentia Papa XIII., pro ea qua praestat erga lectissimam hanc sui gregis portionem peculiari sollicitudine, in audientia habita a me Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositae die decima quarta Decembris 1890, omnibus sedulo diligenterque perpensis, haec quae sequuntur voluit, constituit atque decrevit.

„I. Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum, piarum Societatum, Institutorum mulierum sive votorum simplicium sive solemnium, nec non virorum omnimode laicorum, etsi dictae Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque etiam quam ajunt specialissimam, in eo scilicet, quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio injungit Moderatoribus ac Moderatricibus hujusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum, ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis, ac Manualibus praefatae dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles.

„II. Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis, cujuscumque gradus et praeeminentiae sint, ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis ad hujusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam; subditisque e converso praecipit, ut Superioribus majoribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant: et, si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali denunciatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

„III. Hoc autem minime impedit, quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum Superioribus valeant, ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

„IV. Praeterea, firmo remanente quoad Confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum quod a Sacrosancto Concilio Tridentino prae-

scribitur in *sess. 25 cap. 10 de Regul.*, et a *S. M. Benedicto XIV.* statuitur in Constitutione, quae incipit ‚Pastoralis curae': Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet, ne extraordinarium denegent subditis Confessarium quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae Dioeceseos, in quibus Mulierum Communitates existunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento Poenitentiae recurrere eae facile queant.

„V. Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad Sacram Synaxim accedendi, Eadem Sanctitas Sua decernit, hujusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam sacramentalem Confessionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Poenitentiae Sacramentum denuo accesserit.

„VI. Monentur hinc omnes, ut ad Sacram Synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis; et quoties ob fervorem et spiritualem alicujus profectum Confessarius expedire judicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso Confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a Confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianae Communionis, de hoc certiorem reddere Superiorem teneatur; quod si hic justas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores hujusmodi Communiones, eas Confessario manifestare teneatur, cujus judicio acquiescendum omnino erit.

„VII. Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus et singulis Superioribus Generalibus, Provincialibus et Localibus Institutorum, de quibus supra, sive virorum sive mulierum, ut studiose accurateque hujus Decreti dispositiones observent, sub poenis contra Superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

„VIII. Denique mandat, ut praesentis Decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur Constitutionibus praedictorum piorum Institutorum, et saltem semel in anno, stato tempore in unaquaque Domo, sive in publica mensa, sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato, alta et intelligibili voce legantur.

„Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit, contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus.

„Datum Romae ex Secretaria mem. S. C. Epp. et Reg. d. 17. Dec. 1890.

I. Card. Verga, Praefectus."

Num. XXI.

Ad vol. I. pag. 390 et vol. II. pag. 657 nota: Quoad cooperationem seu communicationem in ritu acatholico, de qua ceteroquin vol. I. pag. 391 et 393 not. 2.

Instruct. S. Officii super assistentia discipulorum catholicorum religiosis schismaticorum functionibus.

„Non semel ad hanc S. Sedem relatum est, in nonnullis imperii russiaci provinciis accidere, ut publicorum gymnasiorum scholarumque discipuli catholici aliquoties per annum templa acatholicorum adire, una cum discipulis acatholicis sacris eorum functionibus interesse, atque ritibus acatholicis

participare, crucem a ministro acatholico porrectam osculari, genu flectere, panes benedictos accipere aliasque ceremonias peragere adigantur. Ex qua re non solum ipsi adolescentes eorumque parentes in grave salutis periculum conjiciuntur, sed etiam capellani scholarum, praeceptores religionis, confessariique puerorum magnas in angustias atque discrimina incidunt. Quamobrem iterum iterumque a Sede Apostolica postulatum est, ut conscientiis fidelium subvenire atque circa rationem, qua sive scholares praedicti eorumque parentes sive confessarii atque magistri in difficillimis illis adjunctis se gerere debeant, opportunas regulas constituere ac praescribere velit. Cui postulationi debitoque custodiendae fidei satisfacere cupiens, S. C. supr. et univ. Inquis. auctoritate Apostolica decrevit quae sequuntur:

1. Discipulorum praesentiam in expositis circumstantiis pro civili tantum ceremonia haberi non posse, sed continere vetitam omnino communicationem in sacris acatholicorum, atque ideo prorsus illicitam esse.

2. Magistros religionis in praedictis scholis teneri, si a discipulis eorumve parentibus interrogentur, eos monere, communicationem, de qua agitur, tolerari non posse divinisque atque ecclesiasticis legibus contrariam esse.

3. Quodsi interrogati semel discipulos monuerint vel praedictae communicationi, licet frustra, obstiterint, non teneri protestationes seu monitiones iterare, nisi fundata adsit spes, iterationem utilem et efficacem fore, a qua etiam tum abstinere possunt, cum ex protestatione seu monitione iterata graviora mala timentur.

4. Quodsi magistri religionis a discipulis non interrogentur, attentis gravissimis rerum circumstantiis, remoto scandalo, dissimulare posse, si pueri in bona fide sint. In qua tota re magistri praedicti judicio Episcopi stare poterunt.

5. Confessarii, ad quorum judicium hujus generis casus in tribunali poenitentiae deferri contigerit, tenentur pueros, qui, licet non ignari graviter illicitam esse communicationem in sacris, de qua agitur, eam nihilominus imminentium malorum metu admiserint, similiter parentes, qui filii culpae committendae auctores fuerint, diligenter instruere, corrigere et exhortari; nec eos absolvere poterunt, nisi serio promiserint, se in posterum a vetita communicatione in divinis sive committenda sive praecipienda abstenturos esse. — Quodsi tamen adolescentes vel parentes in bona fide sint, poterunt confessarii, attentis gravissimis rerum circumstantiis, dissimulare, eos in hac bona fide relinquere, atque ab eisdem monendis abstinere.

6. Quodsi alicubi mos sit, ut non omnes discipuli scholarum sacris acatholicorum intersint, sed pars tantum a ceteris electa omnium nomine adsistat, declarat haec S. Congregatio, hanc sive electionem sive interventionem illicitam esse, posse tamen, si pueri in bona fide sint, dissimulari, remoto scandalo.

Datum Romae ex S. Officio die 26. Aprilis 1894."

Num. XXII.

Decreta quaedam circa administrationem Sacramentorum.

1. Ad vol. II. pag. 62 nota circa Baptismum infantium infidelium.

Ab Episcopo Krishnaghurensi d. 28. Aug. 1886 dubia proposita sunt S^ae^ C. de Prop. Fide: quae, ad S. Officium transmissa, die 18. Julii 1892 demum tulerunt responsum a S. Pontifice approbatum:

„1. An possint baptizari filii infidelium, in periculo non vero in articulo mortis constituti?

„2. An iidem possint saltem baptizari, quando non est spes eos denuo revisendi?

„3. Quid si valde prudenter dubitetur, quod ex infirmitate, qua actu afficiuntur, non vivant, sed moriantur ante aetatem discretionis?

„4. An baptizari possint filii infidelium in periculo vel articulo mortis constituti, de quibus dubitatur, an attigerint statum discretionis, et non adest opportunitas eos docendi in rebus fidei?"

Resp. „ad 1. 2. 3. *Affirmative;*

„ad 4. Conentur missionarii eos instruere eo meliori modo, quo fieri possit; secus baptizentur sub conditione."

(Ex folio periodico *Bombayensi* „The Pastoral Gazette" vol. 21 pag. 65.)

2. Ad vol. II. pag. 101 nota: De S. Communione alieno ritu danda vel sumenda.

Constitutio Leonis XIII., quae incipit „*Orientalium dignitas*" d. d. 30. Nov. 1894 haec statuit:

„II. Ubi desit proprii ritus sacerdos, cui Patriarcha orientalis mandet spiritualem suorum administrationem, ibi eorum curam suscipiat *parochus alieni ritus,* qui *easdem atque ipsi species, azymum vel fermentatum,* adhibeat; anteferatur, qui eas adhibeat ritu orientali.

Fidelibus autem sit *facultas communicandi utrovis ritu* non eis tantummodo locis, ubi nulla ecclesia nec sacerdos sui proprii ritus habeatur .... verum etiam, ubi propter longinquitatem ecclesiae suae non eam possint, nisi cum gravi incommodo, adire: de quo Ordinarii esto judicium. Idque fixum resideat, eum qui alieno ritu vel diu communicaverit, non propterea censendum mutasse ritum, sed in ceteris officiis omnibus perseverare parocho suo addictum."

3. Ad vol. II. pag. 284 nota:

De jurisdictione sacerdotis „simplicis" in articulo mortis.

S. Officium hac de re d. 29. Julii 1891 ita respondit:

„Non sunt inquietandi, qui tenent, validam esse absolutionem in articulo mortis a sacerdote non approbato, etiam quando facile advocari seu adesse potuisset sacerdos approbatus; nec qui tenent, validam esse absolutionem in eodem articulo mortis, concessam a peccatis reservatis sive simpliciter sive cum censura per sacerdotem non habentem jurisdictionem in reservata, etiamsi advocari seu adesse facile potuisset sacerdos habens praedictam jurisdictionem."

(Ex fol. period. quorum titulus „Nouvelle Revue théolog." tom. 26, pag. 310.)

4. Ad vol. II. pag. 556.

De delegatione ad matrimoniis assistendum.

Quaestioni illi, quae et qualis delegatio ad matrimoniis rite assistendum requiratur et sufficiat, lucem affundit causa *Coloniensis,* a S. C. C. d. 18. Martii 1893 decisa. Archiepiscopus enim Colon. exposuerat haec:

„In civitate hac Coloniensi, in qua 19 exsistunt parochiae catholicae et circiter 120 millia numerantur catholicorum, non raro accidit, ut sponsa,

v. g. ancilla, proclamationibus expeditis, parochiam, in qua domicilium habebat, inscio parocho derelinquat et tamen coram hoc parocho dolose matrimonium contrahat, fingens, se in hujus parochia, in qua proclamationes factae sunt, adhuc habitare. — Quare ad praecavenda invalida matrimonia parochi hujus civitatis, multis abhinc annis, se mutuo delegaverunt in hunc modum, ut parochus, qui tempore, quo proclamationes expetebantur, parochus proprius sponsae erat, inde per tres menses matrimonio ejus assistere valeat, etiamsi sponsa, hac parochia derelicta, in alia parochia hujus civitatis tempore matrimonii habitet. Quam quidem conventionem adhibita facultate subdelegandi praedecessor meus Em. Card. Melchers postea, anno scilicet 1866, confirmaverat, eaque confirmatio delegationem Ordinarii exhibere videtur. Quamvis vero, postquam gubernationem hujus archidioecesis suscepi, similis a me confirmatio seu approbatio istius praxis statim expetita non sit, parochi Colonienses tamen eam sunt secuti. — Similes ob causas in civitate Aquisgranensi exsistebat ab immemoriali tempore, ut parochi asserunt, usus juxta quem propter frequentem habitationis mutationem ex parte ancillarum, mercenariorum et pauperum parochus in cujus parochia sponsa habitat, dum proclamationes expetit, ejus matrimonio assistere possit, etiamsi sponsa tempore proclamationum in aliam parochiam ejusdem civitatis transmigret. Quem usum, a parochis Aquisgranensibus anno 1840 renovatum, Vicarius gen. archiepiscopalis die 14. Nov. 1840 tamquam valori matrimonii faventem approbavit. Utilis sane est talis dispositio, quaque valor matrimonii non raro salvaretur. — Attamen quum S. C. C. die 20. Julii h. a. in causa *Posnaniensi* declaravit, conventionem similem parochorum Posnaniensium haud esse probandam, S. V. enixe rogatur, ut declarare dignetur 1° An Ordinario liceat etc.

Causa diu discussa, tandem proposita sunt **Dubia:**

I. An constet de nullitate matrimoniorum, quae contrahuntur juxta praxim, de qua in casu, ab Em̃. Archiepiscopo Coloniensi pvopositam?

Et quatenus negative

II. An supplicandum sit Ss^mo pro convalidatione ejusdem praxis quoad futurum in casu.

S. C. **Concilii sub die 18. Martii 1893 censuit respondere:**

Ad I: Negative et ad mentem. Ad II: Provisum in primo.

Mens autem erat haec, ut quoad *liceitatem* pro futuro adjicerentur isti praxi hae clausulae et restrictiones, quae jam fere in usu erant, scilicet: 1) ut mutua illa et generalis delegatio parochis non sit permissa, nisi accedente Ordinarii approbatione et delegatione, una cum facultate subdelegandi, 2) insuper ut eadem generalis delegatio limitanda sit ad casum, quo res per petitionem proclamationum factam non sit integra, i. e. ut restringenda sit ad solos parochos domicilii a sponsis relicti; 3) ut quoad durationem illa delegatio ita determinanda sit, ut exspiret, si a die ultimae proclamationis exclusive elapsi sint duo menses sive 60 dies completi, vel tot dies completi, quot juxta dioecesana statuta requiruntur, ut denuo fiant proclamationes, si intra illud tempus matrimonium non fuerit celebratum; 4) optandum, ut Em̃us Archiepiscopus huiusmodi facultate utatur tantummodo pro majoribus suae archidioecesis civitatibus.

5. Ad vol. II. pag. 561 nota: Circa matrimonia mixta.

Rescriptum S. Officii d. d. 18. Martii 1884 circa matrimonia mixta aliter quam coram parocho catholico contracta praeter alia haec habet:

„Tandem quod . . *de exemptione a lege Tridentina* conjugi catholico *per haereticum communicata* ex Benedicti XIV. de synodo dioec. l. 6 c. 6 n. 12 memorasti, id tenendum quidem est, donec a S. Sede aliter fuerit dispositum. Animadvertendum vero, hanc doctrinam minime valere nisi *pro iis locis, in quibus haeretici jam tempore publicationis decreti Tridentini in separatam et per se consistentem communitatem seu quasi-parochiam coaluerant et ideo decreto in paroeciis catholicis publicato non comprehendebantur.*“

(Archiv f. k. K.-Recht vol. 72. pag. 123 sq.)

Num. XXIII.

Ad vol. II. pag. 679 nota: quoad societates vetitas.

Amplitudinem Tuam profecto non latet, R^mos^ Archiepiscopos in ecclesiasticis provinciis istius Foederatae Reipublicae constitutos in suis conventibus egisse de tribus quae istic coaluerunt societatibus, sociorum nempe singularium (Odd Fellows), filiorum temperantiae (Sons of temperance), et equitum Pythiae (Knights of Pythias), atque unanimi consensu rem totam judicio sedis Apostolicae detulisse. Porro SS. D. N. quaestionem examinandam tradidit R^mis^ et E^mis^ D. D. S. R. E. Cardinalibus una mecum Inquisitoribus gener. Hi vero generali Congregatione Feria IV die 20. Junii 1894, confirmantes judicium de aliquibus ipsismet societatibus alias latum, decreverunt, „„*cunctis per istas regiones Ordinariis esse omnino connitendum, ut fideles a tribus societatibus praedictis et ab unaquaque earum arceantur; eaque de re ipsos fideles esse monendos; et, si monitione insuper habita velint adhuc eisdem societatibus adhaerere, nec ab illis cum effectu separari, a perceptione sacramentorum esse arcendos.*““ SS. D. N. sententiam hanc plane confirmavit et ratam habuit etc.

Romae, 20. Augusti 1894. R. Card. Monaco.

Ill^mo^ ac R^mo^ F. Satolli Del. Ap.

Num. XXIV.

De regularibus dimissis. Ad vol. II. pag. 423 et 703.

Decretum S. C. Epp. et Reg. d. d. 4. Nov. 1892 „Auctis admodum“ haec constituit, Apostolica Auctoritate confirmata:

I. „Firmis remanentibus Constitutione S. Pii V. d. 14. Oct. anni 1568 incip. *Romanus Pontifex* et declaratione s. m. Pii PP. IX. edita die 12. mensis Junii anni 1858, quibus Superioribus ordinum Regul. prohibetur, ne litteras dimissorias concedant novitiis aut professis votorum simplicium triennalium ad hoc, ut titulo paupertatis ad ss. ordines promoveri valeant, eaedem dispositiones extenduntur etiam ad Instituta votorum simplicium, ita ut horum Institutorum Superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro ss. ordinibus, vel quomodocumque ad sacros ordines alumnos promovere titulo mensae communis vel missionis, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia sed perpetua jam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta, quae ultra triennium per-

petuam differant professionem. Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis jam obtentis a S. Sede, necnon dispositionibus contrariis in respectivis Constitutionibus contentis, etsi tales Constitutiones fuerint a S. Sede approbatae.

II. „Hinc notum sit oportet, de generali regula haud in posterum dispensatum iri. . . Quodsi interdum causa legitime occurrerit . . . peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio, ut clericus vota solemnia nuncupare possit etc.

III. [agitur de norma servanda in dimittendis religiosis.]

IV. „Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum, vel temporalium, in sacris ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio modo iis consulatur; ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

V. „Qui in sacris ordinibus constituti, et votis simplicibus obstricti sive perpetuis sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporalibus dispensati fuerint, e claustro non exeant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum [1]. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium, qui quovis professionis vinculo jam forent soluti ob elapsum tempus, quo vota ab ipsis fuerant nuncupata.

VI. „Professi tum votorum solemnium, tum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros Ordines non admittantur, nisi praeter alia a jure statuta testimoniales literas exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium si de diaconatu, et quoad presbyteratum saltem per triennium, praemisso tamen regulari studiorum curriculo.

„Haec de expresso Sanctitatis Suae mandato S. Congregatio constituit atque decrevit, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus."

Ad vol. I. pag. 736 n. 1156 et vol. II. pag. 500 n. 701 additio auctoris. **De haereditate filiorum ex matrimonio civiliter tantum valido.**

Quum nostra aetate non raro accidere possint civilia divortia et matrimonia adulterina, quorum filii civiliter habeantur pro legitimis: praetermitti nequit quaestio de horum juribus vel successione in bona paterna, utrum videlicet possint cum filiis vere legitimis vel contra eos favore uti, quo lege civili instruuntur, si modo contra illos fraus non adhibeatur neque illi a jure in bona paterna excludantur.

1. Si pater filios istos ex adulterino matrimonio ortos in testamento fecit haeredes, censeo, eos posse partem assignatam sibi accipere. Nam, utut peccaverit pater fortasse contra pietatem, contra strictam justitiam non peccavit filiis vere legitimis eam partem subtrahens, utpote qui ex sese atque ex lege naturali jus strictum in

---

[1] Haec suspensio *non est perpetua* neque indiget relaxatione a S. Sede impetranda, sicut re ipsa indiget suspensio supra hic in n. IV nominata, sed cessat post inventum Episcopum receptorem et constitutum patrimonium. Ita S. C. Epp. et Reg. 20. Nov. 1895; v. *Acta S. Sedis* 28, 558.

paterna bona eorumque determinatam partem non habeant, in portione vero lege positiva sibi adscripta, ut sumo, laesi non sint. Quod si ita est, filios istos adulterinos, si patrem ad testamentum non induxerint, ne contra pietatem quidem peccati reos habeo, quod a patre jam est completum. Cf. similem quaest. I. n. 902, S. Alph. l. 3 n. 492 q. VIII.

2. Idem dicendum puto, si pater sine testamento ullo seu voluntatis declaratione moritur. Quum enim sciverit, legalem bonorum suorum successionem etiam ad istos adulterinos filios pervenire, neque hanc legalem dispositionem contraria dispositione impediverit: ipsa lex pro *supplemento et interpretatione voluntatis defuncti* est.

3. Gravior est quaestio, num liceat filiis istis adulterinis testamentum paternum sive ob defectum solemnitatum tamquam invalidum, sive ob legalem portionem sibi non relictam tamquam corrigendum impugnare. R. 1. Si defectus talis est, qui reddat voluntatem ultimam dubiam, impugnatio locum habere potest. — R. 2. Si voluntas patris certo est cognita, ejusmodi impugnatio non in solo casu matrimonii adulterini, sed etiam in aliis casibus saepe esse potest omnino peccaminosa *contra pietatem* defuncto debitam; magis etiam hîc. — R. 3. Immo si quaeritur, sitne in nostro casu illa impugnatio *contra justitiam strictam*, ita ut post factum restitutio non tantum suadenda sit, sed plane debita: ita sentire et pro posse secundum hanc sententiam agere sane licet iis, quorum interest, filiis scil. vere legitimis, atque propendeo in eam sententiam, quod haec restitutio filiis adulterini matrimonii, si testamentum everterint, per se imponi debeat, sola *bona fide* eos subjective excusante; eo quod contra bonum commune et proin invalide actum videatur, si in favorem adulterii et adulterinae prolis lex ultimam voluntatem defuncti corrigere velit. Verum in istorum favorem nihilominus quaedam rationes videntur afferri posse, quae sintne satis probabiles, ut *re ipsa* excusentur, neque affirmare neque negare audeo, ex quibus tamen rationes a) et b) non in se solis, sed cum c) conjunctae quidquam valere possunt: a) Quod filii adulterini bona paterna adire non possint, theologi veteres ex sola lege positiva repetunt eamque incapacitatem, ut odiosam, quam strictissime interpretantur (cf. Lugo, *de just. et jure*, d. 24 n. 92 sqq.); ergo quum lex positiva in nostro casu eos capaces habeat, non videtur esse, cur non possint, *spectata stricta justitia*, eodem modo jus prosequi, quo ceteri. — b) Quamquam potestas publica filios adulterinos bonorum paternorum accipiendorum incapaces facere *juste potest* in poenam parentum, id tamen facere *non tenetur;* quodsi incapaces non sunt, difficile est assignare limites ultra quos sine injustitia jus iis in paterna bona addici nequeat. — c) Etsi generatim iniquum sit, potestatem civilem matrimonia coram Deo adulterina pro validis habere atque protegere: nondum efficitur, peccari vel, si peccetur, peccari contra justitiam commutativam, si effectus civiles attribuantur certis matrimoniis civiliter agnitis, *lege civili plane abstrahente vel non attendente, utrum matrimonia valeant coram Deo necne.* Et si quando ex hac lege conjuges impediuntur, quominus possint postea de bonis suis liberius et coram conscientia melius disponere, exclusis filiis adulterinis; hoc impedimentum iis quasi poena est peccati temerarie contra legem divinam commissi. Atque haec majorem vim habent in iis regionibus, ubi cives inter multos et diversos cultus religiosos dividuntur.

ADDENDA.

Ad n. 58 nota *decr. S. Officii* d. 21 Aug. 1901 modo publicatum, v. *Anal. eccl.* X, 9:

Plures medici in nosocomiis, aut alibi casu necessitatis, infantes, praecipue in utero matris, baptizare solent aqua cum hydrargyro bichlorato corrosivo (gallice: *chloride de mercure*) permixta. Componitur fere haec aqua solutione unius partis huius chlorati hydrargyrici in mille partibus aquae ($^1/_{1000}$)... Ratio autem cur hac mixtura utantur est, ne matris uterus morbo afficiatur.

1. Estne baptisma cum huiusmodi aqua administratum certo an dubie validum?

2. Estne licitum, ad omne morbi periculum vitandum, huiusmodi aqua sacramentum baptismi administrare?

3. Licetne etiam tum hac aqua uti, quando sine ullo morbi periculo aqua pura adhiberi potest?

Resp.: „*Ad 1. providebitur in 2.*
Ad 2. Licere, ubi verum adest morbi periculum.
Ad 3. Negative.“

De prohibitione et censura librorum.

Circa pravos libros eorumque prohibitionem complura jam dicta sunt vol. I, quatenus spectatur cooperatio ad malum. Esse enim pravos libros pravave scripta magnum malum atque multorum malorum fontem, luce clarius est. Nam facillime legentis *fidem* vel *bonos mores* in periculum inducunt, prout scripta fidei sunt contraria vel turpitudinis labe aspersa. Utrumque igitur genus pravorum scriptorum ipsa lege naturali prohibitum est; prohibitionis autem gravitas ex gravitate periculi pendet. Quapropter circa libros haereticos in homine theologice exculto et pio periculum longe minus exsistit, quam in homine non ita exculto; et si quod periculum levius remanserit, illud subire cum firma voluntate non succumbendi atque implorato divinae gratiae auxilio, ex causa proportionata licebit: quae causae sane exsistunt, quum esse debeant viri docti, qui errores sparsos cognoscant atque impugnent. Ceteroquin sine causa lectioni pravae doctrinae temere inhiare, nemini non est periculosum, neque cuipiam licebit oblivioni dare, fidem esse donum Dei, sollicite servandum, non temere exponendum. Idem, sub aliquo respectu etiam majori vi, valet de scriptis obscoenis, quum periculum universalius sit, ratio excusans rarius. Nam si de scriptis plane et pure obscoenis agitur, legendi ratio vix est aliis, quam qui sufficiant ad scripta illa cognoscenda et prohibenda; si de scriptis agitur, quae obscoena quidem continent, sed utilitati humanae scientiarumque culturae serviunt: ratio officii ea esse potest, ut praebeat legendi causam excusantem, sed cautione adhibita atque remoto periculo.

Haec quidem ex sola lege divino-naturali. Verum ex iis, quae caveri jubet lex divina et naturalis, oritur obligatio pro Superioribus, ut, quos curae suae concreditos habent, a malis istis et periculis arceant. Itaque gravissima incumbit obligatio parentibus, ut filiorum, magistris, ut discipulorum lectioni invigilent, parochis aliisve curae animarum praepositis, ut attentos reddant Christifideles ad scripta periculosa, maxime si sub specie rei innoxiae incautos invadere tentent, utque omni conatu pravam lectionem studeant exterminare. Et quoniam tum bonorum morum tum fidei supernaturalis supremam custodem divinitus datam habeamus Ecclesiam, eo ipso intelligitur officium et jus Ecclesiae in filios suos invigilandi, ne capiant detrimentum, eosque a prava lectione arcendi. Quod facit non solum naturalem legem annuntiando et explicando, sed etiam eam positivis legibus extendendo et augendo. Quare ab antiquissimis etiam temporibus exempla habemus librorum ab Ecclesia prohibitorum. Quod officium et jus eo latius extendetur et eo gravius urgebit, quo amplior evaserit ex una parte copia pravorum scriptorum, ex altera parte legendi facilitas atque cupiditas. Hinc etiam factum est, ut a Conciliis Lateranensi V et

Tridentino atque a subsequentibus RR. Pontificibus leges multae et severae in hac re constitutae sint: quae, utpote leges positivae, non iisdem, quibus lex naturalis, limitibus circumscribuntur, atque etiam eos ligant, qui lege naturali supra exposita non afficiantur vel non graviter afficiantur. Verum propter mutata tempora non omnia illa, quae sic constituta erant, servari amplius conveniebat. Quare sapienti consilio Leo XIII Constitutione „*Officiorum ac munerum*“ d. d. 25. Jan. 1897 novum jus hac in re creavit, naturalem legem, quae non raro plura prohibet, relinquens, ut patet, intactam.

Res ipsa nostris temporibus est summi momenti et quotidiani usus, in qua quae licita, quae illicita sint, confessarii est probe scire. Defectum igitur non levem me commissurum fuisse putavi, nisi, quid nunc hac in re juris sit, breviter explanarem.

Praetermissa Constitutionis Pontificiae parte historica, dabo 1° verbotenus partem juris dispositivam; 2° ad aliquot capita revocabo leges factas, quae quo sensu intelligendae sint, breviter explicaturus.

En igitur tenor Constitutionis Apostolicae:

„Leo Episcopus,
Servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Officiorum ac munerum . . . . . .

Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e sacro Consilio libris notandis, edere *Decreta generalia* statuimus, quae infra scripta, unaque cum hac Constitutione conjuncta sunt: quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* sacrosanctae Tridentinae Synodi jussu editis, *Observationibus, Instructione, Decretis, Monitis,* et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto jussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV ‚*Sollicita et provida*', quam, sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus.

TITULUS I.

De prohibitione librorum.

Caput I.

De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum aliorumque scriptorum libris.

1. Libri omnes, quos ante annum MDC aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis, qui per haec Decreta Generalia permittuntur.

2. Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. Libri eorumdem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, jure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

Caput II.

De editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae.

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

Caput III.

De versionibus vernaculis Sacrae Scripturae.

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri; versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt.

Caput IV.

De libris obscenis.

9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt.

Caput V.

De quibusdam specialis argumenti libris.

11. Damnantur libri, in quibus Deo, aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae ejusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis judicio subjacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut ejus extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere, in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum aliaeque hujus generis superstitiones docentur, vel commendantur.

13. Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur.

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis ejusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

Caput VI.

De sacris imaginibus et indulgentiis.

15. Imagines quomodocumque impressae Domini Nostri Jesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae jam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

Caput VII.

De libris liturgicis et precatoriis.

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat: si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur.

19. Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de Beata Virgine, quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, et Litanias Sanctissimi Nominis Jesu jam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

20. Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque hujusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur.

Caput VIII.

De diariis, foliis et libellis periodicis.

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico jure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de hujusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in hujusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente justa et rationabili causa, publicet.

Caput IX.

De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.

23. Libros sive specialibus, sive hisce generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem praeposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subjectis. Pro Urbe tantum haec facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. Episcopi aliique Praelati jurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quodsi iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex justa et rationabili causa concedant.

26. Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri hujusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

Caput X.

De denunciatione pravorum librorum.

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum, qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis aut Apostolicae Sedi denunciare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causae exponantur, ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem, ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros, aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum judicium ea deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum supremae auctoritatis sententia requiri videatur.

TITULUS II.

De censura librorum.

Caput I.

De praelatis librorum censurae praepositis.

30. Penes quos potestas sit Sacrorum Bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quae supra (n. 7) statuta sunt.

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere: quodsi ex gravi et rationabili causa singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id numquam fiet, nisi obtenta prius sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis.

32. Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: hae nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscujusque Congregationis praescriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum, quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci, in quo publici juris fiunt.

36. Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subjacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si Auctor Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

Caput II.

De censorum officio in praevio librorum examine.

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis, (juxta Benedicti XIV praeceptum), animo a praejudiciis omnibus vacuo judicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant. Ecclesiae sanctae dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice prae oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat.

Caput III.

De libris praeviae censurae subjiciendis.

41. Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subjicere libros, qui divinas Scripturas, sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Jus canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.

42. Viri e clero seculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.

Iidem prohibentur, quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

Caput IV.

De typographis et editoribus librorum.

43. Nullus liber censurae ecclesiasticae subjectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quodsi aliquo in casu, justas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. Noverint typographi et editores librorum novas ejusdem operis approbati editiones novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam ejus in aliud idioma versioni non suffragari.

45. Libri ab Apostolica Sede damnati ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant: ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant, nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti.

Caput V.

De poenis in decretorum generalium transgressores statutis.

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earumdem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his decretis generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coerceantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cujusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in judicio et extra observari debere, decernimus: irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem, ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. — Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo sexto, VIII Kal. Februarias, Pontificatus Nostri decimo nono.

Novae de prohibitione et censura librorum legis synopsis et brevis explicatio.

(Conferri possint: Vermeersch S. J., De prohibitione et censura librorum brevis dissertatio, Tornaci 1897; J. Pennacchi, Comment. Act. S. Sedis vol. 30; Périès, Commentaire de la Const. Apostolique *Officiorum ac munerum*, Paris 1898; Hollweck, Das kirchliche Bücherverbot, Mainz 1897.)

I. *De prohibitione.*

A. Prohibita sunt, ita ut nemini edere, retinere, legere liceat, nisi specialem facultatem legitime obtinuerit:

NB. Quamquam Constitutio generatim sola utatur voce *„prohibentur“: vim* vocis eam esse, ut non solum editio et lectio, sed etiam retentio intelligatur, patet ex cap. IX § 23—26, ubi expresse dicitur „libros sive specialibus sive his generalibus decretis proscriptos ii tantum *legere et retinere* poterunt, qui . . . fuerint consecuti facultates“. — Atque etiam S. C. Indicis, quandocunque opus aliquod proscribit, semper — etiam post *hanc novam* Constitutionem — utitur verbis: „Nemo itaque . . . in posterum *edere* aut edita *legere* vel *retinere* audeat . . .“

1. Libri in Indicem relati; etiam non relati in Indicem, qui ante annum MDC a SS. Pontificibus aut Conciliis oecumenicis damnati fuerint, nisi sint ex iis, qui per generalia decreta Constitutionis *Officiorum ac munerum* permittuntur: cf. §§ 5—10 (§ 1).

2. Libri quorumcunque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcunque evertentes (§ 2).

NB. Haec prohibitio latius extenditur, quam art. 2. Bullae „Apostolicae Sedis“, qui dicit „libros *apostatarum et haereticorum*“ eosque tantum, qui *„haeresim“* propugnant.

3. Libri *acatholicorum de religione ex professo tractantes,* nisi *constet,* nihil contra fidem catholicam in eis contineri (§ 3).

NB. Judicio publico theologorum aliquando constare potest, viros acatholicos in suis scriptis omnino catholice sentire, praecipue eos, qui postea fidem catholicam amplexi fuerint.

4. Libri, qui res lascivas seu obscoenas ex professo tractant, narrant aut docent: nisi aliquatenus excipias libros auctorum classicorum (§ 9 et 10). Cf. infra.

5. Libri, in quibus Deo aut Beatae Virgini vel Sanctis, catholicae Ecclesiae ejusque cultui vel sacramentis aut Sedi Apostolicae *detrahitur* (§ 11).

Vis hujus prohibitionis ponenda est in verbo *detrahitur.* Quod si de Deo severe sumitur, in qualibet falsa de eo assertione fit. Verum existimo, prohibitionem intelligi de formali honoris invasione, quae in Dei, Sanctorum, rerum divinarum, Ecclesiae vel Sedis Apostolicae contemptum vergat: ita ut detrahere idem sit atque *contemptibilem reddere.* Sufficit autem, ut hoc *in libro* notabiliter fiat, non requiritur ad prohibitionem, ut liber integer argumentum illud verset seu ut illam detractionem libri finem esse appareat. Verum si obiter tantum verbum sententiave occurrat, ista

labe infecta, probabile est, id non sufficere, ut liber ecclesiastico jure censeri debeat prohibitus: Acta S. Sedis, Comment. n. 49.

6. Libri, qui hierarchiam ecclesiasticam aut statum clericalem vel religiosum data opera *probris afficiunt* (§ 11).

Probris afficere plus dicit quam detrahere · requiritur, ut libri auctor malevolum ostendat animum et contumelioae tractet clerum vel religiosos; neque sufficit, ut id obiter fiat, sed opus est, ut finem libri seu notabilis partis esse talem se prodat atque malevolentia appareat certo. Nam „data opera" idem est quod minus latine dicitur „ex professo". Quod videtur notandum in distinctione numeri praecedentis.

7. Libri contra inspirationem S. Scripturae conscripti; scilicet quibus ejus conceptus „pervertitur aut ejus extensio nimis coarctatur" (§ 11).

In qua re ante oculos habendum est, quod definivit Concilium Trid. et Concil. Vaticanum.

8. Libri *superstitiosi*, in quibus scilicet superstitio *rei indebitae* (sensu theologico sumptae; cf. vol. I. n. 351 sqq.), quaecunque fuerit, docetur vel commendatur (§ 12).

9. Libri, qui *duellum, suicidium, divortium* licita statuunt (§ 14).

10. Libri, qui sectas massonicas aliasve ejusdem generis societates commendant vel utiles esse contendunt (§ 14).

11. Libri, qui errores ab Apostolica Sede proscriptos defendunt (§ 14).

Ejusmodi libros esse, qui errores Syllabo Pii IX proscriptos propugnent, habes ex decr. S. C. Indicis d. d. 23. Maji 1898.

12. Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes etc., vel miracula, sine legitima Superiorum licentia publicata (§ 13).

Observa: 1. Comprehenduntur non solum libri, sed quaecunque folia vel scripta. 2. Necesse est, ut publici juris fiant: quare privata ejusmodi rerum communicatio, etiamsi typis res exprimatur in commodum complurium, ita tamen ut nullatenus omnibus pateat, illa prohibitione non comprehenditur. 3. Legitima Superiorum licentia est a) si agatur de causa beatificationis seu canonizationis, recognitio et licentia S. Rituum Congr. (§ 32); b) alias recognitio et licentia Episcopi, videlicet si narrantur res miraculose gestae *canonizatorum* vel (cum protestatione ab Urbano VIII. praescripta) hominum in fama sanctitatis defunctorum.

13. Libri aut scripta, quae *novas inducunt devotiones* (§ 13), et generatim libri vel libelli precum seu devotionis, aliique libri qui ad instituendum populum in religione, morali, ascesi conducere videantur, sine legitimae auctoritatis ecclesiasticae licentia publicati: igitur omnes libri vel libelli *practico-religiosi* (§ 19. 20) qui non prae se ferunt approbationem ecclesiasticam.

NB. Si agitur de *nova devotione* inducenda, prohibitio extenditur ad quaelibet scripta vel folia; alias preces impressae sine approbatione ecclesiastica, quando sunt sola folia, non prohibentur retinentibus vel *legentibus*, sed solum quando ad amplitudinem saltem libelli perveniunt.

14. Imagines Dei, Sanctorum etc. ab Ecclesiae sensu vel decretis difformes.

Intellige imagines insolitae formae, vel contra decreta Ecclesiae de beatificatione et canonizatione servorum Dei factas.

15. Libri liturgici et rituales noviter editi, qui in quopiam discrepent ab editionibus a Sancta Sede approbatis (§ 18).

Qua in re prohibitio ad mitiorem formam est redacta. Antea severe prohibebantur editiones, quae *debitis approbationibus* carent: nunc, etsi eas sic edere nefas fuerit, editis uti licet, si modo nihil a rite approbatis discrepent. — Imo Acta S. Sedis, Comment. n. 56 putant, exinde post hanc Bullam editores Ordinarii approbatione non amplius indigere: quod equidem tamen censeo non esse ad mentem

hujus Constitutionis neque satis congruere cum § 41. — Similiter liturgicos libros ante hanc Bullam editos, qui approbationem prae se ferunt atque quoad rem cum typicis concordant, in forma autem et ordine accidentali leviter discrepaverint, non habeo pro prohibitis.

16. Diaria, folia, libelli periodici, qui religionem aut bonos mores *data opera* impetunt (§ 21). Quid sit „data opera" vide supra n. 6. Quare non sufficit, ut *data occasione,* etsi non ita raro, articuli fidei Ecclesiaeque catholicae contrarii in iis foliis appareant. Ex quo capite eorum lectio vel divulgatio mortale peccatum contra legem naturalem quidem esse potest, contra *ecclesiasticam* legem non est. — Videtur autem intelligi impugnatio quaelibet religionis verae, non solum naturalis, sed etiam revelatae tantum, vel catholicae, quum *religio* nominetur, non nominentur (cf. n. 2) sola *religionis fundamenta.* Nolo tamen laxiorem opinionem ut improbabilem rejicere, quae nititur in explicatione facultatum episcopalium data a Zitelli, *Apparatus juris eccl.* pag. 506 not. 1; sed authentica legis declaratio in hac re desideratur. Cf. Vermeersch ed. 2da pag. 82 sq.

Illa paragraphus summi momenti est, quum tractet de lectione ephemeridum aliorumque foliorum periodicorum, qui libri molem non attingunt neque *poenis* Bullae „Apostolicae Sedis" tanguntur. — Verum etsi *poenali* lege non prohibentur, tamen ex hac nova Bulla sunt, quae non naturali lege tantum sed etiam lege positiva prohibeantur, sunt etiam, quae sola naturali lege prohibeantur. Ab iis igitur, quae positiva Ecclesiae lege sunt prohibita, etiam ille, qui sibi nullum periculum timeat, et retinendis et legendis debet abstinere. Maxime vero a lectione eorum scriptorum abstinendum est, quae fuerint ab Ordinario speciatim prohibita.

B. Prohibita sunt *non plene:*

1. Editiones S. Scripturae ab acatholicis factae, si modo in prolegomenis vel adnotationibus dogmata catholicae fidei non impugnantur, iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur, scilicet:

1) textus originalis et veterum versionum catholicarum, etiam orientalis Ecclesiae (§ 5);

2) aliae versiones sive latina, sive alia lingua non vulgari editae (§ 6), sive etiam linguis vulgaribus editae (§ 8);

3) versiones in lingua vernacula a catholicis confectae, sine approbatione S. Sedis, vel sine notis ex S. Patribus doctisque catholicis viri desumptis, cum approbatione Ordinariorum (§ 7).

NB. Lectio igitur S. Scripturae in lingua vernacula, si versio tulerit approbationem S. Sedis, vel si tulerit approbationem Ordinarii atque *notis,* ut modo dictum est, instructa sit, nulla jam lege ecclesiastica cuiquam prohibetur.

2. Libri scriptorum classicorum sive antiquorum, sive recentiorum, qui infecti sunt rebus obscoenis tractatis, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat.

Pueris et adolescentibus (intelligo scholares in scholis etiam *mediis;* nam qui in universitatibus studio rei literariae incumbunt, videntur ratione officii excusati) non permittuntur nisi editiones *expurgatae.*

Verum, si abest ipsis periculum peccandi, videntur aliquando ob necessitatem et coactionem, quae iis inferatur, excusati esse. Peccant autem magistri, qui *non coacti* ejusmodi libros non purgatos pueris tradunt. Consentit in utraque re Comment. Act. S. Sedis n. 48.

C. Peccata quae committantur a violante leges illas prohibentes.

1. Quoad diaria libellosque periodicos censeo: 1) iis emendis subscribere, facultate emendi legendive non habita, esse peccatum mortale;

2) ea non caute custodire, ita ut aliis aditus ad ea habenda pateat, etiam grave peccatum esse;

3) ea, etsi non emantur seu iis habendis non subscribatur, tamen alibi exposita legere — nisi forte sola annuntiata negotiorum causa legantur — peccatum quidem semper est contra legem ecclesiasticam; *mortale* peccatum, si vel frequentior fit lectio, vel etiam semel tantum notabiliter producatur lectio, postquam legens animadverterit, se incidisse in *materiam* prohibitam.

Peccatum veniale esse censeo, si raro ex tali folio legatur articulus, qui de prohibita materia non tractat.

Ceterum quum numerus eorum diariorum, qui nova hac *ecclesiastica* lege prohibentur, satis restrictus sit, jam difficilius intelligitur, quomodo homo catholicus non dico rationem, sed speciem quandam rationis habere possit, cur sibi res ibi discussas vel etiam solas annuntiatas legere necesse esse putet. — Facilius tamen, quae de excusatione dixi, applica ad ea diaria, quae ecclesiastica quidem prohibitione non certo feriantur, propter impugnatam tamen *data occasione* fidem catholicam, naturali lege plerisque prohibeantur.

2. Quoad libros, quum severius prohibeantur, etiam facilius mortale peccatum a violante leges Ecclesiae committitur:

scilicet quando agitur de libris propter doctrinam vel obscoenitatem prohibitis, graviter peccat, qui sine facultate: 1) emit, ut retineat; 2) qui per plures dies retinet, nisi forte opportunitatem brevi exspectat petendae facultatis vel libri tradendi ei qui facultate praeditus est; 3) qui legit locum materiam prohibitam specialiter tractantem, vel si materia ex se periculosa non est, partem notabilem, v. g. unam alteramve majoris formae paginam.

Secundum haec judica circa eos libros, quos prohibitos recensui sub A, nn. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

3. Libros, qui minus propter rem, sed propter formam, qua publicentur, prohibiti declarantur (supra A, n. 14. 15, ex parte n. 13, ex Bullae §§ 13. 18—20), materiam *mortalis* peccati tum constituere censeo, si quis eos edit, vel si iis utatur sive in liturgicis actionibus, sive alias in exercitio religionis, praesertim publico, non si eos tantum etiam legendo perlustrat. Imo iis uti discendi vel studendi causa, non videtur utcunque esse prohibitum.

4. Libri vel scripta, quae novas apparitiones, miracula illegitime narrant, *mortalis* peccati materiam constituunt in eo, qui ea juris publici facit seu in eo graviter cooperatur, vel qui publicata divulgat. Legere vix mortale peccatum erit, nisi forte agatur de miraculis vel apparitionibus falsis, quibus falsae doctrinae vel sectae favor possit praestari.

5. Libri devotionis vel instructionis religiosae, si a viro catholico eduntur sine legitima approbatione: graviter peccatur 1) ab iis qui ita edunt; 2) qui utuntur, ex hoc videntur gravis peccati reatum contrahere posse, quod aliquando justa suspicio pravae doctrinae oriri possit. Iis igitur libris vel libellis, qui tali suspicione laborant, saepius uti, vel etiam una vice multum (non aliquot tantum paginas, nisi deprehendantur res erroneae) ex iis legere sine facultate, in legem Ecclesiae censeo graviter offendere; alias vel non, vel non graviter.

D. *Facultas legendi.* 1. Facultas legendi peti nequit neque communiter dari sine justa causa, neque facultas accepta aufert obligationem legis naturalis abstinendi a lectione, si quod forte periculum legenti nihilominus immineat neque adhibitis remediis removeatur.

Legem *ecclesiasticam qua talem* S. Pontifex quidem sine ulla causa pro aliquo sus-

pendere potest saltem valide, attamen ne ille quidem sic agere solet. Alii, qui a S. Pontifice potestatem acceperunt legem relaxandi seu facultatem communicandi, id valide facere nequeunt sine causa. Verum in dubio standum est pro valore facultatis datae.

2. Facultatem dat: S. Congr. Indicis, S. Officium, S. Congr. de propaganda fide pro regionibus ipsi subjectis. Atque haec tribunalia Episcopis aliisve Praelatis potestatem etiam faciunt ex privilegio aliis facultatem legendi libros prohibitos communicandi.

3. Quousque igitur illud privilegium aliis facultatem communicandi extendatur, quilibet ex privilegio sibi dato debet intelligere.

4. Sine privilegio, adeoque *ordinaria* potestate Episcopi omnesque alii Praelati quasi episcopali potestate utentes[1] facultatem legendi libros prohibitos dare possunt tantum in casibus singularibus, scilicet pro singulis libris in casu necessitatis.

Quae potestas non restringitur iis limitibus, quibus fortasse limitata sit facultas *habitualiter communicabilis:* in qua non raro certi quidam libri excipiuntur. *Hic* nullus liber excipitur, si quando *eum* legendi necessitas occurrerit.

5. Si quis vero casus necessitatis occurrerit, in quo Praelatus adire nequeat neque necessitas dilationem patiatur: fieri potest, ut ille, qui *aptus* sit ad occurrendum necessitati, v. g. ad propellendam gravem injuriam causae religionis illatam, epikia jure utatur seu licentiam legendi praesumat. Quod alias facere non licet.

NB. Sicuti *legendi facultas* peti debet, ita etiam a bibliopola *facultas retinendi* et *vendendi* scripta prohibita: neque vendere potest nisi iis, qui jure sumantur facultate legendi esse praediti (§ 46). Quare si libros scriptave prohibita petunt, de quibus ex gravi ratione dubitatur quoad legendi licentiam, aliquo modo saltem indirecte inquiri seu interrogari debet.

II. *De censura librorum.*

A. Censura qualis requiratur.

1. Praeviae censurae subjiciendi sunt *libri*, qui *quamlibet sacrae theologiae disciplinam* tractant sensu etiam lato, vel *theologiam naturalem*, vel *ethicam*. Reliqua materia profana censurae ecclesiasticae non subjacet.

---

[1] Putat quidem Comment. Act. S. Sedis n. 63, Praelatos jurisdictione quasi-episcopali pollentes eos solos intelligi, qui subditos habeant fideles saeculares; Praelatos regularium etsi exemptorum hac lege non comprehendi eosque illa potestate esse destitutos, nisi quatenus speciale privilegium Sedis Apostolicae circa libros prohibitos impetraverint. — Verum, veniam det cl. scriptor, haec non videntur esse vera. Praelati regulares jure communi cum suis subditis regularibus dispensare possunt in praeceptis ecclesiasticis „ut possunt Episcopi cum suis dioecesanis“: S. Alph. de priv. n. 106, atque erga suos quasi-episcopali jurisdictione pollent; idque secundum eundem S. Alphonsum l. c. non de solis mediatis seu altioribus Superioribus valet, sed etiam de immediatis seu localibus, saltem si secundum sui Ordinis Constitutiones pleno jure Superiores seu Praelati censentur. Quare nulla est ratio, cur hanc, de qua agitur, facultatem Superioribus regularium exemptorum denegemus, praesertim quum leges ecclesiasticae favorem dantes *late* sint intelligendae. Nec quidquam movere debet, quod S. Pontifex hac § 25 suae Constitutionis loquatur de „fidelibus“, quibus licentiam legendi retinendique libros proscriptos impertiri valeant; nam etsi forte in odiosis religiosi atque quilibet clerici communi nomine *fidelium* non intelligantur, intelliguntur certo hoc nomine tum religiosi tum clerici in favorabilibus. Quod qui negare voluerit, negare etiam debet, Episcopum vi § 25 in causa urgente posse suis clericis vel sacerdotibus libros prohibitos legendi facultatem dare, sed dicere debet, solis laicis: atque ita ii, qui longe facilius facultate legendi indigent, ab ea accipienda excluderentur.

2. Minoris molis scripta praeviae censurae subjacent, si materia tractata ea est, ut religionis ac morum honestatis *specialiter intersit.* Quod quum haec materia distinguatur a materiis *librorum,* qui censurae subjiciendi sunt, concludi debet, non sufficere, ut haec scripta utcumque rem theologicam tractent, sed requiri, ut sive ex se sive ex temporum circumstantiis res quae tractatur, consueto majoris sit momenti, errandive periculum gravius et perniciosius. Exemplum sume, si quis tempore Concilii Vaticani scripserit de infallibilitate Romani Pontificis: consentit Vermeersch, ed. 3 n. 21, 2; Piat O. C. n. 179 in fol. per. *Nouv. revue théol.* 32 etc. Verum possunt etiam res *ex se non* theologicae theologice tractari, ita ut aliquando *religionis* specialiter *intersit.*

Scripta intelligi videntur *separata,* libelli sive folia, non articuli tantum in diaria vel periodicos libellos non theologicos inserti (Hollweck, Das kirchliche Bücherverbot [2] p. 56, dicit: *„alle Werke"*; Schneider, Die neuen Büchergesetze der Kirche p. 146 ad art. 41 expresse *separata tantum* scripta nominat), quos in foliis ex se approbationi non subjectis *prae se ferre* approbationem, inauditum est.

3. Quamquam praevia censura non ulterius extenditur, clerici saeculares ne profanam quidem rem libris tractent atque publici juris faciant, inconsultis suis Ordinariis. Qui non id quidem rogari debent, ut dent licentiam, possunt tamen *ex justa causa* publicationem prohibere. Quapropter si vel severa prohibitio ab Ordinario facta fuerit, vel generale praeceptum, quo hanc legem Pontificiam Ordinarius graviter urgeat, res erit *graviter* obligans; alioquin ex verbis Constitutionis Pontificiae existimo, gravem obligationem non erui, si modo res scribendae et publicandae bonae sunt neque clericum dedecent. — Religiosi autem praeter communem censuram observare debent leges sui Ordinis et subjectionem erga Superiores suos.

B. Cujus auctoritatis censura requiratur.

1. Generatim, i. e. exceptis quibusdam libris reservatis, approbatio librorum pertinet ad Ordinarium loci, in quo *publici juris* fiunt. Quam approbationem, „si publicationi libri nihil obstare videbitur, Ordinarius in scriptis et omnino gratis auctori" concedat oportet, in principio vel in fine libri imprimendam (§ 35. 40). — Regulares praeter Episcopi licentiam debent ex S. Concilii Tridentini decreto facultatem sui Superioris habere: utraque facultas in principio vel in fine operis imprimatur (§ 36).

2. Quae ad causas beatificationis et canonizationis servorum Dei pertinent, publicari nequeunt sine beneplacito S. Rituum Congregationis; neque sine licentia respectivarum S. Congregationum harum decretorum collectiones (§§ 32. 33).

3. Indulgentiarum collectiones novae ex variis decretis primum collectae indigent approbatione S. Indulg. Congr.; quoad alias publicationes Ordinarii approbatio sufficit.

4. Si libri auctor Romae degens alibi librum imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri S. Palatii *alia non requiritur* (§ 37).

C. Editio et publicatio.

1. Libri censurae ecclesiasticae subjecti in principio prae se ferant nomen et cognomen tum auctoris tum editoris, locum et annum impressionis

et editionis. Ex causa Ordinarius permittere potest, ut nomen auctoris supprimatur (§ 43).

2. Librorum venditores libros ex professo de obscoenis tractantes nullatenus habeant vel vendant; reliquos prohibitos ut tenere vel vendere possint, habere debent licentiam S. Sedis per Ordinarium impetrandam; „nec cuiquam vendant, nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti“ (§ 46).

Appendix II.

Catalogus scriptorum de theologia morali et practica.

Postquam tradidi eum fontem eamque normam theologiae moralis, quae infallibilitate supremi Pastoris Ecclesiae nititur, et quam auctoritatem *legiferam* vocari licet, alium fontem addam, fallibilem quidem, si singillatim spectatur, sed, si unquam, in re practica summi momenti, auctoritatem doctorum virorum, qui in re morali sibi nomen acquisierunt: quam auctoritatem merito vocaveris *doctrinalem.*

Meae intentionis non est completam enumerationem eorum facere, qui de theologia practica scripserunt, sed vel magis obvios scriptores collegi, vel eos, qui sive ex doctrinae soliditate, sive ex communis doctrinae oppugnatione celebriores sunt. Non ad solos quidem eos me restrinxi, qui de theologia morali egerunt, sed etiam ex iis, qui de theologia pastorali speciatim scripserunt, vel de jure canonico, complures attuli. At in his disciplinis pro theologia morali auxiliaribus multo minus integrum catalogum ne eorum quidem dare, qui insigniores in iis evaserunt, in animo mihi erat.

Quo magis pateat, quo auctoritatis pondere singuli fruantur, studui in scriptoribus, praecipue anterioris aetatis, ea signa adjungere, quibus, ab Haringer inductis, judicium S. Alphonsi de ipso auctore exprimatur: nimirum ** notet auctorem *gravem* et *probabilistam,* * auctorem *gravem* (etsi forte probabilistam se aperte non fateatur, sed neque probabilioristam), † auctorem *gravem* quidem, sed qui se fateatur *probabilioristam,* †* auctorem rigidum, sive probabilioristam se dicit, sive etiam ipsum probabiliorismum pro laxiore doctrina habet; — in *aliquibus* recentioribus eadem signa ex meo judicio apposui. Quae ceteroqui necessario addi debent, apud singulos notata sunt.

At magis etiam lector perspiciet vim atque pondus auctoritatis, quam diversis scriptoribus attribuat, si brevi conspectu ejus oculis subjicitur status et conditio scientiae moralis, in qua variis temporibus versabatur. Quod quam brevissime facere conabor.

Theologia moralis, quamquam tota est practica, tamen pro diverso fine, quem scriptor sibi proposuit, diverso modo tractari potest atque tractata est; praecipue prout intenditur imprimis ipsarum virtutum et officiorum cognitio, vel ad virtutes exhortatio, vel usus maxime practicus confessionum. Priori fini convenit tractatio speculativa, alteri ascetica, tertio casuistica. Verum qui in tertio modo haeret neque primum adjungit, sane theologiam moralem *ut scientiam* deprimit.

Primis Patrum saeculis, ut in dogmatica, ita etiam in re morali seu ethica christiana non tam systematicam quandam elucubrationem quaerere debemus, quam potius paraeneticas diversorum officiorum vel virtutum expositiones. In quo genere, omisso Tertulliano, qui in compluribus ejusmodi scriptis jam haereticam sectatur severitatem, praeclaros libros habemus:

S. Cypriani (de lapsis, de mortalitate, de opere et eleemosynis, de bono patientiae, de habitu virginum);

S. Ambrosii (praeter plures sermones exegeticos: de officiis, de virginibus, de viduis etc.);

S. Augustini (speculum, de mendacio, de patientia, de bono conjugali, de sancta virginitate, de bono viduitatis etc.);

S. Basilii (moralia, regulas fusiores, et regulas breviores: quamquam haec opera dubia sunt);

S. Gregorii Nysseni (de perfectione christiana);

S. Joannis Chrysostomi (homilias quam plurimas, maxime: de poenitentia, ad populum Antioch.; opuscula de sacerdotio, ad Theodorum lapsum, de compunctione);

S. Gregorii Magni (moralia in Job, regulas pastorales, dialogos, homilias in Ezechiel et in Evangelia);

B. Cassiani (collationes Patrum).

Practica vero scripta pro sacramenti poenitentiae administratione primis quidem temporibus in diversorum conciliorum canonibus habebantur, quibus pro certis peccatorum generibus certa poena decernebatur. Dein, quo magis *publica* poenitentia evanesceret, canonica vero poena pro quibuslibet peccatis, saltem gravioribus decerneretur, opus erat collectione canonum poenitentialium, quorum pro diversis locis diversorum etiamnunc ut monumenta priorum temporum *libri poenitentiales* exstant. Hisce libris fere ad saeculum decimum tertium usque practica adjumenta in poenitentiae administratione restringebantur.

Illo autem tempore scientia omnis theologica effloruit, atque lumina illa, SS. Thomam Aquinatem dico, Bonaventuram cum aliis insignibus viris praecessoribus et sectatoribus, tum quae ad dogma presse sumptum, tum quae ad mores spectant, summo ingenii acumine indagare atque ordinare coeperunt. Igitur animi affectus, passiones, habitus, virtutes et vitia perscrutabantur, eorum origines, progressus, cohaerentiam ostendebant, virtutes et habitus supernaturaliter datos explorabant: quae omnia, ut in II. S. Thomae summatim proponuntur, etiamnunc legentium admirationem movent atque doctorum virorum ingenia acuunt.

Quum post saeculum studium atque tractatio speculativa theologicarum disciplinarum nonnihil declinaret, complures viri doctrinâ insignes ea, quae antea collecta atque congesta erant, paulo magis ad practicum usum adaptare conabantur. Cujus rei studium vides in Summa theologiae S. Antonini, magis etiam in compluribus summis, quae de casibus conscientiae inscribebantur, quae tamen minime destitutae sunt scientifica et speculativa expositione, e. g. Summa Angelica (auctore Angelo de Clavasio), Summa Rosella (auctore J. B. Trovamala).

Quum dein saeculo decimo sexto post Concilium Tridentinum scientiae theologicae denuo florere coepissent, quam plurimi eximii theologi doctos commentarios in S. Thomam conscripserunt, vel etiam singulos diversarum materiarum tractatus ediderunt, in quibus etiam morales quaestiones mirifice

illustravere. Imo ab illo tempore longe maximam partem eorum scriptorum habes, qui cum laude in sequenti catalogo nominantur. Per saeculum circiter, fere usque ad exitum saeculi decimi septimi scientiae theologicae ita maxime erant florentes. Ea aetate habes Medina, Ledesma, Gregorium de Valentia, Vasquez, Lessium, Suarez, Soto, Sylvium, Lugo etc. etc.: et illi quidem etiam morales quaestiones speculativo et scholastico more, ut res dogmaticas, tractavere. Verum eadem fere aetate alii insignes theologi modum etiam alium tenuere, qui praecipue et proxime commodum ferret sacerdotibus pro confessionibus excipiendis. Ut priores theologi ante omnia in explicandis virtutibus versabantur et adnectebant peccatorum explicationem, ita posteriores illi potissimum in explicandis peccatis erant: idque revera ab hac aetate eo magis pervulgabatur, quo magis probabilismi systema pro fundamento singularum quaestionum et norma sumere atque accuratius definire scriptores conabantur, quid qua gravitate illicitum esset. Paucos sufficit nominasse: Azpilcueta (Doctorem Navarrum), Toletum, Sanchez, Laymann, Marchant, Bonacina.

Haec quidem tractatio praecipue practica etiam sequenti aetate permansit. Ultimis autem saeculi decimi septimi decenniis et deinceps atque saeculo decimo octavo magna pugna exarsit contra probabilismum. Neque minimam partem hac in re habuerunt Jansenistarum artes atque fraudes. Morum severitatem antiquae Ecclesiae extulerunt, atque indulgentiam eam, quae, humanae infirmitati compatiens, si modo necessaria fiant, contenta sit, laxitatis et morum corruptelae incusabant. Quo etiam optimi quique quodammodo percellebantur atque ad severiora facile inclinabant, non attendentes, veram sanctitatem sibi quidem exsistere severam, iis autem, qui graviora ferre non possent, benignam atque indulgentem. De qua aetate recte ait Del Vecchio (*Theol. mor.* I. p. 10): „Isti (Jansenistae) sub fraudulenta purioris pietatis ac severioris disciplinae specie fideles a sacramento avertendo, importabile jugum ipsis imponendo et in desperationem conjiciendo letale morali theologiae vulnus inferre conati sunt.“ Quapropter mirum non est, ex eo tempore auctos esse scriptores rigidiorum sententiarum, verum ita, ut etiam ii provocarentur, qui e contrario excederent in benignioribus opinionibus defendendis; scribentium quidem copiam crevisse, eorum autem, qui scientiam theologiae moralem eximie promoverent, numerum longe inferiorem fuisse. Neque tamen deerant, qui etiam inter classicos scriptores numerari merentur, ut: Elbel, Lacroix, Mazzotta, Reiffenstuel, Reuter, Roncaglia, Sporer, Voit etc. Atque eos auctores, qui post Alexandrum VII. et Innocentium XI. scripserunt, id prae aliis prioris aetatis scriptoribus commendat, quod rationem habere potuerint thesium ab illis Pontificibus proscriptarum, quum ex anterioribus etiam prudentissimi quique scriptores facile hinc inde in opinionem, quae postea damnabatur, impegerunt. Neque sane hoc nos commovere debet, neque quidquam illorum scriptorum auctoritati detrahere, siquidem ne S. Alphonso quidem datum est, omnes evitare opiniones, quibus S. Congregationes Romanae contradicerent, neque id impedivit, quominus pro conditione, in qua tum quaestiones versabantur, nihil censurâ dignum in scriptis S. Doctoris inveniri, S. Sedes solemniter declararet.

Medio autem saeculo decimo octavo, quum diversa sentientium copiosissimus numerus multorum mentes perturbasset, rigidis sententiis conscientias constringere tentaret, atque ex ipsis confessariis quam plurimi inter ea,

quae agere liceret, quae non, incertiores haererent: divina providentia, ut Pius IX. dicit, Ecclesiae suae insignem et sanctum Doctorem, S. Alphonsum de Liguori, providit, qui eximiâ prudentiâ atque doctrinâ in rebus moralibus praecipue instructus novam quasi lucem in tenebras discrepantium opinionum intulit, magnorum illorum virorum scriptis maxime insistens eorumque vestigia premens, qui saeculo decimo sexto et septimo scientiam theologicam illustraverant, ita tamen, ut quidquid solidi in recentioribus scriptis inveniret, studiosus reciperet. Post sanctum illum virum, perversa quidem illius saeculi impiorum philosophorum dictamina, quae mores corruperant, corroderant fidem, uberes, sed pestiferos fructus tulerunt tum in civilium omnium rerum perturbatione, tum in strage scientiarum, inter quas theologicae disciplinae misere jacebant. Neque solum impietas illa studiis theologicis gravia vulnera inflixit, sed etiam istud novarum rerum studium, quod viros ceteroqui probos et doctos a medio saeculo praecedente impulit, ut scholasticam et methodum et doctrinam plane aspernarentur. Hinc novum sibi systema novamque doctrinam etiam in re morali a fundamentis exstruendam esse putaverunt: quod pro suo et pro scientiae magno damno tentarunt. Ab ultimis igitur decenniis saeculi decimi octavi et prioribus decimi noni saeculi vix quidquam invenies circa nostram disciplinam conscriptum, quod magnam considerationem mereatur. Utut optimus fuerit conatus, fructus labori non respondebat. — Quare tum tandem in bonum nostrae scientiae S. Alphonsi auctoritas splendescere coepit, quum, pace composita et religione quodammodo restaurata, ad solidiora theologica studia reverti debere penitus sentiretur, idque eo fere tempore, quo S. Sedes eidem viro coelitum honores decrevit.

Et revera a pluribus decenniis, quum etiam moralis theologiae disciplina inciperetur profundius tractari atque a vagis quibusdam honestatis et pietatis sensibus ad solida tutaque principia revocaretur: vix non omnes prae ceteris S. Alphonsum ducem secuti sunt, ita ut non pauci synoptica quadam Sancti illius operum reproductione sese restringerent. Nomina, ut Gury cum suis adnotatoribus, Neyraguet, Gousset, Scavini etc. per se loquuntur. A pluribus igitur decenniis cum studio et cura hujus disciplinae etiam scriptorum numerus, qui solide et accurate eam tractarent, crevit. Atque etiam laudandus plane est ille conatus, quo complures eam ex humiliori quadam tractandi methodo *mere* casuistica ad elegantiorem formam attollere studuerunt, modo ne casuistica rerum tractatio, quae in se summi momenti est, hac ratione damnum patiatur. Laudo hoc loco imprimis Pruner, Müller, Bouquillon: alios ipse catalogus exhibebit. — Praeter eos, qui elucubrationes suas „theologiam moralem“ inscripserunt, complures etiam exstiterunt, qui singularem illam partem, qua curae pastoralis officia docentur, tamquam propriam disciplinam nomine „theologiae pastoralis“ excoluere. Praeclaros hujus studii labores possidemus. In Germania notissima sunt hac in re nomina: Amberger, Benger, Gassner, Probst, Schuech etc.: a quorum ulteriore enumeratione abstineo, tum quia aliquos in sequenti catalogo attuli, tum quia de hac distincta disciplina agere in mentem non induxi.

A.

** **Abelly**, Gallus (1604—1691), Episcopus Segodunensis (Rodez), S. Vincentio a Paulo familiaris, scripsit praeter complura opera ascetica et pastoralia *medullam theologicam.*

Aegidius Romanus de Colonna († 1316), O. S. Aug. Praepos. gener., Episc. Bitur. et Card., *Doctor fundatissimus*, discipulus S. Thomae, scripsit inter alia *commentarios in libros sentent.*

Aertnys, Belga, C. SS. Red., qui edidit libellos *de occasionariis et recidivis, de usu matrim.*, Tornaci 1883; dein *theolog. moralem* juxta doctrinam S. Alphi M. de Ligorio etc., 2 tom. ed. 3. Paderb. 1894, opus omnino dilucide et moderate compositum, dignum, quod cum magna laude commemoretur; similiter *theolog. pastoral.* 1892, 2. ed. 1893.

Aichner, S., Germanus, Episc. tit. Seb., nunc Ep. Brix., edidit *compendium juris canonici*, opus concinne et solide scriptum, Brix. 1862, ed. 8. 1895.

B. Albertus Magnus, Germanus, O. Pr. (1193—1280), Arch. Ratisbon., S. Thomae Aq. magister.

Albizi, Franc., Italus, Cardin. (1623—1684), scripsit *de inconstantia in fide; de inconstantia in judiciis; de jurisdictione Cardinalium in suis titulis.*

†* **Alexander**, Nat., Gallus, O. Pr. (1639—1724), ingenii acumine, scientia, eruditione praeclarus, notissimus ex dissertationibus historiae ecclesiasticae; in rebus moralibus rigidior est, ut apparet ex opere *theologia dogmatica et moralis.*

Allègre, G., Gallus, *De impedimentis matrimonii compendium*, Parisiis saepe recusum. Est brevis et dilucida expositio. — Gravioris etiam momenti est opus *le code civile commenté*, in 4 vol. Par. 1888 et saepius, ubi singulos articulos juris Gallici sub ratione theologica et juridica expositos habes; ejusdem in breviorem formam redacti et politi ed. 6. 1897.

Alloza, Joannes, S. J. (1598—1666), Limae in America meridionali. *Flores Summarum* seu *Alphabetum morale:* quod Leodii et Coloniae saepius prodiit.

** **S. Alphonsus Maria de Ligorio** (1696—1787), Eccles. Doctor, Episc. S. Agath. Goth., fundator C. SS. Redemptoris, cujus scripta, imprimis moralia, cum aliorum scriptis laudasse potius deprimere esset. Quamquam praecipuum opus morale est *theologia moralis* seu commentatio medullae P. Busenbaum, quam ad extremam usque aetatem perpolire studuit, tamen etiam *homo apostolicus* et alia ejus opuscula moralia nullatenus negligenda sunt.

Alvarez, Didac., Granatensis, S. J. († 1608), edidit *summam casuum conscientiae in articulo mortis occurrentium circa Sacramenta.*

** **Alvarez**, Didac., Hispanus, O. Pr. († 1635), Archiep. Tranensis, insignis propugnator physicae praedeterminationis gratiae, in re morali magnae auctoritatis.

Amberger, Jos. († 1889), germanice scripsit *theologiam pastoralem*, cujus quarta editio 1888 (Ratisbonae) in lucem prodiit, opus multum laudatum et aestimatum.

** **Amicus**, Franc., Italus, S. J. (1651), edidit *cursum theologiae scholasticae* 9 vol. in fol.

** **Amort**, Euseb., Germanus (1692—1775), a S. Alphonso et Bened. XIV. non parum laudatur: quamquam probabilismum defendit, in singulis quaestionibus non raro S. Alphonso severior est. Praecipua opera sunt: *theologia eclectica moralis et scholastica; ethica christiana; dictionarium casuum conscientiae, a* Pontas *gallice editum, in linguam latinam translatum.*

† **Andegavenses**, collationes; notis a Cardin. Gousset auctae prodierunt Parisiis 1829.

** **Angelus**, Joan., de Clavasio, O. Min. († 1495), auctor *summae Angelicae.*

** **Angles**, Jos., Hispanus, O. Min. († circa finem saec. 16.), scripsit *flores theologicarum quaestionum in libros sententiarum.*

D'Annibale, Jos., Italus, Cardin., Episc. Carysten. († 1892), scripsit commentationem *Reatinam* in Bullam „Apostolicae Sedis" *de censuris*, quae brevis quidem, sed inter optimas habenda est; et *summulam theologiae moralis*, Reate, opus concinne et erudite conscriptum; 3. ed. 1889—1892.

†* **Antoine**, G. Gabr., Gallus, S. J. (1679—1743), in quaestionibus dogmaticis multum aestimatur, in moralibus ex judicio S. Alphonsi valde rigidus, scripsit *theologiam universam speculativam et dogmaticam*, et *theologiam moralem universam.*

** **S. Antoninus**, O. Pr. (1389—1459), Archiep. Florent. Ejus doctrinae et prudentiae laus tanta erat, „ut communi elogio Antoninus consiliorum diceretur" (Rrev. Rom.). Praecipuum opus est ejus *summa theologica.*

Antonius a Spiritu Sancto, Hispanus, O. Carm. († 1677), auctor benignior, scripsit *directorium confessariorum; direct. regularium; direct. spirituale (mysticum); consulta varia.*

** **Aragon**, Petr., Hispanus, O. S. A. († 1595), Salmanticae docuit. Scripsit in II. II. S. Thomae *de fide, spe et caritate; de justitia et jure.*

Arendt, Gul., S. J., edidit Apologeticae de aequiprobabilismo Alphonsiano crisim (1897), valde utilem ad dignoscendam controversiam de probabilismo et aequiprobabilismo.

Arrauso, Franz., Hispanus, O. Pr. († 1664), Episc. Segobiensis, vir apprime doctus et pius, scripsit praeter plura opera theolog. et philosoph. *varias et selectas decisiones morales etc.*

** **Arriaga**, Rodr. de, Hispanus, S. J. (1592—1667), scripsit *disputationes theol. in Summam S. Thomae*, atque universam theologiam complevit (8 vol. in fol.) excepto tractatu de justitia et jure.

** **Aversa**, Raph. (1589—1667), Italus, O. Cler. Reg., cujus quinquies fuit Praepos. Generalis. Scripsit plures tractatus de sacramentis, praeter *theologiam scholasticam universam.*

** **Azor**, Joan., Hispanus, S. J. († 1607), scripsit celebres *institutiones morales* (3 vol. in fol.), quae Romae, Brixiae, Venetiis, Lugduni, Parisiis, Coloniae, Ingolstadii etc. iterum atque iterum impressae exstant.

* **Azpilcueta**, Mart. (Doctor Navarrus), SS. PP. maxime carus, Romae diu munus Poenitentiarii egit; scripsit *comment. in jus canonicum*, et *manuale confessarior.*; obiit annos natus 92 anno 1586.

B.

** **Babenstuber**, Lud., Germanus, O. S. B. (1660—1726), Salisburgi diversas disciplinas docuit. De re morali scripsit *ethicam supernaturalem.*

** **Baldelli**, Nicol., Italus, S. J. (1589—1655). Exstant ab ipso conscriptae et editae *disputat. moral.*, in quibus tractantur quaestiones de theol.

mor. gener., atque virtutes theolog. cum virtute religionis ex parte. Lugduni 1637 et 1644.

†* **Ballerini,** Petr. et Hier., Itali, fratres (uterq. † 1764), in patrologia imprimis versati, in re morali secundum S. Alphonsum „rigidae sententiae moderati sectatores". Petrus quaedam scripta contra probabilismum edidit.

** **Ballerini,** Anton., Italus, S. J. (1805—1881), doctus compendii Gury commentator, circa triginta annos in Collegio Romano theologiam moralem docuit: praeter notas ad compendium Gury complura opuscula moralia scripsit. Posthumum *opus theologicum morale* curâ D. Palmieri S. J. editum, septem constans voluminibus, quae vastam eruditionem summumque acumen produnt.

** **Bancel,** Ludov., Gallus O. Pr. († 1685), edidit *brevem universae theologiae tam moralis quam scholasticae cursum* (t. 7 in 12°); sed a tomo tertio ex ejus scriptis, quum ipse interim mortuus esset, editio absoluta est.

** **Bañez,** Domin., Hispanus, O. Pr. (1527—1604), celeber ille defensor physicae praedeterminationis gratiae div., unus ex spiritualibus ducibus S. Theresiae; scripsit *commentarios in S. Thomam.*

** **Barbosa,** Augustin., Lusitanus (1590—1649), celeberrimus canonista, vir stupendae plane memoriae et eruditionis. Opera ejus varia longum est recensere, quum pro integra bibliotheca juris canonici esse possint.

** **Bardus,** Fr., Italus, S. J. (1583—1661), edidit *quaestiones selectas ex universa theol. mor.,* et *disceptationes de conscientia.*

†* **Baronius,** Vincentius, Gallus, O. Pr. (1604—1674), distingui debet a Caes. Baronio Card., historiographo illo celeberrimo; scripsit *theologiae moralis summam bipartitam,* in qua probabilistas impugnat: in indicem relata est, „donec corrigatur".

Bartholomaeus a S. Fausto, Siculus, O. Cist. (1571—1635); ejus exstat *theologia moralis,* 3 tom. in fol.

** **Bassaeus,** Elig., Gallus, O. Capuc. († circa 1650), scripsit *flores totius theologiae practicae.*

Bauny, Steph., Gallus, S. J. (1564—1649), scripsit *summam casuum conscientiae;* alia ejus opera tanti non valent, utpote quae a benignioribus opinionibus non sint immunia.

** **Beati,** Gabr., Italus, S. J. (1607—1673), scripsit *quaestiones morales secretiores,* quae post ejus obitum Aug. Vindelic. 1729 editae sunt.

Becanus, Mart., Belga, S. J. (1561—1624), celeber controversista; moralem theologiam spectant imprimis ex opere *theologia scholastica* illi tractatus, qui agunt de II. p. S^{i} Thomae et de sacramentis.

Beja, Lud. de, Lusit., O. S. Aug. († circa 1587), edidit *responsiones casuum.*

Benger, Mich., Germanus, Congr. SS. Red., scriptor optime notus ex libro germanice edito *Pastoraltheologie* et ejus *compendio.*

** **Berteaut,** Bart., doctor Parisiensis († circa 1637), scripsit *regulam prudentis et pii confessarii.*

Beusch, Gul., Germanus, S. J. († 1743), docuit Dilingae et Ingolstadii, edidit *tractatum canonico-legalem de pactis et contractibus in genere,* qui etiamnunc in aestimatione habetur.

* **Biel,** Gabr., Germanus, Cleric. Reg. († 1495), scripsit *commentarios in libros sententiarum.*

Bierbaum, Iren., O. S. Fr., vide **Elbel.**

** **Biesmann**, Casp., Germanus, S. J. († 1700), scripsit praeter alia libellum utilissimum *doctrina moralis in brevissimum compendium redacta.*

† **Billuart**, Car., Belga, O. Pr. (1685—1757), scripsit doctos commentarios in Summam S. Thomae, qui diversis temporibus recusi sunt.

Binder, M. Jos., Ep. S[i] Hippolyti († 1893), germanice conscripsit *manuale practicum juris eccles. circa matrim.*, nunc anno 1887 Friburgi Brisg. in 3. ed. a Dr. J. Scheicher transformatum, quod exactitudinis et concinnitatis laudem meretur.

Binet, Steph., Gallus, S. J. (1569—1639), scriptor multorum librorum ascesim potius quam theologiam moralem spectantium, qui nihilominus ad hanc referuntur; prae aliis maxime divulgata sunt opuscula *consolatio aegrotorum*, et *consolatio desolatorum.*

Binsfeld, P., Germanus, Episcopus Suffrag. Trevirensis († 1598), scripsit inter alia *de confessionibus maleficorum;* praecipue vero commemorandum est *enchiridion theologiae moralis.*

** **Bissus**, B., Italus, O. S. B. († 1716), scripsit nomine academiae Cassinensis contra rigidum probabiliorismum Thyrsi Gonzalez.

** **Blanchis**, Paul., Italus, O. Pr. († circa 1630), collegit casus conscientiae sub titulo *disceptationes de difficilioribus materiis* etc.

** **Bonacina**, Mart., Italus, Episc. († 1631), opera moralia, 3 tom. in fol.

** **Bonaespei**, Fr., Belga, O. Carm. († 1677), scripsit *commentarios tres in universam theologiam scholasticam.*

S. Bonaventura, O. Min., Cardin. et Episcopus Alban., Doctor seraphicus (1221—1274), cujus *commentarii in magistrum sententiarum* praeter alia opuscula moralia et ascetica huc spectant.

** **Bordonus**, Fr., Italus, O. tert. S. Fr. († 1671); contra sectatores rigidiorum sententiarum defensor probabilismi exstitit: scripsit *propugnaculum opinionis probabilis; controversias morales* etc.

** **Bosco**, J., Belga, O. S. Fr. (1613—1684), scripsit *theologiam sacramentalem*, et *theologiam spiritualem scholasticam et moralem.*

** **Bossius**, J. Aug., Belga, Barnabita, Praep. Gener. († 1665), scripsit de *effectibus contractûs matrim.*

Bouquillon, Thom., professor Univ. Washingt., egregie scripsit *theologiam moralem generalem*, Brugis 1873, ed. 2. longe ampliorem 1890; ex theologia morali speciali *de virtutibus theologicis*, ib. 1875; *de virtute religionis*, ib. 1881.

** **Bouvier**, J. B., Gallus, Episc. Cenoman. († 1855), scripsit *institutiones theol. in usum seminariorum.*

Bucceroni, Januar., S. J., prof. in Rom. Univers. Gregoriana, praeter alia opera edidit in nostra disciplina: *enchiridion morale; de Const. Ben. XIV. „Sacramentum poenitentiae"; de censuris in genere et in specie; de Const. „Apostolicae Sedis" secundum omnes decisiones SS. RR. Congr.; institutiones theologiae moralis* (1891 et 1892), quibus erudite, succincte, acute res practicas tractat.

Burghaber, Ad., Germanus, S. J. (1608—1687). Praeter alia opuscula tum philosophica tum theologica scripsit *centurias selectorum casuum conscientiae tres*, quae late spargebantur.

** **Busenbaum**, Herm., Germanus, S. J. (1600—1668), notissimus ex *medulla theologiae moralis*, quae inter alios nacta est celeberrimos commentatores Lacroix et S. Alphonsum. Liber ille innumeras habuit editiones,

quarum prima erat ex anno 1650; ultima, quam auctor ipse paraverit, videtur fuisse editio quadragesima, quae post ejus mortem 1670 prodiit. Attamen secutae sunt etiam innumerae aliae.

C.

† **Cabassutius**, Congr. Orat., Gall. (1604—1655), scripsit *juris canonici theoriam et praxim.*

* **Cajetanus** (Thomas de Vio), Italus, O. Praed., Praep. gen., Card. et Archiepiscopus Panorm. (1469—1534). Opera: *Summula casuum, in Summam S. Thomae* etc.

†* **Camargo**, Ign. de, Hispanus, S. J. (1650—1722). Opera: *Regula honestatis moralis.*

** **Candidus**, Vinc., Italus, O. Pr., magister S. Palatii sub Innoc. X. (1573 u. a. 1654), scripsit *illustriores disquisitiones morales.*

Capreolus, Joan., O. Pr. († 1415), scripsit *commentarios in libros sententiarum.*

Caramuel (de Lobkowitz), Hispan., O. Cisterc. (1606—1682), Episc. Campan. et Vigevan., vir portentosi quidem ingenii, sed non satis limati judicii, atque in opinionibus moralibus laxiora sectans: de quibusvis fere rebus scripsit, 77 vol. in fol.

** **Cardenas**, Joan. de, Hispanus, S. J. († 1684). Opus praecipuum est *Crisis theologica*, pluribus in locis prelo commissum.

S. Carolus Borromaeus, Card. et Archiep. Mediolanensis (1538—1584), hîc laudari meretur propter *instructiones pastorum* et *monitiones ad clerum.*

† **Carrière**, Jos., Gallus., Congr. S. Sulp. († 1864). Ejus opera sunt: *Praelectiones theol. majores de jure et justitia, de contractibus, de matrimonio.*

** **Castropalao**, Ferd., Hispanus, S. J. (1581—1633). *Opus morale*, tractans universam theologiam moralem in 7 tomis in fol. distinctam, tum Lugduni, tum Venetiis saepius prodiit.

Chokier, Canon. Leod. (circa 1621), scripsit *de jurisdictione Ordinarii.*

† **Collet**, Petr., Gallus (1697—1770), continuator Tournely, probabiliorista et, teste S. Alphonso, in severas sententias generatim deflectens, alioqui scriptor doctus et eruditus; praecipua opera sunt: *theologia moralis universa; dictionnaire des cas de conscience; traité des dispenses; traité des indulgences et du jubilé.*

** **Comitolus**, Paul., Italus, S. J. (1544—1626). Opus *„Consilia seu responsa moralia“* ansam dedit eum inter adversarios probabilismi collocandi — id quod alii recte fieri negant.

†* **Concina**, Daniel, Italus (1686—1756), acerrimus probabilismi impugnator et auctor feracissimus.

** **Coninck**, Aegid., Belga, S. J. (1571—1633), secundum S. Alphonsum auctor classicus, Lessii discipulus et in cathedra theolog. Lovanii successor, scripsit *de sacramentis et censuris, de virtutibus.*

†* **Contenson**, Vinc., Gallus, O. Pr., in juvenili aetate 33 annorum vita functus est († 1674), rigidarum opinionum asseela; ceteroquin ejus opus *„theologia mentis et cordis“* non est sine laude.

Coriolanus, Italus, Ord. Cap. (circa 1618), edidit librum *de casibus reservatis.*

** **Corradus**, Pyrrh., Italus, Canonic. (saec. 17.), notus ex opere *„praxis dispensationum Apostolicarum“*, quod in quaest. de matrim. etc. notatu dignum est.

Costantini, V. Italus: *institutiones theol. moralis*, 3 tom. in 8°, Prati 1881—1883.

* **Covarruvias**, Did., Hispanus (1512—1577), Ep. Segobiensis, celeber jurista. Opera omnia pluries recusa 2 tom. in magno fol. constant, consulenda praecipue in re de justit., de matrimon., aliis quaestionibus canonicis.

Craisson, D., Gallus, edidit *manuale juris canonici* nitide compositum, primo 1863 prelo commissum (Pictavii), dein *saepius* recusum.

† **Cuniliati**, Fulg., Italus (1685—1759), O. Pr., scripsit *universae theologiae moralis accuratam complexionem.*

D.

De Herdt, P. J., Belga, cujus libri *de sacra liturgia* merito laudantur.

Delama, Dion. († 1896), Austr., edidit egregium *tract. de justitia et jure*, praec. Austriaco, Tridenti, ed. 3. 1889; *Institutiones Theol. mor.*, ib. 1895.

** **Delbene**, Thom., Italus, Cler. Reg. (c. 1649), scripsit *de immunitate eccles.*

Delrio, Martin., Belga, S. J. (1551—1608), cujus opus *disquisitiones magicae*, quamquam etiam inutilia et fabulosa continet, tamen multa utilissima tradit, quibus superstitionis malitia penitius cognoscatur.

Del Vecchio, J. A., Italus, in compendium redegit theologiam Scavini, Mediolani 1880.

Deshayes, F., Gallus, Prof. Cenoman., scripsit compendiolum *„Memento juris eccles."*, propter uberem et materiam et bibliographiam valde utile pro praxi, Parisiis 1895.

Diana, Ant., Italus, O. Theat. (1585—1663), auctor aliquando est benignior: ejus opus *resolutiones morales* in editione *altera* in ordinem plane alium redactum est atque in editione *priore.*

** **Dicastillo**, J., Hispanus (1585—1653), scripsit *de sacramentis; de juramento; de censuris; de justitia et jure* etc.

Dieckhoff, B., Germanus, professor Monasteriensis (1802—1858), scripsit *compendium ethicae christianae*, Monasterii 1852—1864 (cont. a *Scholz*).

Dionysius Carthusianus (de Rykel vel Leewis, 1402—1471), dictus *doctor exstaticus*, permulta opera moralia, ascetica et mystica scripsit: praecipua, quae nostram materiam respiciunt, sunt *commentarii in libros sentent.; de doctrina et regulis vitae christianae; de vita sacerdotali recte instituenda; de ordinum ac statuum institutione, prolapsione, reformatione.*

** **Duarte**, Did., Italus, O. S. Fr. (circa 1700), scripsit brevem expositionem propositionum a S. Sede damnatarum, Romae 1712.

** **Duhamel**, J. B., Gallus (1624—1706), prof. Parisiensis. Opera: *theologia speculatrix et practica.*

Durandus de S. Portiano, O. Pr., Mag. S. Pal. et Ep. Meldensis († 1331), vocatus *doctor resolutissimus*, eo quod magna libertate suas sententias, aliquando singulares, aliorum sententiis opposuit; scripsit *commentarios in libros sententiarum*, et *de jurisdictione ecclesiastica.*

E.

† **Ehrentreich**, Ad., Germanus, S. J. (circa 1700), scripsit plura opuscula, quibus opem ferret doctrinae a Th. Gonzalez propugnatae, non licere sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore.

** **Elbel**, Benj., Germanus, O. S. Fr. († circa 1760), inter primarios scriptores theologiae moralis numerandus, scripsit per modum conferentiarum *theologiam decalogalem et sacramentalem;* quam de novo edidit a. 1891 ad 1892 **P. Irenaeus Bierbaum** O. S. Fr.

†* **Elizalde,** Mich., Hispanus, S. J. (1616—1678). Lugduni prodiit 1670 ejus opus sub ficto nomine Ant. Celladei *„Recta doctrina morum“*.

Engels, L., Germanus, O. S. B. († 1674), unus ex celebrioribus scriptoribus juris canonici. *Manuale parochorum et collegium universi juris canonici* saepissime recusa sunt.

** **Escobar,** Ant., Hispanus, S. J. (1589—1669), scripsit, praeter libros exegeticos, *universam theologiam moralem,* et opus, cui titulus *„liber theologiae moralis 24 S. J. doctoribus reseratus“,* quod opus vivente auctore 40 editiones habuit, celebrius etiam factum calumniis, quibus Pascal in suis „les provinciales etc.“ hunc librum impetiit.

** **Esparza,** Mart. de, Hispanus, S. J. (1606—1676). Praecipuum ejus opus est *cursus theologicus in decem libros et duos tomos distributus,* in quo pertractat totam theologiam secundum summam S. Thomae; posterior editio (Lugduni 1685) aucta est duplici tractatu ejusdem auctoris *de usu licito opinionis probabilis.*

F.

†* **Fagnani,** Prosp., Italus (1587—1678), canonista maxime eruditus et doctus, at valde rigidas sectans sententias: quamquam 44 annos natus lumen oculorum amisit, tamen dictavit *commentaria in libros decretal.*

** **Fagundez,** Steph., Lusitanus, S. J. (1577—1645), scripsit *tractatus in quinque Ecclesiae praecepta, in decalogi praecepta, de justitia et contractibus.*

Feije, H. J., Belga, professor Lovaniensis, scripsit eruditum opus *de impedimentis et dispensationibus matrim.,* nunc *tertio* Lovanii editum.

** **Ferraris,** Luc., Italus, O. Min. († circa 1670); ejus opus notissimum *„Prompta bibliotheca juridica, canonica etc.“* etiam post auctoris obitum saepius recusum est.

** **Filliucci,** Vinc., Italus, S. J. (1556—1622), sub Paulo V. poenitentiarius R. Pontificis ad S. Petr., scripsit *quaestiones morales,* 2 tom. in fol., et *synopsim universae theologiae moralis.*

S. Franciscus Sales., Ep. Genev. et Doctor Eccl. (1558—1622), qui in compluribus scriptis asceticis utilissima tradidit atque etiam in *monitis ad confessarios* hosce practice instruxit.

** **Francolini,** Balth., Italus, S. J. (1650—1709); complures libri satis utiles ab eo exstant: *Clericus Romanus contra nimium rigorem munitus etc.; de dolore ad sacramentum poenitentiae necessario; de disciplina poenitentiae libri tres.*

†* **Franzoja,** Aug., Italus († 1760), paravit editionem theologiae Lacroix et Zaccariae *cum notis,* in quibus rigidissimum se ostendit.

Frassinetti, Jos., Italus († 1868), scripsit *Compendio della teologia mor. di S. Alphonso,* ed. 3. Genova 1867, quae prioribus praeferri debet, quum auctor in ea illa expunxerit, quae nimis benigna erant; et *manuale pratico pel parroco novello.*

Fridericus a Jesu, Germanus, O. Carm. (1721—1788), collegit ex operibus Benedicti XIV. et casibus conscientiae sub ejus auspiciis habitis *universam theolog. mor. tripartitam.*

Friedhoff, Fr., (1821—1878), professor monasteriensis, germanice conscripsit theologiam moral. general. 1860, specialem 1864.

Frins, V., S. J., scripsit *De actibus humanis etc.* Friburgi Brisg. 1897; opus pro pleniore studio hujus partis theol. mor. apprime commendandum.

** **Fumus,** Barth., Italus, O. Pr. († 1545), scripsit summam theologiae moralis, *„Armillam“* dictam.

G.

Gallo, Thom., Italus, S. J. Post annos in missione apud Indos infideles peractos scripsit *suppetias missionariorum,* Romae 1872, 4 tom. in parvo 8°.

** **Garcias,** Nic., Hispanus (saec. 17.), in utroque jure celeber, scripsit *de beneficiis, de dispensationibus.*

Gardellini, Aloys., Italus, collector *decretorum authenticorum S. R. C.,* quae ipse ad ann. 1826 perduxit, ipso defuncto, alii deinceps suppleverunt.

Gasparri, Petr., scripsit *tract. canonicum de matrimonio,* 2 vol. 1891, opus eruditione et solida doctrina excellens: item *de s. ordinatione* 2 vol. 1893.

Gassner, Andr., professor Salisburg., germanice conscripsit plures libros pastorales: *manuale theologiae pastoralis,* 3 vol. 1868, dein brevius: *theologiam pastoralem,* Salisburgi 1881.

Gaume, J., Libro „*Manuel des confesseurs*" ex praeclarorum et sanctorum virorum in cura animarum maxime versatorum dictis et scriptis monita pro confessariis collegit. (Editiones gallicae prae aliis commendandae sunt.)

Gavanti, Barth., Italus, O. Barn. († 1638), insignis auctor liturgicus, cujus *thesaurus sacrorum rituum* saepius recusus est.

Génicot, Ed., Belga, S. J., nuper edidit *Theologiae moralis institutiones* clare et solide conscriptas. 2 vol. Lovanii 1896—1897; 2^da^ ed. 1898.

Gerlach, H., Germanus, can. Limb. († 1886), edidit primo 1869 *Lehrbuch des kath. Kirchenrechts* (ed. 5. 1890, curâ F. X. Schulte) Paderbornae: in quo, praeter brevem expositionem juris vigentis pro singulis quaestionibus, copiose indicantur monographiae, praecipue germanice conscriptae.

Gerson, J., Cancellar. Parisiensis (1363—1429). Opera ejus, quae complectuntur scripta dogmatica, canonica, moralia etc., editione prae aliis integra impressa sunt cura Du Pin 1706, Anvers, 5 vol. in fol.

Giribaldi, Silv., Italus, O. Barn. (circa med. saec. 18.), scripsit *universam theologiam moralem,* quae pluries Venetiis prodiit.

Gobat, Georg., Germanus, S. J. (1600—1679). Cujus opuscula moralia collecta exstant sub titulis: *1) theologia experimentalis de septem sacramentis; 2) quinarius tractatuum theolog.-juridicorum; 3) alphabetum quadruplex etc.,* quo declaratur universa materia voti, juramenti, blasphemiae et superstitionis. Quamquam aliquot sententiae defenduntur, quae postea a S. Sede reprobatae sunt, generatim tamen scriptor rem suam omnino solide tractat, et suo tempore ipse undique consulebatur.

Goepfert, Fr. A., Praeter monographiam germanice conscriptam *de juramento* (Moguntiae 1883) edidit opus posthumum, laude dignum: **J. B. Renninger,** *Pastoraltheologie,* Friburgi 1893; dein *Theologiam mor.* germanice conscriptam, 3 tom., Paderb. 1897—1898 ed. 3. 1901.

†* **Gonet,** J. B., Gallus, O. Pr., (1616—1681), acerrimus impugnator probabilismi in *dissertatione theologica ad tractatum de moralitate etc.*

†* **Gonzalez,** Thyrsus, Hispanus. Antequam Societati Jesu sese adjunxit, celeber professor theologiae Salmanticae exstitit; electus est Praepositus Gener. S. J. 1687, mort. 1705. Praeter erudita opera apologetica scripsit circa moralem theologiam *tractatum theologicum de recto usu opinionum probabilium,* de quo S. Alphonsus sentit, contineri ibi sententias, quae ob nimium rigorem in praxim deduci non possint.

Goritia, Fr. A., Italus, O. Cap. († 1784): *epitome theologiae canonico-moralis,* opus posth., quo 233 tabulis tota materia theologiae moralis exhibetur.

* **Gotti,** Vinc., Italus, O. Pr. (1664—1742), Cardin. et Patriarcha Hierosolym.,

unus ex primariis scriptoribus Thomist. Cujus scripta apologetica quidem et scholastico-dogmatica sunt, at moralia quoque in iis tractantur.

Gousset, Th., Cardin. et Archiep. Rhemensis († 1867), scripsit *„Théologie morale à l'usage des curés et des confesseurs"*, Paris 1845, opus saepius recusum et in alias linguas translatum.

** **Graffiis**, Jac. de, Italus, Abbas Cassin. (circa 1593): multum laudantur *decisiones aureae casuum conscientiae; consilia casuum conscientiae* etc.

** **Gravina**, Dominic., Italus, O. Pr. († 1643), concionibus et scriptis insignis fuit, maxime in doctrinis controversis contra haereticos.

** **Gravina**, Jos. M., Italus, S. J. (1702—1780), scripsit *tractatum apologeticum de probabilismo*, Panormi 1757.

Gregorius Ariminensis, O. S. Aug. († 1358), *doctor authenticus* dictus, scripsit *commentarios in libros sententiarum* et *de usuris.*

** **Gury**, P., Gallus, S. J. († 1866). Inter primos scriptores fuit, qui contulerunt ad restaurandam casuisticam theol. mor. tractandae methodum; ejus libri *compendium theol. mor.* et *casus conscientiae* multoties recudebantur.

H.

Haine, A. J., D. Lovan., ed. opus non exigui valoris *theologiae mor. elementa*, 1881—1884.

Halensis (Alexander de Hales), O. S. Fr. (1245), cognominatus *doctor irrefragabilis*, etiam *doctor doctorum*, quum fuerit praeceptor S. Bonaventurae, S. Thomae, scripsit jussu Innoc. IV. *commentar. in lib. sent.*

Haunold, Christ., Germanus, S. J. (1610—1687), docuit Friburgi et Ingolstadii: inter ejus scripta theolog. eminent *4 tomi controv. de justitia et jure.*

Heiner, Fr., Germanus, scripsit germanice *de censuris ecclesiasticis*, nimirum eruditam explicationem Bullae *„Apostolicae Sedis"*, Paderbornae 1884; item *Grundriss des kathol. Eherechtes* 1889, ed. 2. 1892, quae est docta et brevis quidem, at concinna et dilucida practicarum quaestionum tractatio; item *Katholisches Kirchenrecht*, 2 vol. ed. 3. 1901.

Heiss, M., Germ., Archiep. Milwaukiensis († 1890), scripsit *tractatus quinque de matrimonio*, Monachii 1861.

†***Henno**, Fr., Belga, O. S. Fr. (initio saec. 18.), composuit *theologiam dogm., moral. et scholasticam.*

†* **Henricus a S. Ignatio**, Belga, O. Carm. († 1720), scripsit *ethicam amoris*, opus damnatum.

** **Henriquez**, Henricus, Lusitanus, S. J. (1536—1608), magister Franc. Suarez, scripsit *summ. theol. moralis.*

Hergenröther, Phil., Dr. († 1890), scripsit germanice compendium juris canonici (Friburgi Brisg. 1888), quo complures res morales tractantur.

** **Herinckx**, Guil., Belga, O. S. Fr. († 1678), Ep. Yprensis, scripsit *universam theol. ad mentem SS. Aug. et Thom.*

Hilarius a Sexten, P., O. Cap., composuit *compendium theologiae moralis* in 2 tomis, quae anthologia quaedam est ex maxime probatis scriptoribus. Merani 1889: similiter *tract. pastoralem de sacramentis* 1895, et *de censuris eccl.* 1898, Moguntiae.

Holzmann, Apoll., Germ. (c. 1700), scripsit in II. II. S. Th. *de jure et justitia.*

** **Hurtado**, Gasp., Hispanus, S. J. (1575—1647), scripsit *de sacramentis et censuris; de fide, spe et caritate; de justitia et jure* etc.

Hurtado, P. de Mendoza, Hisp., S. J. (1578—1651), scripsit *de fide, spe, caritate.*

I., J.

** **Ildephonsus**, J. B., Hispanus, O. Pr. († 1639). Ex mandato capituli gen. O. Pr. edidit suos *commentarios in I. II. S. Thom.*

Illsung, Jac., Germanus, S. J. († 1695), scripsit *Theolog. practicam universam* seu „Arborem scientiae boni et mali"; praeterea plures disputationes de justitia et jure.

Josephus a S. Januario (saec. 17.) scripsit *Quaestiones selectas etc.*

Josephus a Matre Dei, O. Carm. (circa 1790), *conscripsit praelectiones in universam theologiam moralem.*

K.

Kazenberger, Germanus, Ord. Min. (saec. 18.), continuator Sporer et Sargar; scripsit nimirum *Recollectiones morales super theolog. P. Patritii Sporer* et *Supplementum conferentiarum theol.-mor. P. Elisaei Sargar.*

Kenrick, Fr., Archiep., Baltimor. Amer. († 1863), edidit ad usum suorum clericorum *theol. dogmatic.* et *theol. moralem.*

Kober, F. von, professor Tubing., scripsit lingua germanica de poenis ecclesiasticis libros eruditos (Kirchenbann, Suspension etc.).

Konings, A., Congr. SS. Red. († 1884), Theologiam S. Alphonsi in compendium redegit. 1882 Neo-Eboraci jam prodiit editio 5.

Krimer, Ferdin., Germanus, S. J. (1639—1703), scripsit *Quaestiones canon. in 5 libros decretal.*, et *Quaestiones theol. in I. II. S. Thomae de justitia.*

Kugler, Joan., Germanus, S. J. (1654—1721). Opus ejus praecipuum est *de matrimonio et sponsalibus*, circa 1712.

Kutschker, J., Germanus, Cardin. et Archiep. Vind. († 1880), scripserat germanice *Manuale practicum juris circa matrimon.*, 5 vol.

L.

** **Lacroix**, Claud., Belga, S. J. (1652—1714). Universam theol. moralem scripsit per modum commentariorum Busenbaum; opus copiosissime scriptum, a S. Alphonso et Bened. XIV. multum aestimatum, et saepe tum auctore vivente, tum defuncto recusum.

Laemmer, H., germanice scripsit Institutiones jur. eccl. cath., Friburgi 1886.

* **Lambertini**, Prosp., postea S. Pontifex Bened. XIV. (1675—1758); praecipua opera, quae theologiam moralem tangunt, sunt: *de synodo dioeces.; institutiones eccles.; quaestiones canonicae; de Sacrif. Missae:* quae multis diversis editionibus circumferuntur.

Laurentius, Jos., S. J., scripsit „Jus ecclesiasticum", Friburgi 1902. Vix reperies in uno volumine tam multa concinne et clare expressa.

** **Laymann**, Paul., Germanus, S. J. (1576—1625), vir ex judicio Muzzarelli in theologia morali nulli aut fere nulli secundus: quod judicium omnino verum esse arbitror; neque minus in jure canonico excelluit. Omnia ejus opera etiamnunc quaeruntnr, atque in pretio habentur propter solidam doctrinam, concinnum et clarum dicendi modum, modestiam, moderationem et prudentiam in dijudicandis opinionibus. — Opus ejus maxime vulgatum est *Theologia moralis;* canonici juris scripta post ejus obitum in unum collecta prodierunt Dilingae (1666—1693) sub titulo *Jus canonicum R. P. Pauli Laymann*, 3 vol.

Leander a SS. Sacramento, Gallus, O. SS. Tr. († 1667), scripsit *Summam novem partium;* at nimis benignas sequitur sententias.

** **Ledesma**, Barth. de, Hispanus, O. Pr., Episc. Antequeranus in America († 1604), scripsit *summam casuum conscientiae.*

** **Ledesma**, Petr., Hispanus, O. Pr., († 1616), in scientia scholastica et dogm. perceleber; ad nostram disciplinam spectant ejus tract. *de sacramentis.*

Leinz, A., Dr., germanice scripsit, idque erudite et solide, *de extensione legis Trid. circa clandest. matr.* Friburgi 1888.

** **Lessius**, Leonard., Belga, S. J. (1554—1623). Praeterquam in dogmaticis etiam in moralibus quaestionibus apprime versatus. Huc pertinet celeberrimum opus *„de justitia et jure ceterisque virtutibus cardin. etc.“* Summi Pontifices Sixtus V. et Paulus V. eum in summa aestimatione habebant; a S. Francisco Salesio opus illud *de justitia etc.*, sicut etiam *de praedestinatione*, summopere probabatur, ut ipse literis ad Lessium 26. Aug. 1613 datis testatus est; S. Carolus Borrom. ejus opera confessariis commendavit.

Leurin, Petr., Germanus, S. J. (1646—1723), scripsit inter alia: *„Forum beneficiale“* et *„Forum ecclesiasticum“.*

** **Lezana**, J. B., Hispanus, Ord. Carm. (1586—1659), ab Urb. VIII., Innocent. X., Alex. VII. SS. PP. magnopere aestimatus est et saepe consultus, scripsit: *Summam quaestionum regularium; Mare Magnum*; *consulta moralia.*

S. Liguori, v. Alphonsus.

Linsenmann, Fr. X. von, ep. Rottenburgensis electus et confirmatus, † 1898 ante consecrationem, germanice scripsit *Lehrbuch der Moraltheologie*, Freiburg 1878.

Lohner, Tob., Germanus, S. J. (1619—1680), notissimus tum ex opere, cui titulus „Instructissima bibliotheca manualis concionatoria“, quod saepe recusum, etiam nostro saeculo germanice et gallice — sed in compendium redactum — editum est; tum variis aliis operibus practicae theologiae pro cura animarum: *Instructio practica pastorum, de conversatione apostolica, quintuplicis theologiae* etc.

** **Lopez**, Lud., Hispanus, O. Pr. († 1596). Praecipuum ejus opus est *instructorium conscientiae.*

** **Lorca**, Petr. de, Hispanus, O. Cist. († 1606). Compluti primariam Scoti cathedram tenuit: reliquit *commentaria et disputationes in* (I. II. et II. II.) *Summam S. Thomae.*

Luca, J. B. de, Italus, Cardinalis (1617—1683), scripsit *theatrum veritatis et justitiae.*

Lucidi, Aug. (saec. 18.), *de visitatione sacr. liminum*, in quo opere explanantur omnia, de quibus Episcopi referre debent ad S. Sedem; optima editio habetur Romae 1883.

** **Lugo**, Fr. de, Hispanus, S. J. (1580—1652), vir apprime doctus et apostolico zelo praeclarus. Scripta ejus ex naufragio erepta, quae supersunt, sunt *de Deo* et *de sacramentis.*

** **Lugo**, Joannes de, Hispanus, S. J., Cardinalis (1583—1660), frater prioris, ingenio acerrimus, non minus de rebus dogmaticis quam de moralibus praeclare scripsit, ita ut ejus operibus etiam nunc theologus nullus carere possit. S. Alphonsus l. 3 n. 522 putat, eum post S. Thomam non temere inter alios theologos facile principem dici posse. Opera ejus ex parte moralia sunt: *de fide; de justitia et jure; de sacramentis in genere, Eucharistia, poenitentia; responsa moralia.*

**Lupus, Christ., Flandrus, O. S. Aug. (1612—1681), summae eruditionis, maxime in scientia historica: quoad theologiam moralem exstat opusculum posthumum *de antiquitate et legitimo usu sententiae probabilis.*

M.

**Malder, Joan., Belga († 1645), docuit Lovanii, postea Episcop. Antverp. Scripsit ex theologia morali: *de virtutibus theol.; de justitia et jure; de legibus; de sigillo confessionis* etc.

Maldonat, Joan., Hispanus, S. J. (1534—1583), celeberrimus ille in Evangelia commentator, malam eam fortunam habuit, ut *summula* moral. theol. in indicem librorum prohibitorum referretur: quae tamen nihil est nisi compilatio quaedam post Maldonati mortem aliena manu facta.

**Manhart, Fr. X., Germanus, S. J. (1696—1773), Oenipont., scripsit inter alia *de ingenua indole scientiae mediae, probabilismi ac gratiae efficacis.*

Manigart, Canon. Leod., circa 1700 scripsit *„Manipulum theologiae moralis“.*

Mansella, Jos., Italus, edidit *de impedimentis matrimonii dirimentibus* etc., Romae 1881.

Marc, Clem., C. SS. Red. († 1886), conscripsit *Institutiones morales Alphonsianas,* sc. doctrinam S. Alphonsi ex diversis ejus scriptis collatam et in novum ordinem redactam, in 2 tom. Lugduni 1885, edit. 8. 1896.

Marchant, Jac. († 1648). Ejus opus *„Hortus pastorum“* suo tempore multum desiderabatur atque pluribus in locis editum est.

**Marchant, Petr., Belga, O. S. Fr. (1585—1661), frater prioris, fama et doctrina etiam multum praestantior. Opera saepius recusa sunt praecipue: *tribunal sacramentale* etc., et *notabiles resolutiones.*

Marres, P. H., prof. Ruraem., scripsit 2 tomos egregios *de justitia* ed. 2. 1889.

Martin, Conr., Episcopus Paderborn. (1812—1879), in favorem aequiprobabilismi prius contra probabilismum stetit, postea non ita. Praeter alia multa opera ad diversas theologiae disciplinas spectantia scripsit germanico idiomate *„Lehrbuch der Moral“,* Moguntiae 1850, ed. 5. 1865, et *„Laienkatechismus des kanonischen Rechts“.*

Martinez, Gregor., Hispanus, O. Pr. (1575—1637), docuit Segoviae, scripsit commentarios in S. Thom. I. II., 3 vol. in fol.

**Martinez, J. (del Prado), Hispanus, O. Pr. († 1668), scripsit inter alia *quaestiones principales theologiae moralis; de sacramentis* (sc. in genere, de bapt., confirm., Euchar., poenit.).

**Mastrius, Barth., Italus, O. Min. († 1659), inter primarios Duns Scoti interpretes omnino collocandus: scripsit praeter disputationes theolog. in 4 libros sententiarum *theolog. moralem ad mentem DD. seraphici et subtilis.*

Matharan, M. M., Gallus, S. J., edidit: 1) *asserta moralia;* 2) *casus de matrimonio fere 500,* opus valde practicum, Matriti 1893.

*Mayr, Anton., Germanus, S. J. (1673—1749), docuit Friburgi et Ingolstadii; scripsit *theologiam scholasticam,* ubi pro regula morum aequiprobabilismum defendit.

**Mazzotta, Nicol., Italus, S. J. (1746). *Theologia moralis* sub ejus nomine post obitum ipsius *primum* Neapoli 1748 prodiit.

**Medina, Barth., Hispanus, O. Pr. (1528—1581), inter principes theologorum suae aetatis numerandus est: ad moralem theologiam spectant ea, quae scripsit, commentaria in S. Thom. I. II., ibique fundamenta jecit, ex quibus pater systematis probabilismi vocatur.

Medina, Mich., Hispanus, O. S. Fr. († circa 1570 aut 1580). Celebratur praecipue ex scriptis *de recta in Deum fide* et *disputat. de indulgentiis.*

****Mendo**, Andreas, Hispanus, S. J. (1608—1684). Ex ejus operibus moralibus notatu digna sunt 1) *Bullae sanctae cruciatae elucidatio;* 2) *epitome opinionum probabilium.*

Merati, Cajet. Mar., Italus, O. Theat. (1668—1744), propter insignem eruditionem in sacra liturgia a Clem. XI. et Bened. XIV. multum aestimatus, edidit et auxit *thesaurum sacrorum rituum a Barth. Gavanti.*

†***Merbes**, Gallus, Oratorii sodalis (1598—1684), scripsit *summam christianam,* in qua, quum laxitatem declinare vult, subinde nolens in rigorem incidere videtur Jansenismo similem.

†***Mercorus**, Jul., Italus, O. Pr. († 1669). Praecipuum ejus opus est *„basis totius theologiae moralis"*, in quo impugnat et probabilismum et tutiorismum. Hinc factum est, ut postea et contra Nicole et contra Caramuel sese defendere deberet.

****Milante**, Th., Italus, O. Pr., Episcopus Stabiensis († 1749), discipulum habuit S. Alphonsum. Scripsit de re morali: *Exercitationes dogmatico-morales in theses proscriptas;* est auctor gravis quidem, nonnunquam tamen paulo videtur severior.

Minderer, Seb., Germanus, O. S. Fr. (1710—1784), supplementum scripsit theologiae moralis, *de indulgentiis et jubilaeo.*

***Molina**, Ludov., Hispanus, S. J. (1535—1600), celeber ex libro „Concordia liberi arbitrii cum gratiae donis etc."; dein ex opere vasto *de justitia et jure* in 7 vel 5 tomis in fol.

Moya, Matth. de, Hispanus, S. J. (1610—1684). Scripsit 1) fictitio nomine Amadei Guimenii opusculum *adversus quorundam expostulationes;* 2) *selectas quaestiones mor.* Attamen utrumque opus in indicem librorum prohibitorum translatum est, posterius post obitum auctoris, alterum ab ipso retractatum est.

Müller, Ern., Episcopus Lentiensis († 1888), cujus *theologia moralis* (3 tom. Vindob. 1868, edit. 5. anno 1887) et doctrinae soliditatem, et ordinis nitorem, et pietatem affectûs prae se fert.

N.

****Naldus**, A., Italus, Ord. Cler. regul., edidit anno 1630 Bononiae *Summam seu resolutiones practicas nobiliorum casuum conscientiae.*

***Navarra**, Petr. de, Hispanus, O. Pr., scripsit circa 1590 *de restitutione in foro conscientiae.*

Navarrus, v. Azpilcueta.

****Neusser**, Bruno, Gallus, Ord. Min. (circa an. 1680), scripsit *Elucidationem bullae cruciatae Polyanthea theologo-morali-canonica.*

Neyraguet, D., Ruthen., libro suo *„Compendium theol. mor."* S. Alphonsi libros contrahere studuit. Tolosae 1839.

†***Nicole**, Petr., Gallus (1625—1695), Jansenianus, in latinam linguam vertit et notis auxit opus „Les provinciales" fictitio nomine Wendrock; inter alia innumera opera suo modo eminet *„Essais de morale".*

Ninzatti, Joann., Italus, scripsit Theologiam S^{i} Alphonsi, 2 vol. in 8^{o} digestam et in novum ordinem redactam, ed. 2^{a} Venetiis 1872, deinceps *saepius* recusam.

Noldin, H., S. J., cujus opus „Summa theologiae moralis", Oeniponte 1902, vol. III claritate et sobria benignitate commendatur.

O.

†* **Obstraet,** Joan., Belga (1651—1720). Moriturus quidem declaravit suam sub Ecclesiae auctoritatem submissionem, vivus autem Jansenianorum oraculum fuit; in scriptis suis moralibus probabilismi acerrimus impugnator; in indicem librorum prohibitorum relatum habes ejus librum: *„Pastor bonus, seu de officiis et praxi pastorum.“*

Ochagavius, Petr., Hispanus (circa 1620), Salmanticae floruit; scripsit *de sacramentis in genere et in specie.*

Ostiensis (Henricus de Segusia; † 1271), Ep. Ostiensis et Cardin., scripsit *summam auream.*

* **Oviedo,** Fr. de, Hispanus, S. J. (1602—1652), docuit variis in academiis disciplinas philosophicas et theologicas, in moralibus imprimis versatus; scripsit in S. Thom. I. II., separatim *de virtutibus theologicis.*

P.

Palasthy edidit *theolog. morum cathol.,* 2 vol., Ratisb. 1861.

* **Pallavicini,** Sforza, Italus, S. J., Cardin. (1607—1667), notissimus ex sua „Historia Concilii Trid.“; scripta ejus, quae theologiam moralem spectant, efferri merentur: *disput. in I. II. S. Th.; assertionum theologicarum libri 5.*

Pallavicini, Fr. M., Italus, S. J. († circa 1790), scripsit *il sacerdote santificato . . . nella retta amministrazione della penitenza,* opus etiam in alias linguas translatum, propter pietatem et instructionem expetitum.

Palmieri, Dom., Italus, S. J., operibus philos., dogm., exeg. clarus, edidit *opus theologicum morale:* v. **Ballerini.**

* **Paludanus,** O. Pr. (Petrus de Palude), Gallus, Patriarcha Hierosolymitanus († 1342), scripsit praeter alia opera *commentarios in libros sententiarum,* qui in 3. et 4. librum typis impressi exsistunt, Parisiis 1540, 2 vol. in fol.

* **Panormitanus,** Abbas (Nicolaus de Tudeschis), O. S. B. (1370—1443), scripsit *commentaria in libros decretal., consilia, quaestiones.*

Pasqualigo, Zach., Italus, Ord. Theat. († 1664): opus classicum est de *sacrificio novae legis;* ex operibus moralibus aliqua in indicem relata sunt, „donec corrigantur“, propter sententias benigniores.

Passerinus, Petr. Mar., O. Pr. (1594—1677). Praeter commentaria in 1. 2. 3. decret. VI. plura opera moralia scripsit: *de hominum statibus et officiis; de statu perfectionis episcop.; de religioso statu* etc., sed imprimis laudatur *de electione canonica.*

†* **Patuzzi,** Vinc., Italus, O. Pr. (1700—1769), apologeta versatus, sed in re morali rigidus, S. Alphonsi adversarius erat, quem scriptis impugnavit.

Pauwels, canon. Lovan. († 1713), scripsit *theologiam practicam* (5 tom. in 12°), in qua tractatus de casibus reservatis excellit.

Pellizarius, Franc., Italus, S. J. (1596—1651). Opera ejus pervulgata sunt *tractatio de monialibus* et *manuale regularium:* quae quum diu post mortem auctoris in indicem relata sint, „donec corrigantur“, consule editiones juxta editionem Rom. 1755 correctas.

Pennacchi, Jos., Rom., fuse et late scripsit, cum magna eruditione, *commentarios 1) in Constit. „Apostolicae Sedis“ 1883; 2) in Constit. „Officiorum ac munerum„ 1898.*

Pettschacher, Ben., Germanus, O. S. B. († 1701), Salisburgi theologiam scholasticam docuit; scripsit ex iis, quae mores spectant, *de sacramentis in genere,* et *de bapt., confirm., Euch.:* imprimis vero *de restitutione.*

Phillips, Georg. (1804—1872). Monachii et Vindobonae docuit jus canonicum. Auctor, inter recentiores sane celeber, scripsit germanice *„Handbuch des Kirchenrechts“*, tom. 7 in 8°., et pro compendio *„Lehrbuch des Kirchenrechts“*.

Pichler, Vit., Germanus, S. J. (1670—1750); magna laude excipiebantur ejus opera tum polemica seu apologetica, tum canonica. Successit in docendo jure can. celeberrimo Schmalzgrueber, cui non erat secundus.

Pignatelli, Jac., Italus, notus ex opere suo *„consultationes canonicae“*; ultima editio (tertia) ab auctore recognita videtur prodiisse Venetiis 1687.

Pirhing, Henr., Germanus, S. J. († 1679), academiae Dilinganae decus, varias disciplinas theologicas ibi docuit, theol. moralem, jus canonic., sacras literas; apud posteros nomen sibi conciliavit praecipue ex variis operibus juris canonici.

Pitonius, Franc. Mar., Episcop. Imeriae († 1723), collegit *disceptationes ecclesiasticas*, in quibus invenies collecta tum decreta divers. Congreg., tum decisiones Rotae Rom.

Plattel, Jac., Belga, S. J. (1608—1681). Exstat ejus opus *„synopsis cursûs theologici“*, quod concinnitate commendatur, continet quaestiones tum speculativas, tum practicas.

Polanco, J., Hispanus, S. J. († 1617). S. Ignatio diu a secretis fuit; composuit *directorium confessarii* et insignem libellum *„method. juvandi morientes“*.

†* **Pontas**, Joann., Gallus (1638—1728); conscripsit *dictionarium casuum conscientiae.*

** **Pontius**, Basil., Hispanus, O. S. A. (1569—1629), celeberrimus in universitate Salmantic. S. theologiae lector. Inter ejus opera ut classicum eminet *de sacramento matrimonii.*

Portel, L., Lusitanus, O. S. Fr. (circa med. saec. 17.), scripsit plura, quae ad casuisticam pertinent: *responsa moralia, dubia regularium.*

Potestas, Fel., Italus, O. Min. († 1702), casuisticam excoluit; scripsit *examen ecclesiasticum.*

Prickartz, Jos., Bohemus, O. Pr. († 1757), scripsit *theologiam moralem* (8 tom. in 8°), in qua non morales tantum, sed etiam canonicas et dogmaticas quaestiones pertractat.

Probst, Ferd., plures edidit libros in nostra materia versantes, lingua quidem germanica: *Kathol. Moraltheologie*, Tübingen 1848, 2 vol.; *Verwaltung des hohenpriesterlichen Amtes*, Breslau ed. 2. 1885; *Theorie der Seelsorge*, item ed. 2. 1885 — praeter liturgica opera.

Pruner, Jo. Evang., ex recentis aetatis scriptoribus merito inter celebriores numeratur; scripsit germanice *de jure* et *„Lehrbuch der kathol. Moraltheologie“*. Ed. 2., Friburgi 1883; *Pastoraltheologie*, Paderb. 1900.

Q.

Quarto, Paul. Maria, Italus, Cler. reg. (circa annum 1650), scripsit *commentar. in rubricas Missalis; discussionem casuum Episc. reservatorum;* prius illud opus inter classica recensetur.

Quintanadueñas, Ant., Hispanus, S. J. (1615–1651), scripsit *singularia theologiae moralis.*

R.

Raphael a S. Joseph, O. Carm., prof. coll. Gandav., scripsit *Institutiones fundamentales theologiae moralis* (Alosti 1884), in quibus profunde tractat de actibus humanis et conscientia, dein: *de legibus universim.*

Rappenhöner, Jos. († 1897), scripsit dilucidum librum *Allgemeine Moraltheologie*, Monasterii 1891—1893.

Rassler, Christoph., Germanus, S. J. (n. 1654, † circa 1730). Praecipuum ejus opus de theol. morali est *„Norma recti"*, in quo defendit aequiprobabilismum eodem sensu et vix non iisdem verbis, quibus eum proposuit S. Alphonsus, ut sc. liceat sequi sententiam libertati faventem etiam minus tutam, non tamen quando *notabiliter minorem* probabilitatem habere videatur.

S. Raymundus a Pennafort (1175—1275), quem insignem sacramenti poenitentiae ministrum Ecclesia appellat, jussu Gregorii IX. libros decretalium redegit.

Rebellus, Ferd., Lusitanus, S. J. (1547—1608), perperam pro probabilismi adversario habetur; scripsit *de justitia et jure.*

Reders, Norb., Germanus, O. S. Fr. (1748—1792), scripsit *doctrinam catholicam de decem praeceptis decalogi et septem N. T. sacramentis.*

Reding, Aug., Helvetus, O. S. B. (1625—1692), summa scientiae opinione floruit; scripsit *theologiam scholasticam universam* (tom. 13 in fol.), praeter alia diversi generis opuscula.

** **Reginaldus**, V., Gallus, S. J. (1543—1623). Palmare ejus opus, a. S. Francisco Salesio magnopere commendatum, est *„Praxis fori Poenitentialis"*; accedunt alia opuscula: *compendiaria praxis difficiliorum casuum; de prudentia confessarii et ceteris requisitis; tractatus de officio poenitentis.*

** **Reiffenstuel**, Anacl., Germanus, O. S. Fr. (1641—1703), scripsit *theologiam moralem;* forte celebrior etiam evasit ex *juris canonici* elucidatione. Ceterum ejus theologia moralis tanti habebatur, ut paucis annis quindecies et universim plus quam tricies ederetur.

** **Reuter**, Joan., Germanus, S. J. (1690—1762). Treviris magna cum laude docuit; ejus *theologia moralis"* (4 vol. in 8^0) pluribus in locis recusa soliditate doctrinae et perspicuitate excellit; magis etiam in suo genere excellit practica instructio in excipiendis confessionibus, cui est titulus *Neoconfessarius,* nostra aetate tum Parisiis, tum Ratisbonae iterum editus.

Rodriguez, Emmanuel, Lusitanus, O. S. Fr. († 1613), celeber propter scientiam juris canonici et theologiae moralis, apud posteros notissimus mansit ex opere *„quaestiones regulares et canonicae"*.

Rohling, Aug., Germanus, scripsit, quum in America theologiam moralem doceret, *medullam theologiae moralis,* S. Ludovici 1875.

** **Roncaglia**, Constant., Italus, O. Matris Dei (1677—1737), scripsit praeter alia *universam theologiam moralem* (2 tom. in fol.), quae brevi intervallo pluries recusa est, atque etiamnunc multum aestimatur.

Rosmer, Paul., Belga, S. J. (1605—1664). Notari meretur ejus libellus *de jure et justitia,* et tractatus *de sacramento et virtute poenitentiae.*

S.

** **Sa**, Emman., Lusitanus, S. J. (1530—1596), a S. Pio V. in magna aestimatione habitus. Ejus opusculum *„Aphorismi confessariorum"* propter quasdam opiniones singulares a magistro S. Palatii correctum est, atque

postea (anno 1603); prohibitae sunt editiones, quae non secundum Romanam correctionem essent excusae. Ceteroqui libellus ita correctus innumeras fere habuit editiones. Scriptor celebrior etiam est propter libros exegeticos in S. Scripturam.

Sabetti, Al., S. J., Compendium theologiae moralis a Gury et Ballerini compositum in novam et breviorem formam, praecipue pro America septentr., redegit, ita tamen, ut non alienam tantum, sed suam etiam sententiam ubique dicat. Neo-Ebor. 1884, ed. 8. 1896.

** **Sabinus**, Fr., Italus, O. Min. (1665—1742), scripsit opus, cui titulus *„lux moralis“*.

† **Saettler**, Gasp., doctor Argentin. († 1779), probabiliorista moderatus, scripsit *theologiam moralem universam*, 5 vol. in 8°.

** **Salas**, Joann., Hispanus, S. J. (1553—1612), scripsit *in I. II. S. Thomae disputationes*, in quibus praeter alia tractat dona Spiritûs Sancti, virtutes, habitus; dein in II. II. *de contractibus*.

** **Salmanticenses**, quo nomine noti sunt editores *„cursus theol. moralis“*, O. Carm.: opus illud, 6 tom. in folio, S. Alphonsus propter magnam eruditionem, quam prae se fert, multum aestimabat; dolendum tamen est, quod non semper accurate et fideliter sententiam eorum auctorum, qui laudantur, discere possis.

** **Salon**, Mich., Hispanus, O. S. A. (1538—1620), reliquit opus *de justitia* in II. II. S. Thomae.

** **Sanchez**, Thom., Hispanus, S. J. (1550—1610), quem S. Alphonsus virum sanctum appellat, celeber imprimis ex opere suo *„disputationes de S. matrim. sacramento“*, dein ex opere *„in decalogum“* (lib. 7), et *„consilia moralia“*.

Sanctius (Sanchez), Joan., Hispanus († circa 1620), versatissimus in theologia morali, sed in opinionibus suis nimis benignus. Praecipuum opus sunt *selectae et practicae disputationes de administrat. sacrament.*

Sargar, Eliseus, Germanus, O. S. Fr. (circa 1730), collegit *casus conscientiae* per modum conferentiarum.

Sasserath, Rein., Germanus, O. Min. Conv. († circa 1780), scripsit *cursum theologiae moralis*.

** **Sayrus**, Gr., Anglus, O. S. Ben. († 1602). Quamquam annos natus nondum 32 morte ereptus est, complura et egregia scripta reliquit ad mores spectantia, inter quae praecipuum opus est *clavis regia casuum conscientiae*.

Scaramelli, J. B., Italus, S. J. (1688—1752), notus et commendandus tum propter *directorium mysticum*, quo ex probatissimis scriptoribus enucleate tractat de donis spiritualibus extraordinariis, tum propter *directorium asceticum*, quo ordinariam viam christianae perfectionis pertractat.

** **Scavini**, Petr., Italus, omnino secutus S. Alphonsum propria methodo quaestiones distribuens conscripsit *theologiam moralem*, brevi post ejus mortem 13° editam.

Scheicher, J., germanice scripsit theol. moral. generalem, 1885. — Cf. etiam **Binder**.

** **Schildere**, Ludov., Belga, S. J. (1606—1667). Reliquit *synopsin de sacramentis Ecclesiae; de principiis conscientiae formandae tractatus sex*.

Schmalzgrueber, Franc., Germanus, S. J. (1663—1735), floruit in academiis Oenipont., Diling., Ingolstad.; ejus libri canonici magno pretio habentur.

Schmier, Franc., Germanus, O. S. B. († 1728), item celeber canonista in univers. Salisburg.; ejus quoque opera juris canonici multum aestimantur.

Schneider, Jos., Germanus, S. J. (1824—1884), quam plurimis scriptis sive asceticis, sive liturgicis notus. Ad nostram disciplinam aliquatenus spectat liber apud sacerdotes pervulgatus *manuale sacerdotum*, in quo auctor etiam ea, quae ad administrationem sacramentorum, maxime poenitentiae, pertinent, pro usu practico breviter (ed. 14. 1897) exposuit. Praeterea paravit editionem novam eamque auctam Lucidi *de visitatione S. Liminum*, Romae 1883; editionem germanicam libri Maurel *de indulgentiis*, cujus ed. 11. 1895 prodiit curâ Fr. Beringer S. J.

Schnitzer, Dr. Jos., Germanus, scripsit germanice: *Jus matrimonii catholicum*, consideratis constitutionibus in Germania, Austria, Helvetia et in finibus Codicis civilis („Code civil") valentibus. Ed. 5ª, omnino rectractata, operis J. Weber *impedimenta can. matrimonii*, Frib. 1898.

Schuech, J., O. S. B. († 1893), germanice scripsit *manuale theologiae pastoralis*, Innsbruck 1893, ed. 9., quod inter compendia theologiae pastoralis cum laude effertur. Auctore def. ed. 10ᵃᵐ curavit V. Grimmich.

Schulte, Fr. X., v. **Gerlach.**

Schulte, Friedr. von. Ejus opus *Eherecht*, quod germanice conscripsit ante suam apostasiam, inter sui generis opera recentiora laudari meretur.

Schwane, Jos., doctor Monasteriensis († 1892), notior quidem ex erudito opere germanico *historia dogmatum*, etiam scripsit germanice: 1) *de contractibus*, Münster 1872, ed. 2; 2) *theologiam moralem specialem*, Friburgi 1878; 3) *eandem generalem*, ibid. 1885.

Scotus, Duns, O. S. Fr. (1266—1308), celeberrimum illud ingenium, qui in prolixis suis commentariis in magistrum sententiarum quaestiones theologicas acutissime pertractat, atque nomen *Doctoris subtilis* sibi comparavit.

** **Sfondrati,** Coel., Mediolan., O. S. B., Cardinalis (1644—1696), vir doctrina et virtute insignis. Quam plurimis laboribus distentus, tamen non pauca scripta reliquit, inter quae unum est ad disciplinam moralem spectans *de lege in praesumptione fundata.*

* **Silvester** (Prierias), Italus, O. Pr., Praepos. General. († 1523), a quo habetur *Summa Silvestrina.*

Simar, Theoph., Ep. Paderb., germanice conscripsit brevem *theologiam moralem* (ed. 3. Friburgi 1893), pro suo fine, quo principia eorumque cohaerentia evolverentur, concinne et erudite compositam, supplenda quidem practica tractatione pro confessariis.

†* **Sinnigh,** J., Hibernus, doctor Lovan. († 1666), Jansenii tenax defensor, in doctrina morali rigidissimus, statuens thesim: „Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam."

Soell, Ant., Germanus, S. J. (1693—1741), plures tractatus, praecipue canonici juris, scripsit, qui in unum volumen collecti exstant, i. e. *tractatus singulares: de legibus, de praescriptionibus, tributis* etc.

** **Soto,** Dominic., Hispanus, O. Pr. (1494—1560), celeber theologus in Conc. Trid., et professor in universitate Salmant., scripsit *in libros sententiarum* et *de justitia et jure.*

Sotus, Petr., Hispanus, O. Pr. († 1563), scripsit *de institutione sacerdotum.*

** **Sporer,** Patrit., Germanus, O. S. Fr. († 1714), scripsit *theol. moralem „decalogalem et sacramentalem"*; etsi aliquando benignior, generatim tamen

solide et erudite res tractat atque inter probatiores auctores numeratur. Novam editionem incepit **P. Iren. Bierbaum** O. S. Fr. 1897.

Stapf, Ambros., Germanus, *theologiam moralem* scripsit, quae 1855 Oeniponte septimo recusa est; at, teste Ern. Müller, ad praxim non sufficit.

****Stoz**, Matth., Germanus, S. J. († 1678), scripsit *„tribunal poenitentiae,“* quod tamen quominus perficeret, morte praeventus est: quare Joannes Stoz, ejus frater, posteriorem partem supplevit.

****Struggl**, Marc. M., professor Vindobon., O. servor. B. M. V. († 1760), scripsit *theologiam universam,* quae jure merito aestimatur.

****Suarez**, Franc., Hispanus, S. J. (1548—1617), cujus laudibus aliquid addere velle detraxisse videtur. Quum fere de universa philosophia et theologia omnibusque quaestionibus cum vasta eruditione et acri ingenio non magis, quam cum modestia et pietate scripserit, supersedeo indicare illos tractatus, qui moralem theologiam spectant.

****Sylvius**, Franc., canonic. et decanus Duacensis (1581—1649), insigni doctrina et virtute praeditus: ejus opera pluribus in locis edita maxima ex parte constant *commentariis S. Thom.,* insuper ad moralem theol. spectant *resolutiones variae.*

T.

Taberna, J. B., Belga, S. J. (1622—1686). Ejus synopsis theologiae practicae, post mortem edita, miram subiit sortem. A S. Alphonso ejus doctrina rigidior habetur; nihilominus brevi, postquam opus lucem aspexit, aliquibus visa est benignior, ita ut a nota laxitatis defendi deberet.

Tabiena, Joan., Italus, O. Pr. (circa 1525), conscripsit *Summam Tabienam* seu *Summam summarum.*

Tamburini, Thom., Italus, S. J. (1591—1675, distingui debet ab Ascan. Tamburini, Ord. Vallisumbros. Gener., qui *de jure abbatum* scripsit et *de jure abbatissarum*), auctor, ut ait S. Alph., nimis benignus, sed hac nota illum propterea afficit, quia aliorum auctoritati ille auctor nimium defert atque ex externa auctoritate facilius opiniones *probabiles* dicit: nam quando ex rationibus internis ipse suam opinionem profert, ejus sententiae et doctrinae a S. Alph. magnopere aestimantur; idque quilibet merito fieri viderit, qui ejus opera penitius inspexit. Scripsit: *in decalogum; de sacramentis; de praec. Eccles.; methodum expeditae confessionis; methodum expeditae Communionis, de SS. Missae sacrificio:* quae tamen in quibusdam editionibus in unam collecta invenies sub titulo: *„theologia moralis“.*

****Tanner**, Ad., Germanus, S. J. (1572—1632), a pluribus Germaniae universitatibus avide expetitus, theologiam docuit Ingolstadii, Monachii, Vindobonae, Pragae. Scripta praecipua: *disputationes theolog. in Summam S. Thomae; universa theol. scholastica specul. et practica.*

Tappehorn, A., germanice scripsit *Anleitung zur Verwaltung des hl. Busssacramentes,* 4. ed. 1893; der Priester am Krankenbett, 3. ed. 1893.

****Terillus**, Ant., Anglus, S. J. (1623—1676), scripsit: *Fundamentum totius theologiae mor. seu de conscientia probabili;* de eodem argumento tractat opus posthumum: *regula morum.*

Thesaurus, Car., Italus, S. J. (1587—1655). Opus *„de poenis ecclesiasticis“,* ab ipso *secundo* editum, postea (1760) Giraldi, O. Cler. reg., auxit atque denuo edidit. Recentissima editio prodiit Romae 1831.

S. Thomas Aquinas, Doctor Ecclesiae (1225—1274), princeps theologiae scholasticae, cujus laus nostra commendatione plane superior est. Ejus Summae theologicae pars II. mirifice explanat ea, quae ad diversas virtutes, vitia, peccata attinent.

***Toletus**, Franc., Hispanus, S. J., Cardin. (1532—1599). Ejus *„instructio sacerdotum“* a S. Franc. Salesio sacerdotibus multum commendabatur; *commentaria ejus in Summam S. Thomae* nostra aetate ex autographo edita sunt vol. 4, Romae 1869 et 1870.

Trovamala, J. B., Italus, O. Pr. (saec. 15.), scripsit *Summam*, quae vocatur *„Rosella“*.

****Trullenchus**, Joan. Alg., Hispanus († 1633), reliquit plura opera moralia: *in decalogi et Ecclesiae praec.; praxim sacramentorum; de jure parochi.*

Turrianus, Aloys., Hispanus, S. J. (1562—1635), complura opera edidit, praesertim moralem theologiam spectantia, sc.: *de fide, spe, caritate, prudentia; de justitia; selectas disputationes in theologiam scholasticam, positivam et moralem; summam theologiae moralis.*

U.

Ugolinus, Barth., Italus, Ord. Erem. S. Aug. (saec. 16.), scripsit *de censuris, et irregularitatibus.*

V.

****Valentia**, Greg. a, S. J., Hispanus (1557—1603), docuit Romae, Dilingae et Ingolstadii, notus ex disputationibus in „Congr. de auxiliis“. Praeter complura opuscula apologetica edidit *commentarios theologicos*, in quibus (in tom. 2 et 3) vir pius tractat praeclare de virtutibus atque materiam summae S. Thomae II.

Van-Egeren, J. W. S., Canonic. Ultraj., edidit in compluribus fasciculis *Notationes de selectis quibusdam materiis practicis.* Ultrajecti 1870—1880.

Van-Espen, Belga (1646—1728), Jansenista, in scriptis suis auctoritatem ecclesiasticam, maxime Rom. Pontificis, deprimit: opus ejus praecipuum est *jus ecclesiasticum universum.*

Van-Gestel, Adr., S. J., scripsit *De justitia et lege civili*, Groningae 1889, ubi vim legum irritantium *egregie* pertractat; ed. 2. aucta 1896.

Varceno, de, O. Capuc., scripsit *compendium theologiae moralis* ex libris Scavini, Gury, Charmes concinnatum, pluries editum Augustae Taur.

****Vasquez**, Gabr., Hispanus, S. J. (1551—1604), docuit Romae et Compluti theologiam, vir tum doctrina, tum religiosa virtute conspicuus. (Benedictus XIV. Vasquezium et Suarezium duo luminaria theologiae vocavit.) Scripsit *commentarios in Summam S. Thomae*, scilicet *in I.; in I. II.*; *in III.*; dein (in II. II.) *opuscula moralia de eleemosyna, de scandalo, de restitutione* etc.

****Velasco**, Achat., Hispanus, O. Pr., Episc. Oriolensis († 1655), collegit casus conscientiae.

Vering, Fr. H. († 1896), doctus editor libellorum periodicorum *„Archiv für kathol. Kirchenrecht“*; notus ex opere *„Lehrbuch des katholischen und protestantischen Kirchenrechts“*, ed. 1. 1876, ed. 3. 1893. Friburgi.

Vermeersch, Arthur, Belga, S. J, ed. eruditum opusculum *„De prohibitione et censura librorum brevis dissertatio.* Tornaci 1897“, ed. 2ª 1898.

Vibaldus, M. Alph., Italus, Congr. S. Salvat. (1544—1605), edidit *candelabrum aureum* (de sacram. et de poenis ecclesiast.).

** **Victoria,** Franc. de, Hispanus, O. P. († 1549), celeberrimus praeceptor celeberrimorum discipulorum, inter quos numerantur: Dominic. Soto, Barth. Medina, Melch. Canus.

Villada, Paul., Hispanus, S. J., scripsit *casus conscientiae his praesertim temporibus accommod.* 3 tom. (Bruxellis, Vromant, 1884—1887), in quibus praecipue liberalismus ejusque consectaria practice pertractantur.

** **Villalobos,** Hispanus, O. S. Fr. († circa 1630). Per 30 annos docuit, dein edidit *Suma de la teologia moral y canonica* et *Manual de confesores.*

** **Viva,** Domin., Italus, S. J. (1638 — circa 1710). Opus maxime divulgatum est *trutina theologica* seu explicatio thesium damnatarum; praeterea reliquit: *cursum theologico-moralem; opuscula theologico-moralia.*

Vogler, Jos., Germanus, S. J. (1661—1708). Missis opusculis, quae scripsit, imprimis commendandus est liber, cui titulus *„Juriscultor theologus practice instructus circa obligationes restitutionis“.*

** **Voit,** Edm., Germanus, S. J. (1707—1780), scripsit *theologiam moralem* per modum casuum conscientiae, quae saepissime impressa est, atque etiam nostra aetate multum aestimatur.

Volpilière, Phil. de (c. 1590), scripsit *theologiam speculativam et practicam.*

W.

Wadding, Petr., Hibernus, S. J. (1580—1644), cognatus celeberrimi illius Wadding, O. S. Fr. annalistae, scripsit *de contractibus.*

Waffelaert, G. J., Belga, Ep. Brugensis, compluribus scriptis clarus, inter quae praecipue notari meretur *Tractatus de justitia,* 2 tom.

Wagemann, Lud., Germanus, S. J. (1713—1792), scripsit *synopsim theologiae moralis,* quae saepissime est recusa.

Walsh, G. J., Hibernus, Archiep. Dublin., scripsit opusculum *„tractatus de actibus humanis“,* Dublinii 1880, in quo acute et profunde diversas quaestiones pertractat.

Weber, J., v. **Schnitzer.**

Werner, Car. († 1888), germanice scripsit *System der christl. Ethik,* Regensburg 1850 ad 1852; dein *Enchiridion theol. mor.,* Vindob. 1863.

Wernz, Fr. X., S. J., incepit publicare *„Jus decretalium“,* tom. 1. Romae, 1898, etiam pro theologia mor. (de legibus) utilissimum.

Wex, Jac., Germanus, S. J. († 1711), docuit Ingolstadii et Oeniponte. Praeter alios librum scripsit, cui titulus *„Ariadne Carolino-Canonica“.*

Wiestner, Jac., Germanus, S. J. (1640—1709). Postquam per 17 annos jus canonicum docuerat Ingolstadii, conscripsit suas *institutiones canonicas.*

†* **Wigandt,** Mart., Germanus (circa 1700), Vindob. docuit; scripsit opus saepius recusum *tribunal confessariorum et ordinandorum.*

Wiggers, Joan., Belga (1571—1639), Leodii et Lovanii summa cum laude docuit; scripta ejus, quae nostram disciplinam spectant, sunt: commentar. in S. Thom. I. II., II. II., sc. *de virtutibus theolog., de jure et justitia ceterisque virtut. cardinalibus cum annexis.*

Wirceburgensis theologia dogmatica etc. et moralis, quae in suis quoque moralibus lucubrationibus non infimum locum tenet, quamquam ubertate singularum quaestionum non ita instructa est.

Wirthmüller, J. A., prof. Monac., germanice scripsit *de virtute relig.,* Frib. 1881.

Y.

* **Ysambert**, Nic., Gallus (1565—1642), doctor Sorbonnicus, S. Vincentio a Paulo familiaris, scripsit perdoctos *commentarios in summam S. Thomae.*

Z.

** **Zaccaria**, Franc. Ant., Italus, S. J. (1712—1796), a S. Alphonso in maxima aestimatione habebatur. Innumeris scriptis pugnavit pro juribus Ecclesiae. Hortatu S. Alphonsi illius theologiae morali praemisit dissertationem historicam de casuistica; paravit novam editionem theol. mor. Lacroix notisque auxit, similiter P. Thomae Tamburini etc.

Zambranus, Melch., Hispanus (c. 1604), composuit *aureas decisiones casuum conscientiae.*

Zech, Fr. Xav., S. J. (1692—1772). Praeter plura opuscula juris canonici praecipue laudatur ejus *„Rigor moderatus . . . circa usuras“.*

Zenner, Fr. Xav., Canon. Vindobonensis. Ejus *„instructio practica confessarii“* pluries recusa est; Vindobonae 1857, ed. 6.

** **Zerola**, Th., Italus, Episc. Minoric. († 1663), scripsit *praxim Episcoporum* et *praxim sacramenti poenitentiae.*

Zitelli, Zephyr., Italus, scripsit *De dispensationibus matrimonialibus,* quibus singula ad valorem spectantia exponit (Romae 1884, iterum 1887), dein *Apparatum juris ecclesiastici*, opus praecipue pro locis missionum summe commendabile (Romae 1886, iterum 1888).

Zumel, Fr., Hispanus, O. de Merc. († circa 1607), scripsit inter alia *commentaria in S. Thom. I. II.; variarum disputationum t. 3.*

Index rerum,

quae in tota hac theologia morali continentur.

Numerus romanus remittit lectorem ad *volumen*, arabicus ad *numerum marginalem:* ubi romanus numerus deest, intelligitur volumen, quod ultimo reperitur adnotatum.

A.

Abbreviare vitam I, 573.

Ablutio in baptismo II, 61. 62; — *trina* ex praecepto, sed non ad valorem, necessaria est *ibid.;* quae corporis pars abluenda *ibid.* A. in Missa 245.

Abominatio distingui debet ab odio personae I, 616. 617.

Abortus quid vocetur I, 840; — artificialis ad matris vitam salvandam 842 sqq. — ex aliis causis etiam magis illicitus 846. — Excommunicatio in procurantes abortum II, 970. Quid sit *procurare ibid.* Mater practice non subjacet excommunicationi *ibid.* Irregularitas latius patet, quam excommunicatio 1515; inhabilitas *ibid.* 1012 not. Abortivi foetus omnino baptizandi sunt, nisi *indubie* constet de morte jam secuta 74: — parochi cura circa hoc *ibid.* et 647.

Abrogatio legis quid sit et quot modis fiat I, 175.

Abrumpere Missam non licet per se, ex intentione Missae non perficiendae II, 246. — Quae facienda, si abrumpi debet ex necessitate *ibid.*

Absentia qualis concedatur Episcopis II, 642; parochis 644; canonicis 648; — illegitimae poena *ibid.* — etiam diuturna non probat mortem alterutrius conjugis 741.

Absolutio a peccatis v. **Poenitentiae sacramentum,** Forma.

Absolutio a censuris v. **Censura.**

Absolutio in indulgentiis qualis fiat II, 531.

Absolvere *praesumentes* ab excommunicationibus specialiter reservatis ipsi excommunicantur II, 966.

Abstinentia in diebus esurialibus, objectum et materia gravis I, 1207; — quae carnes intelligantur 1209; — quinam a lege abstinentiae excusentur 1208.

Acatholici baptizati per se subjacent legibus Ecclesiae I, 136; — etiam impedimentis matrim. II, 731; — in articulo mortis possintne aliquando absolvi 515: — a catholicorum liturgiis quasi excommunicati non interdicuntur 891. Cf. **Patrini, Haeresis.**

—— nondum baptizati qui moribundi baptizandi II, 77. 78. 82. 84.

Acceptatio legis per subditos quo sensu requiratur I, 126. 127.

—— ex parte Ecclesiae quae requiratur ad statum religiosum I, 493. 494.

—— in contractu: generatim I, 1059. 1061; — in promissione 1081 sq.; — in donatione 1084 sq.; — in haereditate et testamento 1157 sq.

Accessio ut titulus acquirendi dominium quid sit I, 916a.

Accusare in judicio quid sit et quomodo distinguatur a denuntiatione I, 811; — quando fieri possit et debeat 812.

—— in sacramento poenitentiae: accusare peccatum ad cautelam, quid sit observandum II, 266. 267. Cf. **Peccatum.**

Acedia. Ejus conceptus quo sensu sit peccatum grave I, 251. 740. — Remedia contra illam II, 454; — post praecedentem fervorem periculosior 501. 508.

Acolythatus. Ejus materia et forma II, 587; officium 584.

Actiones seu tituli nummularii possintne emi a clericis II, 612.

Actualis intentio I, 4; II, 22; — non requiritur in sacramentis 24.

Actus humanus et hominis I, 1; elicitus et imperatus 2: — externus (et

internus) I, 2; — num augeat moralitatem sive bonam sive malam 36; — cur accusari debeat in confessione II, 309.
Actus internus num praecipi possit ab homine I, 128. 130. 131. 153
—— humanus distinguitur ab *actu hominis* I, 1; — imperfecte humanus 1.
—— heroicus humana lege plerumque praecipi nequit I, 129.
—— virtutum theologic. quando elici debeant II, 286.
Adeps diebus jejunii et abstinentiae quando permissus I, 1212.
Adjunctio ut modus acquirendi sive determinandi dominium I, 916a.
Adjuratio. Explicatur quomodo sit actus *religionis* I, 425. — Peccari potest defectu *veritatis, judicii, justitiae* 426, idque graviter *ibid.* — *Deprecativa* et *imperativa* adjuratio 425. 426. Daemonis adjuratio debet esse *imperativa* 427; — publica non licita sine auctoritate Episcopi 427; — inutilia miscere est peccatum mortale ex genere suo non toto 427; — cautio necessaria *ibid.*
Administratio bonorum eccles. spectat ad Ecclesiam ejusque Superiores I, 756. 1043. 1148; — eam usurpare excommunicationem infert II, 925. 939. 967. — Administrationem eccl. post Sedis vacationem ad Episcopum electum etc. transferre ante litteras Apost. exhibitas censuris punitur 941. 988. 990.
Adoptio impedimentum matrimonii dirimens, ab Ecclesia ex lege Romana receptum II, 759; — non subsistit in locis, ubi adoptio lege civili *essentialiter* mutata est *ibid.* — Adoptionis impedimentum, quod est ad modum lineae rectae, *perpetuum est;* quod est ad modum lineae transversalis, *temporaneum* 760.
Adoratio *presse sumpta* soli Deo exhiberi debet I, 337.
—— *relativa* quid sit I, 348 et 349; haec sanctae cruci exhibetur *ibid.*
—— *late sumpta* significat etiam duliam erga Sanctos I, 349.
Adulta aetas quando adsit pro baptismo suscipiendo II, 80 sq.
Adulteratio rerum venalium quando peccatum I, 1112. 1115; — chirograph. vel documentorum 824. — Adulterina librorum editio 905. Cf. **Falsificatio.**
Adulterium quam malitiam addat ad luxuriam I, 881. — Num desinat illa malitia, altero conjuge in adulterium consentiente *ibid.* — Haec malitia adulterii etiam in peccatis solitariis inveniri potest 881. II, 841.
—— ut primaria causa divortii sive pleni sive denegandi tori consortii 710. 846; — quomodo probatum requiratur, ut divortii jus oriatur 712; — condonatum, aut ab utroque conjuge commissum jus non dat 712; — quid juris sit, si demum post separationem factam etiam conjux hucusque innocens labatur *ibid.*
Adulterium ut impedimentum matrimonii dirimens: si committitur cum promissione vel attentatione matrimonii 767; — cum machinatione mortis 768.
—— ut causa restitutionis I, 998; — in dubia paternitate quando et quae restitutionis obligatio exsistat 999.
Advena v. **Peregrinus.**
Advertentia perfecta, quae necessaria sit ad peccatum mortale, explicatur tum positive tum negative I, 236; — ferri debet in gravem deordinationem cognitam 235, vel in serium dubium 238; non requiritur expressa Dei vel gehennae cogitatio 235.
—— imperfecta quibusdam signis et comparationibus dignoscitur 236; exsistere potest per satis longam moram, antequam evadat perfecta 237. — Cf. **Attentio.**
Advocatus quousque causam dubiam defendendam suscipere possit I, 822 et 823; — fidelitatem clienti suo servare debet *ibid.;* num aliquando clientis causam possit prodere 822. — Regulae de taxa servandae, si cliens causam derelinquit *ibid.*
Aedificatio ex re aliena vel in alieno fundo quid juris inferat quoad dominium vel damni compensationem I, 916a. Aedificare templa haereticorum, aedes francomurariorum 658.
Aegrotus. Aegrotorum cura summopere parocho cordi esse debet II, 644. 647; — a jejunio excusatur I, 1216; — quando a jejunio naturali ante S. Comm. II, 161; — a Missa I, 563; — quoad indulgentias quam commutationem accipere possit II, 540. 558; — quoad confessionis integritatem 330. 343.
Aequiprobabilismus I, 77; — ejus propugnatores 78; — quo sensu a S. Alphonso assumptus sit 89. 90. 101; — impugnatur, si sumitur sensu stricto, ut est probabilismo contrarius 96.
Aequivocatio v. **Restrictio.**
Aes alienum quomodo impediat ingressum in religionem I, 1039; — quomodo ab ingresso exstingui debeat *ibid.* — Cf. **Debita.**
Aetas pro admissione ad sacramentum poenitentiae I, 1203; — pro baptismo adulti illud poscentis 80 sq.; — pro prima Communione II, 147; — in arti-

culo mortis debet etiam prius admissio fieri *ibid.*
Aetas legitima ad singulos ordines 600. — Irregularitas ex defectu aetatis 1024; — quae cessat ipso tractu temporis *ibid.* — Defectus aetatis ut impedimentum matrimonii dirimens 748; ab eo non est danda dispensatio sine urgentissima causa *ibid.* — Aetas, si agitur de affinitate ex crimine oriunda 762; — superadulta ut causa canonica pro dispensatione matrimoniali 801.
Affabilitas. Ejus notio et ratio virtutis I, 774.
Affectata ignorantia I, 16. 18; II, 865.
Affinitas. Ejus radix II, 761. — Alia naturalis, alia ecclesiastica tantum 763. Sola affinitas naturalis eaque primi gradûs lineae rectae probabiliter ex jure naturali impedimentum matrimonii dirimens constituit, reliqua affinitas certe ex solo jure positivo 763. — Affinitas ex crimine oriunda quando praesumatur exsistere 762; — quomodo in petenda dispensatione declarari debeat 809. — A. subsequens privat jure matrimoniali — quo sensu 764: quae poena, ut incurratur, incestus debet esse commissus sponte et cum cognitione poenae *ibid.* — Qui restituere possint jus illud amissum 652. 654.
Aggressor v. **Defensio.**
Alapa. Unde haec caerimonia in confirmatione ortum sumpserit II, 91. — Non licet eum, qui alapam inflixit, fugientem occidere I, 836.
Alba ad Missam necessaria II, 230; — materia *ibid.*; benedictio 236; exsecratio 235.
Aleatorius contractus I, 1131 sqq. — A. ludus v. **Ludus.**
Aliena res v. **Possessor.**
Alienatio bonorum eccles. II, 974.
Alluvio ut titulus acquirendi dominii I, 916a.
Altare requiritur ad celebrandam Missam II, 225. — Ejus ornatus necessarius 227 sqq. — Ejus consecratio et exsecratio 225. 226. — *fixum et portatile* vario sensu sumitur 225 *not.*
—— privilegiatum quid sit et quo sensu intelligatur indulgentia ei inhaerens II, 181. 532. 557; — plerumque Missae *applicationem* requirit *ibid.*; — quid si haec circumstantia in Missa obligata fuerit omissa 200.
Alumni in convictu regularium quoad absolutionem sacrament. II, 396. 398.
Ambitio. Ejus notio I, 706.
Amentes. Perpetuo amentes non licet provocare ad intrinsecus mala I, 135; — legi humanae non subjacent 136; — capaces sunt juris et dominii 755. — Quoad matrimonii usum II, 855. — Quoad baptismum et Communionem cf. *has voces;* — num extr. unctione donandi II, 576.
Amicitia cum Deo I, 225. 314; — solvitur peccato mortali 225, non veniali 229.
Amor initialis II, 289. De cetero v. **Caritas.** — inordinatus I, 864.
Amphibologia v. **Restrictio.**
Ampullae pro ministerio Missae II, 229; — materia acolythatûs 587.
Angustia loci causa dispensationis matr. II, 801.
Animalia. Diversa genera distingui debent quoad dominium in ea acquirendum et retinendum I, 909. — aliena attrahere vel occidere quale sit peccatum 912.
Animus. Animi defectus est irregularitas II, 1020.
Antecedens ignorantia et error I, 17. 18; — concupiscentia 20 sq.
Anxietas non semper signum hominis scrupulosi I, 58; — apud scrupulosos communior 64. Cf. **Scrupulus.**
Apostasia a fide I, 299; — excommunicationem infert II, 920 sqq.; — ab ordine religioso I, 536.
Apparitor. Ejus munus I, 825; — periculum injustitiae *ibid.*
Appellantes a Papa ad Concilium futurum severe excommunicantur II, 926; — poena interdicti in eos 994.
Applicatio Missae II, 187; — secunda 186: — quando debeat esse facta 188; — dubia *ibid.* — quomodo determinanda 189; — pro quibus fieri possit 176 sqq.
Approbatio status religiosi I, 492.
—— Confessarii II, 371. Ut a jurisdictione distincta necessaria est pro iis, qui delegata potestate absolvunt 371. 378. — fieri debet ab Episcopo dioecesano loci, in quo confessiones excipiuntur 379 et 380. — non sufficit praesumpta vel petita, sed debet esse *data* 380. — Ejus *restrictio* qualis fieri possit 381, et ob quas causas *ibid.* et 382. — Sine causa eam restringi vel denegari non licet regularibus 382; neque toti conventui simul eam auferri, inconsulta S. Sede 382.
—— peccati novum peccatum est I, 246 sq. 646 sq.
Aqua sub gravi admisceri debet vino in Missa II, 121. 246: — ut materia baptismi v. **Baptismum;** — ejus pro baptismo solemni consecratio et renovatio 60.
Arbiter I, 805.
Architectus quoad aedificanda templa haereticorum et similia I, 658. — Si in

suscepta aedium constructione repererit, se suo damno rem perfecturum esse 1127

Aspectus. Ex triplici causa aspectus rerum turpium mortale peccatum evadere potest I, 868; — etiam quando sola curiositas impellit *ibid.* Cf. **Luxuria.**

Aspersio. Modus baptizandi II, 61.

Assecuratio. Quae obligationes ex natura rei in ea exsistant I, 1131 sqq.; — injustitia unius alteriusque contrahentium 1132. 1135; — si tempore exorti damni res non amplius tota exsistebat 1133. — Modus peragendi restitutionem societati assecurationis debitam 1134.

Asylum ecclesiae ejusque violatio II, 953.

Attentio II. 21. — qualis ad sacramenti administrationem necessaria 21. — in recitando officio divino quae sit sub gravi praescripta 633 sqq.; — quae in choro et in recitatione cum socio 637; — interna eaque multiplex esse potest 632; — externa 635. — Occupationes externae, quae sub gravi interdicantur 635. — Defectu attentionis recitatio nondum necessario desinit esse oratio 634. — Media quaedam ad meliorem attentionem fovendam 636. Cf. **Officium divinum.**

Attritio cf. **Dolor.** — Attritio ex metu gehennae quo sensu bona et sufficiens ad absolutionem recipiendam II, 274. 284 sqq. Requiritur omnino in baptismo hominis adulti 73; — qualis fortasse sufficiat 77. 78. — Num detestetur homo per attritionem peccata super omnia 285.

Audacia v. **Temeritas.**

Audire. Se ipsum audire in recitandis precibus v. **Recitatio.** Cf. **Detractio, Sermones.**

Aurora quoad celebrandam Missam quomodo computetur II, 218. — Tempus aurorae praevertere quando sit materia *gravis* 217.

Austeritates exercere: quid liceat, quid non I. 573.

Autochiria intrinsecus mala est I, 575. Cf. **Occidere.**

Avaritia quid sit et quale peccatum I, 738. — Remedia II, 449.

Azymus panis apud Occidentales sola licita Euch. materia II, 118.

B.

Banna publicanda sunt ante matrimonium in quolibet sponsorum domicilio II, 674; — domicilium juris et facti quomodo sumatur *ibid.* — Publicatio *ter* fieri debet, quo tempore 673; — omissio *unius* vicis materia levis *ibid.*; — sistenda quando 672. — Dispensatio in iis 676; — aliae causae dispensandi necessariae, aliae gratiosae *ibid.* — Dispensatio, ut banna post matrimonium suppleantur 675; in qua quae obligatio abstinendi interim ab usu matrimonii *ibid.* — Parochus non dispensare, at aliquando epikia uti potest 676.

Baptismus II, 55 sqq. Conferri debet per se extra casum necessitatis in ecclesia 68. Quando domi baptizari liceat *ibid.* — Effectus 56. Habetur *plenior* peccatorum remissio quam in poenitentia, sed non ita *directe* 56 et 253.

—— Forma *essentialis* 63. Quae mutationes invalidum vel dubium reddant baptismum 63. 64. — Aliquando interest, *qua mente* facta sit corruptio 64. — *Accidentalis* forma diversa in baptismo parvulorum et adultorum 69. Quae formula quando adhibenda *ibid.* — Caerimoniarum laesio quale peccatum 69. Supplendae caerimoniae *ibid.*

—— Materia *remota essentialis* est aqua naturalis 58. 59; — quando sit materia dubia 59. — *proxima* v. **Ablutio.** — *accidentalis* in baptismo solemni est aqua *consecrata* 60; — in baptismo privato decet (sed non *debet*) adhiberi aquam benedictam 60.

—— Minister. In necessitate quilibet homo ratione utens 65. Quis ordo in eligendo ministro servandus et qua obligatione 67. — Extra necessitatem licet soli parocho ejusve delegato baptizare 65; ejus jura 66, obligatio 73. 80 sq. 647. Num idem in conditionata repetitione 66.

—— Necessitas. Summa baptismi necessitas pro parvulis 57; quae solo martyrio suppletur *ibid.* — Quoad adultos suppletur aliquo modo tum martyrio tum contritione perfecta 55. — Necessitas absoluta, ut reliqua sacramenta valide suscipiantur 47. 55.

—— Repetitio conditionata propter dubium de valore facillime adhibenda 19 *not.*

—— Subjectum: Sintne foetus abortivi baptizandi 74; — proles in utero matris antequam nascatur *ibid.* — Qui usum rationis nunquam adepti sunt, quicunque sunt, in articulo mortis debent baptizari 81. 82. — Homo sensibus destitutus quando debeat vel possit baptizari 78; — infidelis, qui de Ecclesia catholica nihil audivit? 77 et 78. — Filii acatholicorum, si ratione utuntur et petunt baptismum, baptizandi sunt 80; — in dubio usu rationis non sunt absolute remittendi 81; — ante usum rationis certo debent baptizari in articulo mor-

tis 82; — quam late sumi *possit* ille articulus vel illud periculum mortis 82. 84; — extra periculum mortis requiritur consensus parentum aut jus parentum exstinctum vel ligatum 82. 83. 86. — Filii catholicorum *mox* baptizari debent 79; — quae dilatio sit peccaminosa pro parentibus *ibid.*; — facilius graviter peccatur, quam homo ratione utens peccat differens suum baptisma 79.

Baptizati num soli fructuum Missae capaces II, 176. 177; — defuncti 179. 180. — cum dubio valore subsunt jurisdictioni Ecclesiae 322.

Bellum. Causae bellandi I, 856. — Cum qua probabilitate bellum gerere liceat 854 et 856. — Subditi longe facilius bellum gerere possunt, jubente Superiore 856. — Oblata, sed recusata justa satisfactione, bellum prosequi evadit illicitum *ibid.* — In modo bellandi quid liceat summo jure, quid ex consuetudine 857. — Obligationes et reparationes ex injusto bello oriundae 858.

Benedicere. Benedicendi potestas presbyteratui annexa II, 585.

Benedictio papalis in mortis articulo quid sit et quo modo intelligatur II, 564; — praescripta ad valorem observanda *ibid.*

—— utensilium sacrorum 236; — sacrorum oleorum Episcopo competit 93. 569; num ex delegatione presbytero *ibid.* 570.

Beneficentia in Deum num possibilis I, 314. 323; — in proximum v. **Caritas, Eleemosyna.**

Beneficium ecclesiasticum quomodo sit materia simoniae I, 393; — secum fert obligationem impendendi reditus superfluos in usus pios 898 sqq.; recitandi breviarii II, 621; idque sub onere restitutionis 640. 641; — conferri debet *digniori* I, 972; — ut titulus mensae pro sacr. ordinibus II, 603; qui si sit deficiens? 989. — Inhabilitas ad beneficium obtinendum cum excommunicatione connexa 875; beneficii obtenti privatio *ibid.*

—— A quocumque beneficio alterum impedire quando secum ferat obligationem restitutionis I, 973 sq.

Benevolentia in Deum I, 314.

Bestialitas. Ejus specifica malitia I, 879. — An et quando sexus speciem peccati mutet. — Solus tactus per se hanc malitiam non habet *ibid.*

Biblia acatholica possitne adhiberi in juramento I, 406.

Bibliopola possitne libros haereticos exponere et venales habere I, 663.

Bigamia quae constituat irregularitatem II, 1025 et 1026. Cf. **Polygamia.**

Binare cf. **Missa.** Sine privilegio licet parocho, qui pluribus parochiis praeest, quando alius sacerdos non habetur II, 212; — ex judicio Ep., si populus parochiae simul in ecclesiam convenire nequit 212. 213; — per privilegium licet ex *similibus* causis non plane ita gravibus 214. — Generatim non licet pro secunda Missa stipendium accipere 216, neque obligationem justitiae vel quasi-justitiae illâ Missâ exstinguere *ibid.*; exstinguere licet obligationem vel decentiam caritatis vel similis causae *ibid. in nota.* — Licet propter extraordinaria incommoda cum secunda Missa conjuncta remunerationem accipere 216.

Blasphemia. Ejus natura I, 365. 368. — Est peccatum irreligiositatis gravissimum 366. — Formali sua ratione minus grave est quam infidelitas 366; at ortum ducere potest *ex* peccato graviore *ibid.* et 1227. — Triplex species distincta 366. — An differat blasphemia in Deum et Sanctos specie 369. — Non solis verbis committitur 367. — Quid si *jocose* dicuntur verba contra Dei Sanctorumve honorem 370. — Si *per iram* sacra verba dicuntur 371. — Consuetudo blasphemandi exstirpanda quomodo directe 373, indirecte 372.

Bona cf. **Filius-familias, Clericus, Scriptor, Uxor.** — adventitia I, 888; — castrensia et quasi-castrensia 888; — derelicta 916; — dotalia 892; — ecclesiastica et quasi-ecclesiastica 898. 1040 sqq.; — paraphernalia 892; — parcimonialia 898; — patrimonialia 898; — vacantia 916.

Bona ecclesiastica. Canonicâ civiline lege reguntur? I, 922. 1162. — Injusta occupatio excommunicatione punitur II, 939. 940. 967. — Si jam injuste occupata sunt, acquiri a tertio quodam facilius possunt ex praesumpta voluntate Ecclesiae bona mobilia quam immobilia I, 1041. — Quid caveri soleat a S. Sede in acquirendis vel acquisitis bonis illis, praesertim immobilibus 1042. — De iis disponere potest, eaque condonare ex gravi causa S. Pontifex 1040. 1043. — Condonationum exempla 1044.

Bona temporalia. Eorum abundantiam curare quo sensu sit obligatio potestatis civilis I, 590.

Bonitas v. **Moralitas.**

Bonum melius quid vocetur I, 435.

Breviarium v. **Officium divinum.**

Bursa. Emptiones fictae et aleatoriae I, 1136.

C.

Caecus. Irregularitas II, 1023. — Quid caveatur, si ex privilegio ei liceat celebrare 210.

Caerimonia v. **Baptismus, Missa, Sacramentalia.**

Caesarea operatio seu sectio. Periculosa est vivente matre I, 844 et 849. — An et quando mater ad eam subeundam obligetur *ibid.* II, 75. — Mortua matre utcunque gravida, fieri omnino debet *ibid.* — Cautiones adhibendae *ibid.*

Calix pro Missa ex qua materia II, 228. — intus deauratus *ibid.* — post novam deaurationem denuo consecrari debet *ibid.* — ut materia subdiaconatûs 588. — Calicis tactus in presbyteri ordinatione 591.

Calumnia v. **Detractio.**

Campanas pulsare, quo convocantur ad ritum religiosum acatholicorum, num liceat I, 654.

Canon Missae secrete recitandus II, 243; — alte recitatus quale peccatum *ibid.;* — recitandus in ordinatione presbyteri 591.

—— Canonis privilegium II, 650. 944; — non amittitur excommunicatione vel depositione 915; — est etiamnunc latae interpretationis 944. 945.

Canonicus. Obligatio circa officium divinum II, 648. — Residentia et causa absentiae 649. — Quando amittat, quando non amittat fructus beneficii, quotidianas distributiones *ibid.* — Canonici Episcopo sunt consilio et adjutorio 648.

Cantum dirigere in templo haeretico I, 656.

Capellanus parochi munere fungens possitne matrimonio contrahendo assistere? II, 777; — militaris major quasi-ordinaria jurisdictione utitur in milites et facultate delegandi 378, — num necessaria sit approbatio Episcopi dioecesani *ibid.*

Captiosa tentatio I, 64; II, 498.

Carcer. Ex eo fugere quando liceat I, 819; — eum infringere *ibid.* — Carceris custos 819.

Cardinales. Eorum privilegium ad eligendum sibi confessarium II, 380; — non subjacent generalibus suspensionibus vel interdictis, nisi exprimantur 870. — Eorum laesio personalis et hostilis insecutio severa excommunicatione punitur 927; infert irregularitatem 1010, quae in descendentes redundat 1029.

Caritas erga Deum est amor benevolentiae et amicitiae I, 314. — Actus illius sunt complacentia, benevolentia, beneficentia *ibid.* — Essentia ejus subsistere potest sine voluntate vitandi peccata venialia, non sine voluntate vitandi mortalia 320. — distinguitur a religione, gratitudine etc. 318. — compatitur amorem concupiscentiae, imo ab illa oriri et imperari potest 317. — Quomodo affectus erga Christum ejusque sacram passionem ad caritatem pertineat 319. — Caritatis necessitas sive medii, sive praecepti 321. 322; — eliciendae difficultas tanta non est II, 152. — Objectum *materiale* duplici sensu sumi potest I, 315; — *formale* est quodlibet attributum divinum sive absolutum sive relativum 315. — Utilitas ad securiorem justificationem 320. 323; II, 288. — Peccato quolibet mortali laeditur caritas I, 325. — Formale objectum caritatis seu motivum divinae perfectiones atque quaelibet earum est, ut Deo sunt aliquod bonum 315. 318.

Caritas hominis erga seipsum 568. — In qua nostra dignitate fundetur 569; — obligat hominem ad media vitae humanae digne ducendae 586; — quo *interno* peccato laedatur 582.

—— erga proximum ejusdem virtutis generatim est atque caritas in Deum 593; — potest tamen specie distingui *ibid.;* — in quos ferri possit et debeat 591; — obligat ad actus internos 594; — generatim tamen sufficit affectus internus in communi 595; — ex peculiari circumstantia obligatio oriri potest singulos quosdam speciatim diligendi *ibid.* — Obligatio ad actus externae opitulationis 598; quae ut ex *motivo* caritatis fiat, necesse non est *ibid.* — Ordo caritatis in externa beneficentia desumitur ex diversitate necessitatis et conjunctionis 603; — ejus laesio non semper grave peccatum *ibid.* — Ordo beneficentiae et complacentiae non idem 604. — Regulae caritatis ejusque ordinis 602 sqq. — Violatio per discordiam, contentionem, schisma etc. 678—680. Cf. **Scandalum.**

Carnes cf. **Abstinentia** a carnibus. — Exclusa dispensatione, obligat quibuslibet jejunii diebus I, 1210. — Num liceat carnes edere, ne appearam catholicus 295; an famulis apud acatholicos 1208.

Castitas. Votum cast. quomodo obstet matrimonio II, 721. 749. 750, ejusque usui 846. — Quid de eo, qui cum tali voto simplici matrimonium iniit *ibid* — Dispensatio a quo petenda 723. — Votum cast. quando R^mo^ Pont. reservatum I, 477; — emissio quando permittenda 480;

— in dispensatione quae opera subrogari solita *ibid.* — Solemne votum non solet dispensari plene vel absolute 473. — Castitatis obligatio in ordinatione assumpta v. **Coelibatus.** — Cast. religiosa, objectum et extensio 531, ejus custodia 532. Cf. **Luxuria.**

Casuale homicidium I, 839.

—— Casualia bona cleric. I, 898.

Casula II, 230. V. **Paramenta.**

Catechumeni quomodo juvari possint per Ss. Missae sacrificium II, 177. 180.

Caupo circa choreas instituendas I, 643; — circa cibos vetitos ministrandos 677; — circa ephemerides malas exponendas 664; — circa potum semiebriis porro dandum 673.

Caupona. Ejus frequentatio clericis prohibita II, 616.

Causa. Causarum distinctio quoad voluntarium: physica et moralis, proxima et remota, per se et per accidens, gravis et levis I, 11. Cf. **Luxuria.**

—— Causae excusantes, eximentes a lege v. **Excusatio, Exemptio.**

—— Causae canonicae in petenda dispensatione matrim. II, 801 sq.; — diffamantes 805; — quomodo proponendae 807; formulae 814 sqq.; — falso vel erronee allatae I, 169.

—— Causam alieni peccati ponere I, 628. 639.

Celebrare. An quotidie expediat Missam celebrare II, 192. 193. — Animi puritas ad celebrandum requisita 193. — Obligatio celebrandi ex multiplici titulo oriri potest 191 sqq. — Possitne imponi ea obligatio ex obedientia 206. 207. — In statu peccati celebrare duplex sacrilegium est II, 35. Cf. **Aurora, Binare, Ecclesia, Oratorium, Missa, Sacerdotium.**

Censura. Definitio II, 861. Poena medicinalis *ibid.* — Censura a jure et ab homine, latae et ferendae sententiae 863. — Vix incurritur, nisi adfuerit peccatum certo grave 864, neque mere praeteritum 865. — Distinctio 863, — pro plus minusve difficili reservatione *ibid.* 874. — Causae excusantes: ignorantia facti et juris 865; — etiam crassa, si fertur in „*temere*“ facientes *ibid.*; imo certo quodam sensu affectata, si fertur in „*scienter*“ facientes *ibid.*; — metus gravis quando excuset, quando non 867; facilius etiam, si dicitur: „*sponte* facientes“ *ibid.*; — confessio peracta ante effectum secutum 868; — efficax mandati retractatio *ibid.* — Cessatio tractu temporis quando 876, impleta conditione? *ibid.*; — plerumque requirit absolutionem 874, sc. per potestatem a Superiore acceptam *ibid.* et 876. — Absolutio dari potest absenti 876, vel per telephonium *ibid.* — In mortis articulo absolutio a *quolibet* confessario dari potest 875; verum saepe onus imponitur sub poena reincidentiae 879. Potestas ferendi censuras 869 sqq. — Episcopi 871. — Religiosorum praelati *ibid.* — Subjectum. Nequit esse S. Pontifex 870; — omnes alii *possunt* in eam incidere *ibid.*; — paucis exceptis re ipsa non subjacent impuberes *ibid.*; — non possunt Reges seu Principes, neque regulares exempti nisi in casibus exceptis censuram pati ab Episcopo 870. 873. — Peregrini non ligantur censuris localibus, possunt personaliter puniri ab Episcopo loci 871. — Catalogus censurarum 996 sqq. — Censura ut impedimentum implendarum legum I, 158; II, 892. — Obligatio quaerendae absolutionis *ibid.* et II, 899.

Census I, 1094. — Personalis census non absolute prohibitus *ibid.*

Cereus. In Missa duo cerei requiruntur II, 233. — Si modo unus adest, non est defectus gravis *ibid.* — In Missa stricte privata non licet accendere ultra duos cereos, nisi in Missa Episcoporum *ibid.*

Cessatio a divinis. Notio et discrimen ab Interdicto II, 917.

—— a bono opere num imponi possit pro sacramentali poenitentia II, 356.

—— legis I, 175 sqq. 181 sqq.; — dispensationis 172 sqq.

Cessio bonorum num excuset a solutione debiti residui? I, 1035. — Adjuncta peculiaria, in quibus illa excusatio admittatur *ibid.* — An et quando liceat monere amicum, ut prae aliis recipiat integram solutionem 1026 et 1027. — An quaedam bona occultari possint 1035.

Character sacramentalis quid sit et in quibus imprimatur II, 8. 55. 89. 583.

Chirurgia clericis interdicta II, 613.

Choreae. Quid liceat cauponibus I, 643; — iis interesse quando peccatum ex se, quando per accidens 643. 644.

Chrisma materia confirmationis II, 92. — Necessarium est oleum olivarum, probabiliter balsami admixtio 93. — Ejus consecratio Episcopo competit; num presbytero haec facultas possit dari *ibid.*

Christus objectum fidei I, 277 sq.; — motivum caritatis div. 319; — exemplar exim. virtutum 335, profundae humilitatis II, 448.

Ciborium ex qua materia II, 132 cum *not.* 2 et 3; — non consecratur, sed benedicitur 236; — cum particulis consecrandis oblivione traditum 125; —

extra corporale relictum dubie consecratum *ibid.* — Non licet in eadem Missa super illud consecrationem repetere 126. — Expositio Sanctissimi in ciborio 133.

Cibus. Cibos respuere reone liceat I, 574. —— esurialis v. **Abstinentia, Carnes.**

Cingulum potest confici ex serico, lino, lana II, 230; — colorem potest habere paramentorum *ibid.*; — quando ruptione exsecretur 235.

Circumstantia. Potest circumstantia moralitatem actûs mutare e bono in malum, eam augere, minuere I, 29. — Circumstantia leviter mala *interna* laedit totam actûs bonitatem 35; non ita, si est *externa ibid.* Circumstantiae in confessione accusandae II, 308. — Circumstantiae personae, quae sint praecipue attendendae 310 et 311. — Circumstantiae loci novam speciem peccati inducentes 312, — item circumstantiae temporis *ibid.* — Circumstantia *consuetudinis* quando accusari debeat 313, — maxime si confessarius interrogat *ibid.*

Civile matrimonium II, 725. An validum, ubi Trid. non viget 692; — num et quando impedimentum publicae honestatis inducat 766. — Num excommunicationem incurrat, qui post votum solemne castitatis matrimonium civile attentat 969. — Leges civiles de matrimonio sintne servandae in conscientia 724. 725. — Judex vel magistratus possitne semper assistere *ibid. not.*

—— Civilis lex. Legislatio I, 119, promulgatio 125, acceptatio 127, obligatio 211. 222; ceteroquin cf. **Lex, Clericus.**

Clandestinitas. Matrimonium clandest. generatim ubique illicitum II, 780. — Lex Trident. de cland. essentialiter differt ab aliis impedimentis matrimonii 773; — quando liget peregrinos 780. Enumeratio regionum, ubi lex de clandestinitate sive viget sive non viget 785—790. — Asserentes, matr. cl. invalidum esse sine lege Eccl., excommunicantur 985.

Classicus scriptor quis sit I, 81.

Claudus quando irregularis sit II, 1023.

Clausulae observandae in dispensatione matrim.: in foro externo II, 819; — in foro interno 820 sqq.

Clausura religiosa I, 532. — Poena in violantes II, 416. 954 sqq. 984.

Clavis tabernaculi, quod S. Eucharistiam continet, per se custodiri debet a *sacerdote,* non a laico II, 132.

Clementia specialis virtus. Ejus definitio I, 720.

Clericus dispositionem circa bona ecclesiastica quamnam facere possit I, 899 sqq.; — quid clerici possint ex beneficii reditibus erogare 899; — superflua in pauperes erogare debent vel in causas pias 900; — idque sub gravi, etsi non ex justitia *ibid.*; — eorum testamentum 1162 *not.* — Haeredes quomodo peccent succedendo in bonis eccles. 902. — Salarium a gubernio solvendum quando adnumeretur bonis eccles. 903. — Clericorum exemptio e lege civili quomodo in jure divino nitatur 140. — Quo sensu civili legi subjaceant *ibid.* Privilegia communia II, 650. — Prohibitae artes 613 et 614.

Coalescere ad materiam gravem in voto I, 448; — in furtis et restituendi obligatione 932. 935.

Cochlear parvum in Missa II, 229.

Codicillum (codicillaris clausula) distinguitur a testamento I, 1163. — Quid juris efficiat *ibid.*

Coelibatus. Votum coelibatûs impedimentum matrimonii impediens II, 720. — Obligaturne, qui nihilominus matrimonium iniit? *Ibid.* — Coelibatus sacris ordinibus annexus quomodo votum includat 619. — Ad quid teneatur, qui gravi metu sacros ordines susceperit 618; vel qui maritus cum injuria uxoris ita egerit *ibid.*; — imp. dirimens 749.

Coena Domini. Si incidit festum de praecepto, provideri debet celebrationi plurium Missarum II, 210. — Alioqui non licet per se celebrare Missam privatam *ibid.* — Bulla *„Coenae Domini“* cf. **Censura.**

Coenula in diebus jejunii v. **Jejunium.**

Cogitatio cf. **Peccatum** (internum). — Cogitatio *speculativa* rei malae non est ex se et per se mala I, 246; — ex curiositate assumpta *ex se* non excedit venialem culpam 246, at ex periculo gravi animadverso saepe evadit mortalis 246. 247. — Cogitatio rei malae (praesertim venereae) *practica,* si plene voluntarie sustinetur, censenda est culpa mortalis 247.

Cognatio cf. **Consanguinitas;** — legalis cf. Adoptio; — *spiritualis* ex collatione baptismi et confirm. oritur II, 757; — inter quos impedimentum matrim. dirimens constituat *ibid.*; — conditiones necess. 758; — in baptismo dubio? *ibid.*; — a patrino in baptismo privato? *ibid.* — Cognatio spiritualis mutua inter conjuges post matrimonium orta num impediat usum matrim. *ibid.*

Collatio vespertina in diebus jejunii v. **Jejunium.**

Collectae. Preces in Missae II, 240. 241; — quarum omissio gravis 241; — num addi aliquae possint 242.
Comedere statim post S. Communionem II, 159.
Comitia publica. Obligatio concurrendi ad electionem deputatorum I, 799. — In comitiis propter suffragium *datum* quando obligatio restitutionis oriatur 1006 et 1007; — quando ex suffragio *non dato ibid.*
Commixtio. Dominii determinatio in commixtione rerum 916a.
Commodatum. Notio et obligatio utriusque contrahentis I, 1087.
Communicatio privilegiorum, praecipue inter diversos ordines religiosos II, 655.
—— cum excommunicatis 882. 897. 964; — clericorum in divinis 965.
Communio bonorum in matrimonio I, 892 sqq.
Communio (S.) frequentior possitne sub poena denegandae absolutionis praecipi a confessario II, 148; — propriis manibus num sumi liceat 134. 136; — in ritu alieno quando licita 139. — Communionis hebdomadariae, frequentioris, quotidianae regulae et dispositio requisita 156; — debita praeparatio quanto opere exigenda 154. 157; — determinanda non a Superiorissa Monialium, sed a confessario 507; — jejunium naturale praemittendum 159 sqq. — C. *ad lucrandas indulgentias* praescripta sufficit in pervigilio 539, nisi agatur de jubilaeo 549; — quae relaxatio facta sit pro infirmis 540, pro pueris ad primam C. nondum admissis *ibid.*; — non necessario fit in ecclesia, cui indulgentia ipsa adnectitur 539. — C. *paschalis:* qua aetate incipiat obligare I, 1203 et II, 147; — quomodo tempus computetur I, 1204; — num exspiret cum tempore 1206, per sacrilegam sumptionem 153. 1202; — loci circumstantia gravis, non tamen pro una alterave vice 1206. — C. pro Viatico in aetate minore jam danda II, 147; — num eodem die *secunda vice* sumi possit 146. — C. *spiritualis* quid sit, quomodo exercenda 143. Cf. **Eucharistia,** sumptio.
Communitas capax juris et dominii I, 756; — in bonis laesa quando praetermitti possit quoad restitutionem 1020. 1021.
Commutatio votorum v. **Votum.**
—— operum pro jubilaeo quae fieri possit II, 553; in confessione facienda *ibid.*
—— satisfactionis sacramentalis II, 395 sqq.
Compensatio occulta I, 938. — Quae certitudo debiti requiratur 939. — Praecaveri debet damnum debitoris *ibid.* — Num famulis liceat occulte se compensare, si salarium inferius accipiunt 940. — Pro laesa fama aliisve altioris ordinis bonis num pecuniae compensatio accipi vel postulari possit 765. 1192.
Complacentia in Deo I, 314. 320.
Complex. *Absolutio* complicis severissime prohibita II, 935. — Objectum, an intelligatur etiam colloquium turpe *ibid.*; — peccatum ante sacerdotium commissum *ibid.* — Requiritur complicitas formalis *ibid.* — Num sufficiat sola confessionis exceptio sine absolutione 936. — An fictio *ibid.* — Excusat mortis articulus similisque necessitas, deficiente alio sacerdote 937. — In articulo mortis semper adest jurisdictio, non semper licitus ejus usus 938.
—— *Inquisitio* in complicem poenitentis confessariis prohibetur 339. Poena in contrarium docentes 943. Per accidens confessario, qui simul sit Superior, plus licebit 340. *Manifestatio* complicis ad integritatem confessionis spectans fieri debet, si est necessaria 335 sqq. — Contraria sententia num aliquando toleranda 337; — ejus incommoda pro confessario et poenitente 334; — quantum fieri potest, declinanda est per confessionem apud confessarium ignotum 333; at notabilis utilitas poenitentem excusat *ibid.*; neque ex se manifestatio illa res gravis est *ibid.*
Compositio. Bulla compositionis quid sit, et quomodo intelligenda I, 1023. 1024.
Concilium. Concilii potestas legifera I, 120. — Ad conc. appellare quomodo vetetur II, 926.
Concionari Episcoporum obligatio sive per se sive per alios II, 643. — Parochi, si negligunt, quomodo peccent 645. — Materia concionibus apta *ibid.* — Diacono quomodo permittatur 585. — Regulares solum ad tonsuram promoti ex Superiorum licentia concionari possunt 655; — quid observare debeant erga Episcopum 873. — Parochus pro aliquibus vicibus regularibus permittere potest, ut concionentur *ibid.*
Concomitans ignorantia I, 17; — error 18.
Concupiscentia presse et late sumi potest I, 20. 23; — antecedens et consequens quoad imputabilitatem 20. 21; — ejus motus non reprimere 22.
Conditio in voto I, 434. 452. 477; — in testamento 1164; *in contractibus* 1077; — turpis *ibid.*, impossibilis *ibid.* — Quomodo impleri debeat *ibid.*

Conditio *in matrimoniis.* Conditio de futuro honesta matrimonii valori futuro non obstat II, 28; — turpis in foro externo pro non adjecta habetur, nisi sit contra substantiam matrimonii 687; in foro interno non plane idem est *ibid.* et 689. — Conditio de servanda virginitate matrimonii valori non obstat 690.

—— *in sacramentis* reliquis. Conditio de futuro irritum facit sacramentum, excepto matrimonio II, 28; — de praesenti vel praeterito quando possit et debeat apponi 29; — debeatne verbis exprimi 28. — In poenitentiae sacramento non raro conditionata collatio locum habet 272. 273. 430.

Condonatio quaenam a restitutione liberet I, 991. 1018. 1034. 1041. — Exempla quoad bona eccles. 1044.

Confessarius quoad usum opinionum I, 116—118; — discernens peccata deliberata et indeliberata 237. — *Ejus dotes:* Caritas erga poenitentem commendatur ex summo merito, quod in confessionibus excipiendis colligi potest II, 432; — ex dignitate muneris et dignitate animarum 433. — Vera caritas non respicit diversas personas, sed solas animas earumque necessitates 434. — Qua caritate poenitens suscipi debeat 435 sqq. — Prudentia confessarii in dirigendo et monendo poenitente 442 sqq.; — quas opiniones eligere debeat et possit I, 116—118. — Scientia confessarii non perfunctoria II, 438; — quam multa complecti debeat 250. 439; — major debet esse in urbibus quam in oppidulis et pagis 440; — non requiritur eximia, sed sufficit facultas capiendi consilii 439; — attamen studium omnino requiritur, non sufficit naturalis judicii rectitudo 438. 441. — Quandonam neoconfessarius in dubio confidere possit judicio Superioris 438. — *Potestas* confessarii: Confessar. monialium specialiter debet esse approbatus II, 399 sqq.; — ordinarius et extraordinarius 400. 401; — judicare debet de Communione frequentiore 507. — Vi muneris non potest dispensare in legibus Ecclesiae I, 167; — num in gravissima necessitate ante matrimonium per epikiam II, 827. Cf. **Jurisdictio.** — *Muneris exercitium:* Obligatio interrogandi poenitentem quae II, 419. — Debet interrogatio esse moderata et discreta 420. — Num in quolibet dubio necessaria 421. — Quandonam ex praesumptione liceat judicari *ibid.* — Qui generatim interrogari non debeant 419. — Judicium internum de peccatis auditis 421. — Recordatio peccatorum quae requiratur 422. — Judicium de poenitentis dispositione 423. — Impositio satisfactionis cf. **Poenitentia.** — Remedia praescribenda cf. **Remedia.** — Absolutio. Obligatio eam dandi disposito 428, etiam circa sola venialia 429; — quando possit ei differre absolutionem 431. — Indispositum disponere debet ad absolutionem 429; qui manet indispositus, eum non potest absolvere *ibid.* — Dubie dispositus differendus, aliquando sub conditione absolvendus 430.

Confessarius. Confessarii defectus quando excuset a confessione S. Communioni praemittenda II, 151. 152.

Confessio materia sacramenti Poenitentiae II, 259 sqq.; — indeterminata et generica 264 sqq. 510 sqq.; — peccati jam remissi 263: — epistolaris 271 *not.* 328. — Ejus dotes 300. — Necessaria est omnium peccatorum mortalium 302; — etiam eorum, qui in postrema confessione sunt omissa 326. — Sufficit communiter confessio quoad numerum et species infimas 304. — Quandonam etiam actus externus et effectus exprimi debeat 309. Cf. **Peccatum.** — Num valeat confessio sacerdoti ut amico facta 348. — Conf. generalis necessaria, utilis, nociva 335 349. — Quid observari debeat in confessione generali non necessaria 346. — Repeti non debent necessario confessiones nisi moraliter constet de priorum nullitate 345. 347; — num ex integro 345. — Confessionis generalis interrogatorium 351. — Confessio annua. Qua aetate obligatio incipiat I, 1203. — Num ad peccata venialia 1204. — Quomodo annus computetur 1204. — Apud parochum confitendi nulla amplius est obligatio 1205. Confessio pro indulgentiis et jubilaeo: Non requiritur semper absolutio II, 539. — hebdomadaria quo sensu sufficiat *ibid.;* — in jubilaeo strictior requiritur *ibid.* — ex praecepto annuo facienda pro jubilaeo non sufficit 549; — repeti debet ab eo, qui ante omnia opera impleta in grave peccatum labatur 549; — invalida vel sacrilega num liberet a censuris et votis 552.

Confirmatio. Definitio et a baptismo distinctio II, 89. — Effectus specialis 90. — Uberior effectuum ex caerimoniis declaratio 91. — Caerimoniae servandae earumque gravitas 100. — Forma videtur requirere expressam SS. Trinit. invocationem 95. — Materia est chrisma 92, ab Episcopo 93, vel a

sacerdote per Papam delegato consecratum *ibid.* — Mat. proxima unctio in fronte cum manûs impositione eo ipso exercitâ 93 et 94. — Minister Episcopus et ex delegatione Papae presbyter 96: quae delegatio non confert proxime jurisdictionem, sed dignitatem 99. — Discrimen quoad valorem prout Episcopus aut presbyter illicite confirmat 97. — Obligatio ministrandae confirmationis non extenditur ad singulos 100. — Graviter laeditur obligatio, si *diu* non offertur populo opportunitas *ibid.* — Susceptio. Obligatio gravis evadere potest per accidens 103. — Dispositio necessaria 102. 104.

Confusa *notitia* peccatorum num sufficiat confessario ad dandam absolutionem II, 347. 348; — *memoria* peccatorum *ibid.* 422.

Congregationes Rom. Earum potestas I, 202. 203. — Declarationes earum habeantne vim universalem 204. — Declarationes comprehensivae et extensivae *ibid.* — Non sunt infallibiles 304. — Obsequium ipsis debitum *ibid.* — Congregatio Rituum quali potestate potiatur 205. — Non omnia ejus decreta ubique obligant 205. — Quae decreta universalem obligandi vim habeant 206.

Conjugicidium ut impedimentum matrimonii dirimens: cum adulterio II, 768; ex conspiratione 769. — Quando sit duplex impedimentum 769.

Conjux. Conjugale debitum. Exsistatne in dubio de valore matrimonii II, 842. — Quid in dubio impedimento ligaminis 843; in quo sitne bona fides possibilis 844. — Jus amittitur propter incestum 845. 846; aliquando tamen licet petere, lege Ecclesiae non obstante 846. — Quis possit jus amissum restituere 652. 654. — Quando amittatur propter adulterium cf. **Adulterium.** — Circumstantiae *temporis,* quae reddant usum illicitum 847 sqq. — Num dies S. Communionis vel jejunii 847; — tempus post conceptionem? *ibid.;* — tempus purgationis post partum 848; — tempus morbi, cum distinctione *ibid.* — Liceatne ex industria eligere tempus, quo conceptio raro sequatur 851. — Circumstantia situs raro inducit mortale peccatum 849. — Cavendum, ne ejusmodi deordinationem confessarius confundat cum sodomia 838. — Circumstantia *finis* quae sola necessaria 850. — Intentio mulieris graviter peccaminosa, sed vix non inutilis 838. — Denegatio debiti conjugalis ex se mortale peccatum 852. — Quae sit materiae parvitas 853. — Aliae causae excusantes fere revocantur ad grave damnum 853. — Quid in ebrietate vel amentia alterutrius fieri possit vel debeat 855. — Imperfecti actus quinam liciti sint 836—838, etiam iis, qui prohibentur a consummatis actibus 836; quinam graviter peccaminosi 837. — Qui actus consummati graviter illiciti 838. 845. 846. — Qui actus solitarii sub gravi prohibiti 839—841.

Consanguinitas. Ejus computatio II, 754. — quo gradu dirimat matrimonium 755; — quo jure 755. — C. inter fratrem et sororem dirimatne ex jure naturae 756.

Conscientia. Distinctio: antecedens et consequens I, 41; — vera et recta, falsa et erronea 42. Cf. **Error, Dubium, Laxitas, Scrupulus.**

—— Conscientiae discussio ante confessionem. Relativa esse debet II, 341; — sufficit mediocris, etsi major plura peccata in memoriam revocaret 342. — Grave peccatum propter negligentiam in hac re non tam facile committitur 341. — Confessarius quando possit supplere defectum 343.

— manifestatio quae quibus licita vel prohibita II, 507. — Secretum ex ea inductum I, 1199. — Discrimen a secreto sigilli sacramentalis II, 458.

Consecratio Eucharistiae quibus verbis fiat II, 127 sqq.; — eam repetere 126. 129. 130; — alta voce proferre 243; — ea sola, at tum panis tum vini simul, essentiam sacrificii in Missa constituit 156. — Ei non interesse sitne pars gravis quoad praeceptum audiendae Missae I, 559.

—— altaris v. **Altare.** — Vasorum sacr. v. **Vasa.**

Consensus. Qualis requiratur et sufficiat ad peccatum mortale I, 236. — causa restitutionis 1006. — in suffragatione iniqua 1006: Posteriores aliquando obligantur 1007, priores semper 1006. — Revocatio suffragii num et quando auferat obligationem reparandi damni 1006. — C. in contractu num sufficiat externus tantum 1059, cf. **Contractus.**

—— in matrimonio qualis esse debeat II, 685. 753; — conditionatus 685. 686; — de futuro 686; — de re turpi 687 sqq. — An valeat consensus ejus, qui putavit se valide contrahere non posse 692. 730. — Consensus renovatio 823 sqq. — Cf. **Matrimonium,** Revalidatio.

Consequens ignorantia vel error I, 17. 18; — concupiscentia 20 sqq.

Consilium. Consulere. Consilia evangelica I, 490. 495. 509. 510. Consulere minus malum seu peccatum consulere prae majore liceatne 640. 1004. — Liceatne in certam personam animum

damnificatoris dirigere *ibid.* — Consilium ut causa restitutionis 1002; — nudum et vestitum 1002. — Consulens per se secundarie, aliquando primarie damnum reparare tenetur 1002. — Quae revocatio sit necessaria, ut reparationis obligatio exstinguatur 1003. — Consulens in multis criminibus excommunicatione comprehenditur II, 996—999. Cf. **Mandans.**

Conspiratio in actione damnosa I, 1007. 1017 sq.

Constantia quid sit I, 712. — Vitia contraria inconstantiae et pertinaciae 713.

Consuetudo legem abrogans I, 176 sqq. — exorbitans aut irrationalis nihil efficit 177. 1215. — C. legem inducens difficilius probatur 176. C. peccandi seu consuetudinarius. — Quando censeatur contracta II, 490. — Confessario interroganti eam celari non licet 313. — Consuetudinarius quomodo tractandus et absolvendus 490 sqq.

Contemptus parentum I, 793. — Superioris quale sit peccatum 798.

Contentio ut speciale peccatum I, 679.

Continentia I, 717 eique contraria vitia *ibid.*

Contractus. Contrahere. Definitio et divisio I, 1046. — Qualis requiratur consensus 1059. — Objectum. Debet esse possibile, honestum, pretio aestimabile 1048. — Res ex parte tantum possibilis 1050. — Res demonstrative et taxative assignata 1075. — Objectum turpe in contractu quomodo faciat contractum nullum, et quomodo inducat obligationem praestandi pretii 1052 et 1053; — quando jus accipiendi pretii sine obligatione alterius illud solvendi 1054. — In accipiendo pretio cavendum a complacentia rei turpis praestitae 1054. — Obligationes contractuum quomodo intelligantur 1074. — C. juramento firmatus 1078. — Obstacula contractuum: Error quis faciat contractum nullum, quis rescindibilem 1063. 1064. 1075. — Metus faciatne contractus lege naturali irritos, an lege positiva 1066. — Quis metus reddat contractum rescindibilem 1065. 1067. — Metus, qui solam ansam dat contractui, ex se eum relinquit validum 1068. — Lex positiva, quae declaret contr. irritos vel rescindibiles, quid juris vel obligationis efficiat 1070 sqq.; — defectus solemnitatis legalis faciatne contractum in conscientia invalidum 1073. — Contractus trinus 1095. Cf. **Conditio, Modus.**

Contritio cf. **Dolor.** C. perfecta ea sola est, quae ex motivo caritatis erga Deum suscipitur II, 276. — Haec justificat ante sacramentum 274; — est summi momenti pro articulo mortis 515. 519. — C. sive perfecta sive imperfecta continet a) detestationem, b) dolorem, c) virtualiter saltem propositum 275. — Obligatio contritionis non urget statim post peccatum sub novo peccato gravi 278; — at summopere commendanda *ibid.*; — non adeo difficilis 152. — Unde dilatio mortaliter peccaminosa repetatur *ibid.* — „Corde contrito“ quid sibi velit in indulgentiis 537.

Contumacia in censuris II, 861. 865; — — in haeresi I, 301.

Contumelia. Diversi modi I, 1189. — Mortalis malitia unde repetatur 1190. — Reparatio ex ea oriunda 1195; — parentum in filios 783. 1190; — filiorum et subditorum in parentes vel superiores aggravat malitiam 793. 828. 830.

Convenire cum altero, ut meo loco rebus illicitis intersit I, 662; — cum haereticis de pulsandis campanis pro officio divino 655. — in emptione cum aliis emptoribus 1122; — de re turpi v. **Contractus, Conditio.**

Conversio propria et aliena est objectum orationis I, 342. 344; — quo sensu impetrari possit per Ss. Missae sacrificium II, 170. — Neo-conversi receptio 320 *not.*

—— materiae eucharisticae II, 109.

Convictores apud religiosos quoad absolutionem sacrament. II, 396. 398.

Cooperatio ad peccatum alienum formalis et materialis I, 646. — formalis nunquam licita est; materialis modo licita, modo illicita 647. — Conditiones, ut materialiter liceat cooperari 649. 650. —— ad damnum alienum ut causa restitutionis 1000 sqq.; — negativa quae dicatur 1012; — quandonam haec sit causa restitutionis 1013.

Cooperator, si restituit damnum, quando et ad quos habeat recursum pro indemnitate I, 1016. 1018.

Copula maritalis cf. **Conjugale debitum.** Num licita aliquando sit imperfecta II, 835.

Corporale excipere debet materiam consecrandam II, 124. 125; idque unicum, non duo 124; — debet esse ex lino vel cannabe 229. — Gravis tantum necessitas excusat ejus defectum *ibid.* — Valde immundum libere adhibere mortale peccatum est 234.

Corpus. Corporis curam qualem homo sibi debeat I, 572. Cf. **Vita.** — defectus quis faciat irregularem II, 1022. 1023.

Correctio aliorum (fraterna) ex se graviter obligat I, 611; at practice raro

hominem privatum 613. — Conditiones 611. — Severius obligantur Superiores 613 et 615. — Obligatio parochi II, 646. — C. quoad venialia peccata I, 615. — propter materialem legis violationem *ibid.* — An et quando, omissa correctione fraterna, statim delatio ad Superiorem fieri possit vel debeat 611. 614.

Corrumpere custodes I, 819; — medicos et officiales v. **Militia.**

Craniotomia nunquam licita est, foetu vivente I, 847 sqq.

Credere non est, utcunque revelatis veritatibus assentiri I, 298 *in fine.* — Quid homo credere teneatur necessitate medii 276—279; — necessitate praecepti 280 sqq. Cf. **Fides.**

Crematio cadaverum pro inhumatione II, 919.

Crimen criminosum quid vocetur in causa excommunicationis II, 964.

Criminis impedimentum num supponat ex parte alterutrius poenae cognitionem II, 770. Cf. **Adulterium, Conjugicidium.**

Crucifixus requiritur in Missa sub veniali II, 233; — eminere debet nec nimis parvus esse *ibid.*; — in expositione Ss. Sacramenti pro consuetudine apponi vel omitti potest *ibid.*; — cum indulgentiis viae crucis 558.

Crudelitas I, 721.

Culpa v. Juridica, Venialis, Mortalis.

Cultus Dei respicit virtutem religionis I, 328 sqq.; — socialis 543. Cf. **Latria, Dulia, Religio.** — C. vitiosus sive *rei* indebitae, sive *modi* indebiti 351; — falsus vel superfluus *ibid.*; — falsus ad summum per exceptionem parvitatem materiae admittit, facilius cultus superfluus 353. Cf. **Superstitio.** — Cultui acatholicorum interesse num liceat 651.

Curiositas quid sit et quale peccatum I, 727.

Custos agrorum etc. Obligatio denuntiandi eos, quos damnificantes deprehenderit, ejusque limites I, 826. 1014. — Quo sensu juramentum, quod praestiterit, intelligi debeat 826.

—— carceris num reum juvare possit in fuga I, 819. — Quid reo contra eum liceat *ibid.*

D.

Damnatae theses diverso gradu reprobantur I, 302 et 303. — Peccatum ejus, qui eas tenet *ibid.* — Poenae in docentes II, 942. 985.

Damnificatio. Conditiones, ut inducatur obligatio restitutionis I, 962. 963. — dubia? 978; — inculpabilis? 969; — imperfecte culpabilis 966.

Dataria. In quibus rebus dispenset II, 799. — Diversa ejus dicasteria *ibid.* — Formulae literarum supplicum 806. 814 sqq.

Debitor. Debitum. An et qui ordo servandus in solutione debitorum I, 1025. — Possitne debitor quaedam bona occultare 1036. 1035; — an praescriptione liberativa legis in conscientia juvetur 923. — Debita incerta quae vocentur et quomodo exstinguantur 1022 sq. — Debita dubia 960 et 961.

Decalogus quomodo sciri debeat sub gravi I, 282.

Decentia in SS. Euch. asservanda II, 132, — in ea sumenda 159.

Deceptio v. Fraus.

Declaratio legis comprehensiva et extensiva I, 204. 206.

Decreta Romana vel Instructiones: de abstinentia et jejunio I, 1219 sq.; — de bonorum eccles. occupatione et possessione 1042; — de craniotomia et abortu 844. 848; — de clericorum salariis a Gubernio solutis 903; — de lucro ex pecunia mutuo data 1103. 1104; — de magnetismo 361; — de religiosa cum haereticis et schismaticis communione 658; — de scholis acatholicis 786; — de testamentariis dispositionibus ad causas pias 1148; — de voto religioso paupertatis in Belgio 524. V. etiam *vol. II. append. I.* No. XIX. sqq.

Defectus in contractu. Qui defectus rerum manifestari debeant I, 1112.

—— in sacramentis essentiales vel accidentales II, 11 sqq.

—— in Missa occurrentes 241 sqq.; — in exerc. officio commissi I, 965; — in excipiendis confessionibus commissi corrigendi, qua obligatione II, 470 sqq.; — extra confessionem ut corrigantur, plerumque licentia poenitentis requiritur 471. — Qui corrigere eos neglexerit, ex eo teneri potest ad restitutionem 472.

Defensio cruenta quousque licita sit I, 832; — sitne directa, an indirecta occisio 833; — aliquando a caritate vetatur 834; — requirit moderamen (inculpatae tutelae) 834; — non ad solam vitam defendendam fieri potest, sed etiam ad defendenda alia bona 835; idque etiam ad defendenda vitam bonave aliena 836. — Exceptiones notantur *ibid.*

Defuncti quomodo juvari possint per Missam II, 179 sqq., — per indulgentias 530. 531. — Quam certus sit earum effectus 532. — Num juvari possint ab

eo, qui in statu peccati est 537. Cf. **Purgatorium.** — Defunctorum officium sub gravi recitari debet die commemorationis defunctorum 622. — Defunctis detrahere I, 1183.

Degradatio clerici. Notio et divisio II, 916; — verbalis solo fori privilegio privat, realis et fori et canonis privilegio *ibid.* — Atrocia crimina propter quae decerni possit *ibid.*

Dejectio animi I, 311.

Delectatio I, 10. — *Ex* sola del. agere num sit honestum I, 39 et II, 850. Aliud *ex* del. agere, aliud *cum* del. *ibid.* — Distingui debet D. de cogitatione rei malae, et de re mala cogitata I, 246; — sensitiva et venerea 861; — morosa in re venerea sumatne malitiam ex objecti circumstantiis 255. 256. — Cf. **Cogitatio.**

Delegare, Delegatio. Quis possit delegare II, 371. — Quando finiatur delegatio 381 *cum nota.* — Ad matrimonii assistentiam qualis requiratur 777; — num sufficiat delegatio generalis *ibid.*; — an soli sacerdoti dari possit *ibid.*

Deliberatio perfecta et imperfecta quibus signis dignoscatur I, 236 sqq.; — deliberatio perfecta de committendo peccato mortali in se peccatum est mortale 239.

Denegari sacramenta quibus debeant II, 39 sqq. Cf. **Sacramenta.**

Denominative voluntarium I, 4.

Denuntiatio paterna et judicialis I, 811. 613; — in communitatibus 614; — in certis adjunctis et criminibus fieri debet, potest, vel non potest 812; — quando praecipue praescribatur ab Ecclesia 813; II, 952. 977. 987. Cf. **Sollicitatio.** — Haeresis denuntiandae obligatio I, 813; II, 987.

Depositio clerici non aufert privilegium canonis vel fori II, 915.

Depositum. Notio et obligationes I, 1088; — quando reddendum non sit I, 1011 *not.*

Deputati. Eorum officium ad impedienda mala et ad procurandum bonum publicum I, 800; — possintne finibus haereticis conferre 660. Cf. **Comitia, Consensus, Electio.**

Derogatio cf. **Abrogatio.**

Desiderare. Desiderium. Efficax et inefficax eandem habet malitiam specificam I, 244. — Malitia sumitur ex objecto et ex circumstantiis menti objectis 245. — Circumstantiarum advertentia facilius aberit in desiderio inefficaci *ibid.* — Desid. conditionatum: *„si liceret"*, quando peccaminosum 253; — non ex sola re manente mala pendet 254. — Desid. perpetuo in hoc mundo vivendi contra spem theolog. 313. — Desid. malorum in proximum quando peccatum, quando non 620.

Desperatio. Notio et origo I, 310. — Diversae causae 311, 4. — Distingui debet a sola quadam diffidentia 311, 2. — Remedia interna et externa 311, 3. 4.

Desuetudo cf. **Consuetudo.**

Determinata intentio in administrandis Sacramentis II, 23. 29.

Detestatio peccati commissi in hac vita non est sine dolore II, 275.

Detractio famae. Ex genere suo mortalis I, 1177; — specie mortali non differt a calumnia; generatim tamen distinctim accusanda in confessione 1175. — Defectus non culpabiles manifestare quando mortale peccatum 1178. — Excusatio a detractione saltem mortali multiplex 1179 sqq. — Vitia gentis, civitatis referre 1179. — Crimen publicum ulterius divulgare 1181. — Crimen occultum uni alterive narrare 1180; — ob solatium de injuria accepta 1182; — narrare tamquam rumorem 1180. — Detractionem audiens, non impediens quomodo peccet 1184. — Detractio obligans ad restitutionem 1191. 1192; — detractio inculpabilis quando 1193. — Causae excusantes 1194. — Modus reparandae famae 1193. — Num obliget ad compensationem pecuniariam 1192. — Compensatio in mutua detractione 1192. — Contra detract. non licet uti cruentâ defensione 836.

Diaconatus. Diaconus. Certo sacramentum II, 582 et 583. — Materia et forma 588; — aetas 600; — scientia requisita 601; — potestas per illud collata 585. — Solemniter baptizare potest diaconus ex delegatione in casu necessitatis 65. — Item S. Eucharistiam distribuere 135. 140; — ritus in ea servandus *ibid.* — Si facit sine commissione extra veram necessitatem, irregularis fit 1008.

Dictamen conscientiae I, 41; — quomodo formari possit 113; — prudentiae 690.

Diffamatio cf. **Detractio.** — Diffamatio ejusve periculum quando excuset a confessionis integritate II, 330. — Nunquam excusat diffamatio apud confessarium 336; — num diff. complicis 333 sqq., vel aliorum 338.

Diffidentia ut a desperatione distincta I, 311.

Dignitas externa necessaria, ut quis admittatur ad Sacramenta II, 42; — interna 50. 51.

Dignus. Dignior qui eligi debeat in officiis ecclesiasticis I, 972. v. **Distribuere.**

Dilatio. Missae dil. quaenam gravis II, 199; — diuturniorem S. Sedes concedere

potest 200. — Dil. conversionis I, 322; II, 278; — baptismi 77. 79; — occasionis sacramenti confirmationis 100; — sacram. absolutionis 430 sq. — sacram. satisfactionis 354. 363; — voti I, 451; — matrimonii post sponsalia, quando peccatum II, 663. 664, vel causa resiliendi 669; — restitutionis I, 763. 1032. 1036.

Dilectio cf. **Caritas.** Dilectionis initium ut praeparatio ad justificationem II, 289.

Dimissorialia qui et quando concedere possint II, 594. 604. — Qui illegitime concedunt, vel sine illis ordinant, incurrunt suspensionem 990. 992.

Dioecesana synodus non habet potestatem I, 122.

Discessus conjugis infidelis fideli dans jus novi matrimonii II, 705. 706; — ex jure divino an ecclesiastico 707.

Discordia ut speciale peccatum I, 678.

Disparitas cultûs cf. **Mixtum matrimonium.** Alia impedimentum impediens, alia dirimens II, 751. — In dubio baptismo non censetur esse impedimentum dirimens 752.

Dispensare. Dispensatio. Quid sit; differt ab excusatione legis ejusque abrogatione I, 160. — Possitne fieri in lege divina 163; — in lege naturali 190. — Sine causa facta illicita, saepe invalida 161. 168, quale peccatum 162; — per telegraphum vel telephonium facta II, 794; — subreptitia et obreptitia quid I, 169; — quando strictae, quando latae interpretationis 170. 171. 216; II, 1019. Quae debeant in petitione exponi I, *ibid.;* II, 807 sqq. — Erronee facta quando invalida I, 168; II, 809 sqq.; — cessante causa, num cesset I, 173. 174. — Quis in quibus dispensare possit 161 sqq. — Episcopi potestas II, 651. 652. — Regularium praelatus cum suis subditis 653. I, 166; cum saecularibus II, 654. — Parochus I, 167. Cf. **Votum, Impedimenta.**

Dispositio pro sacramentali absolutione II, 423 sqq.; — dubia 424. 425; — signa ordinaria 426, extraordinaria 427. Dispositionis defectus 425. — Dispositio procuranda per confessarium 429 *not.* 436. — Dispositio num negari vel differri possit absolutio 429. 431. 494. Cf. **Poenitens.**

—— pro extrema unctione 565. 568. 577; — num haec pro conditione sumi possit hypotheticae collationis 577. Cf. **Unctio.**

Dissensus parentum in matrimoniis filiorum v. **Parentes.**

Distillatio distinguitur a pollutione I, 861. — Duae species morales: una innoxia, peccaminosa altera *ibid.*

Distinctio numerica, specifica v. **Numerus, Species** peccatorum.

Distractio voluntaria quale peccatum in administrandis sacramentis II, 21; non impedit valorem *ibid.* — in S. Missae sacrificio 21. 243; — in Breviario 635 sqq.

Distribuere. Distributiva justitia. Ejus obligatio I, 753. Restitutionis onus non ex se, sed per accidens sequitur 764, at saepe aderit 971 sqq. — Reparatio erga rempublicam, si indignus instituitur in publico munere 971. — In beneficiis ecclesiasticis praetermissio dignioris inducit obligationem damni reparandi 972. — Major dignitas unde sumatur *ibid. not.* — Distribuere pauperibus, vel ad distribuendum accipere, laedatne votum paupertatis religiosae 528.

Divisio bonorum v. **Dominium.**

Divitiae supervenientes, num causa dissolvendorum sponsalium II, 671.

Divortium quoad torum et cohabitationem. Causae perpetuae et temporaneae II, 710; — an propria auctoritate fieri possit 713; — aliquando aderit obligatio 712. — Sublatâ causâ divortii tum caritas tum justitia urgere potest reconciliationem 711. 712. — Pars innocens habet jus revocandi alterum 712; quando jus assumendi statûs perfectionis 710: quod parti reae non competit, nisi ex consensu saltem tacito alterius 712. — Jura ex divortio 713. — Judex civilis possitne sententiam divortii ferre II, 701 *not.* Cf. **Adulterium, Haeresis, Saevitia.**

Docere poenitentem, quando obligatio II, 442. Cf. **Monitio.**

—— theses a S. Sede damnatas II, 942. 985.

Documenta publica falsificare I, 824.

Dolor de peccatis commissis, actus virtuti poenitentiae essentialis II, 251; — essentialis pro sacramento Poenit. 258; — includit detestationem 275; — est tum dispositio tum quasi-materia sacramenti poenitentiae *ibid.* 280 *not.* — Quomodo homo ad eum perducatur 286. — Qualitates necessariae 283 sqq.: — appretiative summus 285; — universalis quoad mortalia peccata, non ita quoad venialia 290. 291; — supernaturalis duplici sensu 283. 286. 287; — ex motivo particulari 290. 297. 299; — ex motivo poenarum hujus vitae 287; — num repeti debeat, quoties denuo peccatum accusatur 282. — Num unus doloris actus quasi-materia plurium absolutionum esse possit *ibid.*

Dolus in contractu I, 1063. 1064; v. **Fraus.**

Domicilium quomodo intelligatur pro titulo ordinationis II, 596; — longe

aliter ut titulus matrimonii 774. 775; — quoad banna ante matrimonium 674.
Dominica dies sanctificanda est ex lege ecclesiastica I, 544. 546. Quae num abrogari possit 544. — Non adstringuntur non-baptizati 546. — Liceatne iis labores imponere *ibid.* — Obligatio audiendae Missae 555 sqq. — Obligatio parochorum etc. applicandae Missae pro populo II, 194 sqq.
Dominium. Notio et divisio I, 752. 884; — privati origo 907. — Dominii subjectum 745 sqq.; — religiosi quomodo capaces 520—524, infantes et amentes 755; — in quas res exsistere possit 757 sqq.
Donatio. Notio et jura ex ea oriunda I, 1084 sqq.; — quando corruat vel revocabilis sit 1085; — valida, sed non pleni effectûs 1086. — Donationes quando computari debeant in sequenti haereditate 1086. — Restitutio per modum don. 1028 sq. — Donatio mortis causa 1143.
Donum. Dona Spiritûs Sancti. Notio et distinctio a virtutibus I, 688. 689.
Dormire. Pueri, si simul dormiunt atque inde exsistunt in periculo peccandi, quid facere debeant II, 479.
Dos. Dotale. Filiae nubili danda I, 785. — Dotalia bona 892 sq.; — pacta *ibid.*; metus in eis 1066.
—— Dotis incompetentia causa canonica dispensationis matrim. II, 801.
Dubium. Distinctio multiplex I, 47; regulae practicae 108 sqq. — Dubia conscientia quomodo deponi debeat 49. 50. — Cum ea agens num et quando graviter peccet 51. — Quid si de peccaminositate generica tantum dubitatur *ibid.* — Dubia lex, lex nulla 92. — Dubia solutio num liberet a solvendi obligatione 960. 961. — Dubia damnificatio non semper liberat ab onere reparandi damni 978. — Dubia peccata quando confitenda sint ex obligatione, quando ex consilio tantum II, 316. 317. — Cum dubio peccato possitne S. Eucharistia sumi 150. — Peccatum ut dubium accusatum debetne postea repeti in accusatione 318. — Dubie baptizati subsunt jurisdictioni Eccl. 322 *not.*; — tenentur ad confessionem 320 sqq.; — in dijudicando matrimonii valore habentur pro baptizatis 752.
—— Dubia in reservatis peccatis II. 405.
Duellum. Notio I, 850. 852. Distinguendum a defensione 853. — Duellum privatum illicitum 852; publicum aliquando tantum licet 851. — Obligatio restitutionis ex duello oriunda 992. — Excommunicatio in duellantes II, 948. 949. — Sepulturae ecclesiasticae privatio 918. — Irregularitas 1010.
Dulia I, 349. 370. 778.

E.

Ebrietas. Ebrius. Notio I, 742. — ex quot capitibus peccatum sit mortale 746; — an aliquando non sit peccatum 743; — possitne in aliis permitti vel effici 744. — Peccata in ebrietate commissa, quae et quando imputentur 745. — Provocare ebrios ad res malas 135. — Ebrii quomodo peccent non implentes praecepta Ecclesiae 136. — Ebrio marito uxor debeatne obsecundare II, 855.
Ecclesia locus ordinarius pro celebratione Missae II, 221 sq. — Visitatio eccles. in indulgentiis qualis esse debeat 541; quando a media nocte, quando a primis vesperis visitatio computetur *ibid.* — Ecclesiae pollutio 222; — exsecratio 221. Cf. **Templum.**
Ecclesia catholica ut societas. Ejus membra II, 55. 167. 322; — ejus indeficiens sanctitas 168; — ejus partes in offerendo sacrificio Missae 167. 168; — excludit quosdam a M. fructibus 176. 177; — est societas perfecta in suis rebus etiam temporalibus civili legi non subjecta I, 140. 1162; — non adversatur culturae felicitatique temporali 590.
Ecclesiastica bona v. **Bona. Clericus.**
—— lex universalis fertur a R. Pontif., Concilio oecum. I, 120. 201; a variis Congreg. Rom. 201 sqq.; — disciplinaris vel dogmatica 126; — particularis a Concilio provinc., Episcopo 120; — mere poenalis vix invenitur 208. — Poena gravis communiter ostendit gravitatem praecepti, saltem si est *latae sententiae* 210. — Ecclesiae praecepta communia 1201 sqq.
Educatio. Obligatio parentum I, 786. 789. — Post factum divortium jus educandae prolis semper retinet conjux catholicus; si uterque catholicus est, innocens II, 713. — Obligatio magistrorum I, 829.
Effectus peccati num et quando declarandus in confessione II, 309; — saepe requiritur ad incurrendas censuras ecclesiasticas 864.
Egressus e monasterio quale peccatum pro viris I, 532; II, 416. — Praescripta Clem. VIII. eorumque obligatio I, 532. — Obligatio monialium et poena transgredientium II, 954 sqq.
Electio ut specialis actus voluntatis I, 9.
—— ad officia ecclesiastica debet fieri dignioris I, 972. — Indigni electionem impedire oblata pecunia sitne

simonia 395. — Item, promovere electionem dignioris 395. Cf. **Distributiva.**

Electio deputatorum ad comitia. Quomodo singuli cives teneantur ad eam in conscientia I, 799. — Possitne eligi vir acatholicus, pravis principiis imbutus *ibid.* Cf. **Comitia.**

—— status v. **Status.**

Eleemosyna. Praeceptum ad eleemosynam grave esse potest I, 607; — in communi necessitate *graviter* non obligat nisi divites 606; — in necessitate valde gravi etiam alios *ibid.* — Venialis obligatio longe saepius adest *ibid.*; — quae liceat uxori 895. 896. — Pro jubilaeo lucrando quanta esse debeat II, 548; an sufficiat, si famulus, cui commissa est, defraudat *ibid.*

Emancipatio filiorum quomodo et quando fiat I, 887.

Emphyteusis. Notio I, 885.

Ephemerides pravas publice exponere I, 664; — eas scribendo juvare 665; res suas annuntiandas eis committere *ibid.* Cf. **Libri.**

Epikia. Notio et usus I, 150.

Epileptici irregulares sunt, quousque et quamdiu II, 1020.

Episcopatus sitne sacramentum distinctum II, 582. — Materia et forma 589. — Aetas 600. — Potestas 585.

Episcopus non potest esse sine ulla potestate legifera I, 122. — Praecipuae obligationes II, 642. 643. — Missam tenetur applicare pro populo 194. 195. — Privilegia ordinaria 651 sqq.; — itinerans celebrare potest in altari portatili 224, confessarium secum ducere 380. — In quibus possit dispensare *ibid.* I, 164. 165. 472. 479; — quis confirmare possit II, 97. — Ep. proprius pro conferendis ordinibus 596. — Potestas ferendi censuras 869; — in regulares exemptos 873; — quid observare debeat in ferendis censuris, si est extra suam dioecesim 871; — subjacet censuris Papalibus 870; — suspensioni et interdicto non subjacet, nisi exprimatur *ibid.*; — suspensus a pontificalibus non fit irregularis, si in pontificalibus celebrat; fit, si ordines confert etc. 904. — Episcoporum insecutio severa excommunicatione punitur 927.

Error I, 19. Influit in voluntarium ut ignorantia *ibid.* Cf. **Ignorantia.** — Erronea conscientia, quae a peccato excuset, quae non 44—46. — Conscientiam vincibiliter erroneam quando tum sequens tum spernens peccet 45. — E. damnificatoris in persona num excuset a reparando damno 977. — E. personae afficiatne valorem Sacramenti II, 29.

Error ut impedimentum matrimonii. E. in persona dirimit ex jure naturali II, 732; — in qualitate qui redundet in personam 734; — in aliis qualitatibus non ita 733. — E. circa conditionem servilem dirimit ex jure ecclesiastico 732; — circa jura matrimonialia in foro externo non admittitur 734; attamen dat causam petendae solutionis matrimonii rati tantum *ibid.*: Cautelae, quae a S. Congr. adhibentur *ibid.* Cf. **Contractus, Votum.**

Erubescere fidem I, 293. 295; — parentes 793, 5.

Esculenta, quae sine culpa a judice accipi possint I, 810.

Ethnicus quomodo possit salvari I, 274.

SS. Eucharistia. Definitio et distinctio a reliquis sacramentis II, 105. — Quid homo christianus de ea scire debeat I, 284. Eucharistiae injuriosa tractatio 380. — est sacramentum permanens II, 105. — Praesentia Christi realis per transsubstantiationem 109. — Totus Christus praesens est 107. — Praesens est per modum praesentiae spiritualis, totus in singulis partibus specierum 108; tamdiu, quamdiu species sunt incorruptae 111.

—— Asservatio fieri debet in ecclesiis cathedralibus et parochialibus 132; — in ecclesiis filialibus consuetudo consideranda *ibid.* — Pro oratoriis requiritur per se licentia S. Sedis 132. — Summa servanda decentia *ibid.* — in turricula eucharistica *ibid.* III. *not.* S. species saepe renovandae idque hostiis recentibus *ibid.*

—— Confectio a solo presbytero fieri potest 118. — Confectio habet simul rationem sacrificii 163. — Materia panis triticeus et vinum de vite 118. — Ad valorem perinde est, utrum panis sit azymus, an fermentatus *ibid.* — Corruptionis initium, antequam valor fiat dubius, reddit consecrationem graviter illicitam 120; verum non quodlibet corruptionis initium *ibid.* — Panis mucidus quousque materia, etsi illicita, tamen valida *ibid.* — Vinum artificiosum non materia apta 119. — Mustum ante fermentationem materia valida, sed generatim non licita *ibid.*; — at modus conficiendi vini ab usu regionis pendet *ibid. not.* — Materia debet esse praesens 122. 123; ex praecepto Ecclesiae in corporali et in sacra petra collocata 124. — Quid si ex obliv. mansit extra corporale 125. — Quid si post offertorium hostiae afferuntur 126. — Num micae hostiis adhaerentes et guttulae calicis consecrentur 123. — Forma confectionis

sunt ipsa verba Christi 128; non verba „Qui pridie“ 130; — num „novi et aeterni testamenti etc.“ 129.

SS. Eucharistia. Distributio. Extra necessitatem distribui debet in solis ecclesiis et oratoriis publicis 134. In oratorio domûs privatae nondum licet eo ipso, quod liceat celebrare *ibid.* — In ecclesiis regularium non licet distribui S. Euch. extraneis die Paschatis 136. — Presbyter est ordinarius minister; diaconus in quadam necessitate ex delegatione 134. 135. — In necessitate Viatici diacono licet distribuere sine delegatione, imo inferioribus ministris 136. — Sacerdos infirmus sibi sumere potest S. Euch. *ibid.* — Hora distribuendi latius sumitur quam tempus Missae 141. — Ritus et vestes sacrae adhibendi 139. 247 *not.* — Palam deferre ad infirmum, liceatne capite cooperto 140. — In statu peccati distribuere quale sit peccatum 33. — Defectus in distrib. occurrentes 142. — Liceatne sacerdoti sumere particulas residuas *ibid.*

—— Effectus. Augmentum vitae spiritualis quomodo sit *specialis* hujus sacramenti effectus II, 112. 114; — cur non producat majores effectus 117. 154; — conciliat abundantes gratias, quo conservetur, protegatur, augeatur caritas 115; — remittit peccata venialia et reatum poenae 116; — fovet mutuam caritatem fidelium 117; — specialem titulum dat gloriosae resurrectionis *ibid.*; — necessitate medii moraliter necessaria est ad conservandum statum gratiae 7. 115. 145; — an aliquando peccatorem justificet 6; — an augeatur effectus sacramentalis, quamdiu species non sint corruptae 111.

—— Expositio II, 133.

—— Sumptio materialis, sacramentalis tantum, spiritualis tantum, sacramentalis simul et spiritualis II, 113. 143. — Possitne homo baptizatus sumere S. Eucharistiam materialiter tantum 49. — Sub specie vini in Ecclesia latina non licet sumere nisi celebranti 138. — Dispositio necessaria: status gratiae 149; — confessio ei, qui sibi conscius est peccati mortalis *ibid.*; doctrina contraria sub excommunicatione prohibita 985. — Propter solam necessitatem sufficit perfecta contritio 151; simul cum obligatione confitendi quam primum pro sacerdote celebrante 153. — In dubio peccati gravis commissi quando exigenda, suadenda, non suadenda confessio 150. — Obligatio sumendae S. Euch. ex lege divina 144. — An in articulo mortis, si brevi antea sumpta est 146. — An liceat secundo sumere eodem die *ibid.* — Pueri quando incipiant obligari extra articulum mortis, et in illo 147. — Obligatio ex lege Ecclesiae cf. **Communio.** Insuper cf. **Jejunium, Decentia.**

Eunuchi. Qui sint irregulares II, 1016. — Liceatne vocis servandae causa pueros ita mutilare I, 578.

Eutrapelia. Notio I, 724. — Defectus 725.

Evictio rei ex manu possessoris alieni I, 950.

Examen conscientiae quale praemitti debeat confessioni II, 341 sqq.; — non debet esse exquisitum 342. — Defectus mortalis quando committatur 341; — saepe aliqualis defectus suppleri potest per confessarium 343. — Methodus hujus examinis 344. 351.

—— ordinandorum Episcopus exigere potest II, 601; non vero ab omnibus regularibus exemptis *ibid.*

—— pro cura animarum. Possitne parochus revocari ab Episcopo ad E. II, 377; — an regularis 382.

Examinatores synodales. Quam severe iis interdicatur simonia I, 402.

Excessus numeri peccatorum qualis comprehendatur in voce *circiter* II, 305.

Excommunicatio. Excommunicatus. Notio II, 881; — minor *ibid.*; — major plenos effectus non habet, nisi per voluntatem R. Pontificis 885. — Distinctio in toleratos et vitandos 881; — qui sint vitandi 884. — Fideles generatim toleratum vitare *possunt* 883. — Bona quibus exc. privet 885 sqq. — Excommunicato tolerato licet ex gravi necessitate, non obstante censura, post confessionem S. Eucharistiam sumere, aliaque divina peragere 888. — Quomodo peccet non quaerens absolutionem 892. 899. Cf. **Censura.**

Excusatio a lege I, 155. 156; II, 867. — quomodo differat ab exemptione I, 160.

Exemplum bonum parentum I, 788; — malum v. **Scandalum.**

Exemptio a lege. Causam eximentem ponere liceatne ex industria I, 155. 159. — Non idem de causa excusante dicendum 157.

—— clericorum I, 139. 140. Ejus laesio 385; II, 930 sq.

Exorcismus v. **Adjuratio.**

Exorcistatus. Ejus officium II, 584. — Materia et forma 587.

Expensae educationis prolis illegit. I, 996 *not.*; — restitutionis faciendae 1028. 1032; — quae conferri debeant in divisione haereditatis 1169.

Experimentum facere in aegroto I, 993. 995.

Expiatio peccatorum per sacrificium Missae II, 164.
Expositi infantes num illegitimi II, 1018. — Expositio prolis secumne ferat onus restitutionis expensarum I, 999.
Expositio Sanctissimi v. **Eucharistia.**
Exsecratio ecclesiae quando fiat II, 221; — altaris fit fractura enormi aut sigilli laesione 225. 226; — calicis 235; an calix et patena nova deauratione exsecrentur 228; — vestium sacrarum 235.
Exspuere post S. Communionem II, 162.
Externus actus v. **Actus.**
Extraordinaria oratio et via spiritualis. Ejus utilitas ad perfectionem II, 504, — pericula *ibid.* — Signa boni spiritûs *ibid.* — Confessarius cautus sit et versatus in rebus spiritualibus 505.
—— signa dispositionis poenitentis 427.

F.

Facultates Episcoporum, regularium, v. **Episcopus, Religiosus.**
—— jubilaeo annexae II, 550. 551. — Iis frui nequit, qui non habet sinceram voluntatem lucrandi jubilaeum 552. — Jus ad favores quando extendatur ultra tempus jubilaei 552. — Qui iis usus est, debeatne sub gravi opera jubilaei implere 552. — Favorum illorum participes redduntur fideles in solo foro confessionis 553. — Generatim semel tantum conceduntur 554 sqq.
Falsa accusatio sollicitationis contra confessarios casus Papalis sine censura specialiter reservatus II, 407.
Falsificatio documenti judicialis quale peccatum I, 824.
—— literarum Apostolicarum excommunicatione punitur II, 934; poena in cooperat. 971.
Fama bona. Dominium hominis in eam I, 759; — cur homini sit necessaria 1173; — servanda, ratio receptionis et ministrationis Sacramentorum alias prohibitae II, 152. 330. 410. 888. 889. — Propriam famam liceatne prodere I, 1173, juri renuntiare 614; — alienam laedere quale peccatum 1174. 1176. 1182; — ei parcere sitne ratio excusans a confessionis integritati II, 333 sqq., ratio admittendi indignum ad sacramenta 39. 43. Cf. **Detractio.**
Familiares regularium absolvi ab iis possunt sine Episcopi approbatione II, 395. 398; — an subjaceant casibus reservatis 403. — An familiaribus accensendi sint alumni convictores, et quamdiu 396. 398.
Familiaritas. Titulus pro ordinatione II, 596.
Familiaritas. F. nimia, cavenda a confessario 434, maxime cum monialibus 509.
—— mutua sensualis 508.
—— Familiaritatis pravae suspicio causa dispensationis matrim. 802.
Famulus. Obligatio I, 828. — Irreverentia erga dominum specificam habet malitiam *ibid.*; — furti gravitas 934. — Regulae circa cooperationem famuli ad peccatum heri 675. — Potestne herum comitari ad peccandum exeuntem 671; — ad ritum sectae acatholicae ejusque templum 651? — Occulta compensatio propter salarium justo minus 490. — Debetne damnum reparare, quod a domino non avertit? 1013.
Fatuus. Semifatui an et quando ad sacramenta possint admitti II, 147. 483.
Favores amplam habet interpretationem I, 112. 149. — Exceptio 216.
Femina v. **Mulier.**
Fermentatus panis materia SS. Eucharistiae apud Orientales II, 118.
Festum. Festa, quibus parochus Missam applicare debeat I, 1201; II, 196; — quibus in sacello privatae domûs celebrare non liceat I, 562; — colenda per assistentiam Missae et requiem a laboribus I, 1201. 543 sqq.; qui adstringantur, qui non 551 sqq. 563 sqq.; — reductio pro diversis regionibus 1122a.
Feudum. Notio 885.
Fictio in contractibus I, 1059; — in promissione sponsalium quid efficiat II, 658; — in matrimonio 685—689; — sacramenti est gravissimum sacrilegium 44; — cur non idem dici debeat semper in matrimonio 45; — distinguitur a dissimulatione negati sacramenti 45.
Fideicommissum, Fideicommissarius v. **Substitutio.**
Fidejussio. Notio et obligationes I, 1128.
Fidelitas I, 1081; — erga Deum 334. 455; — erga Principes 797; — erga herum 828.
Fides bona in possessione bonorum v. **Possessor, Praescriptio.** — in contrahendo matrimonio cum dubio impedimento num et quando locum habeat et quid secum trahat II, 742. 842 sq. 844.
Fides divina in se spectata quid sit I, 269; cf. **Credere.** — Ejus ortus 270. — Praevia notitia Dei et revelationis necessaria 270. — Formaliter est actus intellectus, sed pendens a voluntate 270. — *Motivum* seu objectum formale est Dei loquentis auctoritas 272, cui quomodo adhaereat fides *ibid.* — *Necessitas* et *obligatio* est necessitas medii 273, et praecepti: multiplex obligatio 285; — quoties urgeat 286 sqq.; — neglecta seu omissa quando *speciale* pec-

catum constituat 290. — Lex in rebus fidei ab Ecclesia lata statim post notitiam omnes obligat 126. — Peccata contra fidem cf. **Haeresis, Infidelitas.**

Fides divina. Externa fidei professio. — Externa fidei abnegatio qualis sit malitiae 293. — Dissimulare seu silere quando sit abnegare 293. — Quando liceat occultare fidem 294. — Occultatio per signa, certarum vestium usum 294 295. — Fidei professio quibus ab Ecclesia praescribatur 296.

Filius. Ejus obligatio pietatis erga parentes I, 790: cujus laesio diversa est, prout laeditur amor, reverentia, obedientia *ibid.* — Gravitas peccati unde sumatur 792. 793. — Multiplicata malitia specifica 795. — An obedire teneatur in statûs electione 692. Cf. **Obedientia, Pietas.**

—— familias quamdiu dicatur, ejus emancipatio 887. — Bona filiorum 888. — Si parentibus quaedam defraudant ex lucro, ex paternis bonis sibi vindicant 889. 890. — Materia gravis in furto amplior sumi debet 934. — Si F. fam. cum bonis paternis negotiatur 891.

Finis internus et externus I, 30. — Ex eo maxime pendet moralitas actûs *ibid.*; — graviter malus totam actûs moralitatem corrumpit 33; — leviter malus compatitur bonitatem 34. — Per finem quando opera nostra evadant bona, quando non 31. 33. 34, meritoria 258. 262.

—— legis num intendi debeat a subditis 151. — Fine legis cessante, cessetne lex ipsa 181. 182.

Fiscus. Quando ei competat dominium bonorum derelic. I, 916; thesauri 913; — quando haeres 1151 sq.; — si quando ei restitutio facienda 981.

Foetus abortivus baptizandus II, 74. Cf. **Abortus.**

Forensia opera diebus festivis interdicta I. 544.

Forma sacramentorum cf. **Sacramenta, Materia.** Sensus quando censeatur essentialiter corrumpi II, 12. — Quando per interruptionem 14. — F. contractûs, matrimonii v. **Contractus, Matrimonium.**

Fornicatio tum lege naturali, tum lege div. positiva graviter prohibita I, 862. 870. — Damni reparandi obligatio ex ea oriunda 996; — quando obligatio ad matrimonium 997. — F. ut causa dissolvendi sponsalia II, 670. — Propter fornicationem ab utroque sponso cum aliena persona commissam sponsa non potest pro arbitrio recedere aeque ac sponsus *ibid.* F. cum sponsa aliena quando addat malitiam specie distinctam 664.

Fortitudo ut specialis virtus et ut affectio aliarum virtutum I, 699. — Objectum et motivum *ibid.* — Ejus officium 700. — Maxime elucet in martyrio 701. — Fortitudinis comites 702. — Peccata et vitia contraria 703.

Forum externum et internum II, 928; — internum non necessario dicit forum confessionis *ibid.* Fori privilegium v. **Immunitas.**

Fractio sacrae hostiae in Missa sub gravi praecipitur II, 246.

Fragmenta sacrarum specierum quae reperiuntur, quomodo tractanda II, 142.

Francomurarii v. **Massonica secta.**

Fraus specifica malitia mortali non differt a furto I, 928; — in bello 857; — in capiendis animalibus 912; — in contractibus 1063 sq.; — in evadenda militia 987; — in consilio nocivo dando 1002—1005.

—— in fraudem legis se subtrahere reservationi peccati II, 404; — ad matrimonium contrahendum e patria recedere 780.

Fructus rerum distinguuntur naturales, industriales, mixti, civiles I, 945; — dominium circa eos 947. 948.

Frui. Fruitio. Specialis actus voluntatis I, 10. Cf. **Delectatio.**

Frustulum, quod diebus jejunii mane sumi possit I, 1211.

Fuga. Quid liceat reo quoad fugam I, 819; — quid aliis in fuga promovenda *ibid.* — Possintne satellites reum e carcere fugientem occidere 837; vel eum, qui nondum captus erat? *ibid.* — Fuga militis capti 857.

Funambuli quando graviter propter artem suam peccent I, 851.

Fur v. **Possessor** malae fidei. — Res a fure empta I, 950. 1116 *not.*

Furtiva susceptio ordinum quid sit II, 1007; — inducit irregularitatem *ibid.*

Furtum. Ejus malitia I, 928. — Gravitas ex duplici respectu determinatur 931. — Materia absolute et relative gravis 931. 935. — Furtula minuta coalescunt ad grave peccatum 932. 933; — quando non ita 935. — Furta filiorum etc., in quibus materia amplior sumi debeat 934. — Necessitas qualis a furto excuset 936 et 937.

G.

Gaudium I, 10. — In peccato sumit malitiam etiam a circumstantiis 245. — Qui de gaudio praecipue examinandi in confessione 252. — Gaudere de effectu peccati liceatne 249. 250; — de re mala ut

est causa boni 249; — de *modo*, quo peccatum sit factum 248.
Gladium reddere occisuro liceatne I, 1011 *not.*
Gratia divina actualis: efficax *qua efficax* quo sensu fructus sacrificii Missae II, 171 *not. 2;* — sanctificans: primam vel secundam causari per sacramenta, quid sibi velit 5. — An sacramenta vivorum causent gratiam primam 6.
Gratiarum actio post Missam vel S. Communionem qualis esse debeat II, 155. 220. — Ejus summa utilitas 155.
Gratitudo. Notio et actus I, 768; — erga Deum qualis virtus 334. — Contraria ingratitudo 769; quae quando ut talis sit mortale peccatum 769. — Gratitudinis titulo aliquid *exigere* pro re spirituali simonia est 397.
Gula v. **Temperantia.** — Remedia II, 451.
Guttulae consecratae si casu effunduntur II, 142; — in calice dispersae num consecrentur 123.

H.

Habitualis intentio I, 4; II, 25. 48. — Habitualiter voluntarium *ibid.*
Haeres. Haereditas. Quotuplex I, 1149; — ab intestato seu legales 1151; — necessarii 1149. — Eorum pars legitima 1154. — Qui nequeant esse haeredes 1156. — Haeres quodnam jus habeat accipiendae compensationis damni antecessori suo illati 989. 990; — num solvere debeat debita ultra bona haereditate accepta 1159. — Adire haereditatem sub forma inventarii 1157 et 1159. — Repudiare testamentum includatne *omnis* haereditatis repudiationem 1159. — Haeres possitne *praescribere*, si testator mala fide erat 925; — acquiratne rei dominium cum obligatione reddendi aequivalens *ibid.;* — quo sensu voto testatoris teneatur 456.
Haeresis. Haeretici. Quot modis committatur I, 298 et 299; — jam dubio deliberato 301. — Ejus malitia 299; — distinguitur ab infidelitate privativa 300; — haereticalis blasphemia 366, tentatio Dei 376. — Christiani acatholici quando demum vere evadant haeretici 301; — qui censeantur in causa matrimonii II, 785 *not.*
—— Communicatio cum haereticis, quae sit interdicta I, 298; — num Missae applicatio pro illis II, 176. 177. — Num patrinum agere possint in baptismo 71. 72. — Eorum baptismo assistere num liceat 72, hujus valori acquiescere 19 *not.* 26; — eorum filios baptizare liceatne catholico 80 sqq. — H. matrimonio superveniens dat jus divortii a toro et habitatione 712; — sola juridice probata dat perpetuum jus *ibid.*
Haereticorum templa visitare I, 295. 651. 658; — aedificare 658; — in iis campanas pulsare 654; — cantum dirigere 656. 658; — religiosae functioni interesse *ibid.* et 653. — Haereticum ministrum religionis ad moribundum vocare 651. Cf. **Denuntiare.**
Haeresis. Haeretici. Poena haeresis. Excommunicatio II, 921; — quae, etsi speciali modo R. Pontifici sit reservata, tamen absolvi potest in utroque foro ab Episcopo, si causa ad for. ext. deducta est 651; — extenditur ad quemlibet favorem 922; — ad libros haeresi infectos 923. 924. — Irregularitas 1011: — an extendatur ad eos, qui in secta acatholica nati sunt? *ibid.* et 1029; — extensio ad filios et nepotes *ibid.*
—— subjecti legibus Ecclesiae I, 136; — an legi de clandestinitate matrimonii II, 781. 782: — ea non ligantur, ubi tempore promulgationis habuerunt distinctos coetus religiosos pacificumque religionis exercitium 782. 783. 787; — dispensatio pro ipsis facta 785. — An ipsi legitimam desuetudinem perficere possint 783. — Enumeratio regionum, ubi eorum matrimonia etiam clandestina valeant 785.
—— Suspicio haeresis. Ex quibus criminibus oriatur I, 813; II, 975 *not.;* — quando habeatur ex defensione doctrinae reprobatae I, 302; ex neglecta absolutione a censuris II, 899.
Hebdomada. H. sancta. Functiones liturgicae in ea II, 210. 211. — Hebdomadaria confessio 539.
Heroici actus v. **Actus.**
Herus. Obligatio erga famulos I, 827. — An seductio subditorum *novam* malitiam addat *ibid.*
Historiographus. Quid ei liceat circa narrationem criminum et defectuum I, 1183.
Homicida. Homicidium. Tenetur per se reparare damna haeredibus, praecipue necessariis I, 989. 990; — quando teneatur erga uxorem defuncti 990, non ita facile erga remotiores occisi cognatos 990, erga creditores 991. — Irregularitas canonica II, 1012; — voluntarium et casuale quid I, 839; II, 1017; — extenditur irreg. ad cooperantes 1014, etiam in quodam casu dubiae causalitatis incurritur 1012.
Honestas publica impedimentum matrimonii II, 765 sqq.; — ex sponsalibus non excedit primum gradum 765; — ex matrimonio rato, imo invalido usque ad

quartum gradum extenditur *ibid.*; — quando non oriatur 766; — non oritur in praejudicium prioris sponsae *ibid.*

Honor quid sit I, 1188. — Eum laedere gravius est famae laesione *ibid.* et 1190. — Reparatio qualis 1185. — H. proprium quaerere vel defendere quomodo liceat vel fieri debeat 1174.

Horologium legitimum ad computandum tempus pro Missa et Breviario II, 159.

Hostes occidere I, 857. 858; — eorum terras devastare 857; — bona capere *ibid.*

Hostiae consecrandae debent esse recentes II, 120. 132; — non-consecratam porrigere non licet 44.

Hostilis insecutio Cardinalium infert infamiae irregularitatem II, 1010. 1029; — Card. vel Epp. 927.

Humani actus I, 1 sq.

Humilitas. Notio I, 728. — Actus diversi 729. — Excellentia 731. — Excessus in externo agendi modo vitiosus 733. — Comparatio cum aliis virtutibus 732; — cohaeret cum magnanimitate 730; — est optima probatio boni spiritus II, 504; — eximia in Christo Dom. 448.

Hypnotismus I, 994 *not.*

Hypocrisis. Notio et malitia I, 723. 772. — Hypocritam detegere 1182.

Hypotheca. Diversa ejus genera, obligationes I, 1130.

I, J.

Jactantia de peccato commisso quot habeat malitias I, 251.

Idioma. Idiomatis ignarus confessarius, quando absolvere possit sine integra confessione II, 328. — Preces, quibus indulgentiae sunt annexae, in quocunque idiomate recitari possunt 539.

Idololatria cf. **Cultus, Superstitio.** Ejus malitia in se praecisive sumpta inferior est infidelitate I, 354; sed hanc ipsam aliaque gravissima peccata comites habet *ibid.* et 1227. — Id. imperfecta, si vera et formalis est, gravioris malitiae est quam perfecta 351; — non ita per se, si est simulata *ibid.*

Jejunium ecclesiasticum. Objectum et materiae gravitas I, 1210. 1211. — Consuetudo quid relaxare possit 1215. — Per se jej. semper secum fert abstinentiam a carnibus, non semper a lacticiniis 1210. — Quantitas ciborum praeter unicam refectionem permissa 1211. 1213. Ejus transgressiones intra diem coalescunt 1215. — Qualitas ciborum 1214; — pro coenula 1212. — Hora prandii an ad essentiam pertineat 1214.

Causae excusantes: aetas junior et provectior 1216; — infirmitas *ibid.*; — labores graves et defatigantes 1217; — labores qui per se, et qui ex accidentali causa conjuncta frequenter excusent 1218. — Causae quae sufficiant ad petendam et concedendam dispensationem 1219. — Responsa Rom. circa jejunium 1220. 1221. — Jejunium vigiliae translatae incidens in ipsum festum diem 1221. — Jej. pro lucrando jubilaeo. Secluso speciali privilegio est jejunium strictum sine relaxatione alias concessa II, 547.

Jejunium naturale ante S. Commun. videtur lex Apostolica II, 159. — Excipitur casus Viatici, non tamen absolute 161. — Dispensatio a S. Pontifice impetrari debet 162. — Exceptiones, quando liceat non-jejuno celebrare vel S. Eucharistiam sumere 161. 162. — Laesio jejunii ut adsit, plures conditiones requiruntur: ut res consumpta habeat rationem cibi vel potûs 160, — ut sit sumpta *per modum* cibi vel potûs *ibid.*, — ab extrinseco *ibid.* — Hora duodecima quomodo sumatur 159.

Ignavia quod et quale peccatum I, 703.

Ignorantia vincibilis quae dicatur I, 16. 45; quaenam culpam secum trahat 17. 18. 19; — consequens fere restringitur ad culpabilem 16; — concomitans 18; — leviter et imperfecte culpabilis potius invincibili comparatur 16 — Ign. crassa. affectata *ibid.* II, 865. — Ign. aufert vel minuit voluntarium I, 17. 18. — Quomodo id verum sit in crassa vel affectata 18; II, 865.

Ignorantia excusans a censuris II, 865; — a peccati reservatione 407. 886; — ab irregularitate 1002. 1003; — ab impedimentis matrim. dirimentibus 728. 770.

Ignorantia Dei qualis non possibilis 235; — legis naturalis 187. — Peccata ignorantiae quae vocentur 221.

Illegitimus ortus inducit irregularitatem II, 1018. — Illegitimi quoad haereditatem I, 1154. 1156.

Imagines Sanctorum quomodo colendae I, 349.

Immersio, modus baptizandi, quae requiratur et sufficiat II, 61. 62.

Immunitas. S. Pontificis immunitas juris divini est I, 139; II, 650; — reliquorum clericorum proxime juris eccl. II, 650, — quam late pateat *ibid.* — Ejus laesio quomodo puniatur 930. — Imm. asyli laesio 953.

Impedimenta. Impedire. Impedimentum ponere legi implendae I, 157. 158; II, 892. — Impedire aliquem a consecutione boni quando obliget ad restitutionem I, 973 sqq.; — a peccaminosa

lucri consecutione 975. 976. — Non impedire damnum alienum 1013. 1014. — Impedire jurisdictionem Eccles. gravissime punitur II, 928.

Impedimenta. Impedire. Impedimenta matrimonii *impedientia* II, 714. Cf. sub suis nominibus. — *Dirimentia* 731. Cf. singula sub suis nominibus. — Potestas Ecclesiae ea statuendi 726. 627. — dubia juris naturalis obligant 729; — dubia juris eccles. non obligant *ibid.*; in dubio facti dispensatio quaerenda *ibid.* — Eorum revelatio, per se sub gravi, cuilibet incumbit 677; excipitur timor gravis damni, et scientia ex secreto commisso *ibid.* — Cum imped. putativo contrahere 730. — Impedimentorum dispensatio plus minusve difficilis 792. — Causae dispensandi 800 sqq. — Num aliquando sine dispensatione cessent 826. — Episcopi quid possint jure ordinario 791. 793, — vi privilegiorum 797. 798; — quid in eorum recto usu observare debeant 794. — Quid Poenitentiaria 796. — Forma dispensandi in foro externo triplex 804. — Forma petendi dispensationem 814 sqq. — Quae exponi debeant, ne irrita evadat dispensatio 807 sqq. — Quid observari debeat in exsecutione dispensationis 818 sqq. — Cf. **Matrimonium, Revalidatio.**

Impediti qui sint ex jure antiquo, qui absolvi potuerint per Episcopum a censuris Papalibus II, 410. 415. 875. — Nunc vult S. Off. ut per literas petant absolutionem 410. 875. In casu gravis necessitatis interim absolvi possunt a quovis confessario sub poena reincidentiae *ibid.*

Imperfectio, quae non est peccatum, materia non potest esse absolutionis, doloris esse potest II, 261.

Imperium. Imperare. Actus imperans I, 9. Cf. **Actus, Jussio, Mandatum.**

Impetrare (cf. **Orare**) pro nobis et pro aliis apud Deum possumus I, 260. 265; — non minuit vim merendi 265. — Impetratorius fructus in Missa II, 168. — Quid per SS. Missae sacrificium impetrare possimus 170. 180.

Implere legem. Fit plerumque etiam sine intentione finis I, 151. — Aliquando peccaminosa actione quoad substantiam satisfit, aliquando non 152. — Eodem tempore quando pluribus legum praeceptis satisfieri possit 151. 154. — Quando uno eodemque actu pluribus praeceptis satisfiat *ibid.*

Impotentia ut matrimonii impedimentum. Quae distinctio necessaria sit II, 743. — Quid in dubio liceat 746. — Confessarius, si eam detegit post matrimonium, caute agere debet 747. — An, impotentia mulieris per medicum sublata, matrimonium fiat eo ipso validum 745. — Subsequens impotentia quos actus relinquat conjugibus licitos 835. 836. — Liceatne eam inducere 856.

Impressio S. Scripturae ejusve commentarii sine Ordinarii licentia excommunicationi subjacet II, 980.

Impuberes qui vocentur II, 748; — quoad sponsalia 662; — quarum censurarum legi subjaceant 944.

Impudicitia v. **Luxuria.**

Inadvertentia ignorantiae comparatur I, 18. 19; — a peccato excusat *ibid.*; — in quibus causis sumi nequeat adfuisse 18.

Inanis gloria. Notio — quomodo ab ambitione distinguatur I, 706. Cf. **Superbia.**

Incapacitas legalis possidendi quomodo intelligatur I, 1058; — succedendi 1148. 1156; — pro religiosis 520. 524.

Incarnatio. Mysterium Inc. sitne necessitate medii credendum I, 277. — Quaenam contineantur in eo ut explicite credenda 279. — Incarnationis momentum quam excelso virtutum exercitio abundaverit 335.

Incendiarius *cui* restituere debeat I, 1134.

Incendium effugere per aliud vitae periculum I, 580. — Incendio ereptas res consumere sibive retinere 950. — Incendio destruere res hostiles cum propriae vitae periculo 580.

Incerta bona seu debita I, 1022; eorum restitutio *ibid.* 1023 sqq.

Incestus I, 882. Sitne diversus pro diversa cognatione? *ibid.* — Etiam solus tactus inhonestus ejus malitiam habet *ibid.* — Quando declarari debuerit incestus in petitione dispensationis impedimenti matrimonialis, quando non II, 811—813. Hujus legis abrogatio 808. 812; — exstinguens jus conjugalis debiti 764. 845. 846.

Inculpabilis actio potest imponere obligationem praecavendi damni I, 969; ex cujus neglectu obligatio *restituendi* oritur *ibid.*

Indeliberatus actus I, 27. 236 sq.

Index librorum prohibitorum non quoad obligationem, sed quoad poenam mutatus est II, 923.

Indifferens. Actus in specie sua indifferentes I, 37. Num possint esse in individuo 38 sqq.; — sunt, quoad supernaturale meritum 38.

—— indifferentiae libertas 5.

Indignitas. Qualis inducat nullitatem beneficii ecclesiastici collationis I, 972 *not.*; — quae excludat a Sacramentis II, 39. 40. 41; — ministri Sacramenti 53. 54.

Indirecte voluntarium I, 11 sq.; — indirecta resistentia 22.
Indispositi ad absolutionem II, 425. 428; — ut disponantur, omni cura conandum est 429.
Inducere v. **Seductio.**
Indulgentiae. Conceptus catholicus II, 525. — Haec doctrina compendium quoddam est gratissimarum veritatum fidei 523. — Ecclesiae potestas 528. — Requiritur, quo sensu, justa causa 535. — Plenaria et partialis 526; — plenaria num ex parte acquiri possit 527. — Ind. pro defunctis, quomodo differat ab ind. pro vivis 531. — Semper fit solutio, vivorum etiam absolutio 531. — Opera praescripta quid operentur 534. — Conditiones necessariae 537. — Concessiones generales exhiberi debent secretariae S. I. C., ut valeant 556; — ut typis evulgentur, quae licentia necessaria *ibid.* Cf. **Communio, Confessio, Contritio, Ecclesia, Intentio, Preces.**
Infamia. Infamiae timor causa canonica pro dispensatione matrim. II, 802; — ut irregularitas 1028 sqq.
Infantes capaces juris et dominii I, 755; — baptizandi II, 79, parentum infidelium? 80 sq.; — quorum sacramentorum capaces 102; — quibus legibus subjecti I, 134—136. 138.
Infidelis. Infidelitas. Infidelitas quaenam sit peccatum I, 298. — Quomodo infideles pervenire possint ad fidem et salutem 274; — num obligentur legibus 137; — quomodo juventur per Missae sacrificium II, 175—177. — Inf. conferens baptismum quando excitet rationabile dubium valoris 19 *not.* 26. — Infidelium filii quando baptizandi. Cf. **Baptismus.** Infidelium matrimonium post alterutrius conversionem Ecclesiae jurisdictioni subjacet II, 705. — Parti fideli datur facultas separationis et novi conjugii, quum primum pars infidelis nolit cohabitare pacifice vel non sine contumelia Creatoris 705; idque etsi prius pacifice cohabitaverit 706; non vero, si pars fidelis dat justam causam discessûs *ibid.*; neque si cum infideli initum est matrimonium ex dispensatione Ecclesiae *ibid.*
Infirmi v. **Aegroti, Moribundi.**
Informe v. **Sacramentum, Testamentum.**
Infusio, modus baptizandi II, 61.
Ingratitudo I, 769.
Inhabilitas ad beneficia eccl. obtinenda II, 895.
Inhonesta. Ad ea cooperari liceatne I, 666 sqq.
Inimicitia. Inimicus. Inimico debentur communia caritatis officia, idque relate ad ejus conditionem I, 622; — igitur: condonatio, non-exclusio ab oratione, in indigentia opitulatio *ibid.* — Non debetur condonatio damni, honoris reparandi 623. — Utrum debeatur salutatio, an sufficiat resalutatio, a circumstantiis pendet 624. — Inimicum praeterire, non statim ei veniam concedere, non semper pro gravi peccato haberi debet 624. Cf. **Odium, Reconciliatio.**
Initialis amor erga Deum II, 289.
Innocens. Innocentem occidere directe, non licet; indirecte, licet aliquando I, 839; — an cogi possit, ut se tradat tyranno *ibid.*
Inobedientia v. **Obedientia.**
Insecutio hostilis Cardinalium II, 1010. 1029; — Card. et Episcop. 927.
Insordescentia in excommunicatione quid vocetur II, 899; — habetur pro probatione criminis *ibid.*; — reddit suspectum de haeresi *ibid.*
Instruere poenitentem. Fieri debet generatim hîc et nunc, si ignorantia est de rebus necessariis necessitate medii II, 442. — Quando obligatio sit ulterioris instructionis 443. — Instruendi modus in articulo mortis 518. — munus parochi 645. 646. Cf. **Monere.**
Integritas confessionis formalis et materialis II, 301. 323 sqq.; — primarie a poenitente, secundarie a confessario procuranda 419. — Causae ab int. excusantes 327 sqq. Cf. **Confessio, Peccatum.**
Intentio. Intendere. Actus voluntatis specialis I, 8; — versatur circa finem et circa media necessaria *ibid.* — Intentio medii ut talis intendit virtualiter ipsum finem 9. — Int. actualis, virtualis, habitualis, interpretativa 4 et II, 22.
—— Intentio bona I, 31; — ad meritum requisita 258; — quotidiana renovatio summopere commendanda 262; — ejus perfectio sedulo prosequenda; brevis methodus 264. 335; II, 521. 522; — prava, quae actus bonitatem corrumpat I, 32. 33; — potestne actionem facere injustam? 766. 803.
—— Int. pro indulgentiis qualis sit necessaria II, 538.
—— Intentio legis non implendae eamque evadendi, quando sit peccatum, quando non ita I, 157. 159. — Finis legis num intendi debeat 151. 1211 *not.*
—— Intentio in Missa. Quomodo debeat intentio *determinari* in applicanda Missa II, 187. 188. — Sufficit intentio habitualis 187. — Quid, si plures factae sibi invicem contrariae 188. — Debet exsistere saltem ante secundam consecrationem 188. — Quid, si nulla facta

est intentio 187. — Quid sibi velit *prima* et *secunda* intentio 186.
Intentio. Intendere. Intentio in sacramentis administrandis quae requiratur II, 24 sqq. — Intentio rei sacrae faciendae 26; — agendi nomine Christi 26; — externa quae dicitur, an sufficiat 27. — Si adsunt intentiones oppositae 30. — Intentio in suscipiendo sacramento sufficit generatim habitualis, vel etiam interpretativa 48. 49.
Interdictum ut censura eccl. Generale et speciale, locale et personale II, 906. — Quae officia divina et sacramenta prohibeantur 908. 909. 911. — Dies festi et personae exempti 909. 910. — Interdictum „*ab ingressu ecclesiae*" 912. — Interdicti violatio 913; — innocentes quando parvitatem materiae committant *ibid.* — Poenae in certas violationes 914.
Interdictus ab administratione bonorum I, 1057.
Intermedius in emptione et venditione a qua fraude cavere debeat 1123; — in contractu aestimatorio 1124; — in restitutione peragenda 1029. 1030. Cf. **Internuntius.**
Interni. Actus mere interni a civili auctoritate praecipi non possunt I, 130. An per ecclesiasticam auctoritatem 131; — an puniri II, 864. — Confessarius eos certo injungere potest pro satisfactione sacramentali 356. Cf. **Actus.**
Internuntius si restitutionem sibi commissam non faciat I, 1030. — Quid possit in promissione et donatione exorta morte promittentis vel donantis 1083. 1086.
Interpres. Confessio per interpretem an necessaria II, 328.
Interpretatio doctrinalis legum earumque obligationis attendere debet objectum I, 146. 148, finem 147, verba 149, mentem legislatoris 149. 150; — authentica alia est comprehensiva, alia extensiva 149. 204; — dispensationis stricta an lata 171.
Interpretativa intentio I, 4; II, 48.
Interrogatio. Interrogationes in baptismo num linguâ vernaculâ II, 69; — in sacramento Poenit. ex officio facienda 419. 420; — modus 420.
Interrogatorium confessionis gener. II, 351.
Interstitia in ordinibus suscipiendis II, 606.
Interrumpere formam sacramentalem II, 13. 14. — Missam an liceat et quamdiu 246; — in gravi necessitate proximi fieri debet 247.
Intimatio quae requiratur ad contractum I, 1061; — an reciproca? *ibid.*
Intrusus. Num ab eo liceat recipere Sacramenta II, 54.
Inventarium. Acceptatio haereditatis sub beneficio inventarii I, 1159.
Inventio. Inventor. Ad quid inventor rerum alienarum teneatur I, 915; — possitne rem inventam suam facere titulo judicialis sententiae, praescriptionis, occupationis 915; — an, domino non comparente, res pauperibus debeat dare 916. Cf. **Thesaurus.**
Invidia I, 619. — Distingui debet a similibus tristitiae affectibus *ibid.* — Ejus malitia *si proprie* est invidia, ex genere suo mortalis, minor quam inimicitiae odium 618. — Remedia II, 452.
Invincibilis ignorantia I, 17 sqq.; — error 43 sqq.
Jocari cum diabolo quale peccatum I, 427.
S. Joseph. Ejus matrimonium virgineum cum B. Maria V. II, 690.
Ira. Iracundia. Notio I, 719. 737. — Remedia II, 453.
Irregularitas. Notio et divisio II, 1002. — ut poena est, non incurritur ab ignorantibus 1003; — severius consideratur ad suscipiendos ordines quam ad ordines jam susceptos exercendos 1001; — tollitur pro diversitate aut ipso facto, aut dispensatione vel absolutione 1004.
Irreligiositas sitne gravius peccatum quam superstitio I, 364. 1227 sq.
Irreverentia erga Deum I, 370. 371; — erga parentes 790. 793.
Irritatio v. **Contractus, Juramentum, Lex, Votum.**
Iteratio sacramentorum conditionata II, 16. — quando fieri debeat 18; — quae et quanta obligatio 19; — quando fieri liceat, non tamen debeat 17. 19; — quando non liceat 17; — quale peccatum irrationalis et scrupulosa repetitio 17; — baptismi ab acatholicis collati 19 cum *not.*
Iter. Itinerantes religiosi a quo absolvendi II, 394.
Jubilaeum. Notio II, 543; — ejus utilitas 545. — Quid addatur ad plenariam indulgentiam 543. Cf. **Facultates.**
Judaei. Judaeorum filii, invitis parentibus, num baptizandi II, 87.
Judex. Ejus scientia et peritia necessaria I, 802. — Quid in dubio facere debeat circa rem criminalem 801; — in causa civili 808. — Num ex privata scientia contra reum agere possit 807. — An ex illa pro reo agere debeat contra juridice probata 806. — Possitne aliquod munus postulare vel accipere pro justa sententia 809. 810; — pro injusta 809; — pro eo, quod unum alteri praetulerit ejusve causam prius expedie-

rit 808? — ad quid teneatur ex sententia injusta 803, ex mulcta non imposita *ibid.* 1014. — Num causas injustas in alium judicem conjicere possit 662; — num secundum leges injustas jus dicere 804; II, 701 *not.* Cf. **Civile matrimonium, Divortium.**

Judex in sacramento poenitentiae. Sacerdos *judicem* agit II, 253. 302. 355; sed aliter quam in judicio humano 255 *not.* Cf. **Jurisdictio.**

Judicium. Judicii forma a judice servanda I, 801. 804; num a judice supremo? 803.

—— confessarii de peccatis auditis II, 421; ceteroquin cf. **Poenitentia.**

—— temerarium quale peccatum, quid differt a suspicione I, 1185. 1186.

Juramentum est invocatio Dei ut testis I, 405. Conditiones *ibid.* — Invocatio creaturae quando juramentum 407. — Verba dubia quomodo sumenda 408. — Defectus seu peccatum triplex: def. judicii ex se venialis 410, — veritatis ex se mortalis 411 (quanta certitudo necessaria 411), — justitiae modo venialis, modo mortalis 412. — Juramentum fictum ejusque peccaminositas 409. — J. promissorium quid addat ad notionem juramenti 406. — Promittere rem malam peccatum est neque obligat 416; — promittere rem leviter malam in se mortale peccatum, practice saepe veniale tantum *ibid.*; — quid si res est inutilis, ac obligatio inde oriunda 422. — Jurata promissio sine animo implendi 411, admittatne parvitatem materiae *ibid.* — Liceatne jurare cum restrictione mentali 411. 417. 418. — J. promissorii *obligatio* 414, — principalis aut accessoria 416, — quo sensu explicandus ejus ambitus 418 sqq. — Admittit ejus laesio parvitatem materiae 415; — ejus malitia differt omnino a juramento falso 415; — metu extortum inducatne obligationem 417. — J. servandi secreta, observandi statuta quo sensu intelligatur 420. — J. fidelitatis quo sensu sumatur; — quo modo liceat, exsistentibus legibus iniquis 421. — Juramenti solutio per dispensationem et irritationem 423. 424. 479. 1080; — per condonationem ejus, in cujus favorem emissum est 423. — J. contractui appositum 1078; contractum juramento firmari quid sit 1078.

Jurati judices in re criminali I, 807.

Juridica culpa I, 964. — Obligatio restitutionis ex ea oriunda 965; ea tandem post judicis sententiam, nisi culpa fuerit simul theologica *ibid.*

—— bona fides in praescriptione I, 921.

Juridica persona I, 754. 756.

—— potestas II, 253. 302.

Jurisdictio. Jurisdictionis potestas I, 119 sqq.; — distincta a potestate dominativa 72 *not.* 539; — usurpata 802.

—— ecclesiastica. Notio II, 370 *not.*; — interni et externi fori 928, speciatim in sacramento poenitentiae 370; in quo nullus homo habet sibi *propriam ibid.*, quamquam ordinariam 372. — Ordinariae et delegatae usus 372. 375; — delegata quam late intelligatur 383; — probabilis et dubia 388. — Liceatne uti jur. probabili 391, — dubia 390. — Jur. R. Pontificis ordinaria in totam Ecclesiam 373. — Episcoporum jurisdictio quo sensu juris divini sit 375. — Parochorum jurisd. quos limites habeat 376. 377. — Regularium v. **Regulares.** — Jurisdictio in peregrinos, vagos etc. v. **Peregrini** etc. — Jurisdictionem ecclesiasticam impedientium poena 928 sq. 939. 940. — Jurisdictionis privatio per excommunicationem 894, — per suspensionem 900.

Jus. Notio generica I, 750; — in re et ad rem 752; — perfectum et imperfectum *ibid.* Juris subjectum quilibet homo, etiam infans et amens 754. 755, — etiam personae morales 756. — Juris objectum non potest esse ipse homo 757. 760, — at ejus labores *ibid.*; — bona externa 757. 758; — fama 759. Jus gentium sitne legis naturalis an positivae 191; — immutabile an mutabile 192. 193; — ejus objecta 194. — Jus Romanum civile. Ejus naturalis aequitas et pietas I, 808. 1079.

Jussio. Notio I, 1000. — Quomodo distinguatur a mandato *ibid.* — Ut causa restitutionis cf. **Mandatum.**

Justitia. Conceptus et notio I, 748. 749; — distributiva, vindicativa, legalis a stricta notione justitiae deficiunt 749. 753; — justitia commutativa est stricta seu rigorosa 751. — Laesio justitiae quod peccatum 761. 762. — Solum, si in se vel in alia laesa est justitia commutativa, adest obligatio restitutionis 761. 763. 764, idque *per se* in eodem objecti genere tantum 765; — ejus conditiones generatim sumptae 766. — Utrum laesa sit justitia, an non, pendere potest ex intentione 766.

L.

Labor aliquo modo omnibus hominibus praecipitur I, 588. — Divites quomodo obligentur et satisfacere possint *ibid.*

—— servilis dieb. Dom. et fest. prohibitus 545 sqq. — Per alios laborare

quod et quantum peccatum 137. 550. — Qui sit labor servilis 548. — Quae materiae parvitas 550. — Num hac lege teneantur non-baptizati 137. 546, num haeretici 136. — Causae a lege excusantes: necessitas, caritas, pietas 551 sqq. — Dispensationem quis dare possit 547.

Lacticinia quando prohibita v. **Jejunium.**

Laesae Majestatis crimen inducit irregularitatem II, 1010.

Laica potestas. Recursus ad eam, quo impediantur lit. Apost. II, 932 sq.

Lampas coram SS. Eucharistia asservatâ II, 132.

Laridum diebus abstinentiae et jejunii quando permissum I, 1212.

Latria I, 336. 337. 349.

Laxitas. Laxae conscientiae periculum I, 66; — aliquando a peccato gravi affert excusationem 66, III. — Laxismus non plane confundendus cum laxa conscientia 74; ejus condemnatio 75.

Lectio prava I, 865. 868. Cf. **Liber.**

Lectoratus. Ejus officium II, 584; — materia et forma 587.

Legalis justitia cf. **Justitia.**

Legatum. Quomodo intelligenda sint legata et conditiones implendae I, 1077. 1164; — dat solum jus ad rem 1159. — Legata pia quomodo subtracta sint civili auctoritati 1162.

Legislatio. Legifera potestas omnis ultimo ad Deum reduci debet I, 200; — apud quos resideat in Ecclesia 120; — in Superioribus regularium limitata est 1213.

Legislator quo sensu tenеatur suis legibus I, 144. 145; — non tenetur ullatenus in iis causis, in quibus cum aliis licite dispensaret 145.

Legitimatio illegitimae prolis I, 887; II, 1018. 1019.

Lenitas. Lenitatis defectus irregularitas II, 1027.

Lex. Notio et distinctio I, 68. — Conditiones essentiales 69; — collata cum conscientia 67, cum praecepto 72; — quaelibet ad divinam legem reducitur 71; — in conscientia obligat, etsi legislator de Deo non cogitavit 211.

—— aeterna. Notio 183—185.

—— naturalis est fundamentum omnium aliarum legum 186; — non potest penitus ignorari 187; — in se immutabilis 189; — ratione objecti aliquando mutabilis 190.

—— positiva antemosaica 195. 196; mosaica 197.

—— christiana aucta est super veterem legibus moralibus et caerimonialibus 195. 198; — abrogavit leges judiciales et caerimoniales V. L. 197, quae factae sunt mortiferae 197; — confirmavit leges morales naturales 198, obligationem graviorem quidem, sed non specie diversam induxit *ibid.*; — veteri longe perfectior est 198. 199; — quomodo omnes homines liget 199.

Lex humana per recursum ad legislatorem interim suspendi potest 126; — quod incommodum ab ea excuset 155; — an peccaminoso actu impleri possit 153.

—— directiva, poenalis, mixta. Notio et obligatio 68. 207.

—— irritans I, 68. An exsistat lex irritans naturalis 212; — positivo jure statui potest sive ecclesiastico sive civili 212. — Lex irritans ipso facto et post sententiam 213. — Potest esse simul prohibens 214. — Ignorantia a lege irritante plerumque non excusat *ibid.*, aliquando tamen *ibid.*, item gravis metus *ibid.* Cf. **Civile, Dubium, Ecclesia, Promulgatio, Universalis** etc.

Liber, Librorum impressio. Liceatne libros alienos denuo prelo committere I, 904; — in aliam linguam vertere 905. — Libri pravi. Eos conficere 666; — iis imprimendis cooperari 663; — eos sive ephemerides publice exponere 664, — venales habere 663 *not.*, legere 182. 868; II, 924. — Eorum prohibitio II, 923, sub poena excommunicationis *ibid.* 924. — Num aliquando sine licentia legi possint I, 182. — Libri sacri. Liturgici recognitionem Episcopi prae se ferre debent II, 232; — de S. Scriptura omnino indigent approbatione Ordinarii 980. Libelli quo sensu eximantur a legibus poenalibus circa libros 923. Cf. **Bibliopola.**

Liberalitas. Notio virtutis I, 775.

Libertas. Liberum. Quotuplex distinguatur I, 5. — Esse hominem liberum, probatur *ibid.* — Liberum est voluntarii affectio, ab eo non realiter distinctum 7. — Non iisdem limitibus continetur voluntarium et liberum 6. Libertas Ecclesiae: Poenae in eos, qui illam legibus, decretis violant II, 930; — qui exsecutionem literar. Apost. impediunt 932; — qui libertati S. Officii obstant 973. — Libertas matrimonii: Poenae in eam violantes 982; — in eos, qui libertatem feminae violant quoad ingressum in monasterium 983. — Libertatis defectus ut irregularitas 1021.

Licentia expressa, tacita, praesumpta I, 527. — Quae lic. Superioris a paupertatis religiosae laesione excuset *ibid.*

Licitatio v. **Venditio** sub hasta.

Ligamen. Impedimentum matrimonii dirimens II, 740. — Quomodo solutio ligaminis per mortem probari debeat 741.

— An cum dubio ligamine matrimonium inire *bona fide* possibile sit 844.
Ligna caedere in silvis conductis I, 885; in silvis publicis 934.
Litaniae Sanctorum sub gravi adjungi debent officio divino diebus rogationum et S. Marci II, 622.
Literae. In pravis literis scribendis, deferendis juvare I, 669. — Per literas confiteri II, 271 *not.* 328; — pro absolutione a reservatis recursus nunc exigitur 410. — L. Apostolicas impedire 932. 933; — falsificare 934. 971.
Liturgia. Praecepta pro Missa II, 209 sqq.
—— *functiones*, a quibus excommunicatio excludit 1027.
Locatio. Locator. Notio et regulae I, 1125. — Pretium locationis laborum 1127. — Locator de quibus damnis respondere debeat, de quibus locatarius 1126.
Loteria I, 1137.
Lotio sacrorum linteorum et vasorum quibus permittatur II, 237; — loci, ubi ceciderit vel stillaverit aliquid sacrae speciei, quam necessaria 142.
Ludus. Conditiones, ut ludus sit licitus I, 1139; — lege positiva illicitus 1140; in eo victor et victus, quid juris vel obligationis habeant 1140; — *aleatorius* qui sit, qua lege clericis prohibitus II, 617. — Non idem de ludo mixto valet *ibid.* Cf. **Eutrapelia.**
Lumen. Liceatne sine ullo lumine Missam celebrare II, 233. Cf. **Cereus.**
Lunula Ostensorii qualis esse debeat II, 132 *not.*; — benedicenda 236.
Luscus non irregularis II, 1023.
Luxuria. Notio, distinctio a delectatione sensitiva I, 861; — delectatio luxur. directe volita non admittit parvitatem materiae in homine soluto 862; — indirecte voluntariae peccaminositas pendet ex causa 862. 863. — Causae graviter, leviter, mediocriter in luxuriam influentes 864. — Remedia contra lux. II, 450.

M.

Machinatio v. **Conjugicidium.**
Magia v. **Superstitio.**
Magister. Ejus obligatio erga discipulos I, 829; — contra eos delinquens quando malitiam specie auctam contrahat *ibid.*; — quando teneatur de damnis discipulorum 1014.
Magnanimitas quid sit I, 704.
Magnetismus quo sensu et limite licitus I, 359. — Signa aperta illiciti usûs 360. — Responsa S. Officii de eo 361.
Magnificentia qualis virtus I, 705.
Majestatis laesae crimen irregularitatem inducit II, 1010.
Maleficium. Notio et malitia I, 351. Cf. **Superstitio.**
Malitia quid sit I, 223; — multiplex in peccato 224 sqq. — Peccata malitiae quae vocentur 221. Cf. **Peccatum.**
Malum optare alteri I, 243. 616. 622. Cf. **Desiderium, Cogitatio.**
Mandans. Mandatum. Notio et obligatio I, 1000. 1089. — In causa damnificationis ad quid teneatur erga mandatarium 1000, erga damnificatum 1000. — Revocatio mandati quando excuset 1001; — an et quando excuset ab excommunicatione II, 868. — Mandatum quomodo exstinguatur I, 1089.
Manipulus v. **Paramenta.**
Mansuetudo. Virtutis notio I, 718.
Manûs impositio. In confirmatione quomodo necessaria II, 94. — In ordinis sacramento: diaconatu 588, presbyteratu 589. 590, episcopatu 589.
Mappa altaris. An debeat esse benedicta II, 232. — Requiritur triplex 227, non tamen omnes sub gravi *ibid.*
Maria, B. Virgo invocanda I, 345. — Salutatio angelica an sub obligatione sit scienda 283. — Cur vocetur „*prudentissima*“ 693. — Ejus matrimonium virgineum cum S. Joseph II, 690. — Cf. etiam **Rosarium.**
Maritus possitne directe irritare vota uxoris I, 462; indirecte 458. 464; — dissipans bona communia ad quid teneatur 897. — Ejus officia erga uxorem et familiam II, 859; — qua conditione recipere possit sacros ordines 618. 710. 712.
Martyrium quid efficiat et quomodo suppleat baptismum II, 57.
Massonica secta. Ejus asseclae et fautores excommunicantur II, 950 sqq. — Qui non vult obsequi mandatis confessarii, quandonam incurrat excommunicationem 950. — Liceatne eorum conventibus interesse 951; — aedes exstruere I, 658; — emblemata conficere 657, signis distinctivis uti 294. — Quid in eorum matrimoniis observandum II, 696. 714. — Occulti coryphaei denuntiandi 952; matrim. inire cum masson. 715 *not.*
Mater. Ejus obligationes erga prolem I, 784; — debeatne filium lactare *ibid.* Cf. **Abortus, Caesarea sectio.**
Materia sacramentorum II, 10. 11; — remota et proxima 11; — debet esse certa 15; — in casu necessitatis adhiberi debet etiam dubia, at qua cautione 15. — Defectus essentiales et accidentales 12. — Ejus unio cum forma pro diversis

sacramentis diversa 13. Cf. **Sacramentum** et *singula sacr. sub suis nominibus.*
Matrimonium. Definitio II, 678. — Est verus contractus *ibid.*; — ejus conditiones 685; — virgineum 690; — matr. in *fieri* et in *facto esse* 679; matr. legitimum tantum, ratum, consummatum 678. — Ejus indissolubilitas quo sensu juris naturalis 701. — Permissio divortii in L. V. explicatur 702. — Absolute indissolubile solum matrimonium christianum consummatum 700; — infidelium solubile in favorem fidei 705 sq. — M. christianum essentialiter sacramentum est 681, idque vivorum sacramentorum 682, etiamsi id a contrahentibus non intendatur formaliter, si modo non excludatur 692; — effectus et significatio 682. — Materia et forma sacramenti in consensu exterius declarato consistit 684; — ministri sunt ipsi contrahentes *ibid.* et 691. Conditiones appositae v. **Conditio.** Causae matrimoniales spectant ad Ecclesiam 656; — solae temporalium rerum sequelae ad forum civile pertinent *ibid.*
—— Caerimoniae observandae II, 693 sqq. Alia est benedictio solemnis, alia ritualis tantum 693; — solemnis illa non semper danda 694, — non danda extra Missam, non tempore clauso, non in matrim. mixto 694. 695; — ad eam accipiendam fideles non obligantur 694, sed adhortandi sunt, imo postea suppleatur *ibid.* — Num possit contrahi matrim. coram ministro acatholico 696.
—— Matrimonii libertas. Laedentes ab Eccl. puniuntur 982.
—— promissio a seductore I, 997.
—— Mixtum matrimonium ex qua causa licitum II, 715; — etiam cum cautelis non est licitum sine gravi causa *ibid.*; — generatim Ecclesia illud detestatur 716. — Ejus promissio generatim non sunt vera sponsalia 667. 668. — Ecclesiae tolerantia et dispensatio non *semper* illud licitum reddit 715. — Dispensatio jure *communi* reservatur R. Pontifici 716. — Benedictio ritualis in eo aliquando permittitur 695. — Si cautiones impletae non sunt, summum sola assistentia passiva permittitur 696. — Monita alioqui necessaria aliquando dissimulanda *ibid.* — Ubi sint valida sine forma Tridentina 785 sqq.
—— Ratum tantum matrim. professione solemni religiosa dissolvitur II, 703; — dissolvi potest ex gravi causa a R. Pontifice 704, — cui comparatur matrimonium ex infidelitate conversorum post baptismum nondum consummatum 707. 709.
Matrimonium. Revalidatio matrimonii quando fieri debeat in forma Trid. 824; — renovatio occulta 823. — An requiratur cognitio nullitatis prioris consensûs 825. — Revalidatio in moribundo I, 1062; II, 791. — Revalidatio in radice 828. 829; — quo sensu perseverantia consensûs prioris necessaria sit 831. 832. Cf. **Civile, Clandestinitas.**
—— Usus v. **Conjugale debitum.**
Matutinum. Sitne obligatio recitandi matutinum ante Missam II, 219. Cf. **Officium divinum.**
—— Matutinae preces num praeceptae I, 347.
Medica ars. Medicus. Ars med. quaelibet clericis interdici potest II, 613. Quae sit ipso jure interdicta *ibid.* Scientia et peritia medico necessaria I, 993. — Experimentum in homine sumere non licet *ibid.* et 995. — Num minus securo remedio contentus esse possit 83. — Alia peccata medicorum 994. — Monere debet aegrotum tempestive, ut animae suae prospiciat 993. 995; — pauperi quando gratis succurrere debeat 993; — quid, si ab eo remunerationem extorqueat 1114.
Meditatio possitne praescribi in sacro secessu sacerdotum I, 131. — quae requiratur in peragenda „via crucis“ II, 559.
Memoria peccatorum, quae confessario necessaria II, 347. 348. 418. 422.
Mendacium I, 771; — in quo consistat ejus malitia 772; — non ex se, sed aliunde est mortalis *ibid.* — M. in confessione quod faciat confessionem sacrilegam? II, 313. 315; — etiam mend. leve id potest aliquando efficere 314.
Mendicantium ordines. Eorum paupertas I, 521; — mutua communicatio in privilegiis II, 655.
Mercator v. **Vendere.**
Mercatoria relatio chirographorum eorumque aleatoria emptio I, 1136.
Mercatura. Missionarii eam exercentes qui excommunicentur? II, 979; — cum stipendiis Missarum interdicta 205. 960. 971 *not.*
Mercenarius v. **Operarius.**
Merces. Mercedem a singulis recipere integram I, 825. 1051.
Meretrices an tolerari possint I, 676 *not.* — Liceatne iis domum locare *ibid.*; — ad earum domum vehere, comitari 671.
Meritum condignum et congruum I, 257. Mer. condigni conditiones necessariae 258; — quibus modis augeatur 263; — quantopere pendeat a perfecta intentione bona 263. 264; — ejus objectum 259. — Mer. congrui conditiones et objectum

260; — ejus cum impetratione collatio 260. 264; — merito congruo addito, non minuitur mer. condignum 261. — Merita Christi et Sanctorum in indulgentiis II, 531 *not.*

Meritum meritorum excellentia causa canonica dispensationis matrim. II, 802.

Metus gravis et levis I, 24; — intrinsecus et extrinsecus ortus *ibid.*; — etiam gravis non excusat per se a culpa gravi 25. 26; — in lege positiva, maxime humana, aliquando excusat 25; — quando a censura II, 867.

—— in contractu, juramento, voto v. **Contractus, Juramentum, Votum.**

—— ut impedimentum matrimonii. Qui metus dirimat matrimonium II, 735; — non eximit ab omni obligatione eum, qui intulit 737; — cessante metu, nondum per se sanatur matrimonium 737. — In casu gravissimae necessitatis an cesset metûs *impedimentum* 738. 739.

Micae S. hostiarum quae reperiantur quomodo tractandae II, 142; — in fundo ciborii *ibid.* 123. 132, v. *not.*

Miles. Militia. Quando obediendum sit a militibus in dubio de justitia belli I, 856. — An diripere possint bona privatorum 857. — Injustitia in iis diripiendis commissa vel non commissa *ibid.* — Restitutio in bello injusto 858. Cf. **Bellum.** — Ante pugnam excusantur ab integritate confessionis II, 329, quae postea tamen suppleri debet *ibid.* — Militiae sese subducere quale peccatum I, 986; obligatio redeundi quae et quando *ibid.*; fraus in subductione commissa quando restituendi obligationem secum ferat, quando non 987. 988.

Minas inferenti denegari debent sacramenta II, 43.

Minister. Ministrare. Ad Missam ministrare feminam II, 244; — adhibere respondentem solum ex longinquo *ibid.* — Sine ullo ministro non licet celebrare nisi ex omnino gravi causa *ibid.*; facilius licet prosequi Missam inceptam, si minister recesserit *ibid.*

—— In Sacramentis M. debet agere in persona Christi II, 20; — in statu peccati ministrare quale peccatum 34. — Obligatio ministrandi gravis fit tum ex officio suscepto, tum ex necessitate proximi 37. — A ministro indigno petere sacramentum an liceat 83; — ab excommunicato, haeretico 53. 54. 392; in matrimonio 696. Cf. **Sacramentum,** *et singula sub sing. nominibus.*

Minores I, 887. Quid possint in contractibus 1055; — an teneantur ad restituendam pecuniam, quam mutuatam acceperunt ad usus peccaminosos *ibid.*; — proteguntur contra praescriptionem 924. — Minores quoad proclamationes matrimonii II, 674. Cf. **Filii familias.**

Minores ordines sintne sacramenta II, 581; — aetas requisita 600; — scientia 601. — Ritus et officia v. **Ordo.**

Miraculum petere quando sit tentatio Dei I, 376. 377.

Misericordia. Notio — distinguitur a liberalitate et a caritate I, 776; — misericordiae opera corporalia 608 *not. 2,* spiritualia 610.

Missa est verum sacrificium II, 164; — quo sensu relativum 165; — unum et diversum a sacrificio crucis 165. — Christus sacerdos principalis 166, idque qua ratione 167. — Ejus essentia solâ consecratione absolvitur, alterutra re ipsa non sufficit *ibid.*; — quatuor omnis sacrificii fines abundantissime implet 164.

—— Celebratio. Obligatio celebrandi vi sacerdotii II, 191. 192; — M. neopresbyteri 607; — ex stipendio 197 sqq.; intuitu stipendii celebrare num sit simonia I, 390; II, 198; — majus stipendium *exigere,* an simonia sit *ibid.*; non ita, si labor extrinsecus accedat *ibid.* Cf. **Celebrare, Stipendium.**

—— Defectus. In canone longe facilius grave peccatum constituunt, quam in aliis partibus II, 241; — non essentiales non facile corrigendi sunt, quando celebrans jam ulterius progressus sit 242. Cf. **Liturgica praecepta.**

—— Fructus eorumque applicatio. Qui respondeant Missae, ut est actio Christi: propitiatio et impetratio ex opere operato II, 169. 172; — ut est actio Ecclesiae: impetratio 168. 172; — ut est actio personalis sacerdotis et adstantium, est etiam meritoria 168. — Non omnes fructus infallibiliter oriuntur 171. — Specialis applicatio pro singulis plus prodest quam communis 173. 183; — specialis applicatio quomodo injungi possit I, 131; II, 194 sqq. — Fr. generalis, ministerialis, personalis 173. — An fr. infinitus 183; — divisibilis 184. Non omnibus omnes fructus applicari possunt 176. — Aliqui ex natura rei, aliqui ex Ecclesiae prohibitione excluduntur 176. — Excommunicatus vitandus a quibus fructibus absolute excludatur *ibid.* — Quo sensu possit applicari Missa pro haeretico, schismatico 177; — pro haeretico defuncto 176; — pro infidelibus 177. — Quomodo prosit defunctis 179 sqq.; — catechumenis 177.

—— Applicatio ex obligatione debita quando fieri debeat 187; —

qualis 188. 189; — ex pluribus quae praevaleat *ibid.*

Missa. Locus 221 sqq.

—— Qualitas. Etsi obligatio est ad certam qualitatem, plerumque non gravis 239; — in honorem certi Sancti 201. — In aliena ecclesia 239; — in sacellis privatis celebrans semper *suum officium* respiciat *ibid.*

—— Tempus 217 sqq.; cf. **Aurora.** Hora ante auroram M. dicere quibus liceat 655. — Num liceat per totum annum hora secunda post mediam noctem *ibidem.* Tempus in Missae celebratione insumendum 220. — Notabili acceleratione graviter peccari potest *ibid.*

—— M. assistere die Dom. et fest. obligatio gravis I, 555; — integrae Missae assisti debet; quae materia gravis 559, — levis 560. — Praesentia in loco celebrationis moraliter sumpto 557, non necessario physice sumitur *ibid.*; — praesentia formalis seu cum intentione colendi Deum 558; — an impediatur confessione *ibid.* Causae excusantes: damnum mediocriter grave 563, ut distantia, infirma valetudo, damnum fortunae, pudoris 563—566. — Gravior causa requiritur, ut per totum annum Missam praetermitti liceat 567. — Non est stricta obligatio accedendi ad ecclesiam parochialem 561.

Missio. Titulus missionis ad recipiendos sacros ordines II, 603.

Missionarius. Non ex obligatione justitiae, sed ex decentia caritatis Missam applicat pro populo II, 194: — mercaturam exercens quando incurrat excommunicationem v. **Mercatura.**

Moderamen inculpatae tutelae quid sit I, 832. 834; — si non servatur 989.

Modestia. Explicatio et opposita vitia I, 722.

Modus contractui adjectus distinguitur a conditione I, 1075; — quam pariat obligationem *ibid.* — Diversi modi: „ad certam causam", an obligent ad eandem 1076.

Mohatra. Contractus propter usuram palliatam prohibitus I, 1123.

Monialis stricte et late sumpta II, 399. — Libertas earum in assumenda vita religiosa protegitur 983; — semper de dote pacisci possunt 958. — Pericula et peccata 508. — Earum confessarius specialiter approbatus esse debet 399, etiam in jubilaeis 550; — quae ejus dotes 506. 509; quid imprimis attendi et exigi debeat 507. — Confessarius extraordinarius exhibendus, quid in eo observandum 401. — Moniales quae intelligantur 399. — Episcopus easdem leges ad moniales latioris sensûs extendere potest *ibid.* — Monialis claustrata extra claustrum legitime degens possitne a quolibet confessario absolvi 400. Cf. **Clausura.**

Monitio a confessario facienda est, si agitur de ignorantia in rebus fidei plane necessariis II, 442; — in re particulari, si speratur fructus, secus potius omittenda 445; — attamen aliquando etiamtum fieri debet 444. — Aliquando confessarii est declinare responsum 446.

—— Mon. compartis in casu nullitatis matrimonii, ut hoc revalidetur II, 825—827. Cf. etiam **Correctio.**

Monopolium. Quomodo monopolio arte vel fraude inducto sive justitia sive caritas laedi possit I, 1119.

Moralis theologiae studium ab Ecclesia urgetur II, 441.

Moralitas sensu neutro in quo consistat I, 27; — sensu specifico *ibid.*; — falsi conceptus *ibid.* — Actuum moralitas pendet ab objecto, circumstantiis, fine 28. 29. 30. — Moraliter bona actio ex integro debet esse bona, quo sensu 31 et 32; — moraliter mala fit ex quolibet capite *ibid.*

Moribundus. Obligatio illi assistendi II, 647. — Summa cura adhibenda 516; — num privari possit usu rationis, ne dolores sentiat I, 743. — Praxis augendi ejus merita II, 518 sqq. — Mor. testamentum spirituale 522. Cf. etiam **Benedictio papalis.**

—— nondum baptizatus quando baptizandus II, 48. 78.

—— quoad Communionem. Saepius communicare potest non jejunus II, 161; — qui sacrilege sumpsit S. C., debeatne iterum communicare 145; — vomitu laborans vel tussi quomodo tractandus 146; — sensibus destitutus *ibid.*

—— quoad confessionem. Quousque absolvi possit ille, qui sacerdoti praesenti signum non dedit 510. 511. — An etiam homo acatholicus 511. 515. — Quomodo habeatur aliqua probabilis accusatio 512 sqq.

Morosa delectatio v. **Delectatio.**

Mors. Mortem sibi causare indirecte ex gravi causa licet I, 579; causae pro circumstantiis diversae exiguntur 580. — Mortem sibi *optare* potest esse actio bona 582; — sine justa causa plerumque peccatum veniale est *ibid.*; — si cum rebellione erga Dei voluntatem, peccatum mortale *ibid.* Cf. **Desiderium.**

Mortale peccatum. Discrimen internum a peccato veniali I, 230; — ex objecto suo quid sit 233; — quot modis fieri possit veniale 231. — Quid requiratur ad mortale peccatum 231. — Ejus malitiae communes 224 sqq.

Mortis articulus sive **periculum** v. **Moribundus.** In eo quilibet sacerdos habet jurisdictionem II, 392; — quae excusatio a confessione *integra* 329 sq. 343. 517. — Reservatio peccatorum et censurarum cessat 413; qua restrictione 878.

Mortui. M. civiliter I, 1055. 1058. Alioqui cf. **Defuncti.**

Motivum impellens et movens I, 169. 1064; II, 800; — supernaturale ad merendum I, 258. 262; — contritionis perfectae II, 76; — attritionis 286. 287; — particulare doloris 290. 297. 299.

Motus primo-primi, secundo-primi, secundi qui vocentur I, 22. 23; — pravi quando culpabiles 15; — num neutrali voluntate tolerari possint sine gravi culpa 22. — Eos causare v. **Causa.**

Mulcta. Qui damnificatorem non denuntiavit, non punivit, debeatne mulctam restituere, quam alioquin ille soluturus erat I, 1014 v. **Custos;** cf. **Poena.**

Mulier jure divino incapax est ordinum suscipiendorum II, 599; etiam jurisdictionis eccles. ordinariae I, 123; — delegatae solo jure ecclesiastico capax *ibid.;* — num potestate ferendae censurae II, 872.

— ministrans ad Missam 244.

—— in casu fornicationis vel adulterii quomodo *cum complice* teneatur quoad sequelas I, 996. 998 sq.; — quando *sola* 997. 998 *not.;* — ornatu lascivo utens 437. 443. Cf. **Uxor.**

—— Cohabitatio cum mulieribus quae sit clericis interdicta, quae permissa II, 619.

Munera accipere quando simonia I, 336 sqq.; — judici quomodo prohibitum 808—810; quando contra justitiam commutat. 808. 809.

Mustum. In musto celebrare II, 119. Consecratio valet, licebit in necessitate *ibid.*

Mutare opiniones probabiles liceatne I, 114. 115; — judici 808; confessario 116 sq. — Mutatio in materia et forma sacramentorum II, 11 sqq.

Muti quoad confessionem II, 328. 484; — non laborandum in integritate *ibid.*

—— quoad indulgentias. Quomodo eas lucrari possint 542.

Mutilare. Se ipsum mutilare non licet I, 577; — licet ad salvandam vitam *ibid.* — Irregularitas inde oriunda II, 1016.

Mutuum. Notio contractûs I, 1090. — Versatur ex se circa rem sterilem 1090. 1092; — non admittit jus foenoris, nisi extrinsecus 1090. 1099 sqq. — An pecunia alteri tradita necessario sit objectum stricti mutui 1093 sqq. — Reconciliantur antiquae leges Ecclesiae severae cum hodierna praxi mitiore 1105 sqq.

Mysteria creditu necessaria I, 276 sqq.

N.

Narrare peccata aliena v. **Detractio.**

—— peccata propria sacerdoti ut amico v. **Confessio.**

Natalium defectus, irregularitas II, 1018. 1019.

Nativitas ut titulus acquirendi dominium pullorum animalis I, 916 a.

Nativitas D. N. In latina Ecclesia sacerdoti licet ter celebrare II, 210; — non tamen statim a media nocte 217. — Qui perficit Missam alterius sacerdotis deficientis non potest nisi duas alias celebrare 210. — Qui ex privilegio quotidie dicit Missam de Beata, in festo Nativitatis semel tantum celebrare potest *ibid.* — Pro *singulis* illis Missis licet stipendium accipere 212.

Naturales filii qui vocentur II, 1018.

Naufragium. In naufragio tabulam cedere amico cum propriae vitae periculo, plerumque licet I, 580. — Quomodo absolvendi sint homines in naufragio II, 271. 329. — Naufragantium bona non occupanda I, 916 *not.* 2. 1041.

Navarchus exemplum voluntarii indirecti I, 4. 15; — temere incitans cursum navis 15.

Navigantes. Eorum confessio a quo excipi possit II, 386.

Necessitas proximi diversa et diversi ordinis I, 601. — Ad quid proximi necessitas, praesertim extrema, alios obliget 602. — Extrema et quasi-extrema morali et latiore sensu quae intelligatur 936. — In ea ex rebus alienis sibi assumere quid liceat 937.

—— medii et praecepti quid sit II, 5; — quae sacramenta sint ita necessaria 7. 115; — qui virtutum actus I, 273. 308. 321; II, 274; — quarum veritatum fidei cognitio I, 277 sqq.; — negligentia in hac re peccaminosa 569

Negative voluntarium I, 11; quando culpabile 12.

Negligentia in repellenda tentatione I, 23. 232; — in inquirendo domino rei detentae 957, inventae 915; — in praecavendo damno 803. 966. 969. 1012 sq.

Negotiatio clericis prohibita quae intelligatur II, 611. — Non comprehendit venditionem fructuum proprii laboris 612. — Prohibitionis gravitas *ibid.* Cf. **Mercatura.**

—— cum bonis alienis usurpatis I, 891.

Negotiatio aleatoria chirographorum I, 1136.
Negotiorum gestio. Notio et obligationes I, 1089. — Possitne confessarius, cui concreditur res restituenda, pro negotiorum gestore domini considerari 1030.
Neophytus quo sensu censeatur irregularis II, 1020. — quando teneatur ad confessionem integram 320—322; ordo functionum in ejus receptione 320 *not.*
Neo-presbyter. Quod sit praeceptum celebrandi tres Missas in ordinatione injunctas II, 607. Cf. **Ordinatio.**
Neutraliter se habere in motibus pravis I, 22.
Notarius. Ejus praecipua officia I, 824.
Novitiatus. Novitius. Nov. anni integri requiritur ad valorem professionis religiosae I, 503; idque plerumque in habitu ordinis *ibid.*; — interruptus de novo incipi debet *ibid.* — Decreta Pii IX. de admissione et educatione Novitiorum 504. 505. — Eorum confessio extra monasterium sine Superiorum licentia num sit valida II, 397. — A quo Episcopo sint ordinandi 597.
Numerica distinctio peccatorum in confessione moraliter sumenda est I, 241; II, 305; — approximative *ibid.* 306. — N. dist. unius ejusdemque actûs peccaminosi fieri debet, si diversae malitiarum species sunt, aut si plura sunt objecta I, 241. 243. — Restrictio *ibid.* — Alia est regula num. dist. in peccatis externis, in propositis externe peccandi, in peccatis mere internis 241. 242.
Nundinae an licitae diebus festis I, 544.
Nuntium dare peccaturo liceatne I, 652. 670. — Si per N. fit promissio, donatio, quando contractus incipiat valere 1082 sqq. — Nuntius a pluribus conductus possitne a singulis plenam remunerationem accipere 825. 1051.
Nuptiae v. **Matrimonium.**

O.

Obedientia. Generalis notio I, 779. — Pro diversitate Superioris praecipientis probabiliter non est diversa virtus *ibid.* — Praestantia, collatio cum aliis virtutibus 780. — Ejus laesio: inobedientia materialis, formalis 781. — Filiorum inobedientia *frequens* quomodo evadat peccatum mortale 792. — Inobedientia discipulorum, alumnorum quando excusetur a gravi malitia 830.
—— religiosa. Votum solemne et simplex quomodo distinguatur I, 534. 535. — O. intelligitur *secundum* regulas, non infra, supra, contra 534; — an extendatur ad actus heroicos 537; — ad actus internos *ibid.*; — summopere colenda II, 508. — Laesio obed. potest esse peccatum contra obedientiam generale vel particulare I, 536. — Quot malitiae inesse possint et generatim insint 539. — An S. Pontifex vi voti obedientiam exigere possit et re ipsa exigat 539. 540; — num Congregationes Cardinalium 539. — Qua forma generatim utendum sit, ut constet de obedientiae praecepto ejusque laesione 536.
Objectum tribuit actui moralitatem I, 28. 35.
Obligatio legis est aut directe aut indirecte in conscientia I, 146. 147; — gravis vel levis unde discernatur *ibid.*; diversimode in lege ecclesiastica et in lege civili 147; — exspiretne exacto tempore 154; — possitne satisfieri a nesciente aut invito 152. Cf. **Lex.**
Oblivio quae excuset a peccato I, 18. Cf. **Inadvertentia.** Peccata oblivione omissa non necessario ante S. Communionem accusanda sunt II, 325. — Quibus haec accusatio suadenda, quibus dissuadenda *ibid.* — Accusari debent in prima subsequenti confessione 326; — non accusanda solum, sed absolutione donanda sunt 325.
Observantia quid sit et in quo nitatur I, 778. Cf. **Dulia.**
—— vana v. **Superstitio.**
Obstetrices instruendae a parocho circa baptismum II, 644.
Occasio distinguitur a causa, neque causa occasionalis est causa proprie dicta I, 11. — Occasionem tantum, non causam damni esse 979, — non inducit obligationem restitutionis 979. 980. — Occasionem peccandi alteri ponere, non auferre, liceatne 638. 639. Cf. **Scandalum.** — In occasione peccandi versari quid sit, quotuplex distinguatur II, 485; — remota et proxima *ibid.* — proxima non ex solo lapsu jam secuto dicitur 485. 489. — Absolvi nequit, qui sustinet occasionem proximam liberam 486. — Quid, si occasio sit quodammodo necessaria 488.
Occidere aggressorem directe et indirecte I, 833; — innocentem occidere 839; — in bello quousque liceat 856. 857. 858; — Seipsum occidere directe nunquam licet 575. — Occisio sive injusta sive justa quando causet irregularitatem II, 1012 sqq. 1027. Cf. **Homicidium.**
Occultus. Peccator occultus II, 38. — Impedimentum quando dicatur *occultum* 820.
Occupatio modus originarius acquirendi dominii I, 908; — nequit plane auferri ut titulus legitimus *ibid.* — Occ. ani-

malium 909 sqq. Cf. **Animalia, Inventio, Thesaurus.**

Oculo dextro caecus non est irregularis II, 1023; num caecus oculo sinistro *ibid.*

Odiosa restringenda quae sint I, 112. 149.

Odium distinguitur inimicitiae et abominationis I, 616; — inimicitiae erga proximum semper peccatum ex genere suo mortale 616; — abominationis est, aut non est, pro rationibus diversis 617; — Od. inimicitiae formaliter est tristitia, sed gignit gaudium idque de inimici malis 618, atque horum malorum desideria *ibid.*; — in proxime cognatos malitiae est specialis II, 311. Cf. **Inimicitia.** — Odium Dei gravissimum peccatum I, 325. 1227; — etiam ibi odium inimicitiae et abominationis distingui potest 310. 325.

Offerre cf. **Missa, Sacrificium.** Quo sensu in Missa offerat Christus II, 166; — Ecclesia, ut a Christo distincta 167; — sacerdos 167; — singuli fideles *ibid.*

Officium divinum seu Horae canonicae. Obligatio recitandi quos afficiat II, 624. 638. 639; — ad quas partes 622; — ad quam Breviarii formam 623. — B. Mariae V. num obliget 622; — defunctorum *ibid.* — Chori obligatio 624. — Materia gravis 627. — Mutatio officii an licita 626. — Ordo inter singulas horas 628. 631. — Interruptio 631. — Modus recitandi: oralis 630, attenta 632 sqq. — Mutilata pronuntiatio quando grave peccatum constituat 630. — Tempus recitandi pro singulis horis 621. 628; — tempus diversorum horologiorum 629. — Anticipatio matutini 625; — an fieri possit hora secunda pomeridiana *ibid.* — Offic. onus affixum diei 621. — Dubia recitatio ad quid supplendum obliget 627. Excusantes causae ab officio 638. Restitutio propter neglectum officium divinum 640 sqq. — Cui restitutio fieri possit 641; — quomodo computanda *ibid.*; — cur obliget ante sententiam judicis *ibid.*

Off. divina latiori sensu a quibus excommunicati excludantur II, 890—893; — ad quae si recipitur homo nominatim excommunicatus 965. 995.

Oleum S. benedicendum ab Episcopo II, 570. — Admiscere licet non-benedictum in minore quantitate, idque saepius *ibid.* Cf. **Unctio extrema.**

Omissio. Omittere. Omittere rem perfectiorem cujusnam moralitatis sit I, 40. — Debeatne omitti actio bona, utilis, praecepta, indifferens propter scandalum 635 sqq. Cf. **Scandalum.** — Omittere exercitium jurisdictionis sacrae pro pecunia sitne simonia 391.

Onanismus. Cf. **Conjugale debitum.** Quando uxor hac in re peccet II, 857. 858. — Ei licet plerumque reddere debitum, ex gravi causa etiam petere 858. — Gaudium concomitans de molestiis conceptionis non secutis periculosum quidem, non tamen semper peccatum *ibid.* — Remedium facile suadendum contra onanismum 851.

Operarii. Eorum merces ex quibus determinanda sit I, 1127 a. — Conventio sistendi laborem ad augendam mercedis taxam 1119.

Opiniones. Earum electio v. **Confessarius.**

Oppressio mulieris, quale peccatum I, 880. Liceatne mulieri oppressae semen ejicere 849.

Opus. Opera diebus Dom. et festivis prohibita I, 544. Cf. **Labor.** — An semper ex motivo caritatis operari debeamus 258. Cf. **Meritum.**

Oratio. Orare II, 634. Ut petitio est necessaria ad salutem I, 340; — ejus obligatio quoties urgeat 347; — necessitas ejus in superandis tentationibus 340. 347; — efficacia infallibilis a fidelibus fide tenenda 341; — conditiones necessariae 342. — Peccator orare et impetrare potest 342. — Quid qua certitudine pro aliis orare possimus 344; — pro quibus 344, — ad quos 345. Oratio Dominica. Quae sit eam sciendi obligatio 283. Orationes liturgicae, quae in Missa dici debeant II, 240; quae omissio gravis 241 sqq.; — post S. Communionis distributionem 140; — in extrema unctione dicendae 574.

Oratorium. Oratoria publica dicuntur duplici sensu I, 561; — domus religiosae publica sunt secundum quid, secundum quid privata *ibid.* — In his et similibus aedibus Episcopus potest facultatem oratorii dare II, 224. — Imo regulares habent communiter hanc facultatem ex se 223. — Episcopis ipsis pro sua commoditate amplior inest facultas 224, alicubi regularibus in casu infirmitatis 223. — Oratoria stricte privata seu domus privatae generatim non admittunt celebrationem nisi *unius* Missae I, 562; ibique soli privilegiati satisfaciunt praecepto pro diebus Dom. et festivis *ibid.*; — imo principaliora festa excluduntur *ibid.*

Ordalia sunt ex se Dei tentatio I, 376; — ab Ecclesia nunquam sunt approbata, quamquam a compluribus Episcopis ex pia simplicitate admissa *ibid.*

Ordo. O. recti universalis, principium moralitatis I, 27; — servandus in opi-

tulatione 602 sqq.; — in restitutione 1016 sq. 1025 sqq.; — in baptismi ministris II, 67; — in receptione neo-conversi 320 *not.*

Ordo. Ordinatio. Sacramentum est, non tamen omnes ordines sunt sacramenta II, 581. — Materia, Forma cf. **Episcopatus, Presbyteratus** etc. — Ordines minores ex privilegio R. Pontificis conferri possunt a presbytero 592; an etiam subdiaconatus et diaconatus? 593; — certo nequit sic conferri presbyteratus, sed a solo Episcopo 592. — Ordinationis potestas 369.

—— Minister: qui Episcopus licite conferat 594 sqq.

—— Subjectum. Conditiones requisitae 598 sqq.; — aetas 600; — scientia 601; — preces in ordinatione impositae 607. Cf. **Vocatio.**

—— Tempus: commune 605; — ex privilegio, dies festivi quomodo intelligantur 605. — Non licet plures ordines sacros eodem die suscipere 606. — Interstitia inter singulos ordines qua lege servanda *ibid.* — Ordinationes illegitime factae vel susceptae *suspensione* puniuntur 989 sqq.; — furtiva susceptio irregularitatem affert 1007, — usurpatio 1008.

—— Votum suscipiendi ordines quomodo obstet matrimonio 722; — ejus voti obligatio et exstinctio *ibid.*

Organum pulsare in templis haereticorum I, 656.

Origo. Originis titulus pro ordinatione; — non attenditur nativitas, ubi casu est facta II, 596.

Ornatus altaris cf. **Altare, Missa.**

—— muliebris quando peccaminosus et scandalosus I, 637. 643.

Ostensorium. Expositio SS. Sacramenti II, 133.

Ostiariatus. Ejus officium II, 584. — Materia et forma 587.

Ova quando eorum esus prohibitus, v. **Jejunium.**

P.

Pacis bonum ut causa canonica in dispensatione matrim. II, 801.

Palla. Linea esse debet II, 229. — Ejus defectus non est certo gravis 227.

Palpo. Ejus influxus in damnum alienum I, 1008; — consulenti aequiparatur quoad restitutionem *ibid.*

Panis triticeus materia SS. Eucharistiae II, 118—121.

Paramenta sacra. Benedictio quibus competat II, 236. Color non est *gravis* praecepti, nisi accedunt circumstantiae aggravantes 230; — flavidi vel caerulei coloris prohibentur *ibid.*; — admittuntur aurea pro pluribus coloribus *ibid.* Quorum defectus sit gravis in Missa 231; — notabiliter lacera vel immunda interdicta sunt 234; — eorum exsecratio 235; — quando post reparationem nova benedictione indigeant *ibid.* Materia, ex qua confici debeant, debet esse non vilis 230; — cum textura vitrea non admittuntur *ibid.*

Parasceve. Missam praesanctificatorum in P. reliquasque liturgicas functiones non licet more privato peragere II, 211. — Non licet Missam celebrare nisi pro necessitate Viatici *ibid.*; — tum sumitur Missa de Passione votiva *ibid.*

Parcimonialia bona clerici I, 898.

Parentes. Eorum obligatio in filios: amor I, 783; — filios alere debent in necessitate, etsi invitis parentibus statum elegerunt 784. 785; — quid facere debeant circa educationem 786 sqq.; — quomodo exemplo esse atque scandalum vitare 788; — quando in neglecto officio contrahant peccatum duplicis malitiae 795. — Eorum dissensus quomodo obstet matrimonio filiorum II, 671. 724. Dispositio de successione bonorum, seu divisio inter filios 1162. — Cavere debent, ne uni prae aliis facilius faveant 784. 1155.

Parochus. Obligatio et jus in ministrandis Sacram. II, 37. 137. 579. 644 sqq. — Aliae praecipuae obligationes 644 sqq. — Obligatio applicandi Missam pro populo 196; — ejus omissio supplenda *ibid.* — Si suis scandalo est, dupliciter peccat 310. — Parochi jura in unum collecta 647 *not.*; — facultas dispensandi I, 167. — Ejus jurisdictio pro confess. II, 372. 376. 377; — quando ad examen revocari possit *ibid.*; — peculiarem curam in pueros, surdomutos, moribundos etc. exercere debet 137. 477 sqq. 484. 646 sqq. — Parochus quoad matrimonium parochianorum: Cautio in sponsalibus solemnibus 660. — Si ante matrimonium sponsalia alia objiciuntur 672. — Qui parochus matrimonii causa adeundus sit 774—776; — ubique valide assistit *suorum* matrimoniis 776; — impediri nequit ab Episcopo, quominus valide deleget alium sacerdotem ut matrimonii testem 777; — quo modo assistere et consensum percipere debeat 778.

Participans quo sensu primarie damnum reparare debeat I, 1010; — aliquando ex gravi causa excusatur a peccato et ab onere restitutionis 1011.

Particulae consecrandae debent recenter esse coctae II, 132. Cf. **Fragmenta, Micae.**

Particularis lex generatim solos territorii incolas adstringit I, 141. **Cf. Peregrinus.**

Pascha. Paschalis Communio I, 1202 sqq. — Num exspiret praeceptum elapso tempore 1206. — Quomodo tempus computetur *ibid.* — Ejus neglectus num admittat parvitatem materiae *ibid.* — Non satisfit sacrilega Communione *ibid.* et 131. — Longe severius urget quam praeceptum audiendae Missae 158. — S. Comm. sumenda in ecclesia parochiali 1206. — Quis ab hac circumstantia dispenset *ibid.* — Generatim non sufficit pro Communione ad lucrandum jubilaeum praescripta II, 549. — Regularibus non licet die Paschatis S. Communionem in suis ecclesiis pro extraneis distribuere 136.

Pascua. Pascuis publicis uti I, 934.

Patena. Materia II, 228; — purificatio in Missa praecipitur 241. 246.

Pater. Paterna potestas. Quomodo constituatur et finiatur I, 887. — An pater debeat reparare damnum, quod filii sui aliis intulerunt 1014. 1134. — Irritatio votorum 461. Cf. **Parentes.**

Patientia. Notio I, 709. — Necessitas 711. — Opposita vitia 711.

Patrimonium ut titulus mensae pro sacris ordinibus II, 603. Patrimonii bona I, 934.

Patrinus baptismi. Quot adhiberi liceat II, 71. — Quid requiratur ut aliquis patrinus exsistat *ibid.* — Qui excludantur *ibid.* — Ejus officium *ibid.*; — haereticum non licet adhibere, sed eum ut testem tantum 72. — In baptismo ab haeretico ministro conferendo non licet catholicis patrinos agere *ibid.*

—— confirmationis. Per se etiam sub gravi requiritur 100. — Facilius aderit excusatio *ibid.*

—— quod impedimentum matrim. contrahat 757. 758.

Patrinum agere in duello II, 949. 1010.

Paulinum privilegium ad solvendum matrimonium in favorem fidei sitne immediate an mediate divinum II, 709.

Pauperes. Paupertas. Quando eligi possint, quibus pro domino laeso fiat restitutio I, 1019. 1022; — qui laborare possint diebus Dom. 551; — quando excusentur a lege jejunii et abstinentiae 1208. 1216; — quando excusentur ex necessitate sumentes sibi res alienas 936 et 937. — Quoad dispensationem matrimonialem: qui vocentur canonice pauperes II, 805. — Qui se falso paup. fingit, num etiam invalide accipiat dispensationem in forma pauperum *ibid.*

Pauperes. Paupertas religiosa ut titulus mensae in sacris ordinibus I, 505; II, 603. — Quo differat simplex et solemnis I, 520; — etiam solemnis admittit dominium directum 524. — Possessio communitatis non repugnat paupertati 521; repugnat usus independens 521. — Varii modi peccandi per usum independentem 528. — Usus abundans 522. — Peculium quo sensu paupertatis essentiae repugnet 526. — Materia paupertatis sintne scripta propria 523 — Laesio quae sit mortale peccatum 529. — Possitne laesio fieri peccatis internis 530. — Licentia Superioris qualis a paupertatis laesione excuset 527.

—— Paupertas viduae ut causa canonica in dispensatione matrim. II, 801.

Peccator quoad sacramentorum participationem. Publicus vel occultus qui dicatur II, 38; — publico sacramenta deneganda sunt, si absolute publicus est; ceteroqui cum restrictione *ibid.*; — occulto deneganda non sunt, nisi occulte petat 39. Cf. „**Minas** inferens". — Quid praestare debeat, ut iterum admitti possit ad sacramenta 41. — Quoad sepulturam 918 et 919.

Peccatum. Divisio multiplex I, 221. Peccata infirmitatis et malitiae non eadem sunt ac venialia et mortalia *ibid.*; — intima malitia est oppositio contra divinam voluntatem 219. 222. — Malitiae communes seu transscendentales peccati cujuslibet, praecipue mortalis 225 sqq. — Ordo specificae gravitatis diversorum peccatorum 1223 sqq. Cf. **Mortale, Veniale.** — Peccata quoad confessionem. Peccata gravia post baptismum commissa nondum judicialiter remissa materia necessaria sunt II, 260, etiamsi baptismus probabiliter tantum sit validus 320. 321. — Peccatum fictionis in baptismo sitne materia confessionis 262; — generice accusatum quo sensu materia valida 264; — veniale sive in specie, sive in genere materia valida et sufficiens 263; — item peccata jam antea rite accusata *ibid.*; — inculpabiliter omissa quando accusanda 323 sqq.; — dubia 316 sqq.; — quae si postea evadant certa? 318. Cf. **Confessio.**

—— Peccati status v. **Status.**

Peculatus specifica malitia gravis non differt a furto I, 928.

Peculium v. **Paupertas** (religiosa).

Pecunia ex se sterilis est I, 1105; — ex adjunctis gignere potest utilitatem et lucrum 1105. 1106. Cf. **Mutuum.**

Pensio, quae bonis eccles. adnumeretur II, 640.

Percussio. Percussores clericorum excommunicantur II, 944 sqq.; etiam impuberes *ibid.* — Haec excommunicatio videtur *latae* interpretationis 945, comprehendens mandantes, cooperantes, ratihabentes *ibid.* — Perc. notorii vitandi 882 et 884.

Peregrinationes votorum reserv. I, 469. 477.

Peregrinus legibus particularibus plerumque non tenetur I, 141; — uti potest dispensationibus localibus loci, ubi exsistit, non suae patriae 141. 143; — uti potest etiam dispensatione *personali ibid.*; — potest in quibus rebus dispensationem personalem accipere ab Episcopo loci 164. — A quibus sacramentaliter absolvi possit II, 384; — quando nequeat ab Episcopo proprio 876; — in casibus reservatis quid observare debeat 403. 404; — potest personaliter censurâ puniri per Episcopum loci 871; — num et quando ab Episcopo *suo* I, 141 *not.* II, 871. — Peregrini quoad baptismum 66. — Quomodo se gerere debeant in matrimonio contrahendo 780.

Perfectio christiana in quo consistat I, 484; — media generalia 447 sqq. — Eam nolle vel negligere 40; — propria curanda prae aliena 585. — Status perfectionis quid requirat 485. — Cur votorum vinculum accedere debeat 486. — Alius status perfectionis acquirendae, alius p. exercendae 486. — Obligatio ad perfectionem quae incumbat religiosis 516. — Graviter violatur contemptu regularum 517; imo etiam defectibus non mortalibus, si inducant grave periculum dimissionis *ibid.*

Periculum peccandi subire ex caritate potest licere, imo obligatio evadere I, 585. — Attamen periculum illud tum potest et debet effici *non formaliter proximum ibid.*

—— defectionis a fide, matrimonii mixti etc., causae canonicae in dispensatione matrim. II, 802.

—— rei quis subeat in emptione I, 1110. 1111.

—— sortis titulus externus foenoris permissi I, 1099.

—— vitae subire quando liceat I, 579—581.

Perinde valere quid vocetur II, 817.

Perplexitas. In perplexa conscientia quid agendum, ne peccetur I, 52.

Perseverantia ut virtus I, 712; — ut donum gratiae est objectum meriti congrui 260; — possitne collocari inter effectus SS. Missae sacrificii? II, 170. 171.

Persona juridica I, 754. 756.

Pertinacia in haeresi I, 301.

Petere id, quod alter sine peccato non est praestiturus, aliquando licet I, 641; — nunquam licet, quod sine peccato nequeat praestare *ibid.*

Pia causa quando eligi possit in restitutione I, 1019. 1022; — in testamento 1148. 1162; — ejus bona subsunt juri eccles. 1023. 1024. 1148.

Pictura. Picturam obscoenam exponere I, 645; — conficere *ibid.* 668.

Pietas. Notio virtutis I, 777; — in quos feratur *ibid.*; — diversae species *ibid.*; — ad quid obliget filios 790. Cf. **Filius.**

Pignus. Notio, obligatio ex eo I, 1129.

Pii poenitentes in confessione prudenter dirigendi II, 500; — ad tentationes praeparandi sunt 501; — eorum pericula propria *ibid.* — Cautio summa in rebus extraordinariis 503. 505.

Pileolus. Eo uti sine dispensatione S. Sedis in Missa non licet II, 245; — intra canonem sub gravi vetitum est; extra canonem, sub veniali *ibid.* — Ejus usus in S. Eucharistia deferenda ad aegrotum 140.

Plantatio in alieno fundo. Regulae circa dominium I, 916 a.

Pluralitas objectorum quando faciat plura peccata I, 243.

Poena. Poenalis (cf. **Lex, Mulcta**). Poena exorbitans in lege civili index est legis mere poenalis I, 211; — exorbitans non incurritur a nesciente poenam 209; — gravis generatim indicat, legem sub gravi obligare 210; — privativa juris acquisiti ipso facto incurrenda nihilominus requirit sententiam judicialem *criminis* declaratoriam 209; non ita juris acquirendi *ibid.* II, 641. — Poenae temporales hujus vitae num sufficiant ad dolorem in sacramento poenitentiae 287. — Poenae reatus deletur totaliter per martyrium 57, Baptismum 55. 56; per alia sacramenta ex parte 112. 116. 137. 147. 567; per Bapt. in voto non necessario totus 57; — quomodo per indulgentias 524 sqq.

Poenitens. Ejus actus pro sacramento recipiendo necessarii II, 255 sqq. Ejus dispositio colligitur per se ex sincera affirmatione 423. 426. — Signa, quae contra dispositionem praesumptionem gignunt 424. — Signa, quae poenitentem indispositum arguunt 425. — Signa, quae ejusmodi praesumptionem plus minusve diluunt 427.

Poenitentia ut virtus quid sit sensu generali II, 251; — sub conceptu generali omnino necessaria est iis, qui

unquam graviter peccaverunt 252. 277; — in sensu specialis virtutis alii aliter eam intelligunt 252; I, 334.

Poenitentia ut sacramentum. Singulari sua forma ab aliis sacramentis distinguitur II, 255 *not.* — Ejus per Christum institutio 253. 254; — necessarium est omnibus post baptismum graviter lapsis 255; — magnam dignitatem sacerdotii commendat 249; — etiam magnum requirit laborem multamque scientiam 250. Materia hujus sacramenti necessaria, libera, sufficiens, dubia 259 sqq. Cf. etiam **Peccatum, Dolor.** Forma hujus sacramenti quoad *sensum* necessario est non-deprecatoria 268; — potest proferri conditionata 272; — quando ita debeat fieri 273; — non potest applicari absenti 271, neque nutu perfici potest *ibid.*; — per telephonium data saltem valde dubia est 876. — Possitne esse sacramentum validum, sed informe 299.

—— ut satisfactio sacramentalis. Essentialiter imponitur in vindictam 253. 352; — pro peccatis gravibus imponere, confessarius per se sub gravi tenetur 353; — debet per se esse proportionata tum peccatis, tum *viribus* poenitentis 353. — Causae plures a proportione excusantes 354. 360. — Quae censeatur hodie gravis poenitentia 357. — Quomodo interpretari debeamus poenitentiam impositam I, 154. — Quodlibet opus bonum pro poenit. injungi potest II, 356; quo sensu cessatio ab opere bono *ibid.* — Medicinalis poenit. eligi potest a confessario, imo non raro debet 355. — Quid caveri debeat in poenitentiis injungendis 356. — Catalogus poenitentiarum 368. — Persolvi, quomodo debeat 358 sqq.; — sitne persoluta ab eo, qui immemor opus posuit? *ibid.*; — ab eo, qui expresse statuit ex mera devotione opus peragere? *ibid.* — Quae omissio et dilatio sit gravis 363. — Detrectare rationabilem poenitentiam quale sit peccatum 365. — Ejus commutatio fieri nequit nisi ex virtute absolutionis sive datae, sive dandae 366. — A quo peti et dari possit commutatio 365. 367.

Qui oblitus sit injunctae poenitentiae, ad quid teneatur 367.

—— ut satisfactio voluntarie assumpta. Liceatne eas exercere cum vitae abbreviatione I, 573.

Poenitentiaria. In impedimentis matrimonii per se dispensat solummodo, quando sunt occulta II, 796; — adeunda pro declaratione circumstantiae occultae in impedimento quoad substantiam publico 813; — pro pauperibus etiam in publicis impedimentis dispensat 796 *not.*

Pollutio culpabilis, etsi quoad speciem fornicatione gravior sit, in concreto plerumque est peccatum minus grave I, 870; — directe voluntaria 871; — indirecte voluntaria quando sit qua pollutio peccatum grave 872, quando veniale 874, quando nullum *ibid.*; — in somnis quando imputetur 875. Eam directe causare nunquam licet, neque de ea delectari 250. Quo sensu liceat aliquando eam desiderare *ibid.*; — naturaliter inceptam sitne obligatio supprimere 876. — Pollutio in feminis quale peccatum 873.

—— ecclesiae quibus peccatis fiat II, 222. — Ut necesse sit a Sacris cessetur, crimina debent esse notoria *ibid.* Requiritur reconciliatio *ibid.* — Oratoria privata non polluuntur *ibid.*

Polyandria legi naturali repugnat II, 698.

Polygamia simultanea. Ejus permissio in L. Vet. II, 698. — Legi naturali non repugnabat omnino, tamen minus conveniebat *ibid.* — Dispensatio divina quomodo fieri potuerit *ibid.* — Post evangelium promulgatum nunc jam nullibi valet 699.

R. Pontifex supremus est legislator in Ecclesia I, 120, cum potestate jurisd. ordinaria universali II, 373. 869; — potestate tum jurisdict. tum dominativa in regulares I, 458 sqq. 539; — ex jure divino civili auctoritati proprie subjectus nulli est I, 139 et II, 650; — possitne dispensationem dare in jure divino? I, 163; — potest mutare, abolere leges Ecclesiae universales et particulares 121. 122; — sola voluntate significata rem reddere sacram, aliquem facere clericum ordinum minorum II, 586; — quomodo alteri in se jurisdictionem dare possit 374; — nullis subjacet poenis eccles. 870; ab eo quomodo omnes censurae dependeant *ibid.*; — non potest Episcopis, quamdiu manent in regimine suae ecclesiae, omnem potestatem legiferam auferre I, 122.

Populus legem recipiens vel non recipiens I, 127.

Portiunculae indulgentia quantopere emineat inter indulgentias II, 562.

Positivum voluntarium I, 11; — imputabile quo limite 12.

Possessio. Melior conditio possidentis quo sensu I, 108. — Principium quasi-possessionis non semper est pro libertate *ibid.*

—— rei alienae. Generalia principia I, 944.

Possessor bonae fidei. Ejus obligatio, quando cognoscat rem ut alienam I, 946; limites restitutionis 947; — possitne fructus bona fide retinere 948 (confessarius cautus esse debet *ibid.*); — si rem alienam tertio donavit 949; — si eam a fure emptam vendidit 950; — si rem gratuito acceptam tertio vendidit 951.
—— malae fidei. Ejus restitutio determinatur ex utraque radice I, 952; — quasnam expensas deducere possit 953, — num etiam post judicis sententiam *ibid.*; — quid, si rem perituram surripuit, consumpsit, in tuto collocavit 954; — si res apud furem perierit 955; — si res consumpta vel destructa varios valores subiit 956.
—— dubiae fidei. Post bonam fidem dubio superveniente, inquirere debet I, 957; cujus rei neglectus causa restitutionis *ibid.* — Dub. fides ab initio existens malae fidei aequiparatur 958. — Emptio ab hominibus suspectis 959. — In dubia solutione quae sit obligatio 960.
Potestas legifera et jurisdictionis I, 119 sqq.; — domestica 119. 539; — dominativa *ibid.* 72 *not.*; — paterna 790 sq.
Praeceptum quomodo a lege distinguatur I, 72.
Praeco in venditione sub hasta I, 1121.
Praedicare v. **Concionari.**
Praelati regularium quo sensu teneantur ad applicandam Missam pro subditis II, 196. — Jurisdictionem in subditos potius personalem habent 871; — ordinariam quidem 372. 393, at pro confessione alios deputare debent 393. 394. — qua utantur potestate dispensandi cum suis I, 166; II, 653; — in eos censuras ferendi 417. 871; eos absolvendi 877; eorum vota irritandi I, 458 sqq.; — quomodo peccent, si sinant regulas saepius infringi 516. 518.
Praescriptio quid sit liberativa et acquisitiva I, 917; — sitne juris positivi tantum *ibid.* — Res, quae eximantur a praescriptione vel qualibet vel ordinaria 918. — Quae possessio necessaria 919. Bona fides continua 920. 925; — qualis in praescriptione liberativa 923. — Tempus requisitum sive in ordinaria, sive in extraordinaria 922. — Titulus 921. 926. — Praescriptionem suspendi, interrumpi etc., quid sit 924.
Praesentia quae requiratur in audienda Missa I, 555. 557 sq.; — in absolutione sacram. II, 271; — materiae consecrandae 122 sq.; — Christi in SS. Eucharistia 107 sq., eaque quamdiu? 110. 111.
Praesumptio ut probatio rei in rebus practicis praebet saepe sufficiens argumentum I, 110; — stat pro Superiore *ibid.*; — pro immunitate a culpa 62; — pro culpae exsistentia 66. — Factum non praesumitur 111; sed quid in facto praesumatur *ibid.*
Praesumptio. Praesumpta concessio non valet in jurisdictione II, 380; — valere potest pro religioso in causa paupertatis I, 527; — ut excusatio a restitutione 1034.
—— ut peccatum quid sit I, 706. Cf. etiam **Temeritas.** — Contra spem theolog. diversis modis fieri potest 310; — aliquando cum haeresi conjungitur *ibid.* — Non quaelibet praesumptio parvitatem materiae admittit 312. — Quando sit praesumptio, quando non, facilitate consequendae remissionis ad peccatum moveri 310. 312.
Precarium. Notio et obligationes I, 1087.
Preces matut. et vespert. persolvere, quae obligatio I, 347. Quid practice sentiendum de illo, qui eas diu plane negligat *ibid.*
—— pro lucrandis indulgentiis. Num requiratur intentio mentis S. Pontificis distincta II, 542. — Vocales aliquae preces requiruntur 547.
—— in ordinatione impositae 607.
Presbyteratus sacramentum est II, 582. — ad valorem non praerequirit diaconatum 586. — Materia et forma duplex 589: quae manuum extensio necessaria 590; qualis vasorum et hostiae tactus 591. — Practice dubia fit ordinatio ex pluribus capitibus *ibid.* — Ritus non essentiales, sed qui sub gravi necessarii sunt *ibid.* — Aetas 600. — Scientia necessaria 601. Potestas per presbyteratum collata 585.
Pretium. Pretio aestimabile I, 1050. 1051; — num carentia rei 1091; — quomodo aestimandum 1050. 1118; — in emptione et venditione diverso modo determinatur 1116; — vulgare quid sit, quae ejus latitudo inter summum et infimum 1117. — Quando liceat excedere pretium summum et haerere infra infimum 1118; — extorquere, etiam non ultra summum, potest esse injustitia 1119; — in venditione cum aliorum damno diminuere 1116 *not.*; — conventionale in quibus rebus admittatur 1120; — legale 1116; — in conductione operarum 1127.
Principes. Officia Principum et communiora peccata I, 796; — possunt leges condere in conscientia obligantes 119. 211; — num ipsi legibus suis subsint 144. 145; — qui non ligentur censuris episcopalibus II, 870.

Privilegium quod dicatur odiosum, quod mere favorabile I, 215; — reale, personale, ex motu proprio, ad instantiam, ad instar *ibid.;* — latae vel strictae interpretationis 216; — per modum contractûs est ceteris firmius 217; — ut revocatione cesset, quae revocatio requiratur 217. — Usus privilegii per se praeceptus non est; potest esse per accidens 218. — Clericorum II, 650; — fori et canonis *ibid.;* — Episcoporum 651 sqq.; per facult. quinquennales 797. 798. — Regularium 653 sq. I, 542.

Privilegium Paulinum v. **Paulinum.**

Probabile. Probabilitas. Quid sit I, 79; — interna et externa 80; — juris et facti 79; ejus practica distinctio 112 a. — Usus opinionum probabilium contrariarum 114 sq. — Argumenta probabilia 108 sq.

Probabiliorismus contra probabilismum defendi nequit I, 93. 97. 98.

Probabilismus. Notio et collatio cum aliis systematibus I, 74. 78 sqq. — Ejus usus 80 sqq.; — num sit exceptio a lege 106; — num in quolibet dubio ab obligatione eximat 107. 108 sqq. — Fautores et adversarii 78; — probatur ex Ecclesiae tolerantia 84. — S. Alphonsus probabilismi fautor 87. 89. 101. Interna argumenta 91—93. — Non negligit rationes contrarias 102; non admittit tenuiter probabilia 91. 100; — a laxitate defenditur 100—102. 107.

Probitas ministri in sacramentorum administratione v. **Minister** sacramentorum.

Procurantes abortum. Excommunicatio II, 970; — irregularitas aliaeq. poenae 1012 *not.*

Procurator. Matrimonium per pr. II, 684.

Prodigalitas. Prodigus. An obliget prodiga promissio matrim. II, 671. — Declarati prodigi administratione bonorum suorum privantur I, 1057.

Profectus in vita spirituali II, 156. 447 sqq.

Professio fidei v. **Fides.**

Professio religiosa quid requiratur, ut valeat I, 503 sqq. — Obligationes 516 sqq. — Exstinguit aut suspendit omnia praecedentia vota 466. Cf. **Religio, Religiosus.**

Promissio potest obligationem fidelitatis tantum, sed etiam justitiae inducere I, 1081; — quando gravem causet obligationem *ibid.;* — in matrimonio 997; — promissionis obligatio transire potest ad haeredes 1082; — quid juris producat in morte sive promittentis sive promissarii 1082. 1083.

—— Deo facta v. **Votum.**

—— divina, conditio nostri meriti I, 258; — motivum spei theologicae 306.

Promissio erga Sanctos I, 428.

—— matrimonii v. **Sponsalia.**

Promulgatio necessaria, ut lex exsistat I, 69. 91; — qualis 125. — Promulgatio Romae facta quando sufficiat, quando non 126.

Propitiatio quid sit; — latius extenditur quam satisfactio pro poena temporali II, 171. 181; — cum impetratione collata *ibid.* Cf. **Missa,** *fructus propitiationis.*

Propositum distinguendum a voto I, 428. 429; — num sufficiat ad statum perfectionis 486; — num requiratur ut actus distinctus a dolore in sacramento poenitentiae II, 292. 297; — debet esse magis universale quam dolor 298; — qualis requiratur firmitatis 295; magnus timor relapsûs nondum excludit necessariam firmitatem 296; — quoad peccata venialia 293 sq.

Proprietas. Ejus necessitas I, 759. Cf. **Dominium.**

Proscribere. Proscriptus. Possitne aliquis vita proscribi I, 838; — a quolibet interfici *ibid.* — Liceatne proscripto cruente se defendere *ibid.*

Proxeneta. Quid ei liceat in venditione circa pretii excessum I, 1123.

Prudentia. Notio hujus virtutis I, 690, ejus divisio 693. — Prudentiae officia 694; — non est perfecta sine aliis virtutibus 692; — christiana fidem supponit 691; — quibus habitibus juvetur 695. — Contraria peccata 697. 698.

Pubertas v. **Impuberes.**

Pueri quoad leges eccles. abstinentiae, colendi dies festos, *septennes* generatim tenentur, antea non stricte tenentur, sed expedit eos assuescere I, 138; — quoad leges divinas *ibid.* — Neque ante usum rationis licet eos provocare ad blasphema vel turpia 135. — Ipsi turpia agentes quomodo peccent 873; II, 479. Quoad sumendam SS. Eucharistiam obligatio II, 147; praesertim in mortis articulo *ibid.;* in dubio rationis usu *ibid.* — Quoad poenit. sacramentum: an absolvendi sint in dubio usu rationis 477; — si falsam conscientiam habere deprehenduntur, quid agendum 478; — si in occasione proxima peccandi versantur 479; — instruendi a parocho 646.

Punitio cruenta. Sola auctoritas suprema ad eam jus habet I, 837.

Purgatorium. Animae in purgatorio existentes num possint invocari a nobis et pro nobis intercedere I, 345. Cf. **Defuncti.**

Purificatio calicis et digitorum, num solo vino aut sola aqua liceat II, 245.

Purificatio patenae in Missa sub gravi praescribitur 246.
Purificatorium debet esse lineum II, 229; de ejus gravi praecepto non constat 227.
Pusillanimitas quale peccatum I, 707.
Pyxis v. **Ciborium.**

Q.

Quasi-castrensia ecclesiastica etc. v. **Bona.**
Quasi-contractus I, 965. 1046.
Quasi-domicilium v. **Domicilium.**
Quinquennales facultates Episcoporum II, 797. 798.

R.

Rapina addit novam malitiam ad malitiam furti I, 929.
Raptor. Raptus. Impedimentum matrimonii dirimens II, 771; quamdiu *ibid.;* ejus conditiones 772; — seductionis num constituat tale impedimentum et quando *ibid.* — Excommunicatio in raptores 981. — Irregularitas propter infamiam 1010.
Ratumhabentes quinam mandantibus aequiparentur (in censuris) II, 927 *not.*
Reatus poenae v. **Poena.**
—— culpae v. **Peccatum.**
Rebaptizare quando irregularitatem inducat II, 1006. — Facile ratio est rebaptizandi eos, qui ab homine impio, rationalista etc. baptizati sunt 26, vel ab homine rudi et imperito 19 *not.*
Rebellare nunquam licet I, 797. — Confundi non debet cum resistentia contra leges iniquas *ibid.*
Receptans quis dicatur I, 1009. — Ejus obligatio reparandi damna *ibid.*
Receptio legis quo sensu necessaria I, 126. 127.
Recidivus. Recidivi diversi generis distinguuntur pro majore minoreve difficultate in iis absolvendis II, 492. — Quando et cur dubia sit praesens dispositio 491. — Neque severius neque laxius tractandi; quid exigi debeat, ut tandem possint absolvi 493. 494.
Recitare cf. **Officium divinum, Missa.** Quomodo recitans Breviarium audire debeat socium vel chorum II, 630; se ipsum audire? *ibid.;* quod severius exigitur in formis sacramentorum *ibid.*
—— In Missa secreto dicere, quae alta voce recitanda sunt, aliquod peccatum est 243. — Deprimere tantum vocem non ita *ibid.* — Alta voce uti in iis, quae secreto dicenda, non licet *ibid.;* at practice vix evadet mortale peccatum *ibid.*
Reconciliatio cum inimico necessaria I, 623; — a quo primum offerri debeat 625; — generatim fieri debet ante absolutionem II, 430.
—— cum Deo non differenda I, 322. 584; II, 277. 278; — per Sacramenta quaerenda 7. 255; — quomodo fiat per contritionem 276 sqq.
Recordari v. **Memoria.**
Recursus ad laicam potestatem contra auctoritatem Eccl. II, 932 sq.
Reductio Missarum II, 202.
Reformatio ordinis religiosi an praecipi possit I, 538.
Regulae. Eas sub gravi non obligantes nolle observare possitne esse grave peccatum in religioso: ratione scandali I, 517; ratione periculi ejectionis *ibid.* — Religiosus Episcopus factus quomodo teneatur ad ordinis sui regulas 519.
Regularis v. **Religiosus.**
Reincidentia in censuram II, 410. 875. 879.
Relapsus v. **Recidivus.**
Religio ut virtus. Collatio cum virtutibus theolog. I, 328; — ejus nexus cum caritate 335; — est virtus maxime universalis *ibid.;* — naturalis et supernaturalis distinctae sunt 329; — ejus actus *internus* 331. 333; — actus externi tamen intrinsecus ad religionem spectant 331; — praecipui: adoratio, sacrificium, oratio 336. — Religionis exercitium homini necessarium 332. — Quomodo ad religionis virtutem pertineat gratitudo, fidelitas erga Deum, poenitentia 334. — Religionis perfectissimum exemplar Christus in primo Incarnationis momento 335.
Religio ut status perfectionis. Requiruntur tria vota substantialia I, 490; Ecclesiae approbatio et acceptatio 491. 494; non necessaria est votorum solemnitas 497. — Num in quolibet ordine stricte dicto solemnia vota occurrant 502. Cf. **Novitiatus, Vocatio, Professio.** — Ingressus in religionem an exstinguat aes alienum 1039; — quid debitor ejusque Superior facere teneatur *ibid.;* — ingressus simoniacus I, 394. 402; II, 958; — ingressum liberum violantes in feminis 983. — Votum ingrediendi religionem reservatum I, 477; — quod quomodo laedat is, qui init matrimonium II, 723; — ad quid obliget *ibid.;* — quando suspendatur vel exstinguatur *ibid.*
Religiosus. Ejus obligationes I, 516 sqq. Cf. **Castitas, Obedientia, Paupertas.** — Possitne se obligare sine consensu Superioris 535. — Favores et privilegia religiosorum 542; II, 653 sqq. — Verum in jubilaeis non possunt pro arbitrio

ecclesiis praescriptis suam substituere 546 *not.*

Religiosus. Circa dispensationes: in quibus Superiores possint dispensare I, 166; — possitne relig. dispensationem accipere ab Episcopo 165.

—— circa expositionem SS. Sacramenti II, 133.

—— ministranda Sacramenta 134. 136. 873.

—— circa ordines suscipiendos. A quo ordinari possint vel debeant 594. 597.

—— circa poenitentiae sacramentum. Absolvi possunt sine approbatione Episcopi 393; num a sacerdote saeculari ex consensu Superioris reg.? *ibid.* 394; — itinerantes apud quem confiteri debeant *ibid.*; — cogi nequeunt, ut confiteantur apud Superiorem, nisi forte aliquando in casibus reservatis 394. 416. — Casuum reserv. enumeratio 416. 417. — Causae exceptae, in quibus censura puniri possint ab Episcopo 873. Ipsi in saecularium confessionibus observare debent casus ab Episcopo reservatos 403; — approbati ab Episcopo, non a suo Superiore possintne confessiones excipere 383. Cf. **Reservati casus.**

Reliquiae Sanctorum quomodo colendae I, 349; — ut publice colantur, quid praescripserit Ecclesia 350; — eorum, qui solummodo beatificati sunt *ibid.* — Reliquiarum furtum II, 963.

Remedia poenitenti praescribenda vel consulenda II, 447. Cf. ea, quae sub voce singulorum vitiorum notantur.

Reordinationes, quae dicuntur factae, quomodo explicandae II, 595.

Repetitio Sacramentorum v. **Iterare, Sacramenta.**

Rescissio contractus num a possessore rei alienae fieri possit cum damno veri domini I, 946. 950. Ceteroqui cf. **Contractus.**

Reservatio. Reservata vota I, 469. 477. Reservatio casus quid sit II, 402; — directe afficit non solum confessarium, sed etiam poenitentem *ibid.* — Conditiones, ut peccatum sit reservatum *ibid.* — Inutiliter reservatur peccatum veniale 405. — Re ipsa reservantur sola peccata, quae sunt certo gravia idque externe *ibid.* 406. — Sola completa pec. reservari, quomodo sumi debeat 406. 864. — Sitne peccatum, cujus reservatio ignorabatur, reservatum 407. — Reserv. moderata esse debet 409. — Reserv. censurarum diversi gradûs 863. Reserv. absolutio: Qua confessione reservatio auferatur? 410; an etiam sacrilegâ 412. — In articulo mortis quilibet confessarius absolvit 410. 413; — in impedimento diuturno? 410. 414. 415; — in instantanea necessitate? *ibid.* — Indirecta absolutio *ibid.* — pro peccato res. imposita poenitentia num commutari possit 367. — Casus reservabiles apud regulares 416.

Residentia. Obligatio Episcoporum II, 642; — transgressores non-denuntians 995. Obl. parochorum 644; — canonicorum 648; — poena in non-residentes *ibid.*

Resignatio beneficiorum eccles. Quid sub culpa et poena simoniae interdictum I, 400.

Resipiscentia excusetne aliquando a censura incurrenda II, 868.

Resistentia. Resistere. Tentationibus *positive* resistere non idem ac *directe* resistere I, 22; — *indirecta* res. prae directa nonnunquam commendanda *ibid.*; — positiva habetur in ipsa dissensione *ibid.* Cf. **Rebellare, Reus.**

Restitutio. Ejus obligatio I, 941; — *qua gravis* ad quod objectum et quas personas restringatur 942. — Duplex radix: rei alienae a) detentio, b) damnificatio 942. 943; ejus conditiones 962 sqq.; — num inculpabilis actio 969; — an culpa imperfecta 966.

—— Causae excusantes 1033 sqq.

—— Ejus dilatio quando licita 1032; vel debita 955. 1011 *not.* 1036.

—— Modus 1028 sqq.; — donatio simulata an sufficiat 1028; — cautelae necessariae 1029; — per modum eleemosynae sine debiti memoria 1029. — per virum intermedium *ibid.*; qui si re ipsa non restituerit? 1030; — quando fieri debeat etiam cum notabili damno 1031. — Electio pauperum pro domino quando liberet a rest. 1022, quando non 1031.

—— Ordo inter diversa debita 1025. — Qui ordo debeat, qui possit servare etiam cum reliquorum damno 1025. 1027. — Ordo inter varios cooperatores 1016. 1018; — urgenda apud moribundum II, 517.

—— Quantitas I, 1015. — Rest. in solidum 1015. 1017; ejus obligatio quando *ibid.*

Restitutio propter neglectum offic. div., homicidium, etc. Cf. **Off. div., Homicidium** etc.

Restrictio mentalis. Notio et varii modi I, 773; — quae sit licita, quae non *ibid.*; — etiam cum juramento *ibid.*

Retractatio culpabilis actionis non excusat semper a restitutionis onere I, 970; — mandati 1001; — suffragii 1006; — consilii nocivi 1005; — quando excuset a censura II, 868. — Retr. diffamationis v. **Detractio.**

Reus. Interrogatio legitima quae I, 815; — possitne restrictione uti 814; — liceatne crimina testium revelare 816. 1182, fugere et quid ad fugam adhibere 819, resistere 818. — Liceatne reum ad fugam juvare 819. — R. fame necandus teneaturne cibos clam oblatos sumere 574; — jussus se occidere num possit vel debeat obedire 576; — juridice convictus, sed innocens, possitne condemnari 806.

Revalidatio matrimonii II, 823 sq.; — in radice 828 sqq.; — causa dispensandi ab impedimento 802. Cf. **Matrimonium.**

Revelatio divina ut motivum fidei I, 269; — quae ejus cognitio ad fidem obliget *ibid.* 286. 298. 301.

—— Revelare aliorum crimina vel defectus vel secretum quando liceat, quando non v. **Detractio.** — Quando Superiori vel judici revelari debeant v. **Complex, Denuntiare, Reus, Testis.**

Reverentia erga Deum I, 333; — erga res sacras 348 sqq.; — erga parentes 790—793; — erga Superiores 798. 828. 830. Cf. **Observantia.**

Reviviscentia sacramentorum. Notio II, 9; — Baptismi *ibid.*; — Poenitentiae num possibilis 299; — Extr. Unctionis 50; — conditiones necessariae 50. 52; plerumque sola attritio non sufficit *ibid.*

Revocatio v. **Retractatio.**

Rituale II, 31. Cf. **Libri liturgici.**

Ritus servandus in Missa II, 238 sqq. — Permixtio graeci et latini ritûs 131.

—— in administratione sacramentorum 31 (cf. singula sacramenta sub suis vocibus).

—— Ritui acatholico assistere I, 651; ad eum peragendum ministrum acatholicum vocare 652; vel ei inservire 653; ad eum pulsatis campanis convocare 654. 655; — cantum pulsatis organis comitari 656. Cf. II, *append.* I, n. XXI.

Rixa quale peccatum I, 737. 1190.

Rosarium. Quaedam rosaria maxime indulgentiis ditata II, 553.

Rubricae quoad obligationem diversa fit distinctio II, 238. — Infirmitas, propter quam non omnes ad amussim servari possint, excusat 245.

Rudes. Quid in eorum confessionibus observandum II, 480; — num monendi de circumstantiis peccatum aggravantibus 446; — si nihil habent accusandum 481. — Origo inscitiae indaganda 482.

S.

Sabbatum sanctum. Non licet eo die Missam privatam celebrare, nisi ex privilegio omnino speciali II, 211. — Post solemne Sacrum licet S. Communionem distribuere, non vero ante illud *ibid.*; infra Missam licet, si haec est consuetudo *ibid.*

Sacerdos. Sacerdotium. — S. princeps in Missa est ipse Christus, actione non physica, sed morali II, 166. — Vi ipsius sacerdotii obligatio est aliquoties celebrandi 192. — S. sine commissione R. Pontificis confirmans fit irregularis 1008; — quomodo a R. Pontifice deputari possit 99; ad conferendos ordines 592 sq. 595; ad benedicendum s. oleum 93. 570. Cf. **Presbyteratus.**

Sacrae res. Eas *contumeliose* tractare blasphemia est I, 369; — etiam cum sola *irreverentia* sacrilegium 380. 382; — *vendere*, quo sensu simonia juris naturalis, quo sensu simonia juris tantum eccles. 389. 392.

Sacramentalia distincta sunt a sacramentis, diversumque operandi modum habent II, 3; — in statu peccati conficere, sitne peccatum mortale 33.

Sacramentum. Definitio II, 3. Qua ratione ad theologiam moralem eorum tractatio spectet 2; — causat gratiam 3; qualem 7. — Numerus septenarius quo sensu 4. — Sacr. mortuorum et vivorum 5; — informe *ibid.* 299; — an reviviscat 9. — Defectus essentiales et accidentales 11. 12. — Reparandi vel repetendi necessitas 16 sqq. — Quae et quomodo sciri debeant ab homine christiano I, 280. 284. De cetero cf. *singula sacramenta sub suis nominibus et voces* **Minister, Suscipere.**

Sacrificium. Definitio I, 337; — quo sensu sit lege naturali praescriptum *ibid.*; — qui ejus fines II, 164. Cf. **Missa.**

Sacrilegium. Triplex distinctio in reale, personale, locale an sit infimae speciei I, 378. 380; — num admittat parvitatem materiae 378. 929; — personale quibus actibus committatur 385. — Sacrilega luxuria quibus peccatis committatur 883. — Num solae actiones ratione sui peccaminosae locale sacrilegium constituere possint 384. — Num *omnes* ejusmodi actiones in loco sacro commissae sint sacrilegia 383. — An voti simplícis violatio sit veri nominis sacrilegium 385. — An violatio seu furtum rei, cujus habet Ecclesia *jus tantum ad rem* 381.

—— Sacrilega Communio vel confessio non implet legem Eccles. 1203. 1206.

Saevitia. Qualis saev. det jus divortii II, 711.

Salarium integrum a pluribus recipere I, 805. 1051; — operariorum justum 1127[a]; — famulorum 940; — infimum *ibid.* 1127;

— clerici, quando pro bono eccles. reputandum 903.
Salutare inimicum, quae obligatio I, 624.
Sanatio matrimonii II, 823 sq.; — in radice 828 sqq.
Sancti. Sanctorum cultus quibus legibus ab Ecclesia circumscriptus sit I, 350; — quid requiratur, ut defunctus aliquis privatim possit coli 348. — Sanctorum intercessio sitne ex obligatione imploranda 345; — ejus neglectus practice malum signum *ibid.* Cf. **Reliquiae.**
Satellites possintne reum fugientem occidere I, 837. — Liceatne reo satellites laedere 818. 819.
Satisfactio cf. **Poenitentia.** — Vicaria pro aliis auget meritum proprium I, 265; — Christi facit thesaurum indulgentiarum II, 531; — Sanctorum, quomodo ad thesaurum Eccl. concurrant *ibid. not.* — ob offensionem possitne exigi I, 623; — quae praestanda ob honorem laesum 1195. Cf. **Detractio, Restitutio.**
Scandalum. Definitio I, 629; — quomodo a cooperatione distinguatur 627; — passivum et activum 628. — Specifica scandali malitia 630; — *directum* multiplicem in se continet malitiam *ibid.* — Scandali malitia saepe gravior est quam malitia actionis ex sua natura 631; quandonam sit levior *ibid.* — Superiorum quando speciale peccatum 788. 827. 829; II, 310; — pusillorum et pharisaicum quando et quomodo evitari debeat I, 633. 634. — Sintne et quando omittendae actiones indifferentes, in se bonae, praeceptae 635. 636. — Scand., seu periculum lapsûs, quando excuset ab integritate confessionis II, 331.
Scapulare. Conditiones necessariae validae admissionis ad scapulare II, 560. — Admissio non cessat per hoc solum, quod scapulare non gestetur, sed suspenduntur interea privilegia *ibid.*
Scenici ludi cf. **Spectacula.**
Schisma quid sit I, 680; II, 925. — Poena excommunicationis in schismaticos *ibid.* — Unctio et confirmatio per presbyterum schismaticum 98.
Scholae. Num ad scholas acatholicas filii mitti possint I, 658. 786. 787. — Num catholicus ad scholas acatholicorum conferre possit 660.
Scire. Scitu necessaria I, 276 sqq; ea addiscendi obligatio 298. 569.
Scriba. Ejus officia praecipua I, 824.
Scripta cf. **Libri, Paupertas** religiosa.
Scriptor. Ejus dominium et jus in opera literaria I, 904. Cf. **Libri.**
Scriptum. Scripto confiteri, num muto sit obligatio II, 328; — scripta confessio sitne objectum sigilli sacram. 464.
Scriptura S. Scripturae verbis abuti I, 382; Scripturam vel commentarium typis edere sine approbatione Ordinarii II, 980.
Scrupulus. Scrupulosus. Distinctio confessario necessaria I, 53. 60; origo, et quomodo referri possint ad Deum, naturam hominis, diabolum 54. — Quae naturaliter disponant ad scrupulos 55. — S. signa 56. 57. 58; damna et utilitates 59; — sintne objectum secreti sacramentalis II, 460. — Scrupulosus quomodo dirigendus I, 61; — quomodo ipse se dirigat 62. 63; — contra S. pugnare debet 59; — timens, ne propter dubiam conscientiam peccet 62; — timens assensum in variis cogitationibus tentantibus 64; — in officio divino II, 637.
Secretum. Distinctio in naturale, promissum, commissum I, 1196. — Quando liceat secretum pandere 1197. — Non quaelibet secretorum species easdem causas admittit, cur pandatur 1198.
Seductio puellae quam secum trahat obligationem I, 996. 997; II, 661. — An circumstantia seductionis in complice necessario accusanda sit in confessione I, 630 *not.*
Semen humanum expellere I, 849. Cf. **Pollutio, Onanismus.**
Semifatui quoad sumptionem S. Eucharistiae II, 147; — quoad confessionem 483.
Senes quoad matrimonium ineundum II, 748, ejusque usum 835.
Sensualitas possitne fieri peccatum mortale et quando I, 861. Cf. **Delectatio.**
Sententia judicis possitne haberi pro justo titulo possessionis ad praescriptionem perficiendam I, 926; — quando exspectari possit in causa restitutionis 965 — In acceptione ex testamento informi quid ante eam liceat 1147 et 1148. — S. justa vel injusta v. **Judex.**
Sepultura ecclesiastica. Prohibita quando II, 911; — quibus deneganda *ibid.* 918; — in dubio potius concedenda 919. — Poenae in eos qui ecclesiastica praecepta in hac re laedunt 893. 965. 972.
Sequester. Notio et obligationes I, 1088. — Sequestrare injuste bona vel jura ecclesiastica excommunicatione punitur II, 925. 939. 967.
Sermones inhonesti, unde peccaminositas I, 867; — an exprimi debeat, coram quot et quibus prolati 630; — inter conjugatos quando grave peccatum 867. — Eos audire neque repugnare, ex qua ratione et quando excusetur a gravi peccato 867.
Servilis v. **Labor, Timor.**

Servitus hominum quo sensu possibilis I, 760. — Facultas quae insit tum Ecclesiae tum civili potestati eam abolendi *ibid.* — Etiam in justa servitute quae sit injusta libertatis restrictio *ibid.* — Servilis conditio non cognita matrimonium nullum reddit II, 732.

—— S. rerum seu jus servitutis I, 886. — Distinctio in rurales et urbanas, reales et personales etc. *ibid.* — Quid juris et obligationis sequatur *ibid.*; — quoad praescriptionem acquisitivam 922; — quoad liberativam sufficiatne bona fides *negativa* 923.

Sigillum sacramentale. Ejus obligatio unde probetur II, 456; violatio semper est sacrilegium, cui aliae malitiae adjunguntur *ibid.*; — violari in judicio nequit I, 821; — materiae parvitatem non admittit in directa laesione II, 457; in indirecta quo sensu *ibid.* — Discrimen in severa obligatione ab omni alio secreto 454, ita ut violatio exsistat etiam in sermone cum solo poenitente ipso 466.

—— Objectum: peccatum quodlibet in confessione dictum cum suis circumstantiis 459, etiam putativum 460; mortale quodlibet in specie et in genere 459; — quo sensu veniale in genere tantum *ibid.*; etiam peccatum publicum 466, peccatum complicis 459. 469; — quo sensu scrupuli 460; — aliquando ipsae virtutes 461.

—— Origo: quaelibet confessio sacramentalis, etiam inchoative tantum 458; etiam apud sacerdotem putativum 458, non vero confessio simulata 458.

—— Subjectum obligationis: quilibet, ad quem notitia sacramentalis pervenerit, antequam ab ipso poenitente *libere* data sit licentia 462; — quandonam ille, qui scriptum poenitentis legerit 464.

—— Violatio indirecta quando adsit: in loquendo de peccatis certae civitatis 467, ordinis religiosi 469, laudando unum prae aliis 467, utendo notitia sacramentali ad externam gubernationem 468, ad declinandas res illicitas 468 *not.*, ad praecavendum proprium damnum 467.

Violationis periculum ex parte confessarii num excuset poenitentem ab integra confessione 332.

Signum. Sectariorum signis uti num liceat I, 294. Cf. **Massonica secta.**

Simonia. Ejus descriptio I, 386. 387; — est species sacrilegii 386. — Distinctio in mentalem, convent., realem, confidentialem 387. 400. — Pretium simoniacum quotuplex 386. — Poenae in simon. 401 sqq.; II, 958. 959. 960. — Excommunicatione punitur simonia realis et confident. in beneficiis ecclesiast. 958, commissa in collat. ordinum *ibid.*, in ingressu ordinis relig. *ibid.*; certa quaedam mercatura stipendiorum Miss. 960, quaestus ex facultatibus 959. — Pretium simoniacum sitne restituendum et cui I, 403. — Collatio simoniaca beneficii eccles. invalida 401; — quandonam convalescat *ibid.*

Simulatio sacramenti v. **Fictio.**

Sinceritas in confessione II, 313 sq.

Sodomia specie perfecta et imperfecta distinguitur I, 877 I.; — possitne perfecta accidere inter feminas *ibid.* III. — Malitia specifica in quo consistat, a confessario notari debet, ne cogatur multum inquirere 878. — Inter conjuges est gravissimum peccatum II, 838; quod distingui debet a sola inordinatione sitûs *ibid.*

Solemnitas matrimonii tempore clauso interdicitur II, 717.

Solemnitas votorum est juris eccles. I, 473. 498; — consistit in traditione et acceptatione utrimque maxime firma et irrevocabili 500. 501; quod S. Thomas recte dicit *consecrationem.* — R. Pontifex ex gravi causa dispensare potest in his votis 473. 501. — Discrimen inter votum solemne et simplex eorumque effectus 498. 499. 524. 531. 534. Cf. **Castitas, Obedientia, Paupertas, Votum.**

Sollicitatio in adjunctis confessionis II, 975 sqq. — Obligatio denuntiandi latius patet, quam poenae comminatio 977; — excommunicatio in non-denuntiantes 978. — Falsa ejus accusatio 407.

Solutio debiti dubia 960. 961; — creditoris creditori facta 1036.

Sortilegium quid vocetur sensu ecclesiastico I, 351 *not.* Cf. **Superstitio.**

Specifica distinctio peccatorum. Regulae generales I, 240; in confessione II, 307 sqq.

Specificatio ut titulus acquirendi dominii I, 916 a.

Spectacula quae et quibus graviter peccaminosa I, 644. 667; — publicis interesse clerico non licet II, 616.

Spes virtus theologica I, 305. — Ejus motivum seu objectum formale 306; — objecta materialia 305; — qualitates, quomodo firmitas consistat cum timore, quem gerere debeamus 307; — necessitas, ut medium salutis est 308; — frequentior necessitas praecepti 309; — quomodo ante confessionem sacram. II, 286; — destruitur infidelitate, desperatione, quibusdam praesumptionis modis I, 313. — Peccata contra spem 310 sqq.

Spiritismus gravissima superstitio I, 363.
Spiritualis Communio II, 143.
Sponsalia. Sponsi. Quid requiratur, ut valeant II, 657. — Quae *signa* sufficiant 659; — conditionata an valeant post impletam conditionem 660. 661; — sub conditione „si Papa dispensaverit" 660; — sub conditione committendi peccati 661. — Sponsalia filiorum a parentibus facta quando valeant ex praesumptione juris 662.
—— Effectus. Jus et obligatio non diu differendi matrimonii 664. — Quid parocho faciendum, si post banna objiciuntur sponsalia cum altero 672; — valida creant impedimentum publicae honestatis 663. — An sponsi peccantes cum extraneis contrahunt novam malitiam mortalem 664; — quos defectus debeant sibi sub gravi manifestare 670. — Num secutâ copulâ sponsalia evadant matrimonium 661. 773.
—— Solutio. Ab initio invalida sunt, si matrimonium ex aliqua causa fuerit illicitum 666. 667; aliquando propter oppositionem parentum 668; propter disparitatem cultûs *ibid.*; — ipso facto dissolvuntur per electionem statûs perfectioris 669; — an per subsequens matrimonium *ibid.* — Sed rescindendi jus aderit propter notabilem mutationem propriam in melius 671; propter gravem defectum alterius partis nunc secutum vel detectum 670; quando propter dissensum parentum minus justum? 671; — num a S. Pontifice solvi possint? 718. — Impuberibus datur facultas sine causa rescindendi, quum attigerint pubertatem 662. — Qui injuste recedit a sponsalibus, reparando damno obnoxius est 665.
Sponsio. Conditiones, sub quibus licita I, 1138.
Spurius qui vocetur II, 1018; — irregularis est *ibid.*; — quoad haereditatem I, 1156.
Statuam obscoenam exponere I, 645; conficere 668; — idololatricam 657.
Status vitae. Ejus electio est obligatio caritatis, quam erga nos habere debemus I, 589. — In eo eligendo filii parentibus num subjaceant 792; — ejus jacturam facere num debeat religiosus 515. Cf. **Perfectio, Vocatio.**
—— dejectionem pati quam debeat debitor I, 1033; — mutatio quae sit causa dissolvendorum sponsalium II, 672.
—— peccati. In eo ministrare sacramenta II, 32. 33; cujus malitiae 34; — conficere sacramentalia 33; — celebrare quot contineat sacrilegia 35; — suscipere sacramenta vivorum 51.
Stipendium Missae sine simonia accipi potest II, 197; — taxa lege vel consuetudine determinata 198, majus *exigere*, sitne simonia *ibid.*; — libere oblatum accipere licet *ibid.*; — acceptum obligat sub gravi ad dicendam Missam 199. 207: quae dilatio gravis *ibid.*; quae omissa circumstantia 200. 201; — alteri tradere, detracta parte, prohibetur 203; quando liceat 204. — Mercaturam cum stipendiis agere prohibetur 205; poenae 960. — Reductio Missarum ex stipendiis persolvendarum requirit concessionem S. Sedis 200. 202.
Stola. An ex praecepto adhiberi debeat in sacramento poenitentiae II, 31; — quando occulte defertur SS. Eucharistia 139. — Jura stolae liberae dispositionis clericorum sunt I, 898. Cf. **Paramenta, Sacramenta.**
Studiositas. Notio virtutis I, 726. — Vitia opposita 727.
Stuprum sensu theologico et sensu civili aliquando diverse sumitur I, 880. — violentum et voluntarium quid sit *ibid.* — Notatu digna, quando casus ille reservatus est *ibid.* — Obligatio erga puellam 996.
Suadere, Suasio, v. **Consulere, Consilium.**
Subdiaconatus. Probabilius non est sacramentum II, 582. — Ejus materia et forma 588, — aetas 600, — scientia requisita 601, — potestas et officium 585. — In ejus susceptione contrahitur obligatio ad caelibatum et ad officium divinum 618 et 619.
Subditus quando graviter peccet contra Principem I, 797. — Contemptus in Superiorem quando grave peccatum 798. Cf. **Obedire, Obedientia.**
Substitutio in haereditate: vulgaris, pupillaris, fideicommissaria I, 1165.
Successio haereditaria. Ejus origo aliquo modo ex jure naturae petitur I, 1141; — ab intestato et per testamentum, quaenam leges positivae utramque simul admittant, quae non 1152. Cf. **Testamentum, Haeres.**
Suffragium in comitiis etc. v. **Consensus.**
S. pro defunctis I, 328; II, 179 sqq. 531 sqq.
—— Suffragia communia quibus priventur excommunicati II, 885. 886. — Vitandus ne particeps quidem reddi potest 886. Cf. **Missa,** applicatio.
—— Per modum suffragii indulgentias applicare defunctis II, 531.
Suicidium cf. **Autochiria.**
Superbia. Notio I, 733; — est omnium vitiorum regina 736; — distingui debet completa et incompleta 735. Diversi

actus 733. — Varia superbiae genera 734. — Remedia contra eam II, 448.
Superflua expendere quomodo sit contra paupertatem religiosam I, 522. 528; — a clericis in pias causas impendenda 900; quibus hoc onus annexum sit 899. Cf. **Clericus.**
Superior legitimitatem suam probare debet I, 124. — Quomodo in praeceptis praesumptio sit *pro* Superiore 110. — Generales obligationes inter Sup. et subditos 796 sqq. 827 sqq.; — uti nequit notitia confessionis ad gubernandum II, 468. Cf. **Obedientia, Praeceptum, Praelatus.**
Superiorissa monialium praecipit non ex potestate jurisdictionis I, 120; — an possit a R. Pontifice eam accipere cf. **Mulier.** — Periculum, ne sibi arroget jura circa conscientiam et Communionem subditarum II, 507. Cf. **Monialis.**
Superioritas quando in scandalo faciat malitiam *specialem* I, 788. 827. 829; II, 310. 311.
Supernaturale motivum ad meritum I, 258; — supernaturalis dolor in Sacramentis mortuorum II, 286. 287. — Supernaturalia bona sibi negligere mortale peccatum est, si agitur de bonis necessariis, aut si utcumque fit ex contemptu I, 584. — Alioquin in rebus supernaturalibus absolute quidem bonis, sed non necessariis procurandis alios sibi praeferre moralis imperfectio est, peccatum nondum est 585. — Supernaturale cum pretio temporali comparare cf. **Simonia.**
Superstitio theologice est nomen genericum omnium peccatorum *cultûs vitiosi* I, 351; — arctius sumitur pro superstitiosa observantia *ibid.* — Notio et malitia 352. 355; — confertur cum infidelitate etc. 353; — unde dignoscatur distincta ab effectu non superstitioso sive naturali sive supernaturali 357. — Superstitiones diversae quando specie *morali* differant 351. 355. 356; — quando censeantur a *mortali* peccato immunes 353. 356. Si quis ex superstitione petit baptismum II, 85.
Suppleri caerimonias baptismi v. **Baptismus;** — in ordinatione v. **Ordinatio.** —— jurisdictionem ab Ecclesia, quid sit II, 387. — Ecclesia re ipsa certo supplet in errore communi, si cui accedat titulus coloratus 389; — certum non est, si error communis est sine colorato titulo *ibid.*; — moraliter certo supplet conditionate in jurisdictione seu facultate, quae probabiliter, i. e. cum juris probabilitate, jam adest *ibid.*
Surdi. Surdastri. Eorum confessio II, 328. 484. — Irregularitas 1023. — Surdo-mutis peculiaris cura impendenda a parocho 484. — Concessiones quoad indulgentias 542.
Suscipere sacramenta. Cf. **Sacramenta,** eaque singula sub suis nominibus. Qua intentione suscipi debeant, ut valeant II, 48: generatim sufficit habitualis intentio 48. 49, aliquando virtualis requiritur 49, in infantibus et qui illis aequiparantur sufficit intentio Ecclesiae 47. — Animi dispositio necessaria 50. —Indigna susceptio quantum sit peccatum 51; confertur cum indigna administratione *ibid.*
Suspensio legis v. **Lex.**
—— ut censura II, 900; — distinguitur a depositione et degradatione *ibid.*; — saepe est partialis tantum *ibid.*, — *ab informata conscientia* 901; quando non sit censura 902. — Effectus 903: quando ejus violatio irregularitatem inducat 904. — Cessatio lapsu temporis, absolutione data 905. — An in articulo mortis quilibet confessarius ab ea absolvere possit *ibid.*
Suspicio. Suspectus de haeresi I, 813; II, 899; suspicionem in alium conjicere I, 980; a suspecto homine res acquirere 959.
Suspicio temeraria raro peccatum mortale est I, 1187.
Susurratio I, 1117.
Sustentatio filiis debita I, 515. 784, parentibus a filio 794. 515, uxori a viro 895; — honesta clerici 899; — jure sumi licet ex bonis eccles. 898; — Sustentationi necessaria in cessione bonorum retinere 1035.
Symbolum Apostolicum. Elementaris expositio, quae singulos articulos sciendi necessitas I, 281 sqq.
Sympathia sensualis, periculosa I, 864.
Synteresis I, 42.
Systema morale aliquod eligatur necesse est I, 73. Cf. **Probabilismus.**

T.

Taberna. Tabernam frequentare clericis interdictum II, 616.
Tabernaculum SS. Sacramenti. Ejus ornatus II, 132. — Quid in eo collocetur *ibid.*
Tacere ad fidei interrogationem num liceat I, 293; — ad interrogationem matrimonii ejusve promissionem sufficiatne ad sponsalia II, 659.
Tacite voluntarium I, 4; — data licentia 525.
Tactus vasorum sacrorum non-clericis prohibitus II, 237; — si sacram spe-

ciem non continent, *per se* est peccatum veniale tantum *ibid.*; — an permittatur *sacristis* etiam laicis *ibid.*; — si sacram speciem continent, *per se* grave peccatum est, si non-diaconus ea tangit *ibid.*

Tactus inhonestus in proprium corpus, quale peccatum I, 869. 874; — in alterius corpus 869. — Qui tangi se permittit, quomodo peccet et quando excusetur 869 *in fine.* — Pueri turpes tactus exercentes 873. Cf. **Luxuria.**

Taxa pecuniaria in certis dispensationibus percipi potest sine simonia I, 394. — A quibus id sine simonia fieri nequeat *ibid.*

Temerarium judicium cf. **Judicium** temerarium.

Temeritas quid sit I, 703; — temerarius usus in censuris II, 865.

Temperantia sensu generico et sensu stricto I, 714: regulae naturalis temperantiae, tum christianae vel supernaturalis *ibid.* — Partes temperantiae 715. — Peccata 741.

Templa haereticorum construere num liceat I, 658. Opifices gregarii facilius excusantur quam architecti *ibid.* — Pecuniam ad ea aedificanda conferre num catholicis liceat 660.

Temporalis poena v. **Poena.**

Tempus. Circumstantia temporis potest sacrilegium inducere I, 382.

Tempus clausum quousque nunc protrahatur II, 717. — Ex jure communi sola *solemnitas,* ex jure particulari etiam *ipsae nuptiae* prohibentur *ibid.*

Tentatio quid sit II, 495; — probe distingui debet a consensu *ibid.*; maxime in hominibus timoratis *ibid.* — Finis tentationis alius est ex parte diaboli injicientis, alius ex parte Dei permittentis 496. — Tentato remedia praesto esse debent generalia 407, particularia in tentationibus fatigantibus 498; ad tentationes cum fructu sustinendas poenitentes pii omnino praeparandi sunt 501. — Quomodo sit resistendum cf. **Resistere.**

Tentatio Dei est experimentum sumere de Deo vel divinis attributis I, 374; — formalis et interpretativa diverso modo intelligitur 374. 377; — quale peccatum formaliter insit, quale supponatur 376; — interpretativa certo sensu sumpta parvitatem materiae admittit 375. 376; — distingui debet a mera temeritate 377.

—— hominis suspecti num licita I, 639.

Tepor. Magnum damnum creat iis, qui ad perfectionem tendunt II, 501. 508; — quomodo curandus *ibid.*; — quid si in peccatum grave transiit 502.

Testamentum. Testamenti factio sitne ex ipso jure naturae I, 1142—1145. — Testamenti condendi facultas lege publica regitur 1146. — Testamenti dispositiones pro causis piis *ecclesiastico* jure reguntur 1148. 1167. — clericorum 900 *not.* — T. informe quid valeat 1146—1148; — diversae formae 1161; — privilegiatum 1162. — Ejus irritatio 1166; destitutio, ruptio, revocatio 1167; exsecutio 1169. — Exsecutor ejusque obligationes 1168.

Testis declinans testificationem quomodo peccet I, 820; — dicens falso se nescire peccetne et quando *ibid.*; — aliquando excusatur a veritate positive dicenda 821. — Nunquam autem licet positive falsum dicere *ibid.* — Ad quid ille, qui falsum dixit, teneatur *ibid. in fine.* — Testes matrimonii quomodo debeant assistere II, 779.

Theatrum v. **Spectacula.**

Theologia moralis quantopere necessaria confessario II, 250.

Thesaurus qui vocetur I, 913. — Divisio inter inventorem et dominum fundi *ibid.* — Leges poenales fisco partem addicunt *ibid.* — Liceatne thesaurum detectum occultare et fundum emere 914.

Thesaurus Ecclesiae in indulgentiis II, 531; ex eo supplere in reductione Missarum 200.

Theses damnatae. Eas tenere I, 302 sq. — Poena in eas defendentes II, 942. 985.

Timor servilis et filialis II, 285. Ceteroquin v. **Metus.**

Titulus in praescriptione necessarius I, 921. 926; — ordinationis II, 596; — mensae seu sustentationis ante sacros ordines requiritur; quotuplex 603; religiosa paupertas generatim pro solis solemniter professis admittitur *ibid.* — Titulos pecuniarios emere quos liceat clerico II, 612.

Tonsura ecclesiastica quaedam initiatio est ad statum clericalem II, 581. — Tonsuram deferre debent clerici beneficiati et clerici ordinis sacri 609. — Qualis obligatio *ibid.*, — quae materia gravis 610.

Transactio quid sit, quomodo jura exstinguat I, 1038.

Transsubstantiatio in SS. Eucharistia II, 109. 110.

Tributum a subditis generatim debetur. — Determinatio quantitatis non immediate ex justitia commutativa fit I, 981. — Quaedam tributa exiguntur probabiliter lege poenali 983. — Quid requiratur, ut tributa sint justa 982; — injusta imponere 796. — Quaenam defraudatio *commutativam* justitiam lae-

dere non censeatur 984; — quaenam laedat 985. — Quomodo facienda sit restitutio propter justitiam in tributorum defraudatione laesam 981.

Trinitas, SS., credine debeat explicite necessitate medii I, 277. — Modus, quo rudiores mysterium sufficienter credant 279. — Invocatio distincta Trium Personarum requiritur ad baptismi valorem II, 64; ad confirmationem? 95.

Tristitia de re vel actione bona I, 251; — si propter molestiam cum opere bono conjuncta *ibid.;* — de bonis proximi quando sit invidia 618. 619.

Turpe. De re turpi contractus I, 1052. 1054. — Conditio et modus turpis 1077: in matrimonio II, 687—689; in testamento I, 1164. De reliquo cf. **Luxuria. Tactus, Sermones, Lectio.**

Tutiorismus. Cf. **Systema morale** et **Probabilismus.**

Tutior pars quando eligenda I, 45. 82. 83. 112.

U.

Ultima voluntas I, 1143. Cf. **Testamentum.**

Unctio extrema verum sacramentum est II, 566.

—— Effectus 567; — per accidens satis certo reconciliationem cum Deo efficit 568. — Forma habet sensum deprecatorium 573. — Materia est oleum olivarum benedictum 569: in Ecclesia latina benedictio sacerdotis non valet 570; quousque oleum non-benedictum affundi possit *ibid.* — Unctio singulorum sensuum facienda est 571. — Modus abbreviatus in summa necessitate adhibendus 572. — A qua conditione in conditionata collatione caveri debeat 577. — Ministranda a parocho vel ex ejus delegatione 575. — Parochus sub gravi obligatur 579. — Sine ejus licentia eam conferre, regularibus sub excommunicatione prohibetur extra casum necessitatis 575. 962. — Unctiones diversae a diversis ministris fieri possunt saltem valide 571. — Subjectum. Ut valide detur, requiritur periculum mortis intrinsecus impendens 576; sufficit quilibet morbus qui periculosus est *ibid.;* — in novo periculo iterari potest 577; — pueris post usum rationis danda est, imo aliquando in dubio usu rationis 576; — sensibus destitutis, etsi non ita pie vixerunt 577; maxime quum iis evadere possit medium salutis necessarium 568. — Ipse aegrotus non tenetur per se sub gravi extr. unctionem postulare 578; potest teneri per accidens *ibid.*

Unctio in baptismo II, 69.

—— in confirmatione II, 93.

—— in ordinatione II, 589. 591.

Universalis lex ecclesiastica obligat omnes fideles, ubicunque exsistunt I, 134.

—— dolor peccatorum quando necessarius II, 290; — universale propositum 292; — num in venialium confessione 291.

Urceoli pro ministerio Missae II, 229; — materia acolythatus 587.

Usura. Ejus notio I, 1093. — Ejus malitia non in solo mutuo consumptivo committitur 1092. — Tituli *externi,* ob quos semper permissum fuerit aliquod lucrum accipere 1099 sqq. — Leges S. Scripturae usuram prohibentes 1096. 1097. — Leges Ecclesiae severe prohibentes 1098. — Responsa recentiora quae videantur indulgentiora 1103 sqq. — Antilogiae apparentis solutio 1105 sqq. — Permissio alicujus lucri ad instar antiquorum titulorum externorum propter mutatam socialem vitam atque rerum venialium fluctuationem evasit communis 1106. — Limites hujus liceitatis 1107. — Excessus usurarum quando 1108. Cf. **Mutuum.**

Usurpatio quae laedat paupertatem religiosam I, 520. 528; — bonorum vel jurium ecclesiasticorum II, 930. 967; — exercitii ordinum sacrorum 1008; — potestatis publicae qualia secum trahat peccata I, 802; — in juribus Eccles. Rom. specialem infert excommunicationem II, 940.

Usus ut specialis actus voluntatis I, 9;

—— ut species certa juris 884.

Ususfructus ut a solo usu distinctus 885.

Utensilia sacra II, 227 sqq. — Eorum abusus I, 382. 383; neglectus II, 234; benedictio 236; exsecratio 235; — in morte apud ecclesiam relinquenda I, 900 *not.* in fine.

Uteri exstirpatio II, 856 cf. 744.

Uxor quoad bona fortunae. Bona paraphernalia ejusque jura in illa I, 892 sqq.; — dotalia eorumque securitas *ibid.;* — quodnam jus habeat in bona communia 893; — quid ex bonis mariti facere possit quoad eleemosynas et sustentationem parentum et propriam etc. 895. 896; — quoad contractus quando dependeat a marito 1056. — Furtum uxoris ex rebus domesticis 934. — U. quoad matrimonii usum cf. Conjugale debitum. — Uxor, ut maritum revereri et in aliis rebus domestici regiminis sequi debet, ita ordinarie etiam quoad domicilium et habitationem II, 859. — Si permittat marito susceptionem ordinis sacri vel religiosae vitae, quid

facere debeat 618. — Quoad vota mariti eorumque irritationem indirectam I, 458. 463; etiam cf. **Maritus.**

V.

Vacantia bona I, 916.
Vagi quomodo differant a peregrinis I, 141; — quibus legibus in genere subjaceant *ibid.*; — ubi baptizandi II, 66; — absolutionem sacramentalem accipiunt vi jurisdictionis ejus loci, in quo exsistunt 385; — quoad banna ante matrimonium publicanda 674; — matrimonium ubi et quomodo valide contrahant 776.
Valetudo infirma a jejunio excusat I, 1216. — Si dispensatio accessit, haec solum, quando plene restituta sit valetudo, cessat 173.
Vana gloria. Ex eâ opera alioqui bona peragere I, 34.
Vasa sacra v. **Tactus, Lotio.**
Vastare terram hostilem I, 14. 857.
Velleitas est voluntas non efficax neque absoluta I, 243. 244. 253 sqq. Cf. **Desiderium.**
Venari. Venatio. V. contra leges civiles quando esse peccatum ex se non censeatur, sed per accidens evadere possit I, 911; — ven. in fundo alieno gradus peccaminositatis non ex ipso valore praedae captae desumitur, nisi fundus sit omnino clausus neque amplus *ibid.* — Quod venatione capitur, plerumque fit venatoris 910 et 911. — Clamorosa venatio clericis interdicta II, 615.
Vendere. Venditio. Juridicus diversarum legum conceptus I, 1109. 1110. — Periculum rei cui incumbat 1111. — V. rei alienae quid efficiat 1113. — Vitia et defectus quando a venditore debeant manifestari 1112. Cf. **Pretium.** — V. sub hasta: quae injustitiae facile committi possint 1121. — Liceatne emptoribus convenire inter se, ne plus offerant 1122. — An domino liceat aliquas res a licitatione retrahere 1122. — Fictos licitatores submittere quale peccatum 1122.

Vendere res, quarum abusus praevidetur I, 659. 673. 676; vel quarum abusus ab emptore indicatur *ibid.*; — res sacras easque pluris 392.
Venerea delectatio I, 861; — directe volita vel deliberate admissa peccatum mortale 862 c. *not.*; — indirecte volita *ibid.* sqq. Cf. **Luxuria.**
Veniale peccatum. Peccatum sitne veniale ex sola Dei voluntate I, 229; — possitne sub gravi prohiberi *ibid.*; quoad absolutionem sacramentalem reservari II, 405. Internum discrimen inter peccatum mortale et veniale I, 230. — V. quot modis evadere possit mortale 231; non impedit omnem fructum S. Communionis II, 149; — quoad ejus remissionem: quomodo remittatur 279; — unum sine altero remitti potest 290. — Quid caveri debeat in ejus accusatione et detestatione 291. 294; quale propositum sit concipiendum 293; — remissio per SS. Eucharistiam 116, per Extr. Unctionem 567.
Veniale peccatum restitutionis causa: culpa propter imperfectam deliberationem venialis non obligat ad restitutionem nisi post judicis sententiam I, 996; — *deliberata* inducit obligationem reparandi damni 967. — Quid, si adfuerit error in rei valore 968.
Veracitas. Ejus notio I, 770. — Quae sit ejus obligatio *ibid.*
Verberare alterum I, 1190; — liceatne post acceptam injuriam 835.
Versio libri in aliam linguam invito auctore I, 905.
Vespertinae preces num praeceptae I, 347.
Vestis. Vestem gestare distinctivam infidelium et fidelium an liceat I, 294. — Vestes ad usum haereticum vel superstitiosum destinatas an liceat conficere 657; — conficere vestes inhonestas? 672. — clericalis quoad formam et colorem II, 609. — Unde repetatur peccati gravitas, si V. clericalis deponitur 610.
Vexationem injustam in re spirituali redimere non est simonia; sed simonia est, vexationem illam exercere nisi pretium temporale offeratur I, 391. 395.
Via crucis copiosas habet indulgentias annexas II, 558. 559. — Modus eam peragendi ad valorem praescriptus *ibid.*; quid ad erectionem validam requiratur *ibid.*
Viaticum deferre aegrotis, regularibus extra casum necessitatis prohibetur nisi ex licentia parochi vel Episcopi II, 136; excommunicatio 962; — licet sumi a non jejuno, quando? 161; sub gravi sumi debet 144 sqq. Cf. **Communio.**
Vicarius capitularis. Sede vacante in eum transit tota jurisdictio ordinaria II, 648; — substitui nequit is, qui ad sedem illam episcopalem ut futurus Episcopus praesentatus fuerit 941. 990. 995.
Vigilare in filios parentum obligatio I, 788.
Vincibilis error vel ignorantia I, 17 sqq. 43 sqq.
Vindicta prohibita I, 622—624. 835; — quae et quibus licita 753. 837.
Vinum quale sit SS. Eucharistiae materia II, 119.

Violentia quomodo obstet voluntario I, 26. — Violentas manus clerico injicere II, 944 sqq. — Violentum stuprum quid sit I, 880; violenta defensio 832 sqq.

Virginitas. Votum virginitatis ut distinctum a perfecta castitate II, 719; — ad quid obliget, si nihilominus matrimonium initum sit 720.

Virtualis intentio I, 4; II, 22. 25. 49. — Virtualiter voluntarium I, 4.

Virtus. Definitio I, 268. Distinguitur acquisita et infusa, theologica et moralis *ibid.*; — naturalis et supernaturalis distinguitur: origine 683, objecto formali 684, officio 685; — moralis naturalis juvat supernaturalem *indirecte* 685. — Quot virtutes supernat. infundantur et quando 687. — V. theologicae quo sensu ad homines ut objectum suum extendi possint 568.

Virtutis exercitium promisso vel oblato temporali pretio promovere, saepe licet; aliquando simonia est I, 398.

Virtutes sintne objectum secreti sacramentalis II, 461.

Vis v. **Violentia.**

Visitatio dioecesis, quoties fieri debeat ab Episcopis II, 642.

—— ecclesiae in concessione indulgentiarum II, 541. 546.

—— infirmorum gravissimum officium parochi II, 647.

—— liminum Apostolorum, quoties Episcopis incumbat *ibid.*

Vita humana subtracta est hominis dominio I, 831; — vitam directe vel indirecte perdere *ibid.*; — servare homo tenetur mediis ordinariis, per se non tenetur mediis extraordinariis 572; — abbreviare sive immodicis poenitentiis sive intemperantiâ quod sit peccatum 573.

Vitandi qui sint II, 881. 884; — si se ingerunt in officia divina, expellendi sunt, alioquin officia div. dimittenda 891; — si se ingerant in Missam *ibid.* — Alia prohibitio 965. 995. — Privantur sepultura ecclesiastica; nisi resipuerint, exhumandi 893; — jurisdictione ecclesiastica privati exsistunt 894; — nondum privati, sed privandi sunt beneficiis eccles. 895. — Quae communicatio civilis graviter prohibita 897. 964.

Vocatio ad statum clericalem: quid observandum II, 602.

—— ad statum religiosum in quo consistat I, 506; — multiplex, remota et proxima 509; — qualis certitudo vocationis requiratur 511; major requiritur pro admittente quam pro candidato 512. — Vocationis obstacula: necessitas cognatorum, aes alienum, negotia intricata 513. 514. 515. — An vocationis neglectus sit peccatum, et qua ratione 510. — An vocatio jam suscepta deseri possit aut debeat propter necessitatem cognatorum 515.

Volitum I, 3.

Voluntas. Voluntarium. Voluntas ut facultas necessario fertur in bonum generatim sumptum I, 6; — singula bona libere appetit 5. 6; — nihil appetit nisi sub ratione boni *ibid.*; — ut actus dicitur actus primus seu complacentia in objectum 8; diversi voluntatis actus 8 sqq.; — efficax et inefficax 36. 243. 244.

—— Voluntarium debet aliquo modo a voluntate procedere, distinguitur a volito I, 3. Distinctio multiplex voluntarii 4; — voluntaria nequit esse actio interna propria nisi *actualiter* aut *virtualiter*, aliena actio atque effectus tum alienae tum propriae actionis etiam *habitualiter* et aliquo sensu *interpretative* 4. — V. *indirectum* vel in causa tantum, ut non imputetur, quas requirat conditiones 12; — eo graviorem rationem requirit, quo pejor, propinquior, certior est effectus malus 12; — an requirat effectum bonum praeponderantem 13. — Culpa contrahi potest, etsi malus effectus non sequatur 15. — V. negativum ut imputetur, quae requirantur 11. 12.

Vomitus. Si aegrotus vomitu laborat, quid faciendum quoad S. Communionem II, 146. — Quae cautiones, si post sumptam S. Eucharistiam accidat 111.

Votum. Generalia. Notio — quomodo Deus acceptet I, 428; — quomodo practice distinguatur a proposito 429; — votum Sanctis factum 433; — aetas et discretio requisita 430; — error substantialis facit votum nullum 431. — Quis censeatur error substantialis *ibid.*; in votis institutorum religiosorum et sacrorum ordinum? *ibid.* — Metus qualis reddat votum nullum 432; — fictio voti quale peccatum 429. — Voti objectum: quid sit „de bono meliori“ 435. — Res indifferens quando voti obligationis capax 436. — Rem malam vel fine pravo affectam vovere velle grave peccatum est *ibid.*, neque obligat 437. — Si finis malus non rem, sed solum vovendi actum afficit, obligatio exsistere potest *ibid.* — Res aliunde obligatoria potest voveri 438; — quo sensu factum alienum, e. g. sacerdotium filii 441. 456. — Voti obligatio. Ejus species gravior est quam juramenti obligatio 415. — Sitne ejus laesio sacrilegium stricte dictum 455. — Obligatio saepe, sed non semper, gravior est, quam quae

ex rei ipsius natura inesse possit 444; — obligatio imperfecta, sub peccato levi tantum, assumi potest per ipsum voventem 445; id nequit fieri in votis, quibus status vitae assumitur *ibid.* — Quomodo intentio voventis et obligatio sit interpretanda 447. — Num coalescat obligatio et laesio gravis ex pluribus votis levibus 448. 449. — Impletio sine voti recordatione possitne fieri 450; impletio per alterum *ibid.* — Quae impletionis dilatio grave peccatum sit 451. — Votum communitatis quo modo possit posteros obligare 441. 456. Votorum solutio per dispensationem et commutationem: Notio 470; — exercetur per R. Pontificem, Episcopos eorumque delegatos 472. — Possitne aliquis sibi ipse dispensationem concedere *ibid.* — Dispensandi facultas modo latior, modo strictior est quam facultas irritandi 473. — Causae dispensandi 475. — Commutatio facilius fieri potest 476. — Commutatio propria auctoritate possitne fieri in opus aequale *ibid.* — Quid commutatio valeat, si opus substitutum evadat impossibile *ibid.* — Possitne dari dispensatio ei, qui vovit non petere dispensationem 440. — Solutio voti per irritationem. Alia est directa, alia indirecta 458; — directa immediate exercet potestatem in voluntatem voventis *ibid.*; — haec potestas non est perfecta sine auctoritate Ecclesiae 462; — exercetur re ipsa in impuberes, religiosos (non novitios), uxorem (?) 458. 460; valida est sine causa 458; — indirecta una fit per potestatem jurisdictionis, altera per potestatem dominativam in *rem*, quae promissa est 458; — posterior valida sine causa, prior invalida, si fit sine causa 465.

Votum. Specialia. V. *conditionatum* 434. 477. — Ejus conditioni implendae malitiose impedimentum ponere quale peccatum 452. — V. *disjunctivum*, ad quid obliget, electione facta 443. 453. — V. *poenale:* quid requiratur, ut obliget poena 443; quando ejus obligatio cesset 453. — V. *non peccandi* quandonam obliget, quando non 439; — etiamsi obliget, ejus emissio potuit ex temeritate peccatum esse *ibid.* — Vota *reservata* quae sint 477; — debent esse perfecta ratione tum sui objecti, tum affectus *ibid.* — Quibus delegata facultas in his votis dispensandi detur 478; quomodo haec facultas intelligatur 477; quam severe procedere consueverit Ecclesia in ejusmodi dispensatione, praecipue in voto castitatis 480. — An votum castitatis, in quo dispensatum sit, reviviscat 173. — Votum ingrediendi religionem ad quid obliget 454. — — Vota quae sint impedimenta matrimonii impedientia II, 719; quomodo peccet, qui nihilominus matrimonium ineat *ibid.* sqq. Imp. dirimens est V. solemne castitatis 749, et V. simplex in ordine Soc. Jesu 750. — Etiam in solemni R. Pontifex ex gravissima causa potest dispensare 750; I, 473. Cf. **Solemnitas votorum.** Confessarius cautus sit in permittendis votis I, 480.

Vulnerare aggressorem I, 834; — seipsum 578. Cf. **Mutilare.**

Z.

Zelus. Animarum zelus praeclare exercetur in munere confessarii II, 432; — juvat ad evitandos defectus in confessionibus excipiendis 434; — hauriendus ab exemplo Christi Domini 432 et 433.

Explicit theologia moralis.

A. M. D. G.

Sumptibus ac typis B. HERDER, typographi editoris pontificii, Friburgi Brisgoviae, prodierunt:

PRAELECTIONES DOGMATICAE

QUAS

IN COLLEGIO DITTON-HALL HABEBAT

CHRISTIANUS PESCH S. J.

CUM APPROBATIONE REV. ARCHIEP. FRIBURG. ET SUPER. ORDINIS.

Novem tomi in 8°. Pretium: *M.* 48 = *Fr.* 60; a dorso corio religati *M.* 62.40 = *Fr.* 78.

Tomus I. **De Christo legato divino. De ecclesia Christi. De locis theologicis.** Institutiones propaedeuticae ad sacram theologiam. *Editio altera.* (XIV et 404 p.) Pretium: *M.* 5.40 = *Fr.* 6.75; a dorso corio relig. *M.* 7 = *Fr.* 8.75.

Tomus II. **De Deo uno secundum naturam. De Deo trino secundum personas.** *Editio altera.* (XIV et 386 p.) Pretium: *M.* 5.40 = *Fr.* 6.75; relig. *M.* 7 = *Fr.* 8.75.

Tomus III. **De Deo creante et elevante. De Deo fine ultimo.** *Editio altera.* (XII et 378 p.) Pretium: *M.* 5 = *Fr.* 6.25; relig. *M.* 6.60 = *Fr.* 8.25.

Tomus IV. **De Verbo incarnato. De Beata Virgine Maria. De cultu Sanctorum.** *Editio altera.* (XII et 352 p.) Pretium: *M.* 5 = *Fr.* 6.25; relig. *M.* 6.60 = *Fr.* 8.25.

Tomus V. **De gratia. De lege divina positiva.** *Editio altera.* (XII et 324 p.) Pretium: *M.* 5 = *Fr.* 6.25; relig. *M.* 6.60 = *Fr.* 8.25.

Tomus VI. **De sacramentis in genere. De baptismo. De confirmatione. De ss. eucharistia.** *Editio altera.* (XVIII et 418 p.) Pretium: *M.* 6 = *Fr.* 7.50; relig. *M.* 7.60 = *Fr.* 9.50.

Tomus VII. **De sacramento paenitentiae. De extrema unctione. De ordine. De matrimonio.** *Editio altera.* (XIV et 438 p.) Pretium: *M.* 6 = *Fr.* 7.50; relig. *M.* 7.60 = *Fr.* 9.50.

Tomus VIII. **De virtutibus in genere. De virtutibus theologicis.** *Editio altera.* (X et 320 p.) Pretium: *M.* 4.80 = *Fr.* 6; relig. *M.* 6.40 = *Fr.* 8.

Tomus IX. **De virtutibus moralibus. De peccato. De novissimis.** (X et 366 p.) Pretium: *M.* 5.40 = *Fr.* 6.75; relig. *M.* 7 = *Fr.* 8.75.

Qui tomi etiam separatim veneunt.

Sumptibus ac typis B. HERDER, typographi editoris pontificii, **Friburgi Brisgoviae**, prodiit opus:

INSTITUTIONES THEOLOGICAE
DE
SACRAMENTIS ECCLESIAE.

AUCTORE

IOANNE BAPT. SASSE S. J.

CUM APPROBATIONE REV. VIC. CAP. FRIBURG. ET SUPER. ORDINIS.

2 volumina. 8°. (XXXVI et 1084 p.) Pretium: *M.* 15.20 = *Fr.* 19; a dorso corio relig. *M.* 19.20 = *Fr.* 24.

Volumen primum: **De sacramentis in genere. — De baptismo. — De confirmatione. — De ss. eucharistia.** (XVI et 590 p.)

Volumen alterum. Opus posthumum cura *Aug. Lehmkuhl* S. J. **De poenitentia cum appendice de indulgentiis. — De extrema unctione. — De ordine. — De matrimonio.** (XX et 494 p.)

Primum omnem operam in id converti, ut dogmata fidei, quae sunt principiorum instar pro scientia theologica, ex fontibus revelationis invicte demonstrarem. Quare argumentis ex S. Scriptura deducendis peculiarem curam adhibui atque verbum Dei traditum, prout in doctrina Conciliorum, Romanorum Pontificum, Patrum Ecclesiae, in liturgiis et usu practico, in consensione theologorum, in sensu et consensu fidelium se manifestat, diligenter examinavi. Neque minus cordi mihi fuit, ut partes theologiae scholasticae, quae quaerit intellectum dogmatum, sollicite exsequerer.

Hac autem methodo totam et integram doctrinam, quam exponendam suscepi, complexus sum, ita ut vix ulla quaestio alicuius momenti a scholasticis auctoribus proposita desideretur. (Ex praefatione auctoris.)

". . . The doctrine is clearly set forth, and references to the Fathers are numerous and pertinent. In fact, the author never neglects the positive side of his treatise, as the erudition displayed throughout the work goes to prove. . . .

The divisions are well mapped out, the style is clear and concise, and the whole work commends itself to a student's attention. One rises from a perusal of the various points discussed, with a good idea of the doctrine and an abundant acquaintance with theological opinion."

(The Catholic University Bulletin. Washington 1899. Nr. 2.)

„C'est sur la tombe du P. Sasse qu'il nous faut déposer l'éloge que mérite ce second et dernier volume de sa théologie sacramentaire. Confrère et ami du défunt, le P. **Lehmkuhl**, dont la Théologie morale est aujourd'hui en si grande faveur, a été chargé de compléter et de publier ces derniers traités du P. Sasse, et il l'a fait avec soin. Une cinquantaine de notes, modestement reléguées au bas des pages, sont de lui; partout le texte de l'auteur a été scrupuleusement respecté.

La fin de l'œuvre du P. Sasse ne le cède point à la première partie dont nous avons rendu compte en son temps; nous y retrouvons la même **exactitude doctrinale**, la même **érudition** sévèrement contrôlée et principalement une égale **limpidité de méthode**. Ce souci d'une parfaite **clarté d'exposition** est bien le caractère personnel du P. Sasse; sous ce rapport, il n'a été égalé par aucun des grands auteurs qui ont écrit avant lui sur la théologie sacramentaire. . . ."

(Revue des Sciences ecclésiastiques. Lille 1899. No. 473.)

239.02
L528

5035

LEHMKUHL, S.J., AUG.

AUTHOR

Theologia Moralis
Vol. II

TITLE

DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER

MAR 1 4

239.02
L528

5035